
31
8 G
5

BIBLIOTHECA THEOLOGICA

SEPTEM LIBRIS DISTINCTA,

IN QVA

Exacto ordine reponuntur cuncta ad completam Sacræ Doctrinæ, vel Theologiæ notitiam spectantia, tàm secundùm se, quàm secundùm diuersa eius munera, *Deducendi* conclusiones beneficio Artis Syllogisticæ; vndè *Scholastica*, vel *Argumentatiua*: *Ordinandi* & *explicandi* locos Theologicos, vndè *Positiua*, siue *Thetica*, & *Fundamentalis*: *Defendendi* sua principia aduersus omnia infidelium genera, vndè *Polemica*: *Disponendi* suas materias, vndè *Methodica*: *Vtendi* metaphoris, vndè *Symbolica*: *Prouocandi*, vel *dirigendi* affectum in Deum, vndè *Mystica*.

AVTHORE

F. DOMINICO A SS.MA TRINITATE

CARMELITA DISCALC. PROVINCIAE PARISIENSIS.

TOMVS SECVNDVS.

Complectens Libri III. in quo agitur de Sacra doctrina, quo ad munus ordinandi & explicandi locos Theologicos, Sectionem primam de Verbo Dei scripto, & secundam de non scripto, siue de sacris Traditionibus.











ROMAE, M.DC.LXVII.

Typis, & Sumptibus Philippi Mariæ Mancini.

SVPERIORVM PERMISSV.





INDEX

Librorum, Sectionum & Capitum huius secundi Tomi Bibliothecæ Theologicæ.

LIBER TERTIVS.

In quo agitur de Sacra Doctrina, quo ad munus ordinandi, & explicandi locos Theologicos.

SECTIO PRIMA.

De Sacra Scriptura, seu de Verbo Dei scripto.



SE 2

INDEX SECTIONVM,

SECTIO SECVNDA.

De Sacris Traditionibus, seu de verbo Dei non scripto.



INDEX

INDEX

Locorum sacræ Scripturæ, quæ in hoc secundo Bibliothecæ Theologicæ tomo continentur.

Ex Veteri Testamento, iuxta ordinem librorum eius.

GENESEOS.

4

PARALIPOMENON.

ESDRAE.

TOBIAE.

IVDITH.

ESTER.

IOB.

LIBRI PSALMORVM.

LIBRI PROVERBIORVM.

LIBRI ECCLESIASTES.

5

CANTICI CANTICORVM.

SAPIENTIAE.

ECCLESIASTICI.

ISAIAE.

IEREMIAE.

EZECHIELIS.

DANIELIS.

MAR-

61

MARCI.

LVCAE.

IOANNIS.

ACTVVM APOSTOLORVM.

EPISTOLARVM PAVLI.

Cap.2.

APO-

Erratorum index omittitur, quia nulla in sensu, pauca in orthographia, quæque facile à benigno Lectore animaduerti, & corrigi poterunt.



Imprimatur; Si videbitur Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici.

O. Archiep. Patrac. Vicesg.

Iterum Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Libellus Sacri Palatij Apostolici Magister.

BIBLIO-



BIBLIOTHECAE THEOLOGICAE

LIBER TERTIVS.

De sacra doctrina, quo ad munus ordinandi & explicandi locos Theologicos, vndè Positiuæ, vel Theticæ, alias fundamentalis sibi nomen vendicat.

SECTIO PRIMA.

De sacra Scriptura, seu de verbo Dei scripto.

CAPVT PRIMVM.

Breuis idea rerum, quæ Theologo circa verbum Dei scriptum generaliter considerandæ sunt, ad completam eius notitiam.



VM difficile, imo, quasi impossibile sit, vt ignoratis in aliqua disciplina principijs, illa perfectè cōparari possit, certè ad accuratā Theologi institutionem, & huiusce nostræ bibliothecæ Theologicæ perfectionem requirebatur, vt absoluta superiori libro consideratione locorum Theologicorum in communi, secundùm quod sunt certæ quædam argumentorum, seu principiorum sedes, vndè sacra doctrina ad suas conclusiones probandas argumentatiuè procedit, requirebatur, inquam, vt insuper vniuscuiusque naturam in particulari explicaremus. Quia autem huiusmodi loci Theologici sic se habent, vt inter illos solum Dei verbum siue scriptum, siue traditum contineat omnia illa, quæ sunt per fidem nobis ad credendum per Ecclesiam proposita, vel proponenda, cuique proindè in definiendis religionis controuersijs, tan-

quam ad certam normam, & infallibiles illarum regulas adſtringitur; primū agemus in hac Sectione de diuinis Scripturis, poſtea verò in ſequenti de ſacris traditionibus.

Memoriæ ergò iuuandæ causâ, omnia illa, quæ ad completam ſacræ Scripturæ notitiam ſpectant, ad quatuor genera cauſarum, veluti ad quatuor præcipua, ex quibus dependet, capita reducere, hacque ratione Theologo diuinarum Scripturarum adita ingreſſuro per modum Iſagoges, ſeu introductionis viam præmunire placuit. Sicut autem in ordine executionis cauſa efficiēs eſt omnium prima, ita etiam de illa primùm agemus, rebuſque ad illam pertinentibus; deinde de cauſa materiali; tertio de cauſa formali, ad quam maximè ſpectat, primùm ſcriptionis genus, an ſtrictâ, vel ſolutâ oratione? poſtea, vis ſignificatiua verborum, veraque illorum interpretatio, & intelligentia, aliaque ſimilia.

Quartò de cauſa finali ſacræ Scripturæ, quæ etiam multiplex eſt: in ſacta enim Scriptura tria præſertim conſiderari poſſunt; primò verba, vel dictiones; ſecundò illarum ſignificatio, tertiò res ſignificata: Verba habent pro fine proximo ſignificationem, hæc verò habet pro fine proximo manifeſtationē, ſeu reuelationem rei ſignificatæ; res autem à ſacra Scriptura ſignificatæ, ſunt Deus vltimus finis, mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus, aliaque ſimilia tàm ad credenda, quàm ad agenda ſpectantia. Vndè etiam breuiter agemus de vſu, & vtilitate Scripturæ tàm reſpectu fidelium, quam reſpectu Eccleſiæ; cum ex D. Thoma 12. quæſt. 10. art. 1. & quæſt. 16. vſus nihil ſit aliud, quàm applicatio rei ad finem, vel ad actionem finalem.

Quintò tandem, & vltimò breuiter afferentur tàm nomina, & elogia, quibus paſſim apud Sanctos Patres diuinæ inſigniuntur Scripturæ, quàm cætera alia, quæ ex Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumentis ſpectant ad commendandam illarum dignitatem & Excellentiā, ſuntque Theologo ſcitu digniſſima.

CAPVT II.

Vtrum aliquod verbum Dei ſcriptum, ſeu diuinam Scripturam exiſtere probari poſſit aduerſus Infideles, & quomodo?

Cvm vnaquæque res creata ſuam à cauſa efficienti habeat exiſtentiā, primum quod tractaturis de diuinarum Scripturarum cauſa efficiente explicandum occurrit, eſt, an detur aliquod verbum Dei ſcriptum, ſiue quod idem eſt, an aliquam ſcripturam à Deo dictatam exiſtere probari poſſit aduerſus infideles; de illius enim exiſtentiā ſatis ſuperque conſtat apud omnes non ſolum Catholicos, ſed etiam hæreticos; Etſi enim eorum nonnulli diſcrepent à Catholicis, quod libros aliquos tanquàm apocriphos, & ſpurios reijciant, quos Catholici tanquàm ſacros & diuinos recipiunt: attamen omnes in eo conueniunt, libros illos, quos de ſcripturæ corpore agnoſcunt, tanquàm ſacros, & tanquàm verum Dei verbum continentes, incunctanter omnibus eſſe admittendos. Vndè tota difficultas eſt, quo pacto talis ſcripturæ, quam diuinam vocamus, authoritas aduerſus infideles probari poſſit. Cum enim vel per Eccleſiam, quæ eſt columna & firmamentum veritatis, vel per ſcripturam ipſam, quæ de ſeipſa, tanquàm diuinum quoddam oraculum perhibet teſtimonium, ſolùm probari poſſe videatur; & hæc duo principia ab infidelibus non admittantur, nihil videtur ſupereſſe, quo illis oſtendere poſſimus ſacram aliquam diuinituſque inſpiratam exiſtere Scripturam.

Dicendum eſt tamen eodem modo probari poſſe, primò quo credibilitas articulorum, ſeu myſteriorum noſtræ ſanctæ fidei; cùm enim ſacram aliquā, diuinituſque inſpiratam ſcripturam exiſtere, ſit ipſummet primum, quod in-

religione Christiana creditur principiū, nihil enim est aliud quam Dei verbum ad extra productum, seu locutio quædam eius externa scripto exarata, qua supernaturalia fidei nostræ mysteria reuelare voluit; certè omnia illa motiua, & argumenta lib.4. interius adducenda, quibus aduersus infideles efficaciter probatur euidentia credibilitatis eiusmodi mysteriorum tanquam diuinitus reuelatorum, ita vt nonnisi irrationabiliter ab illis respui, & negari possint; non minus euidenter probant Scripturam ipsam illa reuelantem esse euidenter credibilem in ratione diuinæ authoritatis.

Secundò probari potest veluti à posteriori sequenti ratione; Ille enim liber, qui præ omnium Catholicorum manibus habetur, quemque Biblia Sacra, seu verbum Dei scriptum appellant, debet esse de necessitate ab aliquo, nihil enim à seipso nisi solus Deus; ergo vel ab aliqua creatura, vel à Deo, non à creatura ergò superest, quod à Deo inspirante seu dictante conscriptum, & per hominem, velut calamum quemdam, diuina manu regente exaratum esse credamus. Quod sic ostendo, cum enim verba sint signa conceptuum, illi solùm primum tribuenda est inspiratio seu prolatio verborum tales res, aut mysteria significantium, quæ nonnisi ab illo solo concipi, seu apprehendi possunt; res autem seu mysteria per Sacra Biblia nobis reuelata, sunt talia, quæ nonnisi primùm à Deo cognosci potuerunt; sic sunt ineffabilia Trinitatis & Incarnationis, rerumque ad illa spectantium arcana; sic sunt tot prophetiæ in ea contentæ, quæ cum fuerint adimpletę, etiam diutissimè, postquam prædictæ sunt, euidenter arguunt sacra Biblia esse diuinæ authoritatis, seu verum Dei verbum scriptum: *Dicite qua ventura sunt, & dicemus quod dij estis vos*. Isaię cap. 41. quasi diceret solius esse Dei, & non hominis quicumque ille sit, futura concipere, & certò prædicere, lege D. Augustinum 12. de Ciuitate Dei cap. 9. & 10.

Tertiò illa scriptura pro vero Dei verbo firmiter tenenda est, quæ habet omnes proprietates vero Dei verbo cōpetentes, atqui Sacra Biblia habent omnes eiusmodi proprietates, quæ rationabiliter vero Dei verbo attribui possunt, ergo pro tali firmiter tenenda sunt Sacra Biblia. Maior huius argumenti est certa; Minor ergo probatur consi erando, & applicando sacris Biblijs omnes illas proprietates.

Prima est doctrinę sublimitas, si quidem in illis de Deo Trino, & Vno, de Christo, de creatione, prędestinatione, iustificatione, & glorificatione, &c. quæ nedum humanum, sed etiam Angelicum captum superant, agitur. Secunda est eiusdem doctrinę grauitas, quę absque vllis probationibus per simplicem tantum rerum enunciationem traditur, & tamen vult vt sibi simpliciter enuntianti, etiam sub periculo euidenti mortis fides adhibeatur; ex hoc enim satis colligitur, eam ad instar Dei se gerere, & intellectu humano esse superiorem, eumque in obsequium suum captiuare. Tertia est illius puritas, & sanctitas, quæ docet exactè quęcumque ad summam sanctitatem, morumque integritatē faciunt, & nullum est peccatū, quantumuis minimum, quod ab ea non reprobetur, & damnetur. Quarta est vtilitas, cum eius argumentum potissimum sit de moribus & medijs ad beatitudinem conducentibus. Quinta efficacitas, quæ tanta est in Scriptura, vt mirabiles mutationes in hominibus fecerit, vt testatur D. Augustinus lib. 8. confessionum, & Thomas à Kempis opusculo vndecimo cap. 1. Sexta iucunditas & suauitas qua sui studiosos demulcere solet Psal. 118. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo*: Vnde etiam Machabæi in suis afflictionibus hoc tantùm residui habebant, vt Scripturas Sacras attentissimè legerent, *Habentes*, inquiunt, *solatio Sanctos libros* Machab. lib. 1. cap. 12. Septima tandem & vltima est mira illius consensio, cum enim diuersis temporibus & locis de rebus quorumcumque hominū captum superantibus scripta fuerit, tantum

tum abest, vt in sacris biblijs sit aliqua contradictio, quin imo mirabiliter inter se omnia consentiunt; Hęc autem consensio manifestè arguit scriptores sacros non aliter quam Deo authore sacra biblia conscripsisse. De quibus omnibus cùm fusius acturi simus lib.4. sufficit hęc breuiter adnotasse. Vide etiam Andræã Duuallium tract. de fide quęst.2. de authoritate sacrę Scripturæ art.1. & 2.

Quartò ad diuinam sacrarum scripturarum authoritatem demonstrandam innumera conducunt miracula; pręter illa enim, quæ in nostra Religione olim facta sunt, & etiamnum fiunt, quęque, cum religionem in genere credibilem, & ab omnibus credendam arguant, arguunt quoque scripturam, in qua fundatur, & quæ est instrumentum pręcipuũ illius, esse diuinæ authoritatis, & tanquam talem ab omnibus excipiendam; plura alia leguntur miracula, quę pro ipsa scriptura specialiter facta sunt: quale est illud, quod refert Victor Vticensis lib. 3. de persecutione Vvandalica, dum enim Diocletiani sententia libri sacri exurendi essent, *Pro Dominicis*, inquit, *Scripturis dimicauit calum, cum Fundanus Episcopus ciuitatis dominicas scripturas traderet exurendas, quas cum Magistratus sacrilegus igni apponeret, subitò imber sereno calo diffunditur: ignis scripturis sacris admotus extinguitur, grandines adhibentur, omnisque ipsa regio pro scripturis Dominicis elementis furentibus diuastabatur*. Rursum (rem nobis narrante Theodoro lectore in historia) cum magnum apud Constantinopolim incendium grassaretur, sacrorum librorum obiectu illico pacatum est illud, quod in Templo Sanctę Anastasię, sęuiebat. Et sic de alijs pluribus, quę videri possunt in Cathechismo historiali, in Theatro Vitę humanę Laurentij Bierleinch Verbo Scriptura Sacra, Nicolao Serario prolegom. Biblior. cap.1. quęst.10.

Quintò accedit longa & immemorabilis tot retro sęculorum traditio, qua semper libri sacri Deo tanquam authori sunt attributi, nullusque vnquam contra istud inficias iuit, quin statim tanquam hereticus, aut à religione alienus habitus sit; si enim libros Aristotelis, & Platonis, eorum & non aliorum credimus propter consensum omnium gentium, quæ istud affirmarunt, & putarunt, Scripturam iustiore titulo diuinam, & & certã habere authoritatem credi debet, quia tam longo & immemoriali tẽpore Deus illius author ab omnibus est creditus; maximè cum talis credulitatis fundamentum esse non potuerint caro & sanguis, quibus nullatenus fauet, imo repugnat doctrina in sacris Biblijs contenta.

Sextò tandem & vltimò, sicut supernaturalia alia fidei nostræ mysteria efficaciùs probari non possunt contra infideles, quam negatiuè, soluendo nimirum omnes rationes contra illa ab illis adductas, ex dicendis infra lib.4. superest vt etiam in præsenti breuiter adducamus, & soluamus argumenta, quibus moti infideles negant in particulari diuinarum scripturarum authoritatem.

Primum ergò & potissimum desumitur ex hoc quod in scriptura tàm veteris, quàm noui testamenti, siue coniunctim, siue seorsim spectetur, manifestæ quędam habeantur contradictiones: inde enim aperte sequitur Deum non posse esse illius authorem: quia cum Deus sit vnus & idem, omniaque tam præterita, quàm futura ita cognoscat, vt nullius rei obliuione capi possit, sibi ipsi contradicere nequit: alias malitiosus, & mendax ex industria haberetur, quod est prorsus improbabile.

Secundum argumentum petitur ex hoc quod non solùm modus loquendi Scripturæ est simplex & humilis, ludibrio propterea à gentibus olim habitus, præsertim à Iuliano Apostata, cui cum essent biblia ad legendum oblata, dixit; Vidi, legi, neglexi: sed etiam in ea multa narrantur, & continentur, quæ ob sui humilitatem videntur prorsus indigna, vt à Spiritu Sancto dicerentur, vti Tobiæ 6. Iuniorem Tobiam canem sequutum fuisse in sua peregrinatione: item multa

multa quæ vel sunt prorsus fabulosa, ridicula & incredibilia, vel si sint credibilia, aut credi debeant, pessimi sunt exempli, & ad malum potius, quam ad bonũ inducunt. Primi generis sunt, serpentem loquutum esse cum Eua Genes. 2. vt eam ad preceptum Dei violandum attraheret; item quod Dauid, & Sampson, vrsos & leones suis manibus discerpserint, & quod idem Sampson mandibula asini, mille Philistinos occiderit, & quod trecentas vulpes per caudam cum stipula ignita simul colligauerit, vt segetes Philistinorum incenderet, qui enim fieri potuit Sampsonem tot vulpes in vnum congregasse. Secundi generis sunt ea, quæ de vxorum & concubinarum multitudine in Patriarchis Dauide, & Salomone referuntur, sicut & horrenda alia vitia, vt Oseæ ingressus, ex mandato Dei, ad mulierem fornicariam, &c. huiusmodi.

Tertiò si Sacra Scriptura tota à Spiritu Sancto esset dictata, vnus & idem esset omnium sacrorum librorum stylus: veluti Ciceronis stylus vbique idem agnoscitur, sed hoc apparet falsum, cum in modo scribendi magna inter eos sit diuersitas, propter phrases, methodos, & cætera id genus, quæ apud eos valdè differunt.

Ad 1. respondetur vniuersaliter nullum penitus sacræ Scripturæ locum verè & propriè esse alteri loco eiusdem Scripturæ contrarium, aut contradictorium, quod enim secundum vnum sensum asseritur in vno loco, in alio negatur iuxta alium sensum. V. g. dum Genes. cap. 2. v. 28. dicitur, *Crescite & multiplicamini* & Matthæi 19. *non expedit nubere*, prior locus non continet preceptum, sed simplicem tantùm benedictionem, qua annunciauit Deus generi humano virtutem procreandi sibi simile, vt colligitur manifestè ex verbis antecedentibus, *Benedixit illis Deus*: & ex eo quod eadem verba dixerit Deus piscibus & auibus, quibus propriè loquendo non potest imponi præceptum. Posterior autem locus Matth. 14. continet solum consilium Virginitatis seruandæ.

Verùm quia longum esset omnes, & singulas sacrorum voluminum apparentes antologias, seu contradictiones velle prosequi, possunt de illis consuli interpretes sacræ Scripturæ, qui data occasione, & vbi ista sententiarum diuersitas occurrit, solent illam conciliare; præsertim S. Augustinus lib. de consensu Euangelistarum, Cardinalis Bellarminus controuersia 1. de verbo Dei scripto D. Dominicus Magri Melitensis Sacerdos Theologus, qui principales tam veteris quam noui testamenti apparentes antologias à diuersis authoribus expositas in vnum collegit Venetijs 1645. in 16. Andræas Duuallius 22. quæst. 2. de authoritate sacræ Scripturæ art. 2. & nos infra, agendo de vnoquoque sacræ Scripturæ libro in particulari.

Ad 2. Respondetur sacræ Scripturæ stylum, seu loquendi modum esse quidem simplicem & humilem; in ipsa tamen humilitate verborumque simplicitate altissimos sensus latentes habere; adeo vt secundum Augustinum: *Sicut superficie simplices refouet, sic mysterijs sapientes exercet, & sicut habet in publico, vnde paruulos nutriat, sic seruat in secreto, vnde mentes sublimium admiratione suspendat: est enim fluuius planus & altus, in quo elephas natat, & agnus ambulat.* Et propter hanc scribendi formam nauseam à doctoribus, & fastidium à simplicibus tollit. Sed de hoc redibit sermo inferius agẽdo de forma sacræ Scripturæ, ad quam maximè pertinet stylus, scribendique modus.

Quod pertinet ad qualitatem doctrinæ seu materiæ, quæ in ea traditur, respondetur similiter nihil penitus fabulosi & ridiculi continere. Vt enim rectè ait idem S. Augustinus epistola ad Volusianum: *Quæ tandem mens auida æternitatis, vitæ præsentis leuitate permota, contra huius diuinæ authoritatis culmen, lumenque contendat? Quæ disputationes, quæ litteræ quorumlibet Philosophorum, quæ leges quarumlibet ciuitatum, duobus præceptis ex quibus Christus dicit totam legem*

gem prophetasque pendere, vllo modo sint comparandæ, diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & proximum tuum tanquã teipsum? Hic physica, quoniam omnes omnium creaturarum causæ in Deo creatore sunt: Hic Ethica quoniam vita bona, & honesta non aliũdè formatur, quàm cum ea quæ diligenda sunt, quemadmodum diligenda sunt, diliguntur, hoc est Deus, & Proximus: Hic Logica, quoniam veritas lumenque animæ rationalis nonnisi Deus est: Hic etiam laudabilis reipublicæ salus; neque enim conditur, & custoditur optima ciuitas, nisi fundamento, & vinculo fidei, firmæque concordiæ, cùm bonum commune diligitur, quod summum, ac verissimum Deus est: atque in illo inuicem sincerisimè se diligunt homines, cum propter illum se diligant, cui quo animo se diligant occultare non possunt. Hactenus Augustinus, quem etiam præstat videre lib. 12. confession. cap. 14.

Tantùm ergò abest, vt aliquid fabulosi & ridiculi in sacris litteris contineatur, quin potius graphicè in illis describũtur Dei natura, & perfectiones, eiusq; mysteria imperscrutabilia, sicut & ea quæ sunt de creaturis, tam cælestibus, quam terrestribus, spiritualibus, & corporeis, practicis, & speculatiuis; in libris Iob, & in Genesi de omnibus fere rebus creatis saltem præcipuis disseritur, vt & in libris Salomonis de rebus ad praxim spectantibus.

Quapropter ad exempla, quæ in cõtrarium adferuntur, respondeo, & ad primum de eo quod Tobias canem habuerit, qui in aduentu Domini caudam mouerit, licet id per se nõ conducat ad Dei cognitionem: conducit tamen integraliter, & quasi pars historiæ gratissimæ diuinam commendantis bonitatem erga Tobiam, cuius non mediocre fuit lætitiæ præludium aduentus canis præcedẽtis filium suum, & gestientis; qua etiam ratione quasi in speculo videmus Dei prouidentiam, quæ post ærumnas, & tribulationes patienter toleratas, prosperitatem & lætitiam restituit in maximo & in minimo; sed de mysticis huiusmodi considerationibus, quæ intellectum mirum in modum recreant, & voluntatem inflammant, videndi sunt interpretes Serarius, Iustinianus, & alij cap. 11. Tobiæ.

Ad secundum de locutione serpentis cum Eua, respondetur dæmonem tunc in corpus serpentis ingressum esse, & linguam eius mouisse, & rexisse, vt cũ Eua colloqueretur: quod cùm non sit extra spheram actiuitatis, aut potestatis naturalis illius, non est quod pro fabula habeatur illa historia, de qua specialiter videndi sunt Abulensis, & Pererius Genes. cap. 2.

Quantum ad tertium de viribus Dauidis & Sampsonis, etiam si illæ miræ naturaliter videantur; nihil tamen in ijs mirum videri debet, si spectetur diuina virtus, qua tunc ipsi agebantur: vndè si similia credant, aut crediderint Gentiles de suo Hercule, cur redarguunt Christianos, quod ea de suis credant, & asserant, quos tunc diuina virtute actos fuisse, nec naturæ viribus istud præstitisse certum est. Cum autem Palæstina vulpibus abundet, vt satis colligitur ex multis sacræ Scripturæ locis Cantic. 2. *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.* Threnorum 5. *Vulpes ambulauerunt in eo.* Et psal. 61. *Partes vulpium erunt*; non fuit difficile Sampsoni cum arte, tùm etiam virtute diuina trecentas illas vulpes congregare. Quod factum, sicut & alia plura non vacant suis mysterijs, vt videre est apud interpretes sacros.

Ad polygamiam, seu vxorum pluralitatem, quæ inter veteres Patriarchas viguit; Respondetur eam nihil inhonesti continuisse. Quod enim illæ vxores in scriptura nominentur concubinæ, non propterea sequitur eas non fuisse vxores quia reipsa tales erant, vt satis colligitur ex hoc quod filij ex illis suscepti, ad hæreditatem vocabantur, sed tantùm dictæ sunt concubinæ, quia erant secundæ vxores, & quia cum ea solemnitate, qua primæ non ducebantur, nec dotem vllã sibi in bonis viri assignatam habebant: vt communiter docent Theologi in 3. distinct. 33.

Ad

Ad illud Oseæ, dicitur illum hanc mulierem fornicariam in vxorem, per mutuum vtriusque consensum,priusquã cum ea rem haberet, & filios susciperet, accepisse; vt satis colligitur ex verbis *Vade*, inquit Deus, *& sume tibi vxorem fornicationum*. Et quamuis filij suscipiendi, eo loci appellentur filij fornicationum, non tamen sequitur eos fuisse nothos & illegitimos, sed tantum tales propter matrem, quæ ante matrimoniũ cum Osea, erat meretrix, nominatos. De quo vide D. Augustinum lib. 18. de ciuitate Dei cap. 28.

Ad tertium patebit ex dicẽdis cap. 5.

CAPVT III.

Vtrum necesse fuerit ea, quæ sunt fidei scribi.

NOn agimus hic præcisè de sacra cognitione, seu de necessitate alicuius doctrinæ sacræ præter philosophicas disciplinas; satis enim constat ex dictis lib. 1. sect. 1. eam absolutè, & necessitate medij, vt loquuntur esse necessariam, supposita semel hominis eleuatione ad finem supernaturalem ab eo consequendum; sed tantùm quærimus, cum in statu Innocentiæ, & legis naturæ tempore, sine Scriptura sacra fuerit Deus loquutus hominibus, quare postea in lege veteri, & noua illa sit vsus; siue quod idem est, cur sacram illam, & supernaturalem cognitionem, seu doctrinam scriptis consignari voluerit? cum possit facilè traditione viua eius fides in Ecclesia seruari. Quemadmodum etiam in Apostolis prædicantibus tantum, & nec dum scribentibus, factum est: & ante legem Moysis, qui primus Scriptor sacer extitit, Ecclesia Dei erat, nullis tamen scripturis, sed tantùm traditione de ore in os transfusa, recta, & gubernata.

Pro parte negatiua possent adduci hæretici dicti Libertini, quorum authores fuerunt Coppinus, & Quintinus sutores Flandri; verbum enim scriptum tanquam litteram occidentem respuebant, soloque spiritu interno contentos nos esse volebant.

Nihilominus tamen dicendum est, non fuisse quidem simpliciter necessarium, ea quæ sunt fidei Scribi; fuisse tamen secundum quid necessarium, seu (quod eodem recidit) conuenientissimũ & vtilissimum.

Prima huius conclusionis pars sufficienter colligitur ex ratione dubitandi statim allata, nimirum quod Deus potuit per se singulis hominibus mysteria fidei patefacere; aut si aliquibus tantùm eorum cognitionem infundere voluisset, reliqui ab ijs per traditionem, sine vllo scripto potuissent illam accipere: ergo in quocumque statu non fuit simpliciter scriptura necessaria; sed sicut ab Adamo vsque ad Moysem, hoc est spatio bis mille annorum, & amplius, mundus scriptura caruit, cum tamen multi fideles eo tempore floruerint, ita & illa semper carere potuit, & immediatè à Deo de rebus fidei edoceri per internam, aut externam locutionem à scriptura distinctam.

Nunc secunda conclusionis pars superest probanda, cur potissimum in lege veteri seu Mosaica, & noua, seu Euangelica conueniens fuerit ea quæ sunt fidei scriptis consignari. Rationem à priori huius rei aliam adducere non possumus, quam diuinam voluntatem, quæ pro temporum diuersitate, suam Ecclesiam nunc sola traditione, nunc tàm illa, quam sacra Scriptura regere, & instruere voluit. Cuius tamen voluntatis plures etiam non desunt conuenientiæ, & congruentiæ.

Prima est S. Ioannis Chrysostomi homil. 2. in Genesim. *Humani generis conditor*, inquit, *ab initio per seipsum hominibus loquebatur, quemadmodum audire homines possibile est. Sic enim ad Adam venit, Cain increpauit, sic cum Noe loquutus est, sic cum Abraham hospitatus. At vbi in magnam malitiam omnis hominum natura prolapsa est, neque tunc se totum ab humano genere auertit opifex vniuersi, sed quia sua familiaritate indigni facti fuerãt, suam*

suam erga illos amicitiā renouare volens, quasi longè absentibus litteras mittit, conciliaturus sibi vniuersum hominum genus. Quod idem docet homil.1. in Matthæū tomo 2. & Ioannes Cassianus in Collat. Patrum collat.8.cap.23.

Secundò, quod tempore legis naturæ Ecclesia Dei extiterit nullis scripturis, sed viua tantùm traditione gubernata, mirum non est. Præterquam quod enim eo tempore lege naturę mētibus inscripta satis homines edocebantur, vt docet Chrisostomus loco statim citato, reliqua etiam mysteria fidei, quæ naturam nostram, & rationem superabant, paucissima erant, ideoque eorum memoria ad ea retinenda absque vllo scripto sufficere poterat; secus verò in lege scripta, & Euangelica, vbi infinita penè tàm pro fide, quam pro rebus agēdis tradenda erant documenta. Vndè cum scriptura sit obliuionis medicamētum, & memoriæ auxilium præsentissimum, ne aliquid sacræ doctrinæ è memoria excideret, remedium singulare fuit, illam typis, aut scriptis mandare.

Tertia ratio seu congruentia desumitur ex hoc, quod in omni republica benè ordinata, duplex ius reperitur, scriptum, & traditum: igitur vt Ecclesiæ, quæ est respublica vndequaque perfecta, nihil deesset, pertinuit ad suauitatem diuinæ prouidentiæ illam vtroque iure munire, pro eo maxime tempore, quo magis opus erat, ob credendorum multitudinem, vt statim dixi.

Quartò, quæ scripta non sunt, sed tantummodo tradita, lapsu temporis facile obscurantur, & alterantur: vndè traditiones ipsæ quibus in Ecclesia hæreticos vrgemus, licet in nouo testamēto non exstent, exstant tamen & referuantur integræ, & inuiolabiles in scripturis veterum Patrum; adeò vt si in ijs non exstarent, iamdudū fuissent antiquatæ, & omnino sepultæ; vt rectè notauit Andreas Duuallius tract. de fide quęst.1. de scriptura art.6. Igitur cùm tam in lege Mosaica, quàm Euangelica tanta esset credendorum, & agendorum multitudo, longoque tēpore esset vtraque permansura, & hominum memoria parum tenax & fidelis sit, congruū fuit, Deum ea pro maiori parte litteris consignare, se seque in eo hominum naturæ accommodare, ad quos edocendos maximè est accommodatum scriptionis genus.

Quintò loquendò in particulari de veteri testamento, congruum fuit illud scripto consignari, idque in primis ob fidem de creatione mundi atque hominis, eiusque restauratione: Deindè vt Gentiles atque Iudæi facilius ad Christum natum, & in Euangelijs Deum prædicatum conuerterentur; cùm enim vtrique dicere potuissent, illum quem colimus Christum, non esse verū Messiam in lege promissum, sed alium; vt facilius & clarius omnibus constaret testimonia ad id probandum à Christianis adducta esse certissima, & verissima, nec eos posse propter crimen falsæ allegationis in ius vocari, necessarij fuerunt libri veteris testamenti, quorum ipsimet Iudæi essent custodes; sic enim consecuti sumus, vt testimonia nostræ fidei secum ipsi, contra se & pro nobis circumferrent, nosque optimo iure vsurpare possemus illud Deuter.32. *Et inimici nostri sint indices.* Quod S. Augustinus lib.18. de ciuitate Dei, cap.46. & Epistola 54. ad Paulinum indicat, à Deo postulatum fuisse voce illa Christi in Psalmis, Psal.58. *Deus*, inquit, *ostendit mihi super inimicos meos. Ne occidas eos, nequando obliuiscantur populi mei. Disperge illos in virtute tua, & depone eos protector meus Domine.*

Sextò tandem, nouum quoque testamentum fuit litteris exarandum, tum quia eius lectio mirificè inseruit ad pietatem ex factis & dictis Christi in nobis excitandam, imitationemque vitæ suæ nobis imprimendam: Tum etiam ad refellendas infidelium calumnias, qui cum coruscante primùm Christi Euangelio viderent templa sua & idola destrui, multa in nostros de Catholica fide exprobrare cœperunt. Nam Porphyrius

rius

-tius Christum non esse Deum, nec se talem prædicasse, aut per Apostolos prædicari voluisse obijciebat. Dicebat præterea, Christum nihil contra cultum Deorum præcepisse. Ad hæc, multa horrenda crimina, quæ ad mores spectant, Euangelij professoribus in primitiua Ecclesia imponebantur; vt quod essent infanticidæ, puerorumque carnibus vescerentur, quod essent magi &c. Quas omnes calumnias difficile fuisset propulsare, nisi scripto proditum fuisset Euangelium, vndè constaret Christum longè alios mores, atque etiam vitam à suis discipulis exegisse, ipsamque legem per se sanctissimam esse, rationique & charitati quam proximo debemus, maximè consentaneam.

Ad id autem quod contra diuinarū scripturarum authoritatem & vtilitatē obijcere solent Libertini ex D. Paulo 2. Corinth. cap. 3. Litteram nimirum occidere, spiritum autem viuificare; non est quod respōdeamus, sufficienter enim colligitur ex eius contextu, neque per litteram occidentem, sacram Scripturā, neque per spiritum viuificantem, internam spiritus alloquutionem intelligi; sed Paulo nihil aliud esse litteram & spiritum, quam Ioanni legem & gratiā: *Lex*, inquit Ioannes cap. 1. *per Mosem data est, gratia & veritas per Iesum Christum*. Et S. Augustinus lib. 15. contra Faustum cap. 8. *Eadem*, inquit, *lex quæ per Mosem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est, cum accessit littera spiritus, vt inciperet impleri iustitia legis, quæ non impleta reos etiam præuaricatione faciebat*. Sed de hoc videndi sunt interpretes sacri, & Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 3. vbi etiam optimè explicat, cur lex per Mosem data, Littera, cur occidens, cur Testamenti veteris propria esse dicatur.

CAPVT IV.

De antiquitate sacræ Scripturæ.

CVm duratio sit quid ad esse rei per modum proprietatis illius subsequens postquā in superioribus egimus de existentia sacræ Scripturæ, eiusque necessitate, superest vt aliquid de eius antiquitate breuiter attingamus.

Dicendum est ergò sacram Scripturam, non quidem quo ad omnes sui partes, sed Moysis historiam saltem, esse tempore antiquiorem omnibus Paganorum & Gentilium libris, quorum hodie monumenta exstent, vel quorum etiam nomina ad nos peruenerint. Ita docent communiter Patres, Iustinus Philosophus & Martyr Admonit. ad Gentes, Gregorius Nissenus in lib. de Moise, Ambrosius de Patriarch. benedict. Cyrillus contra Iulianum, Clemens Alexandr. lib. 1. Stromat. Tertullianus ad Gentes, Eusebius de præparat. Euangelica lib. 9. cap. 13. vt etiam præter Palæmonem in 1. Græc. Histor. Appionem lib. contra Hebræos, & lib. 4. Historiæ, Strabonem lib. 16. Cornelium Tacitum lib. 21. Annalium, Iustinum lib. 36. Diodorus Historicorum omniū apud Græcos probatissimus, Moysen appellet magno animo virum, & probatissima vita celebratum; primum item legislatorū, quem (ait) vocant Deum, siue ob admirabilem diuinam notionem, siue ob excellentiam, & potestatem.

Quia autem hoc efficacius aliundè probari non potest, quàm ex historia, quæ nuntia est vetustatis, breuiter recolo ex dictis supra lib. 2. sect. 5. cap. 11. duas fuisse veterum Philosophorum Sectas, quarum vna dicebatur Ionica, & altera Italica; vtraque ex locis in quibus floruerunt, sic nominata. Ionicæ Sectæ princeps fuit Thales Milesius, sic dictus, quia Mileti ex claro genere natus; vel vt alij probabilius volunt, quia, cum natione Phænix esset, Miletum Ioniæ vrbem antiquissimam bonarum artium cul-

cultricem venit, ibique ciuitati adscriptus fuit. Thaleti successit Anaximander, quem subsequutus est Anaximenes cuius auditor fuit Anaxagoras: Anaxagoram autem audiuit Archelaus, qui primus Philosophiam ex Ionia Athenas transtulit: hic magister fuit Socratis, qui relicto Physiologię studio tanquàm magis curioso, quàm necessario vel vtili ad priuatam ciuilemque vitam rectè instituendam, & ad beatitudinem agnoscendam atque comparandam, se totum dedit ad docendam, & explicandam Philosophiam moralem. Socratis porrò multi fuerunt auditores, sed in primis nobiles Aristippus auctor sectæ Cyrenaicæ, Anthisthenes Cynicæ; Plato Academicæ; & Xenophon magis studiosus vitę militaris & historię, & politicæ facultatis, quam theoricæ Philosophiæ. Post Platonem autem Philosophia in quatuor celebres disciplinas, seu sectas diuisa est, Academicam, Peripateticam, Stoicam, Epicuream, Academicę, quæ à loco nomen accepit, princeps fuit Plato; Peripateticę Aristoteles, etsi enim Platonis discipulus esset, in Lyceum tamen secedens, diuersam instituit sectam, quę, quod is deambulans, auditores suos docere soleret, Peripatetica vocata est. Stoicæ disciplinę princeps fuit Zeno Cyttieus, auditor Cratis Thebani; Epicurus autem sectę Epicureæ.

Italicę sectę Princeps fuit Pherecides Syrus, qui non iocularitet & fabulosè, sed, vt docet Aristoteles 4. Metaph. cap. 6. grauiter & serio philosophari cæpit. Pherecidis auditor fuit Pythagoras, Samius, qui venit in Italiam regnante Tarquinio Superbo, tantaque tum nominis & doctrinæ claritate, tum discipulorum multitudine floruit, vt ab eo secta Pythagorica fuerit appellata. Ad sectam Italicam reuocatur ab aliquibus Eleatica, ad Grecanicam ab alijs, sic nuncupata ab Elea ciuitate Lucanię vbi culta fuit. Precipui huius sectatores fuerunt, Xenophanes, Parmenides, Melissus, Zeno Eleates, Leucippus, Democritus, quo tempore fuit etiam Hippocrates Medicorum princeps, & Heraclitus; de quibus fusius libro superiori.

Hoc posito breuiterque adnotato facile ostendi potest, Moysis libros, Hebręorumque sapientiam in illis potissimum contentam longè fuisse antiquiorem, quam Græcorum, & Italorum, cum tunc hæc nasceretur, quando illa erat vetustissima; Si quidem tam Thales Milesius, quàm Pherecides & Pythagoras, Ionicæ, & Italicæ sectæ principes floruerunt tantum circa Olimpiadem quinquagesimam; cum tamen Moyses sacros scripserit libros multis ante Olimpiadum principium annis; siquidem ex sententia Diodori Siculi lib. 1. Clementis Alexandrini lib. 1. stromat. & aliorum, Olympiades initium habuerunt anno quadringètesimo octauo post excidium Troiæ; Moyses autem suos scripsit libros multis quoque ante illud annis, iuxta computum inferius adducendum cap. 63. Vndè etiam facilè constat eum fuisse antiquiorem Mercurio Trismegisto, Orphæo, Musæo, Lino, & Homero, qui secundum veriorem Eusebij in Chronico, Clementis Alexandrin. lib. 1. Stromatum, D. Augustini lib. 18. de ciuitate Dei cap. 8. Cronographiam, tempore aliorum post Moysem Iudicum vixerunt. Isti autem cum sint primi, & antiquissimi naturalis Philosophiæ professores, quorum hodie saltem notitiam habeamus, apertè colligitur sacram Scripturam quo ad libros à Moyse conscriptos esse tempore antiquiorem, omnibus Paganorum, & Gentilium scriptis.

Nec solum prioritate temporis, vel durationis, sed etiam, vt ita dicam, originis, sacram Scripturam omnes alias præcessisse dicendum est; quia cum hoc quod tempore omnes præcedit, vt statim vidimus, omnes etiam ab ea ortum trahunt, secundum quod dicit Cassiodorus de diuin. lect. cap. 4. de Psalterio. *Omnis splendor rethoricæ eloquentiæ: omnes modi Poeticæ elocutionis, qualibet varietas decoræ pronuntiationis, à diuinis Scripturis sumpsit exordium.* Et Theodoretus lib. 2. de cur. Græc. affect. *Cur non*, inquit,

Moysem Oceanum Theologiæ transimus, à quo, vt poeticè dicam, fluuij & maria omnia deriuantur, illic enim & Anaxagoras, & Pythagoras, & Plato post eos parua quadam veritatis lumina, quadamque initia desumpserunt.

Quod etiam facile demonstrari posset sacræ prophanæque eruditionis parallellos adducendo, nisi iam plures huic operi feliciter insudassent, quos pro instituti nostri ratione sufficit hic adnotare. Laurentius Ramires de Prado in pentecontarcho, Clemens in Musæo, Posseuinus Bibliothecæ Selectæ lib. 2. cap. 3. & sequentibus, Montoya controuersia 6. de vtilitate credendi, Acosta de nouissimis temporibus cap. 30. Salazar discursu 15. in symbolo, Eusebius de origine sacræ Script. lib. 7. cap. 7. & sequentibus, Paulus Vecchi in apparatu obseruationum omnigenæ eruditionis in sacram Scripturam, obseruatione præambula tertia, Vallesius de Sacra Philosophia, Mersennius in Genesim, Pererius in præfatione 1. tomi in Genesim, & in cap. 2. Exodi, Libertus Fromondus aduersus Lansbergium comment. de motu terræ Controuersia 1. fatentem quidem Scripturam vtilem esse ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia; negantem verò vtilem esse ad institutionem, quæ est in Geometria, & Astronomia, alijsque rebus ad quęstiones naturæ dissoluendas pertinentibus; Augustinus Eugub. lib. de perenni Philosophia.

Qua autem via, quoue modo Philosophi Gentiles tàm sacrę Scripturæ, quàm mysteriorum fidei nostrę in ea contentorum cognitionem habere potuerint iam explicatum fuit superiori libro agendo de probatione Theologica ab eorum authoritate desumpta; sectione verò septima istius libri, iterum vniuscuiusque scientiæ naturalis vtilitatem, & necessitatem, ad perfectam diuinarum scripturarum, sacręque doctrinę intelligentiam breuiter examinabimus.

CAPVT V.

An Deus ita sit author sacræ Scripturæ, vt singula eius verba dictauerit.

Scripturarum veteris, & noui Testamenti diuinam habere authoritatē & esse verbum Dei, satis superque constat ex dictis supra cap. 2. Quia autem Scripturam aliquam Deo inspirante conscribi tripliciter intelligi potest: Primò quidem vt ipse Deus reuelet scriptori res scribendas, eidem humana ratione occultas iuxta illud Psalm. 50. *Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Secundò modo vt impellat Deus scriptorem ad scribendum quod suoptè nouit ingenio: præstetque illi sua speciali adsistentia, ne malitia aut obliuione in aliquo decipiatur. Tertio denique modò, vt Deus non solum res occultas scribenti reuelet, vel ad res sibi notas scribendas excitet, & ne hallucinetur manuteneat, sed etiam verba ipsa singula, quibus scribat, suggerat, & quasi dictet. Ideo non leuis inter Catholicos salua tamen fide, & charitate disceptatio est, quonam ex his modis sacræ Scripturę Deus author extiterit.

Aliqui enim, vt Bannes 1. par. qu. 1. Gregorius de Valentia 22. quęst. prima art. 10. asserunt ad rationem sacrę Scripturę necessarium esse, vt omnes sententiæ, & simul verba omnia propriè, & immediatè sint à Spiritu Sancto ipsis scriptoribus dictata, & reuelata: ita vt non relinquatur illorum arbitrio, his aut illis verbis vti, sicut fit quando epistolam alicui dictamus: sed vti debeant illis, quę à Spiritu Sancto in eorum mentibus per conceptus aliquos particulares efformantur: Alij verò contrarium sentiunt, id nempè non esse necessarium, sed sufficere, si Spiritus Sanctus eis ad non errandum specialiter affulserit: Et in hac speciali Spiritus Sancti assistentia explicanda adhuc diuisi sunt: quidam enim existimant illam esse merè extrinsecam, quidam verò dicere videntur, Deum

quidem primo incitasse scriptorem ad scribendum, sed post motum, electionem & determinationem illi reliquisse in rebus sibi notis atque perspectis, Deo tantum illi extrinsecè assistente in toto operis curriculo: quidam denique melius volunt præter primum impulsum, & assistentiam extrinsecam in rebus & verbis alias scriptori promptis, motionem Dei affuisse specialem, & supernaturalem, vt determinatè scriptor istas res per hæc verba describeret, & per hæc verba, aut res ex Dei motione determinatas, & à scriptore simul sub Deo primo determinante selectas, propriam sententiam intenderet, & explicaret. Nos quid in hac re tot inter doctorum placita, certius & probabilius tenendum est, sequentibus conclusionibus aperiemus.

Prima conclusio de ratione, & conditione Scripturæ sacræ est, vt in omnibus, & per omnia sit à Deo, tanquàm à propalante, seu proponente per illam hominibus mentem suam, siue id faciat proximè per seipsum, siue mediatè, & remotè per alios tanquàm per suos ministros. In hac conclusione conuenire debent omnes Theologi, eiusque probatio, & certitudo desumitur ex hoc quod per Scripturam sacram ex communi omnium consensu, nihil aliud intelligitur, quam verbum Dei scriptum, seu litteris exaratum, ita vt per illam particulam *verbum*, veluti explicetur sacræ Scripturæ genus, siue proximum, siue remotum.

Quemadmodum ergò eatenus verbum aliquod esse potest alicuius, quatenus est ab eo dicente, & exprimente per illud mentem suam, vt facile patebit consideranti singulas verborum causas, materia enim proxima sunt loquentis seu dicentis conceptus, remota verò res conceptæ, seu cognitæ, si quidem verba significant immediatè cognitiones mediatè autem res cognitas: forma est ratio significatiua dictorum: finis manifestare ea, quæ intus latent: Efficiens ille qui loquitur: Ita etiam Scriptura sacra, in tantum est verbum Dei scriptum, in quantum est à Deo, tanquàm à propalante, seu proponente per illam hominibus mentem suam. Et hac potissimum ratione Sacrorum Conciliorum Canones, & decreta, atque etiam Summorum Pontificum erga res fidei definitiones, Scriptura sacra non sunt, quoniam licet sint à Deo fouente, & assistente Concilijs, & Pontificibus ne errore decepti labantur, vel decipiantur; non tamen sunt à Deo dicente, & nutu suo proprios ad nos per illa conceptus manifestante, siue quod idem est non exarantur Dei nomine, quasi Deus ad homines per illa loquatur, sed potius Ecclesia Spiritu Sancto fulta, & illustrata.

Secunda conclusio, ad rationem Scripturæ sacræ non requiritur, omnia verba formaliter sumpta, id est, quatenus sunt Hebraica, aut Græca esse ipsi Scriptori sacro immediatè reuelata, & dictata; ista conclusio debet esse pariter communis inter Theologos, & patet primò ex hoc, quod cum Hebraicum idioma multorum librorum canonicorum, nec non quarumdam partium illorum exciderit, vt infra suo loco dicetur: iam libri illi dici amplius non possent Canonici: quod tamen est Hæreticum, & contra Concilium Tridentinum sess. 4. vbi decernuntur esse Canonici, & pro talibus sub pœna anathematis habendi.

Secundò, editio Latina non esset Scriptura sacra, cùm constet illius verba non esse à Spiritu Sancto dictata, sed ab ipsis qui eam composuerunt, & transtulerunt, excogitata: atqui Concilium Tridentinum sessione 4. statim citata hanc editionem, tanquam authenticam habendam esse decernit: igitur ad rationem Scripturæ sacræ non est necesse omnia, & singula verba formaliter sumpta, id est quatenus sunt Hebraica, aut Græca, vel Latina esse ipsi Scriptori sacro immediatè reuelata, & dictata.

Tertia conclusio, quamplurimæ res in scripturis à Spiritu Sancto dictatæ sunt, non tantum secundum sententias, sed etiam secundum verba; in hac etiam conclusione conueniunt omnes Theo-

logi, debetque potissimum intelligi de verbis materialiter, non formaliter sumptis, ob rationem in præcedenti conclusione allatam, per verba autem materialia, seu materialiter sumpta intelligimus conceptus in mente formatos, & qui verbis ipsis formalibus respondent.

Conclusio sic explicata facilè probatur ex libris Propheticis, & alijs, in quibus res omnino supernaturales traduntur: certum est enim, Spiritum Sanctum scriptoribus sacris hæc omnia expressè reuelasse, simulque verba in eorum mentibus efformasse, ita vt ipsi Scriptores sacri alium laborem quam scribendi non habuerint: & ob eam maximè causam solent Prophetæ suis Prophetijs præmittere, visio Isaiæ, aut Ezechielis: quatenus visiones interdum sunt loquutiones internæ, quæ per efformationem quorumdam conceptuum in mente producuntur, ad modum verborum & dictionum materialium.

Quarta conclusio, si considerentur in sacra Scriptura, tàm verba, quàm res per illa significatæ, secundum quod per Spiritum Sanctum fuerūt eleuata & determinata, ad significanda plura mysteria, vel ad fidelium vtilitatem &c. omnium illorum author vtique dicendus est Deus, eaque propriè & immediatè Scriptoribus sacris dictasse & reuelasse. Hæc conclusio debet etiam esse communis inter Theologos, potestque esse conciliatiua duarum sententiarum superius adductarum; dum enim authores secundæ sententiæ asserunt, non esse necessarium ad rationem Scripturæ sacræ, vt omnes veritates vel sententiæ, & simul verba omnia propriè & immediatè sint à Spiritu Sancto ipsis Scriptoribus dictata & reuelata, loquuntur de illis tantùm secundum suam significationem, aut esse merè naturale alias Scriptoribus apprimè notum atque perspectum, non autem de illis secundum quod supernaturaliter determinata fuerunt à Spiritu Sancto ad aliqua ex intentione illius significanda: authores verò secundæ sententiæ possunt rectè intelligi de rebus & verbis hoc posteriori modo sumptis, & consideratis; cuius signum est manifestum, quod ad suæ sententiæ probationem adducunt, Sanctos Patres, sacrosque Ecclesiæ doctores, singula sacræ Scripturæ verba veneratos esse, vt arcana & diuina, multumque temporis insumpsisse, in illis argutè, doctè, subtiliter, sublimiterque ac religiosè explicandis; quod certè nō potest intelligi de illis nisi secundum quod fuerunt eleuata à Spiritu Sancto modo explicato; cum plerumque in illis secundum se consideratis nulla argutia, nullum arcanum aut mysterium lateat. Sed quidquid sit de hoc probatur efficaciter nostra conclusio.

Quia hoc est effectus Dei proprius vt res & verba alias scriptori sacro naturaliter cognita & prompta supernaturalem habeant significationem, vndè S. Thomas 3. p. q. 60. art. 5. ad primum dicit quod *Iudicio Spiritus Sancti determinatum est, quibus similitudinibus in certis Scripturæ locis res spirituales significentur*: Ergo si considerentur in sacra Scriptura tam res quam verba, secundum quod sunt supernaturaliter eleuata, ad significanda aliqua mysteria, vel ad vtilitatem fidelium, vel etiam sub vna littera plures sensus habentur, sub qua latere non potuissent, nisi ad eos exprimendos Spiritus Sanctus ipse res & verba determinasset, & intendisset, vt sub vnica etiam dictione significarentur, merito omnium horum author Deus esse perhibetur.

Quinta conclusio, probabile est nō omnia verba materialia scripturæ sacræ reipsa, & de facto esse à Spiritu Sancto dictata, nec omnes veritates, seu sententias fuisse immediatè ab eodem ipsis Scriptoribus sacris reuelatas. Hæc conclusio est ad mentem secundæ sententiæ, illamque docent. Sixtus Senensis lib. 8. Biblioth. hæresi 12. Audreas Vega lib. 15. in Concil. Trident. cap. 17. Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 15. Andreas Duuallius 22. quæst. 1. de obiecto fidei, Dominicus Grauina lib. 4. de ver-

verbo Dei scripto controuers. 1. art. 2.

Ratio est quia in diuinis Scripturis multæ res & verba continentur, quæ Scriptoribus sacris naturaliter nota & manifesta fuere, vt cum v.g. Apostolus scripsit in suis epistolis: *Lucas est mecum solus, Trophimum reliqui infirmum, & salutant vos tales &c.* Ergò nō fuit opus, vt Spiritus Sanctus veritatem harum propositionum & sententiarum, aut verba hæc materialia ad eas, vel similes exprimendas necessaria, in mentibus scriptorum efformaret. Nam sicut in necessarijs Deus deesse non solet, ita nec in superfluis redundare. Superfluum autem fuisset de nouo infundere supernaturaliter, quod iam naturali notitia satis cognitum, atque perspectum esse supponimus.

Secundò fatetur D. Lucas initio sui Euangelij, se scripturum diligenter, & ex ordine: *Sicut*, inquit, *tradiderunt ipsi qui ab initio viderunt*. Vnde Hieronymus in lib. de viris illustribus in Luca. *Euangelium*, inquit, *sicut audierat ab ipsis, qui testes actorum & verborum Christi illi fuerant, scripsit: acta verò Apostolorum, sicut viderat ipse composuit*. Quæ tamen obseruatio inanis esset, si ad sacra verba exaranda sola immediata reuelatio & inspiratio conducens esset. Imò si omnia dictasset & inspirasset Spiritus Sanctus, debuisset potius asserere D. Lucas, se scripturum pro vt dictaret Spiritus Sanctus, aut pro vt verba in mente sua efformaret: quoniam omnis alia cognitio præter reuelationem & dictationem diuinam vana est huic muneri.

Tertiò author Ecclesiastici in Prologo veniam petit, si alicubi in verborum compositione deficiat. Quod etiā facit author lib. 2. Machabæorū cap. 15. in fine, & cap. 2. eiusdem libri ait, se non facilem laborem, sed negotium plenum laboris, & vigiliarum assumpsisse: atqui si Spiritus Sanctus omnia & singula verba illi suppeditasset, eaque inter scribendum in mente eius efformasset, nullo modo laborasset saltem non amplius quàm amanuensis, seu transcriptor, cuius laborem tenuem esse, & facilem nemo non videt.

Quartò sicut magnum discrimen, magnaque differentia est inter ea, quæ humanum captum superant, & quæ nō, sic probabile est, ea non eodem modo fuisse descripta, & in sacris litteris exarata, sed priora per reuelationem, & dictationem Spiritus Sancti: posteriora verò per solam excitationem, motionē & assistentiam, ita vt verborum, apicum & similium ordo, & structura, Scriptoris ingenio & arbitrio relictus fuerit.

Iuxta hanc ergo sententiam asserendum est ad rationem Scripturæ sacræ necessarium non esse, vt omnes sententiæ, & simul verba omnia propriè & immediatè sint à Spiritu Sancto ipsis Scriptoribus dictata, & reuelata, sed sufficere quod in his, quæ illis præsto erāt, specialiter adstiterit Spiritus Sanctus, eosque ad scribendum mouerit & determinarit, vt sequenti capite explicabitur, ne in aliquo deciperent, vel deciperentur, siue per ignorantiam, siue per malitiam, siue per memoriæ lapsum, incuriam, incogitantiam, inaduertentiam vel aliquid huiusmodi.

Sexta cōclusio: Probabilius est Scripturam sacram, quo ad omnia & singula eius, hoc est non tantùm sententias sed etiam verba, fuisse à Spiritu Sancto propriè & immediatè reuelatam & dictatam, ea lingua, siue idiomate, quo singuli eius libri primùm fuerunt conscripti: ista conclusio est ad mentem primæ sententiæ, illamque præter Bannes & Valentiam, amplectitur Peres de sacra Scriptura dubio 10.

Probatur 1. authoritate sacræ Scripturæ. 2. Petri cap. 1. *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, loquuti sunt Sancti Dei homines.* 2. ad Timoth. cap. 3. *Omnis Scriptura diuinitus inspirata.* Et 1. ad Thessalonicenses cap. 2. *Accepistis non vt verbum hominum, sed sicut est verbum Dei.* Actor. 4. *Domine tu es qui fecisti cælum & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt, qui Spiritu Sancto per os Patris nostri Da-*

Dauid, pueri tui, dixisti, &c. Quę omnia, & alia similia sacræ Scripturæ loca, licet probabiliter possent intelligi de sacra Scriptura, quantum ad mysteria supernaturalia in ea contenta, & tradita; vel etiam de ea, secundũ quod speciali Spiritus Sancti non solùm instinctu, vel impulsu, sed etiam motione factum est, vt determinatè scriptor istas res per hæc verba describeret; nihilominus tamen cum absolutè loquantur, nullumque inde sequatur absurdum, quin potius maior diuinarum scripturarum authoritas, si asseratur eas, quoad omnes sententias, & simul verba omnia propriè & immediatè fuisse à Spiritu Sancto ipsis Scriptoribus dictatas & reuelatas; de hac etiam inspiratione debent intelligi prædicta sacræ Scripturæ loca; Vnde etiam frequenter legimus Prophetas testari, Dominum fuisse ad illos locutum. Isaię cap. 5. *Hæc dicit Dominus exercituum.* Ionę 1. *Factum est verbum Domini ad Ionam*; & Hieremiæ 36. interrogantibus primatibus Hebræorum, quomodo ex Hieremię ore Baruch descripsisset sermones illos, respondit: *Ex ore suo loquebatur quasi legens ad me omnes sermones istos, & ego scribebam in volumine, atramento.* Vbi apertissimè significari videtur, verba ex Hieremiæ ore à Baruch descripta, non fuisse Scriptorum, ingenio, & arbitrio relicta, sed à Spiritu Sancto immediatè suggesta, & reuelata.

Secundo probatur authoritate SS. Patrum 1. vocantium, & citantium scripturas vt sententias Spiritus Sancti, eiusque verba, absque vlla distinctione vel limitatione: ita Origenes epist. ad Rom. c. 3. Basilius præfatione in omnes Psalmos. 2. ex verbis Christi Domini Matthæi c. 5. *Iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege, &c.* communiter obseruant Patres, nedum verba, eorumque ordinem, & seriem, minimasque dictiones, sed vel syllabas ipsas, vel minimos apices esse plenos reconditissimis sensibus & arcanis; ita Chrysostomus homil. 3. in Genesim, *Etiam in breui dictione,* inquit, *variarum sententiarum vim, & inductibiles diuitias inuenire licet:* & homil. 21. *Ego vos omnes obsecro, ne simpliciter ea, quæ in scripturis sacris contenta sunt, transeatis. Nihil enim hic scriptum est, quod non multas sensuum habeat diuitias, quandoquidem diuino spiritu afflati Prophetæ loquuti sunt. Neque enim, vel syllaba, vel apiculus est in sacris litteris, in cuius profundo non sit grandis quispiam thesaurus.* Idem docent Basilius homil. 6. & 10. in Exameron, Ambrosius epist. 63. ad Iustinum, Hieronymus in cap. 6. Matthæi, & cap. 3. ad Ephesios; *Singuli sermones* inquit, *syllabæ, apices, puncta in diuinis scripturis plena sunt sensibus.* At si sacra Scriptura non esset in omnibus, & per omnia à Spiritu Sancto dictata, & suggesta, non est vndè Sancti Patres ita singula verba venerati fuissent, tantumq; temporis in eruendo ex illis reconditissimos sensus insumpsissent; cum ergò id ita religiosè fecerint, signum est manifestum eos pro constanti habuisse, Scripturam sacram esse vndique à Deo.

Præterea quidam, vt Procopius in Genesim, ex illo loco Psalmi 44. *Lingua mea calamus Scribæ velociter scribentis,* colligunt Scriptores sacros Spiritui Sancto linguam quasi calamum præbuisse excellentissimo Scribæ. Quæ comparatio in hoc videtur consistere, quod sicut calamus ab ipso scribente determinatur, vt hos characteres exprimat, ita & scriptores sacri, vel Pophetę imaginatio determinata verba recepit, vt verbo aut scripto ea proferrent.

Tandem D. Ambrosius in proœmio D. Lucæ, in illa verba. Quoniam multi conati quidem sunt orcinare narrationes rerum; loquens de Scriptoribus sacris, ait: *Eos diuino spiritu vbertatem dictorũ rerumque omnium ministrante, sine vllo molimine capta compleuisse.* Item D. Gregorius lib. 3. epist. 40. dicit: *Quid est Scriptura, nisi quædam epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam?* Et in proœmio Moralium, *Ipse ergo hæc scripsit, qui hæc scribenda dictauit.*

Tertiò probatur ratione, quia vt supra conclusione prima probauimus: eatenus

tenus verbum aliquod eſſe poteſt alicuius, quatenus eſt ab eo dicente,& exprimente per illud mentem ſuam; quare ſicut verbum mentale eſt à dicente mentaliter, & dictio mentalis; & verbum vocale eſt à dicente vocaliter, & dictio vocalis; ita verbum ſcriptum eſt à dicente ſcripto, ſeu dictio ſcripta, ſeu litteris exarata; cum ergò Sacra Scriptura ex communi omnium Theologorum conſenſu ſit propriè loquendo verum Dei verbum ſcripto traditũ, per quod Deus alloquitur homines,tanquam per inſtrumentum illis valde conſonum,opus omnino eſt, vt ſit ab eo dicente ſcripto, ſeu dictio ſcripta; non eſt autem immediatè à Deo, quaſi illam per ſe ſcripſerit, vbique efficaci ſuæ voluntatis imperio illam producendo, vt produxit, & creauit omnia, quæ ex nihilo fecit, ſed eſt ſolùm ab eo mediatè; & per Scriptores ſacros, vti per amanuenſes & miniſtros, ergo oportet vt ſit à Deo dicente, dum ab illis ſcriberetur hoc autem eſt dictare; ergo ad rationem ſacræ Scripturę, quam Deus per ſeipſum proximè,& immediatè non confecit, requiritur, quod omnia & ſingula eius; hoc eſt non tantum ſententias, ſed etiam verba ipſe dictauerit; aliqua tamen magis,alia minus principaliter, vt in ſolutionibus argumentorum explicabitur.

At dicet aliquis, ſicuti epiſtola regis dicitur eſſe regis, quia illam ſubſcripſit, talique ſubſcriptione approbauit, etiam ſi ſingula illius verba ſuo amanuenſi nõ dictauerit, ſed eius arbitrio & diſpoſitioni reliquerit; ita ſimiliter ad hoc vt Scriptura ſacra, quæ ex D.Gregorio loco ſuperiùs citato, *eſt quadam epiſtola* omnipotentis Dei ad creaturam ſuam, dicatur verbum Dei, non requiritur, quod ſingula ſcriptoribus dictauerit, ſed ſufficit quod eis adſtiterit,eoſque ad ſcribendum mouerit,& determinarit.

Reſpondetur tamen, magnum eſſe diſcrimen inter ſcripturam alicuius propriam,& ipſi tantum appropriatam,ſiue quod idem eſt, inter ſcripturam alicuius formaliter talem, & authoritatiuè dumtaxat talem. Et ſi igitur ad rationem ſcripturæ appropriatiuè,ſeu authoritatiuè dumtaxat talis ſufficiat alicuius ſubſcriptio vel approbatio; attamen ad rationem ſcripturæ alicuius propriæ, requiritur quod ab eo procedat & dictetur; vnde cum omnia & ſingula ſacræ ſcripturæ verba ſint verbum Dei proprium, & intrinſecè tale, conſequens eſt etiam, quod omnia & ſingula illius verba ſcribenda dictauerit. Per quod patet ad exemplum adductum,ſcripturę enim illæ, in quibus nihil de proprio exprimunt, qui illas ſubſcribunt, non ſunt propriæ,ſed illis tantùm appropriatæ, vt potè quod in rei veritate non ſunt ab illis, cum tamen debeat eſſe alicuius verbum ab eo; & ſic Reges; & proceres qui epiſtolam, vel aliqua alia ſcripta à ſuis amanuenſibus compoſita & dictata ſubſignant, illa quidem faciunt ac reddunt ſua extrinſecè, hoc eſt per appropriationem & adoptionem, non tamen intrinſecè, & ſecundum rem: ſicut filij, qui adoptantur.

Cuius rei altius & luculentius adhuc exemplum nobis eſt in Summorum Põtificum, ſacrorumque Conciliorum decretis, ac definitionibus ad fidem pertinentibus, quæ licet ſint à Deo aſſiſtente, eaque ſuo calculo approbante, iuxta illud Deuter. cap. 17. *Qui noluerit Sacerdotis imperio obedire ex iudicis ſententia moriatur*: Et Matth.23. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi, omnia quæcumque dixerunt vobis ſeruate & facite*. Non propterea tamen eiuſmodi decreta, dicenda ſunt verba, vel iudicia Dei propriè loquendo, ſed authoritatiuè dumtaxat, & quantum ad appropriationem, ad diſtinctionem Scripturæ ſacræ, quæ eo ipſo quod ſecundum ſe totam eſt verum, ac proprium Dei verbũ, omnia, & ſingula eius verba debuerunt à Deo dictari, & determinari, vt his & non alijs vterentur Scriptores ſacri. Supereſt modo vt ſatisfaciamus argumentis in quinta concluſione adductis, quatenus militant contra doctrinam in ſexta concluſione traditam.

Ad 1. igitur respondeo, absolutè quidem opus non esse, ea ex immediata Dei reuelatione scribi, quę alias satis nota presupponuntur scribenti, quia tamen fideliter agnita possunt infideliter referri ideo ne aliquod in Scripturam sacram mendum irreperet, diceretur que infallibilis authoritatis, nec solum infallibilis authoritatis, quod est ipsi commune cũ Pontificum & Conciliorum decretis, sed etiam verum ac propriè Dei verbum, per quod homines alloquitur, suamque illis mentem aperit, necesse fuit omnia & singula illius verba ab eo propriè & immediatè dictari, scribendaque per illa reuelari; secundum quod diuina reuelatio sumitur in tota sua latitudine, sitaque est in eo, quod Deus manifestet nobis, quod in mente habet, nosque fugit & latet, vel omnino, vel aliquo modo, quatenus certiores aliquãdo nos reddit de aliquibus rebus, quarum antea non habebamus tam exactam ac perfectam notitiam, vel certitudinẽ; aliquando illas oblitas ad memoriam reuocat; aliquando præsentes superiori instinctu roborat & confirmat; quouis modo id fiat, siue verbis, siue rebus, siue motibus, siue nutibus corporalibus, imaginarijs, aut intellectualibus editis immediatè per seipsum, vel per aliquam interiectam personam, hominem, vel Angelum, aut etiam per animatam quamcumque, vel inanimatam rem; quoniam hæc omnia habent rationem locutionis, ac proinde reuelationis diuinę.

Ad 2. respondetur rectè dixisse D. Lucam se cuncta scripturum diligenter, & ex ordine, sicut audierat, & viderat: quia tamen quę auribus, & oculis percipiuntur, contingit aliquando non perspicuè audiri, & videri, aut perspicuè audita, & visa obliuionis caligine obscurari; ideo vt esset vndequaque certa Scriptura Sacra, verumque Dei verbum diceretur, necesse fuit ab eo singula reuelari, & dictari.

Ad 3. respondetur tam pugnare contra specialem Spiritus Sancti assistentiã ab omnibus admissam respectu Scriptorum sacrorum, quam contra dictationem singulorum verborum, stante enim illa speciali Spiritus Sancti assistentia, & in sensu composito illius non poterant errare in verborum structura & compositione. Vera igitur & legitima illorum locorum explicatio, & solutio est, quod cùm ex dicendis infra Scriptores sacri non se habuerint, tanquam mera Spiritus Sancti instrumenta, siue quod idem est, spontaneè tantùm, & non liberè operantes, rectè proprij laboris, propriæque etiam industriæ in scribendo, & componendo meminisse potuerunt.

Ad 4. respondetur disparitatem inter res supernaturales, & naturales in Scriptura sacra contentas, non attendi penes veritatem in dicendo, vel enuntiando, quasi solæ primę fuerint immediatè à Deo reuelatæ & de verbo ad verbum Scriptoribus sacris dictatæ, secus verò secundæ, ex suppositione enim, quod omnia & singula sacræ Scripturæ verba, sint vera, & propriè dicta Dei verba, tam requirebatur secunda, quam prima de verbo ad verbum à Deo dictari; sed attenditur solùm penes veritatem in essendo, secundum quam res supernaturales sunt maioris perfectionis, quam res ordinis merè naturalis.

Obijcitur quintò. Si omnia & singula scripturæ sacræ verba essent immediatè à Spiritu Sancto dictata & reuelata, vnus & idem esset omnium sacrorum librorum stylus, cuius tamen oppositum experimur, cum vnus scriptor alio elegantior, argutior & subtilior sit; quod est manifestum signum Deum se scriptorum marti, & ingenio attemperasse, & verba ipsa, eorumque constructionem ipsorum arbitrio, & delectui reliquisse.

Quibus fauet, quod Scriptores noui testamenti, cum citant aliquot loca ex veteri, seruant quidem veritatem sententię, non tamen cohærentiam & conformitatem verborũ, vt obseruauit D. Hieronymus in cap. 7. Isaiæ, ergò signum est omnia & singula Sacræ Scripturæ verba, non fuisse propriè à Spiritu San-

cto dictata, & reuelata.

Respondetur ad hoc argumentum, quod sicut vnus & idem homo eumdem conceptum diuersis linguis, diuersoque etiam stylo exprimit: musicus eodem oris sui spiritu aliter tibiam, aliter tubam inflat, ac personat calamis vel tibia: ipsemet Deus, qui disponit omnia suauiter aliter se determinat obiectiuè ad concurrendum cum igne, quam cum aqua, ita similiter attemperauit se captui scriptorum sacrorum, ne quasi violenter arriperentur contra genium proprium, & ingenium ad scribendum, vndè cum Isaia vt potè ex semine regio, elegantiori ac politiori stylo vti voluit, quam cum alijs scriptoribus inferioris notæ & conditionis. Quare etiam dicitur Hebræor. 1. quod *Multifariam multisque modis loquutus est Deus in Prophetis*: vtique propter diuersa Prophetarum ingenia; & dixit ipse Oseæ 12. *Ego visiones multiplicaui, & in manibus Prophetarum assimilatus sum*: hoc est, illis me attemperaui, argutè & disertè cum argutis & disertis, rudius autem & simplicius cum rudioribus agens.

Per quod patet ad confirmationem, quod enim authores noui testamenti, dum veteris testimonia proferunt, non eisdem semper verbis referant, non prouenit ex hoc, quod in Scripturę sacræ verborum structura & compositione, quilibet sua libertate fruatur; sed quia ad grauitatem ac maiestatem Dei loquẽtis spectabat, vt nõ eisdem omnino verbis rem eamdem scriptores sacri repeterent: vt etiam idem author pluries enarrans eamdem rem, non semper eisdem verbis enarrat illam, sed sensus veritate seruata verborum ac flosculorum varietate proludit. De quo vide Hieronym. epist. 101.

Obijcitur 6. quamplurima contineri in scripturis sacris, quę ad salutem humanam inania prorsus & inutilia videntur, V. g. illud de cane Tobiæ, & illud 2. ad Timoth. cap. 4. *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum*. Vnde cum Dominus Isaiæ cap. 48. v. 17. de seipso dicat *Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia*; consequẽs est quod ista & alia similia non dictauerit, sed quod ingenio humano, & more humano, ab ipsis scriptoribus sacris exarata fuerint.

Respondetur ad hoc argumentum, non tam pugnare contra dictationem singulorum verborum, quam contra specialem assistentiam Spiritus Sancti; non minus enim videtur indecens Deo specialis eius assistentia respectu inutilium scribendorum, quam dictatio illorum de verbo ad verbum. Dicendum est ergò cum Diuo Hieronymo in proœmio epist. ad Philemonem, quod sicut in naturalibus inueniuntur multa quæ seorsim accepta nullius frugis & commodi esse videntur; sed potius detrimenti, & incommodi, vt pulices, culices, & muscæ, &c. vt partes verò vniuersi conducunt ad eius integritatem, & perfectionem; ita minutissima quæque sacræ paginę, licet seorsim sumpta nullius vtilitatis ad fidem esse videantur, bene tamen pro vt alijs particulis iuncta, cum quibus orationem conficiunt, & enarrationem adintegrant.

Quod etiam docet D. Augustinus lib. 16. de ciuitate Dei cap. 2. *Non sanè omnia quæ gesta narrantur in scripturis, aliquid etiam significare putanda sunt, sed propter illa, quæ aliquid significant, etiam ea quæ nihil significant attexuntur: solo enim vomere terra proscinditur, sed vt hoc fieri possit etiam cætera aratri membra sunt necessaria*. Et rursus ibidem ait, quod *Soli nerui in citharis*, &c. *aptantur ad cantum, sed vt aptari possint, insunt & cætera in compagibus organorum, quæ non percutiuntur à cantantibus, sed ea quæ percussa resonant, his connectuntur. Ita & in prophetica historia dicuntur & aliqua, quæ nihil significant, sed quibus adhæreant, quæ significant, & quodammodo religentur*. Vnde sicut eiusdem est artificis vtrumque præstare, & hoc vel illud determinare, ita & fuit eiusdem Spiritus Sancti singula Scripturæ Sacræ verba disponere, & dictare, vt ea quoque ver-

ba,

ba, tanquam diuina reciperentur, & sacra, propriè loquendo, & non tantùm per appropriationem, vt supra diximus.

Ad illud autem in particulari de D. Paulo, quod sollicitus fuerit suam penulam Troade relictam adsportari; Respondetur talem sollicitudinem magnam doctrinã includere & tegere; siue enim per penulam intelligatur theca, & capsula lignea, siue parua & vilis vestis; vtrumque enim vox latina penula, & vox Græca φελόνη significant; primo cōmẽdatur paupertas Apostolica, & quàm tenui supellectili vsi fuerint. Secundò modestia Pauli, qui semper abstinuit, ne quoquo modo grauaret sumptibus eos, quibus Euangelium prædicabat; adeò vt penulã adsportari sibi maluerit à Troade, quàm à discipulis aliam exigere, cũ facilè posset. Tertiò per hoc admonentur professores euangelicæ paupertatis, vt eodem modo se gerant, & ab omni superfluo abstineant, nec aliquid etiam paruum frustra expendi, aut consumi patiantur.

CAPVT VI.

An lingua noua reuelata fuerit Moysi, vt Sacra Scriptura ab eo traderetur & quanam sit illa.

Circa propositam difficultatem varia sunt doctorum placita, quia autem difficile est illa intelligere, propositęque difficultati satisfacere, quin aliqua ad originem linguarum, earumque antiquitatem spectantia attingantur.

1. noto tanquam quid apud omnes certum, Deum hanc protoparentibus Adamo & Euæ dedisse cognitionem, vt certo modo linguam in ore circumducerent & hos, ac illos sonos, certaque verba proferrent, quibus suam mentem alteri communicare, & aperire possent. Quod enim putant aliqui Adamum ita locutũ fuisse, vt hac, & illac linguam mouendo, casu mentem expresserit, adeo vt ab Eua sermones illius percepti non fuerint, nimiam imperfectionem includere videtur. Vt ergò Adam & Eua omnino perfecti essent cum animo, tùm corpore se seque statim à creatione possent intelligere, & ita vitæ societas, mutuaque conuersatio gratior euaderet; dicendum est Deum verbum mentis in ambobus mediante specie intelligibili infusa, & ipsa potentia intellectiua actu concurrente produxisse; quo verba scirent, quibus vnaquæque res proprio nomine vocanda esset iuxta proprietatum & naturarum scientiam, quam à Deo infusam habebant. Adeo vt mente conceperint herbarum, animalium, aliarumque rerũ nomina priusquam illa proferrent, quæ cum efferre voluerunt, nihil impedire poterat, quandoquidem omnes corporis Adami & Euæ partes optimè dispositas, & ad motum aptissimas Deus efformauit.

Secundo noto tanquam quid adhuc apud omnes doctores Catholicos certũ, à creatione mundi ad turris Babelicæ exstructionem vsque, eamdem omnium hominum fuisse linguam, eumdemque sermonem, post eam verò linguarum, sermonisque ortam esse diuersitatem, vt manifestè habetur Geneseos cap. 11. Et quamuis Philastrius Brixiensis Episcopus in Catalogo hæreseon cap. 106. hāc sententiam, vt hereticam improbet, dum tamen quod verissimum est, quasi falsum & hæreticum damnat, à vero ipsum, & à recta diuinarum litterarum intelligentia longe aberrasse pluribus demonstrat Pererius tomo 2. in Genesim, alijque interpretes ad citatum locum. Nec fauet Philastrio locus Geneseos cap. 10. in quo antequam Moses turris ædificationem in cap. 11. eiusdem Genes. describere inciperet, ait filios Iaphet & Sem fuisse diuisos, secundum cognationes, & linguas, & regiones, in gentibus suis; illa enim scripta sunt per anticipationem, figuram nempe sacris litteris non infrequentem, vt docet D. Augustinus lib. 16. de ciuitate Dei cap. 14. sic scribens: *Cum ergo in suis linguis istæ gentes fuisse referantur, redit tamen narrator ad illud tempus: quando vna lingua* om-

omnium fuit: & inde iam exponit, quid acciderit, vt linguarum diuersitas nasceretur.

Quod si alicui mirum, aut difficile videatur, tot sæculorum excursu, à creatione mundi vsque ad constructionem turris Babel, inuariatam indecisamque dialectum primam perstitisse in tanta humani generis multitudine, populorumque varietate, cum modo videamus penè ad centenum quemque annum linguas variari. Id aliqui tribuendum putant longæuitati hominum illius temporis; *Etsi*, inquit Eusebius lib. 6. de orig. S. Scripturæ cap. 3. *ante diluuium non esset religiose tenendum indiuisã fuisse locutionem; & satis temporum, satisque gentium fuerit, vt multiplex varietas loquendi introduceretur, tamen longæuitas hominum in causa fuit, vt inconcussa, saltem non notabiliter quassata eadem lingua perstaret.*

Tertio animaduerto inter omnes ferè constare linguam Hebraicam, non esse eamdem cum Chaldaica. Etsi enim aliquando linguam Chaldaicam dictam fuisse Hebraicam scriptum reperiamus, quod ea aliquando populus Hebræus tanquam vernacula vsus fuerit, vel posteri Heber in Chaldæa habitantes Hebraicè tamen loquerentur, vt statim dicetur; sicut etiam eamdem linguã Chaldaicam pro varietate locorum, ac regionum, in quibus maximè florebat, nunc Babylonicam, nunc Aramæam, seu Syriacam, nec non Assyriacam appellatam fuisse legimus. Illas tamen duas Hebraicam videlicet & Chaldaicam si propriè sumantur essentialiter inter se distingui pluribus demonstrat Georgius Michael Amira in procœmio Grammaticæ Syriacæ seu Chaldaicæ, videturque potissimum colligi ex Danielis 1. vbi dicitur Nabuchodonosorem regem Babylonis præcepisse, vt pueri de filijs Israel decori forma, & eruditi omni sapientia eligerentur, ac litteras, & linguam Chaldæorum docerentur: inter quos fuit ipse Daniel; quod profectò non fecisset rex, si lingua Chaldaica fuisset eadem cum Hebraica.

Quartò noto totam controuersiam ad hoc reduci, quænam primæua fuerit omnium lingua, ipsique coæua humano generi. Et quidē Philippus Cluuerius lib. 1. suæ Germaniæ cap. 8. sub finem non solum Hebraicam dialectum omnium inficiatur primam, verùm opinatus est primam illam à Deo infusam homini linguam nullibi iam apparere, nec vnquam apparituram, nisi in futuro sæculo. Multa etiam cumulat Goropius Becanus, vt deroget Hebraicæ antiquitati, & senium suadeat linguæ Togormannæ, siue Scythicæ, siue Cymbricæ, siue Ascaniæ; tot nominibus eãdem linguã notat, qua locuti sunt Phryges. Tertia sententia est aliorum asserentium linguam Chaldaicam siue Syriacam esse omnium linguarũ vetustissimam. Sic expressè docet Theodoretus in ijs quæstionibus quas edidit in librum Genesis, quæst. 59. Vbi etiam arbitratur Hebræam linguam primum traditam Mosi à Deo fuisse: ideoque non fuisse eam ante Mosem. Quo fieret eam linguam plus sexcentis annis post confusionem & diuisionē linguarum esse natam. Etsi Theodoreto, quo ad hanc vltimam partem de lingua Hebraica primum Mosi reuelata, nulli quos viderim doctores subscribant, multi tamen eius sententiam amplectuntur de antiquitate linguæ Syriacæ, vel Chaldaicæ præ Hebræa, Iacobus Episcopus Christopolitanus in prolog. super Psalmos tract. 2. Georgius Venetus tomo 1. de histor. sacrament. sect. 3. Donzellinus in epist. super orationes Themistij, Camillus Borellus in Apologia Historica, & alij quos refert & sequitur Georgius Michael Amira in procœmio Grammaticæ Syriacæ.

Quarta tandem sententia absolutè tribuit primatum linguæ Hebraicæ; ita vt lingua quæ dicitur à principio fuisse communis omnium mortaliũ fuerit lingua Hebræa, sic postea appellata, vel ab Heber, quod in eius solius familia, post diuisionem linguarum manserit; vel ab

Abrahamo, qui in sacra pagina Genes. 14. vocatur Hebręus; vel ab Euphrate, quod Hebra Syrorum lingua idem sit quod Euphrates ex Theodoreto; vel tandem ab Heber, quod est *trans*, siue à radice עבר *Abar*, hoc est transiuit, quasi dicẽtes, *transiens*, siue *transamnanus*. Quẽadmodum nos dicimus transmarinos, & transalpinos; quod scilicet Abraham, ex quo Hebræa gens profluxit, ex Chaldæa ortus traiecerit Euphratem; habitauitque Chanaan. Vndè cùm ad Chananæos peruenit, cœpit homo externus vocari ab incolis Hebręus, hoc est, trans-Euphratæus, vel qui ex altera fluuij parte venit. Quapropter septuaginta, & Aquila pro Hebręo transtulerunt *περάτῃ transitori*, nimirum, vel vt Sanctus Augustinus vertit, *transfluuiali*.

Verum quidquid sit de huius nominis etymologia, denominationeque ab illo tàm Genti, quàm linguæ prouenïente, quæ quando erat vna omnium, nihil aliud quàm humana lingua, vel humana locutio vocabatur, quod ea sola vniuersum genus humanũ loquebatur; D. Augustinus lib. 16. de ciuitate Dei cap. 11. & lib. 18. cap. 39. existimat talem linguam fuisse illam, quæ nunc Hebræa dicitur, quaque Moses primum legis volumen scripsit. Eadem est Beati Hieronymi sententia super caput 3. Sophoniæ, vbi linguam Hebraicam omniũ linguarum matricem appellat. Ad horum Patrum sententiam posteriores fermè omnes accesserunt & adhęserunt, Tostatus in cap. 11. Genes. quęst. 1. & 2. Caietanus ibidem, Genebrardus tam in Chronologia, quàm in Grammatica Hebraica; Guido Fabricius Boderianus, & nouissimè Eusebius de origine sacræ Scripturæ lib. 6. cap. 25. vbi tria potissimum asserit, primùm linguam Hebręã omnium antiquissimam fuisse, quæ apud Chaldęos resedit: nam Chaldęus Abraham fuit, quem gnarum linguæ Hebraicæ fuisse certissimũ videtur, idque monent priscum Abræ nomen, & postea nominis sui mutatio, & Saræ coniugis à Deo facta, iuxta Hebręam linguam, tum posteros Heber, maiores Abrahæ in Chaldęa resedisse. Indeque Oleaster & alij in cap. 10. Genes. rectè dixerunt vnã & eamdem fuisse linguam Hebraicam, & Chaldaicam, non quod istæ duæ linguæ non fuerint semper inter se distinctæ, & diuisæ, post confusionem Babylonicam, sed quod re vera antiqua lingua Chaldęorum, seu habitantium in Chaldęa, quales fuerunt posteri Heber, & maiores Abraham, ipsa fuit quæ mox Hebręa dicitur; & Israelitæ in vsu habuerunt à libertate seruitutis Aegyptiacæ, vsque ad captiuitatem Babylonicam, in qua, vt statim dicemus, hauserunt linguam, quam tunc temporis possidebant Babylonij, multorum enim decursu sęculorum degenerarunt à puritate Hebraicæ dialecti, quæ transformata fuit in Syriacum, vel Chaldęum idioma, quã deinceps loquelam vsque ad Christi Domini aduentum Hebręi seu Iudęi vsurparunt. Et hac etiam ratione supra notando tertio animaduertimus linguã Chaldaicam, seu Syriacam aliquando fuisse appellatam Hebraicam. Similiter nunc iure optimo ab aliquibus nominatur Christiana, quia Christus noster liberator, verus Deus, & verus homo illa vsus est, eamque suo sanctissimo ore decorauit.

Secundum quod asserit pręfatus doctor, est, linguam Hebręam sic fuisse corruptam & ab Hebręis deformatam in seruitute Aegyptiaca, vt amissa esse, aut dici posset. Enimuero si tempore captiuitatis Babylonicæ, quæ dumtaxat fuit septuaginta annorum, amiserunt Iudęi Hebraicam linguam, quoniam exinde non Hebraica, sed Chaldaica, siue Syriaca lingua sunt vsi. Et recens post captiuitatem non intelligebat populus Hebraica librorum sacrorum verba, nisi exponerentur Syriacè, quod Esdras pręstabat, magnaque lętitia populus exultauit, quia intellexerat verba, quę docuerat eos: maiori certè ratione id euenisse in captiuitate Aegyptiaca pluribus acutè demonstrat citatus author cap. 27.

Tertiò tandem docet, linguam Hebrai-

braicam sic in Aegypto amissam, fuisse diuinitus per Moysen restitutam, & datam Hebreis, vt sacra Scriptura Hebraicè scriberetur. Ita vt inter tot prodigia, & miracula, tum antè egressum Hebreorum in Aegypto, tum post egressum in deserto, vbi liberalissimè Deus suam ostendit potentiam, inferiorem non habeat locum reparatio linguæ hebraicæ in Aegypti exitu; eius iam oblitis Israelitis: nec refert, nullam huius miraculi factam fuisse mentionē à Moyse; quemadmodum enim multa alia miranda, & memoratu dignissima, tacuit, nihil mirum si linguæ hebreæ restitutionem non celebrarit. Cœterum tam de illis, quam de hoc in particulari meminisse videtur Propheta Regius psal. 80. cum de Israelitico populo dixit: *Cum exiret de terra Aegypti, linguam, quam non nouerat, audiuit.*

Ex dictis facilè est resoluere propositam difficultatem, an lingua noua reuelata fuerit Moysi, vt Sacra Scriptura ab eo traderetur? dicoque absolutè quòd non. Ratio est, quia Moyses librum legis lingua hebraica conscripsit, sed ex communi doctorum consensu, lingua hebraica est omnium antiquissima, ipsique mundo coæua, vel saltem secundū alios, suam habuit originem in ipsamet linguarum diuisione; ergò absolutè loquendo, lingua noua priusque inusitata, reuelata Moysi non fuit, vt Sacra Scriptura ab eo traderetur.

Dico secundo; supposita semel probabilitate amissæ à semine Iacob linguæ Hebraicæ in Aegypto, quodque Moyses illius ignarus & imperitus fuerit, vt satis colligitur ex hoc, quod ipsi nomen Aegyptiacum impositum fuerit, iuxta Philonem lib. 1. de vita Moysis, Iosephū lib. 2. Antiquit. & Clementem Alexandrinum lib. 1. stromat. quodque educatus fuerit in Pharaonica aula tanquam filius Principissæ Aegyptiacæ, vbi nemo loquebatur Hebraicè; ita vt vsque ad quadragesimum annum, non egerit cum Hebræis Act. Apost. cap. 7. His, inquam, suppositis tanquàm valdè probabilibus, & verisimilibus; dico Moysem donò Dei infusam linguam Hebraicam habuisse. Vndè enim Hebraicæ dialecti puritatem repetere poterat, nisi diuina prouidentia & doctrina, vt Hebraicè libros sacros scriberet, populumque Israeliticum idioma hebraicum edoceret. Et in hoc verum est, quod Theodoretus scripsit quæst. 59. in Genesim per Moysem datam à Deo linguam Hebraicam: idque contigisse putat Eusebius lib. 6. de orig. Sacræ Script. cap. 38. eo tempore quo fuit in Madian contemplationi deditus, vel ex quo in Aegypto reuelatum ipsi fuit se fore liberatorem Hebreorum, vt illos in terram Chanaan restitueret, & colligeret populum Dei.

Idemque author ex tali miraculo putat non leue duci posse argumentum, ad probandum linguam Hebraicam fuisse omnium primam. Ad quid enim illius reparatio, & restitutio? Singularique Dei prouidentia factum fuisset, vt in ea Sacra Scriptura primùm traderetur, eo maximè tempore, quo populus Israeliticus illius erat oblitus, nisi quia decebat Scripturam sacram primùm tradi, lingua omnium prima. Accedunt tamen alia indicia & argumenta, apertissimæ nimirum rationes impositorum nominū antiquis hominibus, quæ congruunt linguæ Hebraicæ, veluti nomina, *Adam*, *Eua*, *Cain*, *Set*, *Noe*, *&c.* namque causas eorum denominationis tradit Moyses iuxta eam linguam in qua scripsit; ergò ea nomina videntur eiusdem penitus linguæ, in qua scripsit; Moyses autem scripsit in Hebræa; ergò Hebræa erunt illa nomina. Igitur & eius primæui temporis ante confusionem Babylonicā lingua Hebræa fuit. Præterea animaduertit Moyses quędam nomina ipsissima quæ Deus olim imposuit, illa autem sunt Hebræa; ergò Hebræa antiquior lingua videtur. Hoc patet ex vocibus ארץ erets שמים Schamaim, & similibus. Deus quippè locutus est Hebraicę, cum nomina quæ posuit luci, terræ, firmamento, mari, & alijs rebus sint Hebraica. Tandem Abulensis in Genes. cap. 13. q. 328.

quæst. 328. obseruat linguam Hebræam propriorum nominum piscium carere, quoniam Adam nomina piscibus non indidit. Sed de his satis, quæ vt fatear verum non tam sunt demonstratiuæ, quam probabiles quædam coniecturæ; quibus facile responderi posset, si primam exceperis.

CAPVT VII.

Vtrum diuinitus sit demonstrata Moysi Scriptoria ars, vt sacram Scripturam litteris mandaret.

PRo intelligentia difficultatis notandum est, duo olim genera litterarum fuisse; quędam Hieroglyphicę, seu symbolicæ, alię erant Alphabeticę; quędam rudes, quæ immediatè significabāt res, non voces; aliæ ingeniosiores, quæ non tantum voces, sed syllabas, & quamlibet oris prolationem indicabant. Porrò hæc symbolica scriptio, seu modus scribendi symbolicè triplex fuit, nempè Imitatiuus, Tropicus, & Aenigmaticus, quorum imitatiuus appellabatur, qui res per caracteres rebus ipsis persimiles designabat: vt qui Solem vellet scribere, circulum delinearet; qui Lunam, duorum lunarium cornuum imaginem. Tropicus, siue translatiuus erat, qui varias diuersarum rerum, præsertim animalium formas figurasque repræsentabat, ad significandum vel Deorum, vel hominum dignitates, fortunas, mores, virtutes, vitia, affectiones, actiones, & similia. Secundùm quem scribendi modum, Accipitris imago apud Aegyptios Theologos Deum significabat, Scarabei figura Solem, Ibicis pictura lunam, hominis forma prudentiam & solertiam, Leo fortitudinem, Equus libertatem, Crocodilus impudentiam, & sic de alijs de quibus suo loco fusius. Aenigmaticus tandem scribendi modus erat ille, qui ex coniunctione, & mutua harum imaginum permixtione resultabat; quo quidem modo sceptrum regium, cuius vertici oculus, & auris superstabant, Deum significabant moderantem, videntem, audientem omnia.

Dum ergò inquiritur in præsenti, nùm diuinitus ars scriptoria primum Moysi fuerit demonstrata, è difficultas non procedit de illa, quantum ad scribēdi modum Hieroglyphicum, seu symbolicum, certum enim esse debet apud omnes, illum saltem longè ante Moysis tempora in vsu fuisse, cum multa ante illum conscripta fuisse legamus, quæ si non Alphabeticis, saltem Hieroglyphicis litteris exarari debuerunt. Sed controuersia est de posteriori modo scribendi alphabeticè, seu per signa prolationis, & verborum, si cum Liuio placet loqui. Vtrum videlicet Deus Sancto Moysi primùm infuderit scribendi peritiam, & admirandum Alphabeticarum litterarum inuentum, vt doctrinam sacram ęternitati per scripta mandaret. Cùm enim æquæua non debeant esse vox & scriptio, possitque esse vnius linguę idioma vel dialectus, antiquior, quàm illius caracter; etsi superiori capitè viderimus linguam Hebraicam, eiusque vsum longè ante Moysen extitisse; potest adhuc esse difficultas, nùm Moysi primum infuderit Deus admirādām litterarum artem, qua perspicuis Alphabeti notis doctrinam diuinam traderet.

Circa quod duplicem reperio sententiam. Prima est B. Augustini lib. 18. de ciuitate Dei cap. 39. super ea re hunc in modum disserentis. *Non est credendum, quòd nonnulli arbitrantur Hebræam tantum linguam, per Heber, à quo Hebræi sunt appellati, fuisse seruatam, atque inde peruenisse ad Abraham; Hebræas autem litteras à lege cæpisse, quæ data est per Moysen. Sed potius existimare conuenit, per illam successionem Patrum, Hebræam linguam cum suis litteris esse custoditam. Denique Moyses in populo Dei constituit, qui docendis litteris præessent, priusquam diuinæ legis litteras vllas nossent. Hos appellat Scriptura Grammaton Isagogos, qui Latinè dici possunt litterarum inductores,*

vel

vel introductores; *eo quod eas inducant quodammodo in corda discentium*, *vel in eas potius ipsos quos docent*; Sic Augustinus, quem Pererius lib. 16. in Genesim, & in Exodum cap. 2. disp. 7. alijque plures sequuntur.

Huic sententiæ tria potissimum suffragari possunt. Primum; quod multorum librorum memoria extet ante Moysem conscriptorum. Apostolus enim S. Iudas in Epistola sua Canonica memoriam fecit libri Prophetici Enoch; cuius prædictionem trãscribit. Eiusdem Enoch scriptorum meminit Origenes homil. 28. in numeros, Tertullianus lib. de Idololatria cap. 14. & 18. & in tractatu de habitu muliebri cap. 3. Sanctus quoque Augustinus lib. 15. de ciuitate Dei cap. 23. ait; *Scripsisse quidem nonnulla diuina Enoch illum septimum ab Adam negare nõ possumus*. Iosephus autem lib. 1. antiquitatum apertè testatur etiam ante diluuium, vt linguæ Hebraicæ, sic etiam litterarum vsum fuisse apud priscos illos homines. Nam de posteris Seth, qui fuere ante diluuium, verba faciens, ita scribit; Syderalem scientiam, & cælestium rerum cognitionem excogitauerunt. Ne autem inuenta sua ex hominum notitia dilaberentur, & prius perirent, quam pernoscerentur; Scientes prædixisse Adamum, duplicem fore vniuersalem rerum interitum, vnum incendio, diluuio alterum; exeltatis duabus colũnis, vtrique sua inuenta inscripserunt: vt si lateritiam diluuio deleri contingeret, lapidea superstes, hominibus discendi copiam faceret, & quæ inscripta continebat, spectanda exhiberet. Lapidea verò columna ab ipsis dicata, nostris etiam temporibus extat in terra Syria. Hæc Iosephus, & sic de alijs, quæ refert Eusebius lib. 1. de origine sacræ Scripturæ cap. 11.

Secundò Moysem ipsum à S. Stephano in Apostolorum Actis prædicari eruditum & imbutum omni sapientia Aegyptiorum, videtur apertè suadere scriptionis Alphabeticæ vsum ante Moysem; quod enim authores secundæ sententiæ statim adducendi respondent, hęc omnia quæ ante Moysem scripta narrantur, debere accipi de litteris Hieroglyphicis, illasque solas ad eius temporis eruditionem satis fuisse, hæc, inquam, responsio videtur gratis data; nam cum ex ipsomet Eusebio lib. 2. de origine sacræ Scripturę cap. 11. & 12. tot sint hieroglyphicarum litterarum incommoda, vt nec per illas dici omnia possint, nec quæ dicuntur in controuersia, explicataue satis maneant, quin potius obscura & dubia, qui fieri potuit, vt illarum solarum vsu ad tantam gloriam, qualem vetustissima Hebræorum, vel Chaldæorum, Aegyptiorumque sapientia nacta est, peruenire potuisset.

Tertiò tandem, quis credat Adamum mortalium sapientissimum, & à Deo edoctum, ignarum fuisse Grammatices, artisque scribendi alphabeticè: dicere autem, illum quidem artificium Alphabeticum nouisse, sed illud nec eualgare, nec filios suos edocere voluisse, vndè probari potest.

Secunda nihilominus sententia, primam litterarum inuentionem, & mirandum scriptoriæ artis vsum patefactum Moysi putat, vt diuinam doctrinam scriberet. Ita Theodoretus quæst. 59. in Genesim, Rupertus Tuitiensis lib. 3. de victoria Verbi Dei, alijque plures tàm ex antiquis, quàm ex recentioribus, quos refert, & sequitur Eusebius lib. 2. de origine sacræ Scripturæ, vbi plura huius rei adducit argumenta. I. quod cùm antè Moysem nulla historia scripta fuerit; cum post Moysem omnes, cum primus ipse Moyses scripserit; vnà cum ipso videntur litteræ natæ. II. quod Exodi cap. 18. Deuteronomij cap. 16. 29. & 31. legatur, pro vt in Græca septuaginta interpretatione habetur, constituisse Moysem γραμματεῖς εἰσαγωγεῖς, hoc est, *litterarum introductores*, cum enim nec antè nec post opus fuisse similibus officijs legamus; manifestum est signum tunc solum opus habuisse Moysem coadiutoribus, vt inuentum suum scribendi introducerent, & communes facerẽt litteras.

III. ar-

III. argumentum desumitur ex significatu Hebraici alphabeti; Hebraicarum enim litterarum nomina eas significant res, quas Adam primis annis non potuit nosse: quare earum rerum nomina litteris assignare nequiuit. Domorum quippe, librorumque vsus primis illis temporibus non erant. Quare ab Adamo alphabetum tàm festinè introductum non videtur. Si ab Adamo non fuit, probabilius à Moyse.

Cęterum neque hęc, neque similia argumenta demõstratiuè, aut ce1tò probant primum inuentorem litterarum fuisse Moysem; nisi forte intelligantur, quod ille tradiderit Hebręis completam artem scriptoriam per Alphabeticas litteras, vel earum iam amissarum fuerit restitutor; hoc enim fieri potuisse statim ostendemus, siue illarum vsus antè ipsum fuerit, siue non.

Itaque discernendo certa ab incertis, primùm existimo certo sciri non posse, an ante diluuium vsus litterarum Alphabeticarum fuerit, vel non. Secundò certum esse post diluuium sapientissimas mundi nationes eiusmodi litteris caruisse, quales sunt præcipuè Græci & Latini, de quorum primo vsu litterarũ constat. Tertiò valde probabile, ac ferè certum esse debere, Moysem perfectum saltem fuisse scriptoriæ artis restitutorem; quidquid enim fit de illius vsu ante diluuium, postea saltem in vniuersi inundatione, aut confusione linguarum, dispersioneque hominum, vel etiam in oppressione Aegyptiaca, amissam vel ad minus corruptissimam fuisse scriptoriam artem, certum est. Nam si in Babylonica captiuitate quæ tolerabilior fuit, & breuior, & post maiorem mundi culturam amiserũt Hebræi litteras proprias, & sacram penè Scripturam, vt necesse fuerit nouas introduci litteras à S. Esdra, & libros sanctos rescribi, vt infra suo loco explicabitur, certe non debet incredibile videri, si diuturniori seruitute Pharaonica oppressis, asseratur scriptionis vsum desijsse Hebræis, maximè cùm nullos sacros libros haberent, quos tunc curarent, & mundus adhuc rudior esset. Vndè cum diuinam doctrinã, & ipsa Dei verba memoriæ mandare operæpretium fuit, congruum fuit vt Deus de nouo reuelaret Moysi optimum scribendi ritum, siue perfectum litterarum Alphabeticarum vsum; quippe qui faciliorem, vniuersaliorem, clariorem & certiorem, pro vt decebat diuinam doctrinam, vnde fides & religio pendet. Et in hoc sensu possunt facile intelligi & explicari omnes illi Sancti Patres, qui primum litterarum Alphabeticarum vsum tribuunt Moysi.

Quod si inquirat aliquis, quodnam fuerit illud characteris genus à Deo reuelatum Moysi, vel ab illo inuentum, speciali tamen Dei auxilio. Nonnulli Hebræorum putant hoc ipso charactere, quo nunc vtuntur Hebraici libri sacri, scriptam olim legem, & Moysem vsum fuisse. Sinceriùs tamen, & firmius Sanctus Hieronymus, imo nobiliores apud Iudęos Doctores censent nón isto charactere, quo Iudæi modo vtuntur, & vocatur Assyrius, sed Samaritano scripsisse Moysem. S. Hieronymus præfatione in libros Regum id apertè testatur: *Samaritani*, inquit, *Pentateuchum Mosis totidem litteris scriptitant, figuris tantùm, & apicibus discrepantes. Certumque est Esdram Scribam, legisque doctorem, post captam Hierosolymam, & instaurationem templi sub Zorobabele alias litteras reperisse, quibus nunc vtimur, cum ad illud vsque tempus ijdem Samaritanorum, & Hebræorum characteres fuerint*. Idem Sanctus in commentario cap. 3. Epistolæ ad Galatas, post castigatam textus Hebraici ex Samaritanorum codicibus corruptelam, illorum litteras Iudaicis antiquiores asserit. Idem habet in cap. 9. Ezechielis; ante Hieronymum autem hoc ipsum docuit Eusebius in Chronico, & post eum Beda, & Rupertus, alijque plures quos refert & sequitur Eusebius lib. 4. de origine sacræ Scripturæ cap. 11. & sequentibus; vbi pluribus probat Mosaicas litteras, seu Alphabetum, Samaritanum fuisse, Grauina lib. 4. Cathol. præ-

præscriptionum controuersia 4. artic. 3. de quo redibit sermo infra cap. 14. & cap. 93. vbi de versione Samaritana.

CAPVT VIII.

Vtrum ad rationem Scripturæ sacræ requiratur, quod Deus illam dictauerit Scriptoribus sacris, eorum mentem illustrãdo, voluntatem mouendo, & manum afficiendo.

POstquam in superioribus vidimus ad rationem Scripturæ sacræ requiri, quod Deus omnia & singula illius verba dictauerit, siue primùm vsus linguæ Hebraicæ, scriptoriæque artis reuelatus fuerit Moysi, siue non, hoc enim ad rationem Scripturæ sacræ non esse necessariũ, satis colligitur ex hoc, quod plures Scriptores sacri ea lingua, eoque charactere scripserunt, quæ prius callebant; nunc breuiter explicandum est, quomodo tria in titulo quęstionis necessita ad eamdem Scripturam sacram requirantur.

Circa primum igitur existimant aliqui, non fuisse necessarium ad rationem Scripturæ sacræ, quod illam Deus dictauerit Scriptorum mentes illustrãdo, eo videlicet sensu & ratione, quod semper intellexerint aut cognouerint, quid verbo vel facto ab illis scripto significaretur. Verum licet hęc sententia loquendo de possibili sit vera, vt enim verbum Dei non petit produci & ore promi à sciente & penetrante illud, vt patet in Prophetia Caiphæ Ioannis cap. 11. prophetantis & nescientis quid diceret, sic neque scribi: vtrumque si quidem est diuinitus loqui: Nihilominus tamen si loquamur de facto, siue secundum quod de facto libri sacri scripti sunt, probabilius est Deum illos dictasse Scriptorum mentes illustrando, ita vt ipsi scirent quid dicerent, cuius instinctu dicerent, & etiam propter quid significandum dicerent, quamuis non eodem modo in omnibus & singulis rebus. Quemadmodum enim docent Theologi non vniformem semper fuisse Prophetarum cognitionem & illustrationẽ, sic etiam non vniformis fuit canonicorum scriptorum cognitio in libris sacris describendis. Hoc autem qua ratione fieri potuit desumendum est ex ipsamet natura cognitionis, seu visionis intellectualis.

Igitur ex D. Thoma de veritate quęst. 12. art. 7. & 12. ad intellectionem duo exiguntur, cognitorũ videlicet acceptio, & iudicium de acceptis. Quia autem, quandoque talis acceptio est naturalis, sed iudicium supernaturale; quandoque etiam supernaturalis tantùm absque iudicio, quandoque tandem acceptio & Iudicium supernaturale; ita etiam diuina reuelatio, seu cognitio diuinitus infusa tribus modis potest fieri, & contingere tam in mente Prophetarum, quam Scriptorum Canonicorum; primo secundùm lumen tantum ad iudicandum, deindè secundũ species tantum, tertiò secundum vtrumque.

Tunc reuelatio, seu cognitio diuinitus infusa secundum lumen tantùm ad iudicandum fit, quando præexistentibus speciebus naturalibus, vel in potentia imaginatiua, vel intellectiua, ita vt non opus sit noua specierum infusione, additur solùm à Deo supernaturalis quædam illustratio, seu instinctus, vel ad componendas & coordinandas illas species, gratia significandi ea quæ intendit Spiritus Sanctus; vel ad confortandum, & roborandum Prophetarum intellectum, & Scriptorum Canonicorum, vt de rebus alias sibi cognitis delectum habeant, iudicando hæc esse vera, & hic & nunc dicenda, vel scribenda. Et sic ait D. Thomas loco statim citato, *Forte fuit inspiratio Salomonis, in quantum de moribus hominum, & naturis rerum quæ naturaliter accipimus, diuino instinctu cæteris certius iudicauit.*

Reuelatio autem secundum species tantùm fit, quando acceptio est supernaturalis, siue quod idem est, quando species supernaturaliter quidem infunduntur, sed tamen de illis iudicium fuit

 perna-

pernaturale non habetur; talisque reuelatio, atque adeo prophetia secundum illam facta dicitur imperfecta; è contra verò perfecta si solummodo intellectus illuminetur ad iudicandum ea, quæ ab alijs imaginariè, vel intellectualiter visa sunt; vt contigit in Iosepho respectu interpretationis somniorum Pharaonis.

Tertiò tandem reuelatio fit secundum vtrumque, quando species ita supernaturaliter infunduntur, siue id fiat secundum imaginatiam visionem, siue secundum potentiam intellectiuam, vt simul de illis; vel de rebus per illas repræsentatis supernaturale iudicium habeatur; estque reuelatio omnium perfectissima, ita tamen vt in illa sua detur latitudo, & intellectualis excedat imaginariam visionem; & in intellectuali illa per quam videatur Dei essentia, saltem per modum transeuntis, & non per figuras.

His ergò tribus modis dici potest Deũ Scriptorum Canonicorum mentes illustrasse. Primùm enim ad eà mysteria, & arcana explicanda, quæ oculus non vidit, nec in cor hominis ascenderunt, satis constat necessariam fuisse saltem acceptionem supernaturalem, siue quod idem est, reuelationem secundum species, & verba. Quia autem indecens fuisset, vt qui erant destinati ministri sermonis, & veluti diuinæ mentis interpretes hæc ignorarent, quæ ad plenam scriptorum faciebant cognitionem, præsertim cùm opus sit in primis authoribus fidei, ponere euidentiam in attestante ex Caietano 22. q. 171. artic. 5. vt certa sit fidei Ecclesiasticæ resolutio, quæ est de auditu in testes veluti oculares; credibile est reuelationem illis factam non fuisse tantùm secundum species & verba, sed etiam secundum lumen iudicando de illis, eorumque veritate.

Respectu verò tàm earum rerum, quam eorum verborum, quæ scriptoribus sacris præsto erant, siue quæ in eorum imaginatiua, vel intellectiua cognitione res naturaliter repræsentabant, cũ non sufficerent tales species ad significationem eorum, quæ Spiritus Sanctus significare intendebat, & ad hoc vt scriptura esset vndequaque certa, diceretur que verbum Dei, necessarium fuit etiam illas diuinitus coordinari, accommodari, & dictari, scriptorumque mentem & intellectum illustrari, quò firmissimè iudicarent illa esse verissima, hic & nunc ab illis scribenda.

Quantùm verò spectat ad secundum difficultatis punctum, vtrum nimirum, præter intellectus illustrationem, mouerit etiam Deus & incitarit Scriptorum Canonicorum voluntatem; affirmatiuam partem amplectuntur omnes Theologi, videturque colligi manifestè ex illo D. Petri epist. 2. cap. 1. v. 21. *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt Sancti Dei homines.* Vbi clariùs Caietanus, Vatablus, Brixiẽsis, & alij legunt & transferunt, à Spiritu Sancto impulsi agitati, & rapti; quia vox Græca ἀλλ' ὑπὸ Πνεύματος ἁγίου φερόμενοι, pro qua in vulgato Latino habetur *inspirati*, significat idem quod permoti, acti, & impulsi.

Ratio est primò, quia eatenus Scriptura aliqua est diuina, quatenus est à Deo, habetque pro authore, & speciali effectore Deum; alias omnis in vniuersum scriptura esset sacra, & à Deo, & diuina: si quidem omnis est à Deo, vt à causa prima, & ab eo qui omnia opera nostra operatur in nobis Isaiæ 26. Igitur ad rationem, aut conditionem Scripturę sacræ, quæ nihil est aliud quam verbum Dei scriptum propriè dictum, non requiritur tantum, quod Deus scriptori eius dictauerit omnia scribenda, sed etiã quod mouerit, & inclinauerit illum, eiusque voluntatem ad sic, atque hic & nunc scribendum.

Secundò, Scriptores sacri in scribendi munere & exercitio tantùm reputantur vt calami, seu instrumenta Dei loquentis ad nos, iuxta illud Psalmi 44. *Lingua mea calamus Scribæ* &c. Ergò, *Sicut iste* inquit Gregorius homil. 13. in Ezechielem & præfat. in Iob cap. 1. *nihil*

nisi desuper actus, applicatus, & motus in nulla scriptura præstat; sic neque illi in sacra.

Tertiò eadem videtur esse ratio scribendi, & prophetandi: siquidem vtrumque est edere verbum Dei in persona Dei; at prophetandi munus non fuit in potestate prophetarum, quasi potuerint pro arbitrio suo vaticinari, & vaticinia ore proferre; sed tunc tantùm cum spiritus Domini mentes illorum illustrabat, & ad prophetandi exercitium voluntatē & linguam eorum mouebat; igitur neque munus scribendi verba Dei, & sacrā scripturam potuit esse, non tantum citra reuelationem Dei, verum neque citra motum & impulsum illius mouentis & inclinantis voluntatem scriptoris ad hic & nunc scribendum, non per impressionem alicuius formæ in voluntatem, sed per actualem motionem vel applicationem interiorem, qua solus ipse creator voluntatis potest eam, quando vult & quo vult mouere, manui scriptoris similiter assistendo, vt statim dicetur.

Quartò tandem, quod vitam, mortemque Domini omnibus eius discipulis, Apostolisque probè callentibus, & per vniuersum mundum disertè prædicantibus, quatuor tantum Euangelistæ ea monumentis signauerint; vix alia potest adduci causa, quam quod citra scribendorum peritiam, notitiam & cognitionem, siue naturaliter, siue supernaturaliter comparatam, requirebatur Spiritus Sancti motio & impulsus applicans, & agens eos ad scribenda sacra illa: quoniam aliter Scriptura sacra constare non potest.

Quantùm ad tertium, an etiam Deus scriptorum canonicorum manum in scribendo affecerit? affirmatiuè respondent omnes Theologi. Cum enim etiam in scribendo, verbum pro verbo, res pro re, littera pro littera facilè poni possit, siue per ignorantiam, siue per malitiam, siue per memoriæ lapsum, incuriam, incogitantiam, inaduertentiam, vel aliquid huiusmodi; ne aliqua ex parte nutaret diuinarū scripturarum authoritas; sed verissima vndequaque, ac diuinissima esse comprobaretur, & Spiritus Sancti Scriptura meritò nuncuparetur, debuit præsens Scriptoris manui assistere, vt lapsus, & errata caueret, & conceptos sensus exciperet. Quam assistentiam, aut directionem aliqui vt Serarius in Prolegom. Biblicis explicant, quasi Spiritus Sanctus cum Scriptoribus sacris operatus sit, ac nutrix ad gradiendum puerulum inuitans alliciendo, vocando, & ne cadat manus tendendo, non dextera dexteram mouendo. Melius tamen alij id factum fuisse putant, non quidem per qualitatis alicuius, aut habitus impressionem, docet enim D. Thomas 12. q. 50. artic. 1. nullum habitum operatiuum constituendum in corporis membris; sed virtuosa quadam motione, ad eum modum, quo idem Sanctus Doctor de potent. quæst. 3. artic. 3. ad 7. docet virtutem artis esse in instrumento artificis, v. g. in calamo, vel in pennicillo, quem artifex mouet; cum Scriptores sacri, eorumque manus nihil aliud fuerint, quam animata quędam Spiritus Sancti instrumenta, in ordine ad sacram doctrinam litteris consignandam.

In fine huius capitis breuiter notauerim, quod etsi nulla sit implicantia, quod scriptoribus sacris diuina virtute semel roboratis necessarium non fuerit corporis necessitatibus inseruire, sed omnes suos libros nulla penitus interruptione facta, continuò Spiritus Sancti impulsu afflati scribere potuerint, ad eū modum, quo Moyses 40. dierum spatio, in monte cum Domino tractans, & diuinas reuelationes suscipiens, corporali necessitati non studuit; suauiùs tamen, & naturæ nostræ conditioni accommodatius, nec non apud Ethnicos credibilius est asserere; quod nec simul, nec sine interuallo (vacabant enim etiam officijs corporeis) Scriptores sacri reuelationes à Deo acceperint, sed paulatim & particulatim, sicut Domino visum est, vt docet S. Cyrillus in Isaiam cap. 6 & D. Hieronymus in fine epistolæ ad Philemonem.

Cur

Cur autem externa Dei locutio per scripturas, cum sit à tota Sanctissima Trinitate, opera enim ad extra sunt omnibus personis communia; specialiter tamen aut appropriatè attribuatur Spiritui Sancto, pulchras adducit rationes Bensonius lib. 4. in Canticum Magnificat cap. 12. dub. 8. vbi videri possunt.

CAPVT IX.

Statuitur non solum moraliter, sed etiam physice motam, seu prædeterminatam fuisse Scriptorum Sacrorum voluntatem.

SVperiori capite diximus ad rationem Scripturæ Sacræ requiri motionem Dei impellentis voluntatem Scriptorum sacrorum ad sic, atque hic & nunc scribendum; quia autem huiusmodi motio potest esse duplex, vel moralis, suasionibus nempè, & motiuis inducentibus, vel physica, non prout hęc vox naturalitatem, vt malè intelligunt aliqui, sed realitatem denotat; asserimus in præsenti talem motionem, seu impulsum fuisse non solum moralem, aut ex parte obiecti, sed etiam ex parte potentię, Deo mouente & prædeterminante illam. Ita docet Lorca 22. tract. de locis Theologicis disput. 1. & Grauina lib. 4. Catholic. præscriptionum artic. 4. controuers. 2.

Ratio est, quia quidquid sit de necessitate huiusmodi motionis ad omnes & singulas actiones, de qua non ago in præsenti, Deus ad scriptionem librorum sacrorum; sicut ad prophetiam, vel doctrinam verbalem, speciali adhuc modo concurrit, quam ad alias actiones etiam supernaturales; nam non solùm influit; sed vlterius præstat duo. Primo mouet determinate. Secundo ex intentione voluit propriam sententiam exprimere medijs Scriptoribus sacris, tanquã suis instrumentis. Ita vt speciali etiã ratione dicatur author sacræ Scripturæ, qua non dicitur aliarum actionum ad quas concurrit. Etsi enim dicatur author omnium actionum, quæ malę non sunt, quia in eas influit; & bonarum, quia sunt ei gratæ, & supernaturalium, quia speciale ad illos auxilium confert; & adhuc specialiùs definitionum Ecclesiæ, quia assistit infallibilitatem præbens; omnium tamen harum non dicitur author, sicut Scripturæ & doctrinæ sacræ; cuius author est proprijssime, quia est propria, & specialis eius causa, & effectus est proprius; indeque potissimum apparet, quod ab hac actione, & effectu denominetur directè & formaliter; dicitur enim loqui, scripsisse, dictasse, cum ab alijs non ita denominetur: non enim dicitur amare, cum homo eius auxilio amat; neque definire propriè, cum Ecclesia eius assistentia definit. Hæc autem omnia saluari non possunt nisi præter motionem moralem, ponatur etiam ex parte voluntatis verus, ac realis impulsus veraq; motio, aut inspiratio physicè prædeterminãs Scriptores sacros ad sic, atque hic & nunc scribendum.

Indeque est, quod de illorum voluntate manibus atque calamis dicere nos possumus, quæ de illorum animalium alis ac pedibus Ezechiel dixit c. 1. *Vbi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur, neque reuertebantur, cum ambularent.* Vt potè quod non in votis scriptorum canonicorum erat positum progredi, aut regredi, scribere aut non scribere, nisi pro vt Spiritus Sanctus impellebat; vel ab impulsu cessabat; illæsa tamen eorum libertate; vt dicetur infra, cum non ita agerentur à Spiritu Sancto, vt etiam se nõn agerent; eius ductum, & instinctum sequendo.

Secundò sola determinatio, vel motio moralis, suasionibus nempè & motiuis inducentibus, non solum sufficere non potuit ad tantam molem scripturarum, sed neque etiam mens capere potest, quænam fuerint illæ suasiones & motiua, quibus Scriptorum canonicorũ animus allici potuit, vt morali sola motione ad sic scribendum inducerentur. Quare ad omnia facilius componenda dicendum est illum impulsum fuisse nõ solùm

solum moralem & ex parte obiecti, qui etiam potest fieri ab Angelo, qui persuasiuè potest mouere voluntatem; verùm etiam ex parte potentiæ, à Deo realiter mouente voluntatem, cuius solus est ipse creator.

CAPVT X.

An adeo sit Deus author sacræ Scripturæ, vt scriptores proximi nequeant authores dici, sed instrumenta solum.

Scriptores sacros vera fuisse Spiritus Sancti instrumenta in exarandis sacris litteris, admittunt omnes Catholici; cum enim ex Scripturis apertè constet Deum loquutum esse per os sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum eius, & particula *per* causam instrumentalem significet, quando causalitas per illam denotata est tantùm respectu actionis, secundùm quod determinatur ad factum, vt cum dicitur quod artifex operatur per martellum, ex D. Thoma 1. par. q. 36. art. 3. nemini dubium esse potest, quin Scriptores sacri, sicut & Prophetæ dici debeant instrumenta Dei per ipsos loquentes. Quod ergò controuertitur est, an etiam authores debeant dici, cùm instrumentum videatur differre ab authore, nec instrumentum dicatur author operis, sed solum principale agens, pro resolutione difficultatis, quæ de nomine potiùs quam de re videtur esse.

Dico primò, si sumatur istud nomen author, non solum pro eo qui opus aliquod facit, sed qui princeps est, & primus iubet, vt aliquid fiat, aut inductor persuasorue. Secundum quod Cicero lib. 3. officiorum, ait. *Huius deditionis ipse suasor & author fuit*. Satis constat ex huc vsque dictis, Scriptores Canonicos nequaquam vocari posse sacræ Scripturæ authores, sed solum Deum. Et propterea D. Gregorius in proœmio Moralium cap. 5. superuacaneum iudicat sollicitè inuestigare in sacris litteris, quis fuerit author peculiaris; ac si quis accipiens epistolam à Rege sollicitus esset de calamo quo scripta fuerit.

At quia hoc nomen authoris non infrequenter sumitur, vel accommodatur omni, qui alicuius rei quomodocumque factor, aut causa est, Scriptores sacri rectè possunt in hoc sensu dici authores Scripturæ sacræ, sicque eos vocat Augustinus 2. de consensu Euangeliorum, cap. 12. & 18. de ciuitate Dei cap. 41. & alibi.

Primò legitimam huius nominis impositionem satis probant inscriptiones: nam libri sacri inscribuntur ab authore, & dicuntur, *libri Moysis*, *& Samuelis*, *Prophetia Isaiæ*, *Epistola Pauli*; Et quamuis Euangelia non Matthæi, vel Marci, sed *secundum Matthæum*, vel, *secundum Marcum* dicantur, non ideò factum videtur, quia Matthæus, vel Marcus, & cæteri Euangelistæ authores eorum non fuerint in sensu statim adducto, sed quia Euangelium Iesu Christi potissimum facta & dicta enarrat; & ideò Iesu Christi Euangelium merito dicitur, ad hoc significandum, nèque incongrua eiusdem phrasis fieret repetitio, subiungitur *secundum Matthæum*, ac si dicatur, pro vt Matthęus scripsit; qui modus loquendi tantùm abest vt excludat Matthæum fuisse anthorem, quin potius illud apertè significare videtur.

Secundò idem probat, quod, vt dicetur capite sequenti, Scriptores sacri, ita fuerunt instrumenta Spiritus sancti in actione scribendi doctrinam Sacram, vt non solùm spontaneè, sed etiam liberè propriaque electione, & instar aliarũ actionum humanarum id fecerint; vndè non est cur Scripturæ authores in sensu explicato meritò vocari non possint.

Cur autem cum Deus posset immediatè scribere, sacrasque litteras per seipsum exarare, voluerit tamen id per alios præstare, plures adducit rationes Salmeron tomo 1. prolegom. 26. vbi possunt consuli, cum parum hoc ad nostrum institutum referat; nec propterea minoris fit authoritatis, vel dignitatis sacra Scriptura.

CAPVT XI.

An Scriptores sacri ita fuerint instrumenta Spiritus sancti in scribendo, vt non solùm spontaneè, sed etiam liberè id præstiterint.

GRegorius de Valentia lib. 8. Analys. cap. 5. & alij cũ illo docent Scriptores Biblicos ita actos fuisse, vt se non egerint in scribendo; seu ita correptos, & incitatos fuisse, vt solum voluntarium motum, & spontaneum habuerint. Nihilominus longè probabilius est illos etiam liberè scripsisse; ita docent Peres tractatu de Scriptura sacra dub. 10. cap. 8. Lorca 2a. tract. de locis Theolog. disp. 1. Grauina lib. 4. Cathol. præscript. controuers. 1. art. 4.

Pro euius intelligentia notandum est tàm intellectum, quàm voluntatem Scriptorum Canonicorum posse considerari dupliciter; intellectum quidem quo ad receptionem, vel coordinationem specierum, & ad iudicium de ijsdem habendum; voluntatem verò quantùm ad motum eam impellentem, vel prouocantem ad eliciendum aliquem actum; deinde quantùm ad hunc eumdem actum ab illa elicitum, conformiter & subordinatè ad talem motum.

Si considerentur intellectus & voluntas primo modo, hoc est, intellectus quo ad specierum receptionẽ, vel coordinationem, & voluntas quo ad motum illam impellentem; Scriptores Canonici quantùm ad hoc nullam habuerunt libertatem; nec enim specierum infusio, vel impulsus voluntatis in eorum erat potestate, vt satis per se patet.

At si considerentur secundo modo, hoc est, quantum ad iudicium specierũ, earumque vsum in scribendo à voluntate prouenientem, sic perfectam habuerunt libertatem Scriptores Canonici.

Probatur primò, quia nisi dicamus sactos Scriptores liberè, & propria etiam electione scripsisse, videremur incidere in errorem Priscillæ & Montani, qui vt satis patet apud Epiphanium de Hęres. in Hæresi Cataphrygarum, Hieron. in Isaiam cap. 1. Arhanas. orat. 4. contra Arrian. dixerunt Prophetas fuisse, arreptitios, qui nec sana mente, nec sui compotes loquebantur. Quod quam sit absurdum satis patet ex hoc, quòd ad dignoscendos veros à falsis Prophetis eò semper confugerunt Sancti Patres, quod falsi in extasi consternabantur, vnde erant veluti mortua, & inanimata diaboli per ea seductionem operantis instrumenta: at Prophetæ veri, vt ait Epiphanius, *fuerunt in extasi, sed non in extasi cogitationum, & rationis*; nec proindè libertatis, vigente enim ratione, iudicijque indifferentia viget & libertas, quæ facultas est voluntatis, & rationis.

Secundò, quamuis impulsus ille, vel impetus Spiritus sancti necessarius quidem fuerit ad Scripturam sacram, passiueque tantùm, atque adeò non liberè se habuerint respectu illius Scriptores Biblici; attamen non propterea fuit illos necessitans, sed potius eo semel recepto humano modo vsi sunt, seque actiuè & salua libertate arbitrij habuerunt respectu propriæ determinationis. Nam certè, si saluo genio & ingenio Scriptoris in scribendo eo adductus est Spiritus Sanctus, vt cum subtilioribus subtilius, cum rudioribus crassius & simplicius scriberet: vt patet in Propheta aulico Isaia, & in pastore rudi Amos; vel, vt dicit Alcuinus lib. 1. de Trinit. cap. 1. si sacrę Scripturæ earumque author consequenter à terreno & humano sensu nos erigentes vsque ad ea verba descenderunt, quibus humana vtitur consuetudo; non minus congruum erat, vt per quos administrabantur, humano etiam modo vterentur, & per liberos homines, liberæ actiones exercerentur, itaque impelleret Spiritus Sanctus Scriptores sacros ad scribendum, vt eorum non propelleret libertatem.

Tertio si esset aliqua ratio cur Scriptores Biblici spontaneè tantum & non liberè scripsisse dicendi essent, maximè quia fuerunt mera Spiritus Sancti in-

strumenta physicè ab eo mota & prædeterminata; vndè calamo assimilantur, & plectro, & organis alijsque huiusmodi rebus à S. Patribus, quæ sic eos actos & motos significare videntur, vt non fuerit in eorum potestate non tangi nec moueri; Sed ista & similes rationes nullæ sunt: ergò; Maior huius argumenti est certa, estque vnicum oppositæ sententiæ fundamentum.

Probatur minor; ita enim Scriptores Biblici fuerunt Spiritus Sancti instrumenta; vt tamen fuerint instrumenta animata, suaque natura libera, qui consequenter sua voluntate mouere seipsos, suaque membra ad operandum potuerunt, semper tamen per subiectionem, & subordinationem ad motionem & impulsum Spiritus Sancti tanquam principalis agentis, illi non resistendo, ductúque & instinctum sequendo. Vnde licet non fuerit in eorum potestate accipere species, vel res substituere, aut voces ad hæc vel illa significanda, hoc est ponere causam antecedentem, seu causam per quam res fit: fuit tamen in eorum potestate ponere conditionem siue causam minus principalem, sine qua res nō fieret: tales fuerunt labores, diligentiæ, volitio &c. quæ requisita sunt ad sacrorum voluminum scriptionem.

Quandò ergò aliqui Patres, vel doctores videntur auferre libertatem Scriptoribus Biblicis, quasi non fuerit in eorum potestate, non scribere; non loquuntur de libertate pro vt opponitur coactioni, vel meræ spontaneitati, quæ est vera & perfecta libertas; sed solum de ea pro vt opponitur præcepto & iussioni, quia nimirum Scriptores Biblici diuino præcepto iussi sunt scribere, quod si scribendo, & hoc modo scribendo nō adimpleuissent, peccassent: cum hoc tamen præceptò optimè cohæret libertas. Sic Abulensis quæst. 3. in num. 1. dixit, *Si Moyses foret suæ libertati relictus, non sic de se scripsisset, erat enim Moyses vir mitissimus*. Quasi diceret, nisi Moysi præceptum fuisset de se scribere, nunquam id præ sua mansuetudine & humilitate præstitisset.

Quartò tandem & vltimò probatur conclusio, quia alias Scriptores sacri in scribendo nihil meriti habuissēt, & proinde nec virtutis, nec laudis; siquidem vbi arbitrij libertas deest, meritum etiā abesse oportet; hoc autem videtur esse absurdum; idem enim est asserendum de scriptione, ac de loquutione seu prolatione verborum, de quibus dixit Christus Apostolis Matthæi cap. 10. *Dum steteritis ante reges & præsides nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim nobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*. At Apostoli omnes discipulique Christi per huiusmodi loquutiones, verborumque à Spiritu Sancto dictatorum & instillatorum prolationes magna merita consequuti sunt, cum fuerint clarissimæ diuinæ fidei confessiones, protestationes & patrocinia in Christi Domini gloriam, & in Dei confessionem. Ergò idem penitus tenendum est de Scriptoribus sacris, qui eadem verba eodem afflatu & impulsu Spiritus Sancti litteris & scripto consignarunt.

Posset hic etiam aliquis inquirere vtrum authoritas Scripturæ ab authoribus secundarijs, & minus præcipuis peti possit. Cui difficultati respondet Andreas Duuallius tract. de fide quæst. 2. de authoritate Scripturæ sacræ artic. 4. præcipuam quidem Scripturæ authoritatem, ab authore eius præcipuo, nempe Spiritu Sancto esse desumendam; aliqualem verò, eamque minus præcipuam à Scriptoribus ipsis.

Nihilominus hac in re alia distinctione vtendum puto; vel enim possumus loqui de authoritate, vt ita dicam intrinseca scripturæ, quæque attenditur penes infallibilem eius veritatem, quatenus est obiectum fidei; & hęc à solo Deo, tanquàm à prima veritate in reuelando, cuique innititur fides nostra, dependet: Vel possumus loqui de authoritate quadam extrinseca, quæ non amplius attenditur penes scripturæ veritatem

tem in quantùm à Deo reuelatam, sed tantùm penes Scriptorum Biblicorum sanctitatem; & circa hoc dico, Scriptores quidem Biblicos pro maiori parte fuisse viros probos, & sanctos, non tantùm pro tempore quo scribebant, sed etiam in fine vitæ suæ: ita vt feliciter, & cum gratia ex hac vita decesserint. Hoc tamen absolutè ad rationem Scripturæ sacræ non requiritur, nec quidquam ad illius veritatem confert; cùm Spiritus Sanctus sit verus, ac præcipuus illius author, & gratia scribendi, sicut & prophetandi, loquendi varijs linguis, & interpretandi inter species gratiæ gratis datæ, & non gratum facientis annumerentur.

Deinde huius rei exemplum habemus in libris Salomonis; & si enim aliqui doctores vt Cosmas Damianus, Delrio, Sotomaior præfatione in Cantica, Genebrardus in sua Chronologia, Maldonatus in cap. 1. Matth. versu 10. & alij asserant Salomonem sub finem vitæ resipuisse, & pœnitentiam ante obitum egisse: ideoque felicem exitum cum alijs Prophetis, & Scriptoribus Canonicis habuisse: Nihilominus multi alij, ijque non contemnendi doctores, vt Lyranus in cap. 2. lib. 2. Regum, Abulensis in cap. 11. lib. 3. Regum, Bellarminus lib. 1. de verbo Dei scripto cap. 5. Peretius in Epistol. ad Romanos cap. 8. q. 27. putant eum infeliciter obijsse, & de peccatis suis grauissimis, luxuria scilicet & Idololatria pœnitentiam cum viueret non egisse, ideoque iam in inferis damnatum esse. De hac re vide Ioannem Pineda lib. 8. de rebus Salomonis, & Andream Duuallium loco superius citato.

CAPVT XII.

An Scriptura Sacra aliquandò perierit.

CVm conseruatio nihil sit aliud quã continua alicuius rei productio, vel etiam continua illius in esse duratio, postquam in superioribus egimus de sacræ Scripturæ existentia, eiusque causa efficienti tàm principali, quàm instrumentali, siue quod idem de prima illius productione; nunc agendũ est de eiusdem conseruatione, breuiterque examinandum, vtrum sacra Scriptura aliquando perierit, vel non? Etsi enim aliqui hæretici vt Danæus & Iunius Doctores catholicos hanc quæstionem agitantes de superfluitate sugillent, eam tamen non esse inutilem, satis constabit ex inferius dicendis.

Circa hanc igitur controuersiam tres diuersas reperio Doctorum Catholicorum sententias; prima est Antonij Sabellici Aeneida 3. lib. 3. Salmeronis tomo 1. prolegom. 9. Sixti Senensis lib. 1. Biblioth. & aliorum omnino asserentiũ aliquandò Scripturam sacram penitus interijsse. Cui sententiæ quatuor potissimum fauent: I. quod multi Patres docere videntur in captiuitate populi, quæ facta est à Nabuchodonosore, Scripturas sacras interijsse. II. tempore Regis Antiochi lib. 1. Machab. cap. 1. legitur, combustos fuisse & conscissos libros legis Dei, & testamenti Domini. III. lib. 4. Esdræ cap. 14. sic ipse affatur Dominum, *Positum est sæculum in tenebris: & qui habitant in eo sine lumine: quoniam lex tua incensa est:* id est igne conflagrationis absumpta, & omnino deperdita. IV. cum nulla sit instaurationis vel reparationis necessitas, nisi vbi reperitur interitus, omnes illi Patres & doctores, qui docent, quod Esdras integram restaurauit Scripturam; vel expresse dicunt, vel tacite saltem supponunt illam prius interijsse.

Alia sententia per extremum præcedenti opposita est Genebrardi lib. 2. Chronol. anno 3636. Bellarmini lib. 2. de verbo Dei scripto cap. 1. Pererij tomo 1. præfat. in Genes. Baronij tomo 2. annalium & aliorum absolutè negantiũ iacturam sacrorum librorum.

Tertia sententia veluti media docet Scripturam temporibus Babylonicæ captiuitatis interijsse simpliciter & absolutè loquendo; non verò secundũ quid. Ad eum ferè modum quo charta dila-

cerata, & conscissa, cuius tamen partes seruantur, & retinentur, interijt quidem simpliciter; nam desinit esse charta, dum chartæ formam amittit: attamen secundum quid, id est, secundum partes, ex quibus iterum coalescere potest, manet & extat. Ita Peres in tract. de Scriptura dubio 3. in fine, ad conciliandas duas oppositas sententias; quæ tamen meo iudicio melius conciliari possunt, si asseratur Scripturam non quidem absolutè & simpliciter, sed secundum quid tantum interijsse; quod explicabitur sequentibus conclusionibus.

Prima conclusio. Temporibus Antiochi Epiphanis Regis Syriæ circa annum mundi 3800. non omnia volumina sacra periere. In hac conclusione conuenire debēt omnes Theologi. Colligiturque manifeste primò ex libro 1. Machabæorum vbi ita asseritur cap. 1. libros legis Dei fuisse combustos, atque conscissos, vt tamen cap. 3. referatur de filijs Israel, *quod venerunt in Maspha, qui erat locus orationis, & ieiunantes ac cinerem capitibus suis imponentes expanderunt libros legis*. Et cap. 12. v. 9. aliquibus post annis elapsis, scripsit Sacerdos Ionathas vnà cum senioribus gentis suæ ad Spartiatas, quod sibi solatio erāt sacri libri, quos præ manibus habebant. Reliqui ergò erant temporibus illis sacri libri, nec omnia prorsus illorum exemplaria perierant in exterminio illo Regis Antiochi.

Secundò probatur ex hoc maximè quod apud Iudæos tot olim erant saltē sacrorum librorū exemplaria, quot Synagogæ: Etsi enim penes illos vnicum tantum esset, ac esse posset templum, ad quod omnes conuenire, sacraque in eo facere deberent; erant tamen in omnibus ciuitatibus, oppidis, ac vicis Synagogæ; in quibus cum frequentes populi conuentus agerentur, gratia saltem loquendi publicè & audiendi per omne Sabbathum litteras sacras: vt satis constat ex his quæ habentur apud Lucam, tàm in Euangelica Historia, quàm etiā in Apostolorum actis, ac præsertim c. 23. v. 27. ex illis verbis Iacobi Minoris ad Concilium Hierosolymitanum *Moyses à temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus, qui eum prædicent in Synagogis; vbi per omne Sabbathum legitur*. Ex hoc apertè sequitur tot saltem penes Iudæos fuisse sacrorum librorum exemplaria, quot apud eos Synagogæ. Ac proindè Regem Antiochum perdere nō potuisse vniuersos codices sacros, etiam si combusisset omnes illos qui Hierosolymis, & in Iudæorum prouincijs asseruabantur: Præterquam quod enim ait Philo de legat. ad Caium, Iudæorum populum vbique terrarum disseminatū inhabitasse; atque adeo exemplaria librorum sacrorum in eorum Synagogis conseruata Hierosolymitanum excidiū subterfugere potuisse; obseruandum est ex Genebrardo lib. 2. Chronolog. ad annum 3638. sæuitiam Antiochi pertingere non potuisse ad omnes duodecim tribus, sed tantùm ad duas illas, quæ manserant sub ditione filiorum Dauid; vndè sequitur quod perdere non potuerit codices sacros apud alias tribus retentos, sed ad summum illos, qui apud tribus Hierosolymitanas recondití seruabantur.

Tertiò, vt optimè argumentatur Pererius præfat. in Genesim numero 7. Si omnia penitus litterarum sacrarum exēplaria incendio vel alio modo perijssēt temporibus Antiochi: vnde sacri libri, qui erant temporibus Christi Domini & Apostolorum eius extitissent? an finget quispiam alterum Esdram, à quo fint iterum illi refecti, & reparati.

Secunda conclusio. Probabilius est etiam temporibus Babylonicæ captiuitatis sub Rege Nabuchodonosore non omnes penitus sacræ Scripturæ codices interijsse simpliciter, & absolutè loquēdo. Ista conclusio est ad mentem secundæ sententiæ.

Probatur primò, quia ad hoc vt aliquis liber simpliciter & absolutè loquēdo dicatur conseruari in rerum natura, nihil aliud requiri videtur, nisi quod alicubi exstet integrum aliquod eius exēplar,

plar, vel omnes illius partes ita varijs in locis dispersæ reperiantur, vt rursus ab aliquo colligi, vnumque in corpus ordinari possint. Sed Scriptura Sacra, eiusque codices tẽpore captiuitatis Babylonicæ non sunt tale passi naufragium vel dispendium, quin integrum aliquod eius exemplar alicubi conseruatum fuerit, vel saltem per partes in vnum corpus rursus colligibiles: ergò simpliciter & absolutè loquendo dicendum est, vniuersam Scripturam Sacram non perijsse in excidio Hierosolymitano temporibus Regis Nabuchodonosoris de quo 4. Regum cap. 25. Maior huius argumenti videtur esse certa.

Minor probatur primò ex hoc quod 4. Regum cap. 22. legitur temporibus Regis Iosiæ, Helchiam Pontificem librum legis reperisse in domo Domini; non igitur omnia penitùs Scripturę exẽplaria perierant. Si autem inquiratur, quomodo delituit liber iste legis? Respondet Lyranus ex R. Salomone; quod cum Achas quæreret librum legis Domini ad comburendum, iste fuit absconditus in muro templi, & sic in reparatione illius inuentus. Secundò probatur eadem minor quia lib. 2. Esdræ cap. 8. habemus populum illi dixisse, *vt adferret librum legis Moysi, quam præceperas Dominus Israeli*. Statimque subiungitur, *Attulit ergò Esdras Sacerdos legem coram multitudine virorum & mulierum*. Non ergò à tẽpore Nabuchodonosoris omnia volumina sacra euersa sunt, & igne cõflagrationis assumpta; quomodo enim Esdras illa ad preces populi proferre, ac perlegere potuisset.

Secundò probatur conclusio, ex eo maximè quod incredibile videtur tunc temporis, sicut & nunc, magnam non fuisse librorum sacrorum copiam; prę terquam quod enim Genebrardus lib. 1. Chronolog. ann. 3557. refert Moysem edidisse tredecim legis suæ exemplaria, & singulis tribubus dedisse singulos codices integros & perfectos; decimum verò tertium reposuisse inter vasa sacra & reliquias; quis non facilè credat, longe adhuc plura fuisse exemplaria præ manibus domibusque ipsorum Prophetarum, & Sacerdotum, vt apud Theologos viros singuli inueniuntur libri sacri; ex tanta inquam, sacrorum codicũ abundantia videtur apertè sequi, quod etsi forsan perijsset incendio Scriptura in templo recondita tempore Nabuchodonosoris, non propterea tamen omnem perijsse, saltem illam, quam apud seipsos prophetę diuinarũ rerum zelatores eximij clanculum retinebant.

Cui fauet primò, quod non omnes Iudæi deleti sunt excidio illo, aut etiam in captiuitatem abducti, sed de consensu Regis Babylonis, plures in Iudęa remanserunt; imo nulla vnquam tàm grauis in Iudæos persequutio desęuijt, quæ illos omnes à Iudeę ambitu amandarit; cum constet ex Danielis cap. 14. Prophetam Abacuc è sublimi raptum tulisse prandium è Iudęa Danieli: igitur si adhuc intra Iudæam plures remanserunt Iudęi; consequens est etiam vt aliqui libri sacri penes illos remãserint saltem penes Prophetas, de quorum numero erat Abacuc. Deindè intelligi non potest, quod Babylonij ita abominarentur Iudæorum legem, vt eam penitus interire voluerint, cum habeamus ex scriptura lib. 4. Regum cap. 17. quod suos in Samariam missos eam discere præceperint.

Tertiò, si vniuersa sacra Scriptura perijsset tempore captiuitatis Babilonicæ, quando ciuitas euersa, & templum incensum fuit; ac deinde ab Esdra fuisset rursum reparata, verisimile est eum id facturum fuisse non lingua Hæbraica, sed Chaldæa, vel mixta ex Hebraica & Chaldæa, quæ tunc erat in vsu, & quam videmus scriptos esse libros Danielis, & ipsiusmet Esdræ, at certum est sanctos libros præter istos Danielis & Esdræ, lingua Hebraica esse scriptos, ergò signum est manifestum vniuersam sacram Scripturam non perijsse, nec eam rursum Esdram restaurasse, sed scripturam illam ipsam, quæ à Mose & prophetis condita est ad nos vsque peruenisse.

Tertia conclusio, ita Scriptura Sa-

era simpliciter & absolutè loquendo tẽpore captiuitatis Babylonicæ conseruata fuit, vt tamen dici possit illam secundum quid perijsse; quatenus multa eius exẽplaria vel combusta, vel per partes varijs in locis dispersa, vel tandem deprauata & corrupta fuerunt. Eoque sensu Sancti Patres docent Esdrã fuisse librorum sacrorum instauratorem, non vtique illos de nouo dictando, sed colligendo, & ordinando in vnum corpus, cuius partes varijs in locis inuenerat, & etiam emendando, quę deprauata erant negligentia Scribarum; adiuuante illum tum memoria incredibili, qua legem memoriter sciebat, tum etiam speciali assistentia Spiritus Sancti, & propter hæc 1. Esdrę cap. 6. dicitur, *Esdras autem parauit cor suum, vt inuestigaret legem Domini, & faceret, & doceret in Israel præceptum & iudicium*. Per quod patet ad argumenta pro prima sententia allata.

CAPVT XIII.

Vtrum modo extent in Ecclesia primaui, seu originales diuinarum scripturarum codices.

QVia superiori capite dixi Scripturam illam ipsam, quæ à Moyse & Prophetis conscripta est, ad nos vsque peruenisse, posset alicui suboriri dubiũ, adhuc in Ecclesia exstare libros ipsos, quos illi proprijs manibus exarauerunt; maximè cum ex illorum non existentia, seu iactura, videatur sequi veram ac propriam Dei Scripturam in Ecclesia amplius non esse.

Nihilominus tamen dicendum est primò libros Canonicos, quos Moyses & Prophetę proprijs scripsere manibus, non haberi in Ecclesia. Quod adeo manifestum est, vt probatione nõ indigeat, nusquam enim illorum depositum designari potest.

Secundò dico, non fuisse necessariũ vt huiusmodi libri materiales (vt ita dicam) in Ecclesiæ deposito perpetuò conseruarentur. Patet 1. ex suauitate Diuinę prouidentiæ in Ecclesia gubernanda; Deus enim sufficienter prouidit Ecclesiæ suę, ergo si necessarium fuisset vt ea, quæ Spiritu Sancto dictante primùm scripta sunt, permanerent in eisdem materialibus membranis, vel codicibus, profectò Deus id ita rei prouidisset; cum igitur videamus contrarium; manifestum est argumentum non fuisse necessarium ad Ecclesiæ gubernationẽ & authoritatem, quod huiusmodi scripta in eisdem materialibus membranis incorrupta remanerent.

Probatur secundò ex hoc; quod etiã si huiusmodi libri in Ecclesiæ deposito permansissent, nihil amplius vtilitatis, vel authoritatis nobis afferrent, quam transumpta ex illis exemplaria vsu Doctorum Ecclesiæ, & ipsiusmet Ecclesiæ auctoritate, ac suffragio comprobata conferunt. Quoniam ipsimet codices authographi materialiter cõsiderati nullam apud nos haberent authoritatem, nisi Ecclesiæ testimonium accederet, testantis eosdem esse libros, & illibatos, atque incorruptos ibidem contineri. Sed modò eadem Ecclesia cętera Scripturę exemplaria, editiones, & translationes suo etiam comprobat testimonio, ergò nihil minus vtilitatis, vel commodi habemus, ac si ijdem libri originales materialiter conseruati fuissent: nullaq; proinde talis conseruationis fuit necessitas.

Confirmatur, quia adhuc non possent omnes Ecclesiæ doctores ad eos libros, si alicubi conseruarentur, legendos accedere, sed necessariò oporteret, alios codices ab illis translatos vel in eodem idiomate, vel in alio præ manibus haberent, vt inde argumenta ad res fidei cõprobandas desumerent. Cum autem huiusmodi libri studio & labore interpretum, & scriptorum transumpti possent in dubium vocari, an rectè & sine vllo penitus errore essent translati & exscripti, easdem profectò difficultates pateremur, ac nunc patimur in varijs Scripturæ sacræ translationibus & editionibus. Ergo cum in vniuersis huiusmodi difficultatibus necesse sit ad Ecclesiæ autho-

authoritatem, tanquam ad sacram anchoram, veritatisque columnam, & firmamentum confugere, nihil minus vtilitatis habemus, quam si libri sacri originales in Ecclesia permansissent. Vnde concludendum est id non fuisse absolutè necessarium.

Nec inde sequitur veram, ac propriam Dei scripturam in Ecclesia modo non extare; vt enim dicemus infra suo loco, tam in suo fonte, quam in exemplaribus & versionibus ab Ecclesia approbatis est idem verbum Dei,& æqualis authoritatis, originalesque codices materialiter tantùm non verò formaliter differunt à translatitijs etiam in aliam linguam conuersis: quoniam cum idem prorsus significent,idem formaliter sunt in ratione signi. Quod sufficit vt simpliciter & absolutè loquendo asseramus Sacram Scripturam esse in Ecclesia; sicut simpliciter loquendo nos dicimus habere scripta plurium Sanctorum Patrum, quorum tamen primitiua originalia non habemus, sed translatitia tantum.

CAPVT XIV.

Num perseueret adhuc idem character eademque litteræ Alphabeticæ quibus libri veteris testamenti primùm à Moyse, & prophetis conscripti sunt.

Statim vidimus ita diuinam scripturam veteris testamenti potissimum, tam quo ad sua authographa, quàm ad alia etiam plura exemplaria olim perijsse, vt tamen semper aliqua remanserint, eademque lingua vel idiomate, quò primùm à Moyse alijsque Prophetis fuerant conscripta, nunc inquirimus an sint etiam eędem hebręorum textusque hebraici litteræ modernæ, ac illæ antiquę, quibus sacri libri primùm descripti sunt. Et circa hoc duplicem reperio sententiam, primà, quam plures amplectuntur hęretici, negat immutatos esse priscos characteres, eosque adhuc perseuerare contendit; & quia hoc salua fide disputari potest inter doctores Catholicos, aliqui etiam ex illis vt Baronius tom. 1. Annalium eamdem sequuntur sententiam.

Secunda sententia huic opposita absolutè docet litteras hodiernas hebręas non esse easdem cum antiquis. Ad cuius intelligentiam notandum est ex Arria Montano tom. 3. apparat. cap. de Syclo, Francisco Blancutio in Grammat. Hebr. & alijs, triplicem veluti formam characterum Hebræorum assignari. Vna antiquissima, dicta *transitus fluuij* ante Noe, & diluuium. Secunda ante Zorobabel. Tertia moderna, quæ hodie est in praxi. Hęc igitur secunda sententia contendit Scripturam sacram fuisse primitus exaratam vetustissima illa forma *transitus fluuij* dicta, quæ vna cum ipsamet lingua Hebraica per manus Prophetarum ab Adam vsque ad Moysem accipi, fideliterque custodiri potuit. Vel si eo tempore quo primum Moyses scripsit, obliterata iam erat, vel nondum etiam inuenta, quod ex dictis supra multi probabiliter credant Moysem fuisse primum litterarum hebraicarũ antiquarum authorem, dicendum est Moysem & Prophetas illa fuisse vsos forma, quę postea Samaritanus character dictus est quia Samaritani hunc antiquum retinuerunt, qui vsque ad tempus Zorobabelis, hebræis fuit communis, vt docet Hieronymus super cap. 9. Ezechielis. Quo relicto Esdras alias litteras, quibus nunc vtuntur Hebræi adinuenit, quas è Dialecto Syriaco deriuatas probabile putat Genebrardus.

Cui secundæ sententiæ tanquã probabiliori, & maiori tam veterum, quam recentiorum doctorum numero munitę libenter subscribo, aliunde enim efficacius probari non potest veritas huius sententiæ, quàm ex simili doctorũ consensu.

Primum igitur habemus SS. PP. authoritatem, Origenis homil. 9. Eusebij in chronicis, Hieronymi in prologo Galeato, vbi exprefsè docet, Esdram inuenisse nouas litteras hebraicas; & antiquas

quas quidem reliquisse Samaritanis, nouas autem tradidisse Iudæis, quibus etiã nunc vtimur. *Certum est*, inquit, *Esdram Scribam legisque doctorem &c. alias litteras reperisse, quibus nunc vtimur.* Ecce qualiter certam, & constantem prædicat Hieronymus sententiam nostram. Et paulò post subiungit: *Nomen Domini tetragrammaton, in quibusdam græcis voluminibus, vsque hodie antiquis expressum litteris inuenimus.* Vbi seipsum præbet testem oculatum litterarum hebraicarum antiquarum, quæ iam in vsu non sunt, sed neque tunc temporis erant.

Insuper idem Hieronimus in cap. 9. Ezechielis agendo de littera *Tau*, quà apud Ezechielem signantur liberandi à Chaldæorum gladio, ait: *Antiquis Hebræorum litteris, quibus vsque hodie vtuntur Samaritani extrema* Thau *littera crucis habet similitudinem, quæ in Christianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inscriptione signatur.* Sed tam tempore D. Hieronymi quam nunc postrema alphabeti Hebraici littera non habet crucis similitudinem, vt satis patet ex eius figura ת, ergò nouas litteras habemus, siue quod idem est litteræ hodiernæ Hebreæ non sunt eædem cum antiquis Mosaicis, quarum vltima perfectam crucis figuram referebat. Samaritanum enim seu Mosaicum *Thau* non solùm fuit commissum vt Græcum & Latinum T, sed prorsus decussatum instar latini X. quemadmodum in aliquibus Siclis Israeliticis Samaritano charactere inscriptis patet.

Ex quo apparet quam ignoranter, & impudenter aliqui hæretici, hi sunt Frãciscus Iunius in 1. caput 2. lib. Bellarm. Hugo Brugthonus in concentu sub annum ante Christum natũ 3380. D. Hieronymo exprobrauerint, quod in cap. 9. Ezechielis scribens asseruerit litteram antiquam Thau crucem exprimere; non enim ibi loquitur de littera Thau Alphabetici Hebraici moderni, sed antiqui, seu Samaratini, quæ vt statim diximus crucis similitudinem habebat, & ex hac distinctione inter vtrumque Thau antiquum, & modernum rectè probat Hieronymus non esse easdem Hebræorum litteras modernas, ac illæ antiquę quibus sacri libri descripti sunt.

Pro eadem antiqui characteris, seu Samaritani, in nouum seu Assyrium immutatione per Esdram facta, stat Venerabilis Beda in librum Esdræ, & Rupertus Abbas Tuitiensis lib. 3. de victoria Verbi Dei, cap. 24. *Certum est*, inquit, *Esdram scribam legisque doctorem post captam Hierosolymam, & instaurationem templi sub Zorobabel, alias reperisse figuras, sed sono eodem permanente.*

Secundò hac in parte habemus Rabinorum, & Talmudistarum authoritatem; etsi enim nonnulli Hebræorum futiliter & inuidè propter Samaritanorum odium putent hoc ipso charactere, quo nunc vtuntur hebraici libri sacri, scriptã olim legem, & Moysem vsum fuisse, nobiliores tamen apud Iudęos doctores censent non isto charactere, quo Iudæi modo vtuntur, & vocatur Assyrius, sed Samaritano scripsisse Moysem. Quorum testimonia videri possunt apud Eusebium lib. 4. de origine sacræ Scripturæ cap. 11.

Tertiò hæc eadem litterarum mutatio ad oculum patet ex nummis, vel siclis, qui quotidiè Hierosolymis effodiuntur, & sub Regibus Iudæ in vsu fuerunt, in illis enim non litterę hebraicę modernę, sed illæ tantùm incissę sunt, quę in scripturis Samaritanorum leguntur sine vlla, vel exigua mutatione.

Quartò tandem & vltimò hoc docent & affirmant melioris notæ doctores, rerumque hebraicarum peritiores ex modernis Hugo Cardinalis, Lyranus. & Tostatus in prologum Galeatum, Picus Mirandulanus in epistola ad Ignatium, Postellius lib. 12. linguarum, Genebrardus in Chronologia tit. 2. Arrias Montanus lib. de Syclo, Masius in Grãmat Syriaca, Salmeron. tom. 1. prolegom. 4. Bellarmin. lib. 2. de verbo Dei scripto c. 1. & 2. Boderius in diction. Syrochaldęo, Vvilalpandus in apparatu vrbis lib. 2. cap. 21. vbi duo Hebraica alpha-

alphabeta proponit, vnum antiquissimũ, quo primitus sacræ litteræ exaratæ sunt, & alterum recentius, quo per Esdram iterum sacra pagina litteris mandata est. Antonius Peres tract. de Scriptura dubio 5. cap. 4. Magister Grauina Cathol. præscript. lib. 4. controu. 4. art. 3. Eusebius de origine S. Sripturæ lib. 4.

Si autem inquirat aliquis cur Esdras Mosaicos caracteres antiquos reliquit, & Assyrijs est vsus; præfati doctores varios huius rei rationes adducunt. Sunt Hebræi apud Eusebium loco citato, qui id factum putarint ob reuerentiam Angeli apud Danielem, qui Assyrijs litteris sententiam Balhazaris Regis scripsit; sed hoc est falsum, Samaritanis enim, seu Mosaicis illam exarasse, non autem Assyrijs satis colligitur ex hoc, quod nullus Assyriorum quos vocauit rex, vt scripturam legerent, & explicarent, illam intelligere potuit, donec Iudæus Daniel illam legit & interpretatus est, qui patrium caracterem nouerat, diuinitusque tunc inspiratus, & edoctus penetrauit sensum, & latentem trium illorum verborum sententiam.

Alij vt Salmeron dicunt amissum prorsus fuisse antiquum scribendi genus vna cum scriptura post longam captiuitatem: & idcirco vsitato tunc assyriorũ caractere legem renouasse Esdram; sed hæc ratio infirma est, præterquam quod enim falsum est, aut saltem adhuc sub iudice lis est, an omnes codices sacri in excidijs, & captiuitatibus Iudæorum exciderint: hoc tamen concesso non est valida consequentia, omnes libri sacri perierunt, ergò & litteræ, aut caracteres Hebraici antiqui, poterant enim facilè seruari in syngraphis, & epistolis, alijsque eiusmodi rebus, & quod magis est in hominum memoria, sicut idioma reseruabatur.

Alij id factum censent ob pulchritudinem caracterum Assyriorum, quos putant Assyrios vocatos, non quia ab Assur venerint, sed quia pulchri & elegantes. Sic Obadias à Bartenora commentario L. in librum *Mischnaiot*: Sed hęc etiam ratio, quam adducit Hugo Cardinalis, non est efficax, facilitas enim, & elegantia maior esse in modernis caracteribus gratis fingi videtur.

Propius igitur ad veritatem accedunt illi, qui volunt primò in memoriam priscæ captiuitatis, & diuini beneficij, postquam indè in libertatem sunt Judæi asserti, retinuisse Esdram Assyrium caracterem. Secundò ob desuetudinem, atque magnam vt plurimum ignorantiam antiqui caracteris. Tertiò denique vt omnino dissociaret Hebræos à Samaritanis tanquàm Catholicos, ab hæreticis & Schismaticis, ad eum ferè modum quo ad dissociandum homines turris Babel ædificatores, eos Dominus communione linguæ priuauit. Cui rationi non obstat quod communis vtrisque relicta fuerit sacra pagina quantum ad rem ipsam. Nam si legere & non intelligere, idem est ac non legere, vt habet vetus proloquium, quod à fortiori dici debet de ipso prorsus non legere, sufficiebat ad diuortium à Samaritanis, quod adhuc retenta linguæ vnitate instruerentur Iudęi in litterarum notitia, quam Samaritani non haberent.

Mysticam etiam huius mutationis causam reddit Rupertus lib. 3. de victoria Verbi Dei cap. 24. *Non mirum*, inquit, *si in restauratione ciuitatis, vel templi litteras, quas digitus Dei scripsit, per hominem immutari placuit, cùm in constructione tabernaculi quandoque destruendi, tabulas, quas ipse Deus præparauerat, homo fregerit, & alias iussu Dei præciderit. Potuit in vtroque scilicet; & in alteratione tabularum, & in demutatione litterarum eiusdem rei esse portentum. Quia videlicet futurum erat, vt omnia quæ tunc instituit Deus nondum homo factus, pertransirent. Nam ecce vetera sunt, & transierunt: & noua omnia facienda erant, vt nunc facta sunt, quæ instituit idem Deus homo factus Sacerdos in æternum, de quo Apostolus. Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius tabernaculum non manufactum, &c.* Superest modo vt breuiter satisfaciamus ali-

aliquibus obiectionibus contra superius dicta.

Obijcitur primo, ex hac Hebraicorum caracterum mutatione per Esdram facta sequi, quod non amplius haberemus veram sacram Scripturam; de cuius ratione videtur esse omnimoda stabilitas & inuariabilitas, iuxta illud solemne Christi Domini iuramentum Matth. 18. *Amen dico vobis donec transeat cælum, & terra, iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege.*

Respondetur ad hoc argumentum quod sicut Scriptura sacra non propterea amittit esse, vel rationem sacræ Scripturę, quia varias in linguas transferatur: ita neque ex eo quod varijs caracteribus notetur; dummodò in singulis dictionibus vera significatio retineatur; quam satis constat non esse alligatam nec litterarum figuris, nec vnirati sermonis, vel idiomatis. Igitur de infallibilitate legis & rei significatę per illam debent intelligi verba Christi Domini, non de caracteribus, quibus lex illa scripta est, alioquin Euangelium D. Matthæi perijsse dicendum esset, nec esset recipiendum vt sacra Scriptura, cum Hebraica qua ab ipso fuit scriptum lingua amplius non extet.

Obijcitur secundò, quia Philo Iudæus lib. 2. de vita Moysis asserit, illa ipsa lingua, & caractere, quo antiquitus lex scripta fuit sic permansisse semper absque vlla mutatione, vsque ad tẽpora Ptolomæi Philadelphi, sub quo scriptura fuit in linguam Græcam à septuaginta interpretibus translata. Non ergò Esdras legis caracteres mutauit.

Respondetur ad hoc argumentum Philonem non dixisse, quod lex antiquitus scripta fuerit Hebraicis caracteribus sed potius Chaldaica lingua, mansisseque longo tempore in ea. Et licet nomine Chaldaicę verè subintellexerit Hebraicam linguam, vt ipse Baronius tomo 2. annal. notauit, & probauit; nihil tamen præiudicij per hoc attulit sententiæ nostræ, sed potius subindicauit aliquid conducens ad illam; cum propterea Hebraicam linguam appellatam fuisse à Philone Chaldaicam dicere possumus, non solùm quia primùm Chaldæi illa vsi sunt, vt supra suo loco notauimus, sed etiam maximè quia litteris Chaldaicis exarata erat. Constat autem Hebræos Chaldaicis litteris vsos non fuisse, vsque dum in Chaldæam captiui adducti sunt. Cum enim Chaldæa lingua vel Syra suos etiam haberet antiquos caracteres, vt tamen ab illis discreparet populus Dei, sicut Moyses alia lingua nimirum Hebraica vsus est, ita & alia litterarum forma, qua etiam vsi sunt Samaritani vsque ad tempora Esdrę vndè non solum Mosaici, sed etiam Samaritani caracteres indè sunt appellati: Vt autem Esdras à Samaritanis etiam in scribendo & legendo discederet, nouam formam adinuenit assyriam dictam, quia à dialecto Syro deriuata, vt supra notauimus ex Genebrardo. Sic apparet Chaldæos caracteres, & Syros antiquos fuisse ab Hebraicis antiquis distinctos, & ab vtrisque, quamuis à dialecto Syriaco deriuatos, differre caracteres Hebræos modernos. Secundò dici posset tantùm Philonem velle legem nunquam esse mutatam, scilicet quo ad rem, vel linguam, vsque ad Ptolomæi Philadelphi tempora; caracteris enim nomen non apposuit.

CAPVT XV.

An libri veteris testamenti olim sine punctis loco vocalium, & sine finali versuum distinctione fuerint scripti.

DE hac difficultate nõ minus quàm de præcedenti salua fide & charitate disputatur inter doctores etiam Catholicos; & circa illam quadruplicem reperio sententiam, pro quarum intelligentia notandum est, quæstionem non esse de ortu vocalium, (ab initio enim extiterunt ad rectam litterarum, & dictionum pronuntiationem) sed de notis seu figuris quibus vocales significantur, & ad

& ad oculum sensibiliter exprimuntur.

Prima igitur sententia est Rabbi Azariæ lib. Nur hiri, & aliorum dicentium puncta Alphabeti Hebraici, vna cum ipso alphabeto inuenta fuisse. Fundamentum est, quod huiusmodi puncta habēt rationem litterarum vocalium, sicut igitur in omni linguarum genere vocales litteræ simul cum suis consonantibus inuentæ sunt, & cum illis scribi cæperunt, ita & in lingua Hebraica. Dictiones enim Hebraicæ non magis proferri possunt absque vocalibus, quam dictiones cæterarum linguarum. Cum ergò ita scribendum sit, sicut loquendum, vt terminus scriptus sit ita significatiuus, & expressiuus, atque vocalis, consequens est etiam, quod non minus in lingua Hebraica, quam in alijs, vocales simul cum consonantibus, non tantùm pronuntiari, sed etiam scribi, notisque sensibilibus exprimi cæperint.

Quod si quis huic rationi respondeat, esse longè pronunciandi, & scribendi disparem rationem (etenim absque vocalibus pronuntiatio fieri non potest,) scribi autem maximè potest; atque adeò primò à necessitate vocalium in pronunciando, ad earumdem necessitatem in scribendo non esse bonam consequentiam; neque etiam secundò ab vsu aliarum linguarum, ad vsum Hebraici idiomatis, quoniam scriptura Hebraica punctis, qui pro vocalibus substituuntur, carere commodius potuit, quàm aliarum linguarum scriptio non habentium idem artificium, ac lingua Hebræa, quæ eiusmodi mirabiliter concinnata est, vt consonantibus solum depictis scriptura eius confici possit, & legi, quod alijs linguis non ita accideret.

Contra est; nam sicut non obstante, quod in alijs etiam linguis stare posset absolutè scriptio sine vocalibus, secus autem pronuntiatio, in illis tamen tùm ad maiorem legentium facilitatem, tum ad maiorem rerum scribendarum certitudinem ac determinationem, scribi simul ac pronuntiari cæperunt litteræ vocales cum consonantibus; idem de lingua Hebraica asserendum esse ratio paritatis suadet. Etsi enim facile concedam illā præ alijs facilius sine vocalibus scribi ac legi posse, nullus tamen potest inficiari, quin adhuc cum vocalibus sit facilior eius scriptio & lectio, minusque ambiguitati & æquiuocationi obnoxia; cum hac potissimum de causa dicatur ad inuentas fuisse postea vocales litteras, seu puncta. Cur ergo non ita res se habuit à principio? An minus perfecta Dei prouidentia? An minus oculati, & sapientes tot Patres & sancti veteris testamenti, vt ad exprimendum scripto conceptum, verborumque pronuntiationem consonantes adinuenire, vocales autem non potuerint, quæcumque fuerint illæ, & supposito quod ante Moysem fuerit vsus alphabeticè scribendi, de quo supra suo loco.

Secunda sententia est cuiusdam Capnionis lib. 1. & 3. de Cabala, & aliorum assetentium vna cum lege scripta puncta hæc à Deo reuelata fuisse, diuinitusque exarata. Præter rationem pro prima sententia statim allatam, fundamentum istius præcipuum est, quia nullus potest negare, quin litteræ vocales, atque adeò puncta & motiones in lingua Hebraica illis æquiualentes, non sint de integritate, maiorique perfectione alicuius scripturæ: pertinuit ergò ad suauitatem diuinæ prouidentię tunc maximè vsum vocalium, seu punctorum Hebræorum inspirare, quando Scriptura, seu lex omnium perfectissima, qualis est diuina, fuit litteris exaranda.

At dicet aliquis hanc esse differentiam inter Scripturam Diuinam & humanam, quod vt habetur Prou. cap. 25. *Gloria Domini est celare verbum*: id est, ad maiestatem Dei loquentis spectat, sic verbum eructare, vt notæ significationis non fiat: sed adhibito speciali conatu sensus percipiatur. Constat autem hoc maximè fieri demptis ab omni dictione litteris vocalibus; vnde tantum abest, quod scriptura diuinitus inspirata debuerit scribi cum vocalibus; vt potius oppositum dicendum sit, si attentè conside-

fideretur eius natura.

Contra eſt, nam licet ſit verum, ſcripturam quantùm ad ſenſum debuiſſe in multis eſſe difficilem & obſcuram; tam vt ſtudium excitaretur aliqua difficultate quam etiam vt penderet eius intelligentia à doctoribus & ſacerdotibus, iuxta inferius dicenda ſuo loco; id tamen minimè aſſerendum eſſe videtur de ſcriptura quantùm ad modum eam ſcribendi, vel pingendi; alias etiam fine vocalibus debuiſſent alij Scriptores ſacri ſcribere; & ipſe Moyſes commodius ad hunc finem litteris hieroglyphicis Aegyptiorum, quàm alphabeticis vſus fuiſſet. Quare ſicut relictis hieroglyphicis & ænigmaticis Aegyptiorum ſignis, quod in illis inter alia incommoda non mediocris ambiguitas & æquiuocatio in legendo fuiſſet, congruum fuit, imo neceſſe vt Moyſes ad diuinam doctrinam ſcriptis mandandam alphabeticis vteretur litteris; ob eamdem etiam rationem dicendum eſt, inter illas non ſolum conſonantes ſed etiam vocales litteras debuiſſe eſſe.

Igitur ad ſcripturæ locum è prouerbijs adductũ reſpondetur ſenſum illius tantum eſſe, quod ſicut ad honorem humani principis pertinet rationes rerum, ſermonumque inueſtigare, & iudiciorũ eius cauſas hominibus aperire, ne exiſtimetur in iudicijs ſuis minus prudens, vel etiam temerarius; ſic ad ſupremum iudicem rerumque omnium moderatorem ſpectat, è contra iudiciorum ſuorum cauſas reticere, altaque mente reponere, ne homines quęlibet arcana illius penetrare, & rationem ab eo iudiciorum ſuorũ exigere contendant. Propter hoc enim Paulus Roman. 11. ait; *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei; quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius.*

Tertia ſententia eſt aliorum apud Munſterum præfat. in vetus teſtament. exiſtimantium Prophetam Eſdram fuiſſe authorem, vel ſaltem reſtauratorem punctorum; Maſſoretarum enim peritiſſimus doctor filius Chaym apud Brugtonum in concentu ait, *Veritas eſt Deum dediſſe ſcripturam compunctam, ſed oblitos Iudæos vſque ad Eſdræ aduentum.* Præter rationes ſuperius adductas pro alijs ſententijs, quæ huic etiã ſuffragari poſſunt, quatenus decuit vt Eſdras diuinam ſcripturã perfectiſſime reſtauraret, quod fieri non poterat ſine vocalium vel punctorum vſu; ſunt inſuper aliqua D. Hieronymi teſtimonia id ſuadentia. Sane epiſtola ad Euagrium ait, *Non refert vtrum ſalem vel ſalim nominetur cum vocalibus in medio litteris perraro vtantur Hebræi.* Ecce apud Hieronymum agnitas vocales litteras Hebręis. Idem ſuper Ezechielem cap. 27. ait, quod frequenter Hebrea nomina pro diuerſitate accentuum & mutatione litterarum vocalium variam accipiunt ſignificationem. Cum ergò vocalia apud Hebręos non alia ſint quam puncta, conſequens eſt, quod de ſententia Hieronymi fuerint apud antiquos Hebręos vocalia puncta: & eò quod idem Hieronymus reuoluit & legit ſacros codices Hebraicè ſcriptos, iuxta reparationem ab Eſdra factam, dicendum eſt ſaltem iam illius tempore, vel ab eo introducta fuiſſe vocalia puncta.

Scio aliquos dicere Hieronymum in præfatis locis nomine punctorum ſubintellexiſſe accentus, qui pronuntiabantur, & vna cum ſcripturæ ſono efferebantur, non autem, quæ vocalium loco ſcribebantur. Verum hæc reſponſio non ſatisfacit primæ præſertim authoritati dũ enim in ea dicit Hieronymus Hebræos vocalibus in medio litteris perrarò vti, non poteſt loqui de eorum pronuntiatione, in qua ſane non perrarò, ſed ęquè frequenter ac in alijs linguis eſt vocalium vſus, ſed potius de ſcriptione, in qua Hebræi perraro vtuntur punctis & vocalibus, etiam ſi illa habeant, vt ſatis patet ex hoc, quod adhuc in ſuis Synagogis conſeruant libros ſacros ſine punctis.

Quarta tandem & vltima ſententia conſtanter aſſerit, ab initio quidem vocales extitiſſe ad litterarum pronuntia-

tionem necessarias, sed notas, quibus sacrorum codicum litteræ denotarentur, non appositas fuisse, nisi à Massorethis post D. Hieronymi tempora. Ita cum aliquibus Rabbinis maior ferè pars doctorum recentiorum, Sixtus Senensis libro 3. Biblioth. Sanctæ, Genebrardus in Chronol. Martinus Gilbertus de litteris Hebraic. cap. de vocal. antiq. Ludouicus Lusitanus in globo Sancto. Bellarminus in Grammat. Hebraica. Posseuinus lib. 2. Biblioth. selectæ cap. 8. Peres tractatu de Scriptura dub. 5. cap. 6. Grauina lib. 4. Catholic. præscriptionum de verbo Dei scripto, alijque plures.

Præcipua huius sententiæ fundamēta sunt primò, quod characteres antiquiores Hebraici, qui vel in siclis, vel in alijs monetis leguntur, vocalibus pūctis carent. Secundò in testimonium huius rei, quod nimirum libri veteris testamenti olim sine punctis loco vocalium fuerint exarati, etiamnum Iudæis in Synagogis suis non licet habere illos cum eiusmodi punctis, & vsque in hodiernum diem, quando legem seu thora solemniter ostentant, eam sine punctis è suo armario, quod hecat vocant, proferunt, vt ita nihil humani admixtū se habere glorientur.

Tertiò cùm per huiusmodi punctorum doctrinam multa difficilia potuissent componi circa diuinarum scripturarum intelligentiam, tamen non solùm à Thalmudistis in toto Thalmud nulla fit illorum mentio, sed neque ab ipsomet D. Hieronymo aut aliquo ipso vetustiori authore. Nouitior ergò atque recentior illis punctorum istorum inuētio est. Nam si fuisset Hieronymo antiquior crebro apud illum illius mentio & vestigia deprehenderentur, vt potè summè studiosum sermonis Hebraici, quique multum temporis in illo discendo, vertendisque ex illo sacris Scripturis in latinum sermonem insumpsit; de quo vide Leonem Castrensem super Isaiam cap. 6. & cap. 42. vbi ostendit non solùm apud Hieronymum non deprehendi aliqua huius rei vestigia, sed potius quod post illius tempora vocalia puncta sunt inuenta. Isaiæ 26. Ezechielis cap. 15. & 27. &c.

Quartò vix aliundè, quàm ex carentia punctorum nasci potuit varietas versionum approbatarū, nihilominus à Patribus, etsi inter se diuersæ sint. Nec enim dedecet maiestatem diuinæ Scripturæ, quin potius miræ eius in significando fæcunditati videtur valde accommodatum, eam aliquando sic fuisse scriptam, talibusque litteris, quibus diuersa verba legi possent. Nam sicut ad diuinum eloquium pertinere videtur vt vno verbo significet aliquando multa, sic diuinæ Scripturæ dissentaneum non est putandum, si vna scriptiuncula plura verba notaret, illisque mediantibus varios sensus. Quare rectè dixit quidam Rabbi Recanatensis apud Genebrardū in Chronolog. ad annum 485. quando litteræ absque punctis sunt, illis inesse facies multas (hoc est significationes multas) quando autem litteræ compunctæ sunt, ijs tantummodo inesse sensum secundum ipsam punctionis formam, seu rationem.

Circa locum autem, tempus & authores huius adinuentionis punctorum, etsi aliqui ex citatis authoribus diuisi sint, probabilius tamen putant alij fuisse adinuenta in Tyberiade vrbe Palæstinæ, in qua vt scripsit Epiphan. Heres. 30. Iudæorum erat Gasophilacium, multique libri & Synagogæ, vt etiam testatur Hieronymus in prologo in Paralip. Authores præcipui fuerunt Iudæi eiusdem Tyberiadis, vna cum Babylonijs, qui inde Massoreth appellati sunt, hoc est Magistri traditionis acceptæ per manus Esdræ, Gamalielis &c. siue concordantiarum: Tempore Zenonis Isauri Imperatoris Orientis, & Augustuli Imperatoris Occidētis, sub Simplicio Papa, Christi anno 476. vel 478. atque adeo 56. annis à morte D. Hieronymi, qui obijt anno Christi 422. Vide Genebrardum lib. 3. Chronologiæ, & Augustinū Torniellum ad annum 1931. num. 14. & ad annum 3610.

En præcipuę rationes, præcipuaque argumenta, quibus hæc quarta sententia, non minus fit probabilis, quam aliæ sententiæ; poteſt ergo vnuſquiſque hac in parte abundare in ſenſu ſuo. Quare minus modeſtè locutus eſt Scaliger in notis Euſebianis dum ait, *abortiua ingenia eos eſſe, qui apices cum lingua natos ariolantur*. Quod ſpectat ad finalem tùm verſuum, tum etiam capitum ſacræ Scripturæ diſtinctionem cõmodius de illa agemus infra.

CAPVT XVI.

Qualiter Scriptura per Eſdram Prophetam fuerit reparata.

SVpponimus ex dictis ſupra, ſi non totale, ſaltē aliquod ſcripturæ naufragium; ſupponimus etiam illam poſt tale naufragium, ad plenum fuiſſe reparatam Eſdræ miniſterio. Hoc enim tanquam vocem communem, ſententiãque antiquiſſimorũ Patrum & ſcriptorum calculis probatam referunt Salmeron tom. 1. proleg. 9. Bellarminus lib. 2. de verbo Dei ſcripto cap. 1. Tantum ergò difficultas in præſenti procedit, qualiter inſtaurationem illam Eſdras perfecerit; vtrum ſcilicet naturaliter excellentiſſimo memoriæ beneficio? vel potius miraculosè, diuino eum illuſtrante ſpiritu, ſuperneque omnia iterum dictãte. Dixi *inſtaurationem &c.* quia ſi ſit ſermo de his quæ proprio Eſdræ nomine tanquam authentica ſcripta circumferuntur, nemini dubium eſſe poteſt, quin eodem penitus modo ſe habuerit in illis exarandis, ac cæteri Scriptores Canonici de quibus ſupra.

Igitur doctores illi qui totalem ſacrorum librorum iacturam & naufragiũ admittunt, conſequenter ad hanc ſuam ſententiam putant nonniſi miraculosè Eſdram illos reparaſſe, colliguntque illud ex lib. 4. Eſdræ cap. 14. vbi diſertis verbis ſcribitur Eſdrã totis quadraginta diebus diuino ſpiritu afflatum dictaſſe quinque viris, qui ſumma celeritate, quę ab eo dicebantur, excipiebant, atque eo modo miraculosè vniuerſam ſcripturã, quæ plane perierat eſſe reparatam. Verum hic liber cùm non ſolum ſit apocryphus, & ab Eccleſia Catholica nunquam receptus, ſed etiam multis in locis redoleat fabulas Iudaicas, teſtimonium ex illo deſumptum potius detrahit huic ſententiæ fidem quam afferat. Cuius etiam improbabilitas ſufficienter conſtat ex dictis ſupra.

Quidam alij per oppoſitum ex illis, qui exiſtimant fuiſſe quidem Eſdrã librorum Sanctorum inſtauratorem, non omnia iterum dictando, ſed tantum colligendo, & ordinando ſcripturas in vnũ corpus, quarum partes varijs in locis inuenerat, & etiam emendando, ſi quæ deprauata erant negligentia ſcribarum; aſſerunt illum id naturaliter præſtare potuiſſe, excellentiſſimo memoriæ beneficio, qua omnia & ſingula ſcripturæ verba tenaciter conſeruarat.

Nihilominus dicendum eſt naturalibus ſimul, & gratuitis Eſdram indiguiſſe ad perfectam & integram diuinarum Scripturarum reparationem. Primo enim etſi ad alicuius libri collectionem & recognitionem multum conferant industriæ ſolertia, ingenij acies, memoriæque felicitas; quia tamen vt ait Seneca epiſtola 88. antè finem, *Neſcio an certior memoria ſit, quæ nullum extra ſe ſubſidium habet*; vt in re tam graui memoria Eſdræ certior inueniretur, ſcripturæque per eum reparatę debita fides adhiberetur, tanquàm vero Dei verbo ſcripto, certè dicendum eſt illum opus habuiſſe extra ſe ſubſidio aliquo, vtique ſubſidio ſpecialis aſſiſtentię Spiritus Sãcti, adiuuantis illum ad fideliter colligenda & emendanda omnia ſacræ Scripturæ volumina.

Secundò quia etſi ad hoc vt prodeat Scriptura authentica non ſit opus ſingulari reuelatione, ſiue quod idem eſt, quod iterum Deus ità ſcripturam ſacrã dictet, quaſi illam de nouo conderet; cùm tamen debita illius correctio, certaque quam de illa debent habere fide-

les persuasio, circa deprauatos locos & vitiatos textus, maiorem quam humanam mentem, & capacitatem requirat; saltem ad illā necessaria fuit Esdræ specialis assistentia Spiritus Sancti. Cui nullo modo repugnat, quod simul etiam cum illa propriam industriam contulerit. Sicuti enim hodie Biblia sacra, quæ authoritate publica in lucem prodeunt, humanum quid non redolent, propter industriam Typographi & Librariorum, nec pugnat cum illa authoritas scripturæ; ita nec quod asseratur, Esdram vnà cum speciali Spiritus Sancti assistentia, propriam adhibuisse industriam, memoriæque viribus vsum fuisse in colligendis, recognoscendis, & scribendis nouo præsertim charactere sacris codicibus. Et hec breuiter dicta sufficiant pro resolutione propositræ difficultatis qui plura desiderat consulat Serrarium cap. 12. prolegomenon sacræ Scripturæ, quæstiuncula 1. vbi disertè explicat quid fecerit Esdras in sacris litteris. Eusebius de orig. S. Script. lib. 9. cap. 29.

Cum ad complementum præsentis materiæ de conseruatione sacræ Scripturæ, pertineat etiam textus illius incorruptio, postquam in superioribus vidimus, an scriptura illa ipsa, quæ à Moyse, alijsque scriptoribus canonicis condita est, ad nos vsque peruenerit, superesset nunc explicandum, nùm etiam omnes & singulæ diuinarum scripturarum editiones, vel codices possint esse corrupti, verùm quia eadem argumenta, quibus agendo infra de singulis editionibus, probabimus esse impossibile quod vnus & idem S. Scripturæ locus possit esse corruptus in omnibus lectionibus eiusdem editionis præcipuè vulgatæ latinæ, id à fortiori probant de vniuersis editionibus, non est quod amplius in eo immoremur: tantum igitur sit de rebus spectantibus ad causam efficientem diuinarum Scripturarū; nunc de materiali sermonem aggrediamur.

CAPVT XVII.

De causa materiali sacræ Scripturæ.

Triplicem veluti causam materialem in sacra Scriptura distinguere possumus, vnam ex qua, alteram in qua, tertiam circa quam.

Vbi per materiam ex qua non tam intelligitur atramentum, vel alius liquor quo characteres pingi & notari solent, quam ipsemet litteræ, syllabæ, & dictiones, quibus secundum diuersitatē idiomatum vnusquisque sacræ Scripturæ liber componitur.

Per materiam in qua potissimum intelligitur subiectum in quo residet, vel continetur sacra Scriptura; quod est duplex primarium vnum, secundarium alterum; sacra enim Scriptura præcipuè est in corde Ecclesiæ, secundario verò in libris & editionibus. Quoniam vt inquir D. Hieronymus ad Galatas cap. 1. circa illa verba, *Notum vobis facio fratres Euangelium*, non putemus in verbis scripturarum esse Euangelium, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum folijs, sed in radice rationis. Deindè id manifestè patet ex hoc, quod vt dicetur infra suo loco, suborta aliqua difficultate, vel cōtrouersia, quinam sint libri canonici, quæ translationes siue editiones veræ, sola habet Ecclesia authoritatem illud definiendi: Ex speciali igitur assistentia Spiritus Sancti, sacra Scriptura debet esse potissimum in corde Ecclesiæ, & in eo tanquam in thesauro recondi, alias illa non esset nobis certa regula discernendi, vel dignoscendi, quenam sit sacra Scriptura, & in quibus instrumentis rectè translata contineatur.

Quod etiam secundario contineatur scriptura sacra in ipsis libris & editionibus, constat, tùm ex hoc quod tales libri & editiones, etiam authoritate Ecclesiæ proponuntur, & approbantur. Tum quia si in libris & editionibus non traderetur nobis sacra Scriptura, frustra

olim

olim fuisset scripta: si quidem non esset vbi legeretur à nobis. Quia autem inter Catholicos & hęreticos potissima difficultas & controuersia versatur, quinam sit illi libri, quęnam illæ editiones, ex tàm varijs quæ nunc exstant, in quibus vera, & indubitata continetur Scriptura, potissimum etiam de illis agemus in sequentibus, & primo de sacrorum librorum numero, eo ordine quo habentur in Biblia sacra vulgatæ editionis, recensenturque in sacrosancta Oecumenica & generali Tridentina Synodo sess.4. in hęc verba.

Sacrosancta Oecumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitimè congregata, præsidentibus in ea eisdem tribus Apostolica Sedis Legatis, hoc sibi perpetuò ante oculos proponens, vt, sublatis erroribus, puritas ipsa Euangely in Ecclesia conseruetur &c.

Sacrorum librorum indicem huic decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt verò infrascripti: Testamenti veteris: quinque Moysis, id est, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium; Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon; Esdra primus, & secundus, qui dicitur Neemias, Tobias, Iudith, Hester, Iob, Psalterium Dauidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabola, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Esaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Propheta minores, id est, Osee, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Michaas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias; duo Machabaorum, primus & secundus. Testamenti noui, quatuor Euangelia, secundum Matthaum, Marcum, Lucam, & Ioannē; Actus Apostolorum à Luca Euangelista cōscripti; quatuordecim Epistola Pauli Apostoli, scilicet, ad Romanos, dua ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, dua ad Thessalonicenses, dua ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraos; Petri Apostoli dua, Ioannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli vna, Iuda Apostoli vna, & Apocalipsis Ioannis Apostoli. Si quis autem libros ipsos integros cùm omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit, & traditiones prædictas sciens & prudens cōtempserit; anathema sit.

Tandem quod pertinet ad materiā circa quam scripturæ, nihil aliud per illam intelligitur nisi res in ea contenta, vel significata, siue quod idem est obiectum seu argumentum circa quod illa versatur; quod potest esse duplex vniuersale vnum, particulare seu singulare aliud; obiectum vniuersale voco illa omnia, quæ Deus publica & authentica scriptura voluit hominibus reuelare ad hoc vt certa fide illis innotescerent; particulare verò vniuscuiusque libri specialia argumenta, de quibus cum simus acturi infra, solum hic breuiter examinabimus quodnam sit vniuersale sacræ Scripturæ obiectum.

Qua in re eodem modo discurrendum puto, quo suo loco de ipsomet habitu fidei, & Theologiæ locuti sumus, cum scriptura sit sacrorum quæ de Deo sunt eloquiorum dux. Quemadmodum igitur obiectum adęquatum materiale extensiuum, seu communitatis tam habitus fidei, quam Theologiæ ita & scripturæ sacræ est illud omne de quo aliquid potest à Deo obscure reuelari, in ordine ad fruendum Deo clare viso; siue vt vnico verbo dicam regnum Dei in generali consideratum; hoc enim regnum duo dicit: primò regem gubernantem Deum videlicet; secundo regnū ab illo gubernatum, quod est totus mūdus: quod regnum in quatuor veluti partes seu regna diuiditur naturæ, iustitiæ, gratiæ & gloriæ.

Obiectum verò primarium inadæquatum, seu adęquatum attributionis est solus Deus sub ratione deitatis? Secundarium autem, siue minus præcipuum, in illo tamen ordine præstantissimum, Christus vt homo consideratus; dico vt homo, quia si consideretur absolutè, re-

ctè

ctè potest appellari obiectum adequatum tam extensiuum, quam attributionis diuinarum Scripturarum, tanquam perfectissimum compositum ex natura diuina & humana in vnitate solius personalitatis verbi substantialiter & impermixtè subsistentibus; in quo proinde omnia, quæ in scripturis dicuntur, & credenda proponuntur, siue de Deo vt creatore, siue creaturis; de Deo vt reparatore, aut de reparatis; siue de medijs redemptionis vt sacramentis, & actibus virtutum quibus gloriam promerentur; etiam dicta, vel facta particularium personarum, quæ afferuntur in exemplum virtutum, & fugam vitiorũ; omnia inquam hęc in Christo perfectissime recapitulantur. De quo vide Athanasium *in synopsi*, Bonauenturam 1. tomo, tract. qui inscribitur *Principium scripturæ*, vbi Epilogum faciunt librorum Scripturæ, declarantes, quid in quolibet contineatur, & specialiter quomodò à principio Genesis vsque ad finem Apocalypsis Christus figuretur & contineatur. Grauinam lib. 4. præscriptionum Catholic. de verbo Dei scripto, controuersia 3. generali, articulo vltimo.

Superest tantum vt breuiter examinemus an in veteri testamento aliquid de Christo ad litteram sit intelligendũ; Pro parte enim negatiua solent adduci Iudæi, quibus cum in Domino nostro Iesu Christo, nato ex Maria Virgine litteraliter & ad amussim adimpleta probantur illa omnia, quæ in veteri testamento de vero Messia prænuntiata leguntur, nec alium proinde Messiam esse expectandum, vt ea infirment loca, confugiunt ad inanes quasdam, & fabulosas explicationes. Theodorus etiam Mopsuestenus existimauit nihil de Christo ad litteram dici in toto Testamento veteri, sed tantùm per quamdam adaptationem & accommodationem.

Nihilominus tamen oppositum constanter, & tanquam quid ad fidem pertinens asserendum est; etsi enim libenter fateamur plura esse in veteri testamento, quæ cùm ad litteram sint de altera persona dicta, nonnisi in sensu accommodatitio de Christo possunt enuntiari, de quo videndus est Acosta de Christo reuelato, & Scalante lib. 7. sui Clypei, vbi specialem ponit tractatum, in quo declarat loca veteris testamenti, quæ per accommodationem dicuntur adimpleta in nouo: Etsi, inquam, ita res se habeat, plura tamen sunt alia, quæ de solo Christo ad litteram possunt intelligi, quale est illud Genes. 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est*. Et subiungit: *Ipse erit expectatio gentium*: & ita Paraphrasis Chaldaica vertit, *Donec veniat Christus*. Illud Psalmi 68. *Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto*. Et sic de alijs quæ suo loco infra libro 4. aduersus Iudæos adducentur.

Inde est quod ipsemet Christus Lucæ 18. & vltimo ait, *Quoniam necesse est impleri omnia quæ dicta sunt in lege Moysi, & Prophetis & Psalmis de me*. Et Ioannis 5. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me*; Et infra. *Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit*. Et Philippus dixit Nathanaeli eiusdem S. Ioannis cap. 1. *Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth*. Tandem D. Petrus epistola 1. cap. 1. 2. & 3. & actuum 10. ait omnes Prophetas testimonium perhibuisse de Christo Domino, & prænuntiasse eius futuras passiones. Quibus certè locis nihil clarius afferri potest, aduersus Hereticos authoritatem noui testamenti admittentes, ad probandum multa in veteri testamento contineri de Christo litteraliter necessario intelligenda. Meritò igitur supradictus Theodori error damnatus est in quinta Synodo generali: & expressius in Romana, sub Vigilio Papa, subscribentibus viginti Episcopis, quæ habetur in Bibliotheca Vaticana.

CA-

CAPVT XVIII.

Breuis idea eorum quæ in vnoquoque Sacræ Scripturæ libro potissimum consideranda sint.

PRiusquam singulorum sacræ Scripturæ librorum authoritatem prosequamur; placuit in hoc capite breuem ideam præmittere eorum, quæ in vnoquoque maiori consideratione digna sunt viro Theologo, possuntque ad octo potissimum capita reduci.

Primùm diligenter inuestigare, qualem vnusquisque authoritatem habeat in omnibus sui partibus; eamque non solùm aduersus hæreticos, & infideles defendere, sed etiam præcipua inter Catholicos dubia circa illam referre.

Secundò qui & qualis fuerit scriptor talis libri Canonici; tertiò, quartò & quintò, quo idiomate, quo tempore, & quo loco conscriptus fuerit. Sextò de qua materia, quoue argumento. Septimò quandonam ex idiomate quo cõscriptus fuit ab authore canonico, donatus alteri linguæ. Octauò denique, quot versiones factę, & à quibus, & quando; & quænam approbatę, vel magis probatæ.

Quantum autem spectat ad probandum authoritatem vniuscuiusque libri canonici, sicut diuersa sunt genera inimicorum illam impugnantium, hæreticorum videlicet & infidelium, diuersi etiam sunt modi, diuersaque principia, tam eam, quam alia mysteria in ea contenta probandi, de quibus infra agetur lib. 4.

Interim breuiter dico aduersus hęreticos duo potissimum nobis suppetere principia, duasue regulas quasi à priori recipiendi aliquem librum sacrum. Primum est authoritas Ecclesię; nam cum ipsa sit columna & firmamentum veritatis, non potest non esse vera Scriptura Dei, quam vera Ecclesia suis signis facilè dignoscenda à falsis hęreticorum Synagogis, talem esse affirmat. Secundũ est ipsamet traditio, seu successionis series; qua semper aliqnis liber, vt sacer receptus est. Hęc autem traditio, sicut pro alijs fidei documentis, sumenda est ex doctrina Summorum Pontificum, Sacrorum Conciliorum, & Sanctorum Patrum, huiusmodi libris vt sacris vtentium, vel confirmando assertiones suas eorum testimonijs, vel illos exponendo.

Sed quia infideles neque Ecclesiam, neque Patres venerantur, etsi difficile sit contra eos argumentari, perindè atque contra negantes principia, sunt tamen quædam argumenta quibus supra cap. 2. diximus persuaderi posse hanc Scripturam ab Ecclesia admissam, & approbatam esse diuinam, quatenus nulla alia est in quam concurrant testimonia, rationes & effectus, quibus Scriptura sacra & diuina dignosci potest.

CAPVT XIX.

De libro Genesis.

PRæter infideles omnem penitus diuinarum Scripturarum authoritatẽ reijcientes, non defuerunt etiam plures hæretici, tam antiqui, quàm moderni, qui in particulari Moysen, & Mosaica scripta summæ ac diuinæ esse authoritatis negarunt, vt videre est apud Iodocum Coccium tomo 1. thesauri Cathol. lib. 6. artic. 5. Bellarminum lib. 1. de verbo Dei scripto, Alphonsum Castro aduersus hæreses, verbo *Scriptura sacra*, Grauina lib. 4. præscript. Cathol. de verbo Dei scripto, & alios, qui historiam hæreseon conscripserunt.

Sed aduersus illos omnes stat 1. Ecclesię authoritas, quæ inde vsque ab initio sine contradictione librum Geneseos in canonem diuinarum scripturarum recepit. 2. Authoritas ipsiusmet Scripturæ noui testamenti ab hæreticis admissi, in qno Christus Dominus & Apostoli plusquam triginta & octo testimonia libri Geneseos ad sensum citarunt, ad verbum verò decem & septem, quorum cum habeatur index in fine Bibliorum vul-

vulgatę editionis omnibus obuius, non est quod in eis referendis diutius immoremur. 3. Est communis consensus omnium Sanctorum Patrum, qui semper librum Geneseos tanquam sacrum suis commentarijs illustrarunt, vel ex eo testimonia desumpserunt ad confirmanda fidei dogmata: Origenes, Basilius, Ioannes Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Eucherius, Procopius, Beda, Alcuinus, Anastasius Sinaita, Rupertus.

Huius libri scriptor fuit Moyses, Theologorum omnium antiquissimus; quod autem tàm huic, quàm alijs à se scriptis libris nusquam addiderit nomen suum, ideo factum esse putant aliqui, quod is scripserit præsentibus, atque sic illi superuacanea fuerit præsentiæ suę declaratio. Moysis autem tanquam Scriptoris sacri maximique inter Prophetas, sacræ litteræ non solùm veteris, Deuter cap. 34. Iosue 1. Malachię 4. Ecclesiast. 45. sed etiam noui testamenti honorificam mentionem faciunt; Lucæ cap. 20. Ioannis 1. & 5. Actorum 7. & ad Hebręos cap. 11. Omnes insuper Sancti Patres, tam Gręci quam Latini à Iodoco Coccio loco superiùs citato relati, & ab interpretibus sacris in quęstionibus prolegomenis ad Pentatheuchi commentaria,

Quod spectat modo ad locum, tempus, & idioma, quibus Moyses librum Genesis cōscripsit, etsi conueniant omnes Doctores illum scripsisse hebraicè, dissentiunt tamen inter se circa locum, & tempus scriptionis. Pro intelligentia breuiter notandum est vitam Moysis in tres quadragenas solere diuidi, vixit enim centum, & viginti annis, quarum prima in Aegypto, cum esset in domo Pharaonis, & ab infantia litteras didicit. Secunda quadragena fuit exul ab Aegypto, in domo Sacerdotis terræ Madian, vbi contemplationi deditus, octuagesimo ætatis anno, Deum vidit clarius, quam vlli homini contigit, & populi Hebrei conseruator destinatur, ex D. Basilio initio Exameron. Ista autem terra Madian solet vocari in Scriptura *Aethyopia*, & terra *Chus*, & sic vxor Moysis inde sumpta, dicitur Aethyopissa Nu. 12. à cuius notitia postquā munus Prophetæ accepit, docet Epiphanius hæresi 78. illum abstinuisse. Duodecim menses legatione functus apud Pharaonem, decem plagis illum afflixit. Tertia denique quadragena fuit in deserto, post Aegyptum dimissum, ex lib. 1. de mirabilibus sacræ Scriptutæ, apud D. Augustin. tomo 3.

Aliqui igitur vt Theodoretus 1. quęst. in Genesim, Beda, Tostatus, quos citat & sequitur Cornelius à Lapide asserunt Moysem tertia quadragena post egressum ex Aegypto librum Genesis in deserto conscripsisse. Primò, quia Genesis 2. dicitur, quod Deus requieuit septima die, & illi benedixit: quæ benedictio nihil aliud significare videtur, quam vacationem ab opere seruili, quæ cum post legem cæperit, videtur inde sequi quod Moyses tantùm scripserit librum Genesis post legem datam, atque adeo post egressum ab Aegypto. Secundò eiusdem Genes. 7. fit separatio animalium mundorum, & immundorum, quæ similitèr per legem facta est Leuitici 11. & Deuteron. 14.

Alij autem vt Eusebius lib. 7. de pręparat. Euangelica cap. 2. cui subscribit Pererius præfat in Genesim, docent secunda quadragena scripsisse Moysem Genesis librum, cum exul ageret in Madian. exodi 2. Tum quia tunc habuit accommodatum otium: tum etiam maximè ad consolationem Hebręorum, qui in Aegypto à Pharaone opprimebantur, proponendo illis eximias virtutes suorum maiorum; tùm denique ad inijciendam illis spem egressus ex Aegypto, eiusque captiuitate; Genesis enim c. 15. hæc peregrinatio quadringentorum annorum scribitur quando Deus dixit Abrahæ: *Peregrinum erit semen tuum, in terra non sua, & subijcient eos seruituti, & affligent quadringentis annis; verumtamen gentem, cui seruituri sunt, ego* indi-

indicabo, & post hac egredientur cum magna substantia.

Quæ secunda sententia probabilior videtur; vndeád oppositę sententię fundamenta respondetur, quod sicut ante legem erant altaria, & sacrificia diuinusque cultus, ita erat requies sabbati, & distinctio animalium mundorum, & immundorum, quamuis, non lege statuta, sicut tempore Moysis.

Inscribitur hic liber Hebraicè à prima eius voce בראשית *Beresit*, id est in principio, Gręcè verò & Latinè vocatur Genesis; quod præcipuum eius argumentũ sit generatio, id est, creatio, siue natales mundi, & hominis. In duas principales partes ab aliquibus diuiditur, ita vt in prima describatur ipsius Dei legem statuentis summa omnipotentia ab opere creationis, studio generis humani conseruandi, quod præstitit in liberatione Noe a periculis diluuij, multiplicatione gentium, & veræ religionis propagatione, quæ linguarum beneficio sparsa fuit per orbem, vndè dicitur creator, seruator, & auxiliator. In secunda verò parte ostenditur immensa eiusdem beneuolentia, & amor erga humanum genus ineffabilis, ex segregatione Abraham, à generatione praua, & peruersa, tam quo ad locum vndè iussus est exire, quàm ad signum circumcisionis, & factum oblationis filij; item ex præseruatione & custodia Isaac, quem seruauit & defendit inter nefarias illas nationes; prælectione, & multiplicatione Iacob; exaltatione Ioseph.

Ab alijs vberiori quadam partitione distinguitur liber Genesis in quatuor partes, prima cōplectitur gesta ab Adam vsque ad diluuium cap. 7. Secunda continet gesta à diluuio, & Noe vsque ad Abraham, puta ea quæ narrantur à c. 7. vsque ad 12. Tertia comprehendit gesta Abrahæ à cap. 12. vsque ad eius mortē. cap. 25. Quarta à cap. 25. Geneseos vsque ad finem describit gesta Isaaci, Iacobi, & Iosephi in cuius morte finitur. Ita vt totus Geneseos liber complectatur historiam annorum 2310. tot enim interfluxerunt à creatione mundi, protoparentisque Adami, vsque ad mortem Iosephi in Aegypto.

Ab Adam vsque ad diluuium, puta finem diluuij, fluxerunt anni 1657. vt satis patet ex descriptione ætatum Patrum antidiluuianorum, in qua vniuscuiusque anni, priusquam liberos gigneret, recensentur cap. 5. Compleuerat enim Adam, cum Sethum genuit, 130. annos, Seth 105. annos; Enos 90. annos; Kanan. 70. annos; Malalael 65. annos; Tared 162. annos; Henoch 64. annos; Mathusalah 187. annos; Lamech 182. annos; Noah 600. quorum summa est 1656. annorum; cui si addatur annus integer & decem dies quibus durauit diluuium, cœpit enim anno 600. Noe, die 27. mensis secundi, erunt 1657. anni: vt fusius infra dicetur cap. 63. Porrò tam in hac, quam in sequenti Chronologia, obseruandum est primò annos solares communes intelligi; secundò, ideò hic tantum annos priores, quibus Patres generasse dicuntur, in computum venire, quia annos reliquos cum filijs, & nepotibus transegerunt communes.

A diluuio ad natum Abrahamum fluxerunt anni 292. quæ etiam Epocha suum habet fundamentum Genes. 11. in descriptione annorum ætatis Patrum post diluuianorum, vbi similiter, vt c. 5. vniuscuique anni, priusquam liberos gigneret numerari debent. Genuit igitur Sem Arphaxat anno post diluuium 2. Arphaxat genuit Sale anno ætatis 35. Sale genuit Eberum anno ætatis 30. Eberus genuit Phaleg anno ætatis 34. Phaleg genuit Reu anno ætatis 30. Reu genuit Sarug anno ætatis 32. Sarug genuit Nachor anno ætatis 30. Nachor genuit Thare anno ætatis 29. Thare genuit Abrahamũ anno ætatis 70. summa est, quæ fuit demonstranda, annorũ 292. At qui Cainan Arphaxad & Sale inserunt, eique æque ac alijs dandos esse volunt annos 30. antequam genuit Sale, numerant annos 322. sed de hoc infra cap. 63. Postea anno centesimo Abrahę natus est Isaac Genes. 21. anno sexa-

gesi-

gesimo Isaaci, natus est Iacob, Genes. 25. Anno nonagesimo primo Iacobi natus est Ioseph Genes. 30. Ioseph autem vixit annos centum, & decem. Qui omnes anni si iungantur prioribus, efficient ab Adamo, ad mortem Iosephi, in qua terminatur liber Genesis, summam annorum 2310. iuxta Hebraicæ, & vulgatæ editionis nostræ veritatem, cuius authoritatem cum iam Ecclesia consecrauerit: ad illam corrigenda est mendosa septuaginta interpretum computatio, quæ à creato mundo ad diluuium, quingentis octoginta sex annis; à diluuio verò ad natiuitatem Abrahæ, octingentis octoginta annis excedit Hebraicam, latinamque editionem in consignandis ex Scriptura annis. De quo ingenti dissidio pluribus agunt Sanctus Hieronymus in quæst. Hebraic. in Genes. D. Augustin. lib. 15. de Ciuitate Dei cap. 10. & 11. Pererius tam lib. 7. quam 16. in Genesim, vbi mendosam hanc supputationem, nõ à septuaginta Interpretibus profectam, sed vitiosè in translationem eorum aliũdè infusam pluribus ostendit.

Circa varias libri Genesis editiones, & translationes, cum nulla illius separatim ab alijs libris sacris facta reperiatur, saltem quam viderim, commodius etiam de illis agemus infra, referendo singulas sacræ Scripturæ translationes.

Quia autem ad infirmandam sic à nobis stabilitam, & ab omnibus Catholicis constanter receptam libri Genesis authoritatem, pro vt præsertim in vulgata editione reperitur, quæ sola ex approbatione Ecclesiæ vera est, & authentica, vt dicemus infra, non solum infideles, sed etiam plures tàm moderni, quam antiqui hæretici, plerumque obijcere solent, quod in eo non minus, quàm in alijs sacris libris, plures inueniuntur contradictiones, dum res aliter in vno loco, quam in alio referuntur, multa falsa, maleque traducta; superest iam vt omnia illa loca in medium adducamus, breuiterque singula explicemus; quod & idem præstabimus in omnibus alijs libris Canonicis, eo ordine, quo deinceps vniuscuiusque authoritatem examinabimus.

Primum igitur quod Genes. cap. 1. dicitur; *Crescite, & multiplicamini*; & cap. 2. *Non est bonum hominem esse solum*: contradicere videtur textui noui Testamenti Matth. 19. *Non expedit nubere*, & 1. Corinth. c. 7. *Bonũ est homini mulierem non tangere*; alijsque consilijs nouæ legis. Respondetur nullam ibi esse contradictionem; nam in primo loco, nullum est preceptum; sed tantùm simplex benedictio, vt manifestè colligitur ex verbis antecedentibus. *Benedixit illis Deus*. Et confirmatur ex eo quod eadem verba dixerit Deus ceteris brutis animantibus, in quibus non potest esse præceptum. Vndè hac benedictione communicauit tantùm Deus illis virtutem procreandi sibi simile. In secundo etiam loco agit Moyses de medio conuenienti, imò & necessario ad generationem hominum, quando erat solus vir, qui non poterat generare sine consortio mulieris. Sicque dixit; Non est bonum, hominem esse solum; non quia hoc esset illicitum (cum Deus illud fecisset) sed quoniam ad prolis propagationem non sufficiebat solus vir. Et ita sensus est; non est bonum, id est, non est sufficiens solus vir ad generandum. Quare addit; *faciamus ei adiutorium simile sibi*, nempè mulierem vt possit generare. At verò præ allegato loco 1. Corinth. postquam iam mundus erat sufficienter propagatus dicit Paulus; *Bonum est*, hoc est, melius est, *mulierem non tangere*, non quod vllum malum sit, ei per matrimonium copulari, cum idem Paulus ad Hebræos cap. 13. dicat, *honorabile connubium in omnibus*, scilicet statibus, & temporibus, atque personis habilibus; sed cum plures sint, qui generationi vacare possint, & ad Dei prouidentiam spectet, aliquos ad matrimonium specialiter vocare, vt communis experientia docet. Hinc est, quod preceptum matrimonij solum obliget communitatem, cuius autem in singulari liberum sit sine vxore viuere; & quia hic status perfectior est coniuga-

li, cum cælebs, vel solus melius possit vacare Deo (sicut idem Apostolus 1. Corinth. cap. 7. docet his verbis. *Qui autem cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi; quomodo placeat vxori, & diuisus est*) ideò præfato loco affirmauit, *Bonum esse, mulierem non tangere*; id est perfectius esse, vitam cælibem agere, quam coniugalem; quia amor Dei est magis vnitus, & feruens: quando homo non est coniugatus, siquidem coniugium diuidit inter Deum & vxorem, vt satis prædicta verba significant. *Et diuisus est.* Eodem primo capite vers. 30. cum nostra editio vulgata habeat; *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram*. Vvitacherus vult illam omisisse aliquid, videlicet, *Ecce dedi vobis omnes virides herbas*, vt distingueretur, inquit, cibus hominis à cibo bestiarum, homini enim Deus herbas, & arbores fructiferas dedit pro cibo, bestijs verò herbas omnes. Verùm quàm insulsè hoc dicat præfatus hæreticus, patet primò, quia scriptum est, herbas etiam datas seruituti hominum. *Qui dat fœnum iumentis, & herbam seruituti hominum*; Deindè quia certum est, non omnem herbam, sicut nec omnem arborem hominibus & bestijs datas fuisse in escam, sed respectiuè iuxta cuiusque naturam, vndè illa vox *omnem* facilè intelligitur distribuere distributione accommoda, absque vlla alia additione.

Capite secundo, versu 8. vbi vulgata habet: *Plantauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio*; idem Vvitacherus dicit melius verti, *Plantauerat Deus, hortum in Eden, in Oriente*, vers. 12. pro, *ibi inuenitur Bdellium*, ex Hebræo *cristallum* vers. 23. pro, *hoc nunc, os ex ossibus meis*; melius transferri, *hac vice*. Respondetur ad *primum* vocem Hebræam esse ambiguam ad locum, & voluptatem, vndè transferri potuit, tàm *in Edeh*, quàm, *voluptatis*; nullaque est contrarietas; nam potest esse nomen loci proprium, & appellatiuum, ad significandum deliciarum locum, & plantarum hortum; qui igitur vertunt in *Eden*, vtuntur nomine proprio loci, in quo fuit paradisus, vt patet vers. 10. Verùm noster interpres, & Symmachus *Eden* accipiunt, non vt proprium, sed vt appellatiuum, quomodo significat voluptatem. Vndè ab Hebræo Eden nonnulli deducunt Græcum *ἡδονή*, id est, voluptas. Similiter tàm *à principio* quàm, *in Oriente* legi potest; si quidem vox Hebræa etiam, *antè* vel *principium* significat, non minus, quàm *Orientem*, ad quem fuit paradisus, respectu Iudææ, ad quam attendens Moses scribit, & consignat plagas mundi; sicut etiam à principio mundi, scilicet die tertio mundi creatus fuit, vt habetur cap. 1. vers. 11. Quare errat author lib. 4. Esdræ cap. 3. vers. 6. qui exponit sic, vt afferat ante terram plantatum esse paradisum; temerè igitur à præfato hæretico nostra vulgata damnatur, quæ ad hoc significandum, potius *à principio*, quàm *in Oriente*, vel *ad Orientem*, vertere potuit. Ad *secundum*, cùm vox Hebræa *Bedolach*, tàm *Bdellium*, quod genus est gummi, siue lachrymæ pellucidæ, quam stillat arbor nigra magnitudine oleę, folio roboris, fructu naturaque caprifici, ex Plinio lib. 12. cap. 9. & Dioscoride lib. 1. c. 69. quàm lapidem pretiosum significet, vnionem, onycem, cristallum, carbunculum, Bdellium à Vulgato interprete verti potuit, quod etiam Chaldaica paraphrasis retinuit. Ad *tertium* respondetur rectè Vulgatam transtulisse, *hoc nunc, os ex ossibus meis*; præterquam quod enim, vtraque particula. *Nunc & hac vice*, vnum & eumdem sensum habere possunt, primã videlicet mulierem, formatam esse ex viro; cùm alię deinceps naturali generatione ex mare, & fœmina procreandę essent; insuper illa particula *nunc*, qua vtitur vulgata, videtur esse magis expressiua; cùm enim vna & eadem caro de carne, & os de ossibus toto vitæ tempore vir, & vxor sint, & non vna vice; satis patet melius id exprimi per vocem *nunc*, quę ad diuturniorẽ temporis partem extendi potest, quàm per illam, *hac vice*, quæ angustiorem partem temporis signi-

significat. Deindè iste modus loquendi *hac vice*, facilius posset referri, ad priorem vxorem, quam fabulantur Talmudistæ apud Abulensem, Adam ante Euā habuisse, ex limo terræ productam, nomine Lilis, cum eaque vixisse 130. annis, quibus fuit excōmunicatus ob esum pomi vetiti: atque toto illo tempore, inquiunt, ex ea non homines, sed dæmones genuit. Deinde accepit Euam ex costa sua productam, atque ex ea homines procreauit.

Capite tertio, vers. 3. vbi legitur, *de fructu verò ligni, quod est in medio Paradisi*; idem Vvitacherus ait vertendum fuisse, *inter arbores Paradisi*; vers. 15. vbi habetur, *ipsa conteret caput tuum*: hunc locum Kemnitius dicit esse corruptum, vt indè probaretur intercessio, & patrocinium Mariæ, cum legendum sit, *Ipsum conteret caput tuum*: nam de semine, id est Christo, loquitur Scriptura. Ad primum respondetur, eumdem esse vtriusque versionis sensum, inter arborum videlicet multitudinem, seu spissitudinem, quibus consitus erat Paradisus terrestris, fuisse lignum, vel arborem vitæ. Noster autem interpres Hebraicam phrasim sequutus, ideo vertit, *in medio*, quia iuxta illam medium pro multitudine, vel plenitudine accipi solet, vt Abacuc 3. *in medio annorum*; Ad secundum dicitur, vtramque lectionem admitti posse, & vnam alteram explicare; non solum quia in aliquibus etiam codicibus Hebraicis habetur היא, id est, *ipsa*; ac præterea remotis punctis illa vox Hebraica הוא potest interpretari *ipsa*; aut quia pronomen Masculinum in Hebræo pro fæminino sæpè accipitur, transmutatis generibus, maximè vbi aliquid virile fæminæ tribuitur, vt in casu nostro: sicut è contra fæmininum pro masculino ponitur; Verum etiam quia quomodocumque vertantur, idem est sensus, siue quod idem est mirificè vtraque lectio conspirat in sensu; nam si semen mulieris contriuit caput serpentis, ipsa etiam per semen contriuisse dici potest; & ex proprietate linguæ sanctę sacri Scriptores de duabus personis loquentes, vni eorum tribuunt, quod alteri tribuendum erat, Iob 38. vers. 12. *Nunquid post ortum tuum præcepisti diluculo & ostendisti auroræ locum suum?* Post ortum tuum, id est, *post ortum auroræ*, & 1. Petri cap. 4. *Quia qui passus est in carne, desijt à peccatis*. Nostra autem versio vulgata potius transtulit *ipsa*, referendo ad mulierem istud pronomen, quàm *ipsum*, referendo ad semen; tum vt ostenderet, mulierem illam, quæ benedicta est inter mulieres, non fuisse otiosam in opere nostræ redemptionis, vt declamat Bernardus in serm. super illa verba Apocalyps. *Signum magnum apparuit in cælo*, tùm quod antithesis id postularet; sicut enim in textu serpenti tribuitur insidiatio, vel tentatio mulieris; ita mulieri ascribendum erat, conterere caput serpentis. Vnde licet aliæ versiones non sint reijciendæ, cum omnes sint veræ, videtùr tamen propter dicta omnino præferenda nostra vulgata; quàm secuti sunt Chrisostomus, Ambrosius, Augustinus, Gregorius, Eucherius, Alcuinus, Beda, Rupertus; & alij plures. Itaque mendacium est, quod Kemnitius dicit, omnes veteres legere, *ipsum*. Imò Iosephus lib. 1. cap. 3. ita legit vti noster interpres vertit: habet enim, *Præcepit vt mulier capiti eius plagas inferret*, vt vertit Ruffinus; ex quo patet olim αὐτὴ, id est *ipsa* legisse Iosephum, sed Hæreticos typographos vocem γυνὴ ex eo iam sustulisse. Nec refert quod verbum *conteret*, in Hebræo sit masculini generis, quasi necessario referendum sit ad semen, quod etiam est masculini generis; referri autem non possit ad mulierem, quæ est fæminini; In scriptura enim non est nouum, vt cum nominibus fæmininis coniungantur pronomina, aut verba generis masculini, præsertim si causa, & mysterium aliquod subsit, sicut hic subest, vbi vt iam diximus, emphasis est, & virile aliquid fæminæ tribuitur, vti est contritio capitis serpentis; vel etiam quia Moses significare voluit tàm mulierem, quam semen eius, adeoque mulie-

mulierem per femen fuum, puta Christum, contrituram caput ferpentis. Cui etiam foli, feptuaginta interpretes, & alij qui illos fequuntur, vertendo *ipfe*, vel *ipfum*, prædictum tribuunt effectum, quia tanta vis mulieris à Christi virtute deriuata est.

Cap. 4. verfu 4. vbi habetur in vulgata; *Et refpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*; legendum putant aliqui, *Inflammauit Dominus*; & verf. 8. vbi legitur; *Dixitque Cain ad Abel fratrem fuum: Egrediamur foras*; Faius hereticus hęc vltima verba redundare dicit, cum non fint in Hebręo. Item verfu 13. vbi dicitur, *Maior eft iniquitas mea, quã vt veniam merear*; Vvitacherus docet vertendum fuiffe ex Hebręo, quàm vt feram, vel fuftineam; nihil enim eft in Hebręo, quod meriti fignificationem habeat. Verfu etiam 15. redundare dicit illa verba, *nequaquam ita fiet*; nec enim Caino promittit Deus fore, vt nemo illum occidat; & verf. 16. vbi habetur, *profugus in terra*; vertendum fuiffe, *in terra Nod*, vel *Naid*. Tandem cum verf. 26. dicatur de Enos; *ifte cœpit inuocare nomen Domini*; in Hebręo habetur, *cœptum eft*, tempus non perfonam Moyfe explicante. *Ad primum*. Refpondetur verfionem vulgatam confonare tam hebręo, quam translationi feptuaginta, & paraphrafi Chaldaicæ; quod verò ex Theodotione, & ex S. Hieronymo in quęftionibus Hebraicis legendum putent aliqui, *inflammauit Dominus*, fenfum non variat; quatenus igne fenfibili de cælo miffo in facrificium Abelis, nõ autem Caini, Deus oftendit fibi placere oblationes Abelis, non autem Caini; quod etfi Lutherus & Caluinus rideant, quafi Iudaicas fabulas; id ipfum tamen afferunt & tradunt S. Hieronymus, Procopius, Cyrillus, Chrifoftomus, alijque plures Sancti Patres. Hoc enim eodem ignis & conflagrationis victimæ figno, folet Deus ex fcriptura probare, & acceptare facrificia; vt Gedeonis Iud. c. 6. Manue Iudicum cap. 13. Aaronis Leuit. cap. 9. Dauidis 1. Paralip. cap. 21. Salomonis 2. Paralip. cap. 7. Eliæ 3. Regum cap. 18. Nehemiæ 2. Machabęorum cap. 1. *Ad fecundum* dicitur prædicta verba excidiffe ex textu Hebręo. Vnde ea non legerunt, nec verterunt Aquila, Symmachus, & Theodotion. Olim tamen ea fuiffe in Hebręo, manifefte patet, quia ea legerunt Septuaginta, & Targum Hierofolymitanum: & Origenes ait, reperiri in arcanis Samaritanorum, in quorum pentateucho fatetur quoque S. Hieronymus ea fe legiffe. Denique quia ni fi illa legantur, mutilus erit hic locus, non enim exprimet quid dixerit Cain. Hęc autem verba dixiſse Cain, potius quàm alia, colligitur ex eo, quod fecutum eft: nam mox egrefsus Abel cum Cain in agrum occifus eft. *Ad tertium* refpondetur fiue fumatur ibi *iniquitas*, pro pœna peccati, vel iniquitatis, cum Abenefra, Pagnino, Vatablo & Oleaftro; qui proindè vertunt; *maior eft punitio mea, quam vt feram, vel ferre poffim*; fiue fumatur pro ipfo peccato, cum Septuaginta, Chaldæo, Patribus Græcis & Latinis, qui putant Cainum his verbis defperaſse; planius & melius nofter interpres vertit: *quàm vt veniam merear*: licet enim nulla fit in hebræo vocula meritum defignans in ea acceptione hæreticis inuifa, cui fcilicet merces, & præmium, vel retributio debeatur; pofita tamen eft ad fignificandum confecutionem, vel affecutionem alicuius rei in latiori fignificato, ac fi diceretur. *Maior eft iniquitas mea, quàm vt veniam confequar, vel obtineam*; cui confonat translatio 70. *maior caufa mea eft, quam ego dimittar*, & Chaldæa, *magna eft iniquitas, vt dimittatur*, nec non illa, *maior eft iniquitas mea, quàm ferre, & parcere*, id eft, *quam vt feras, vel leues, & parcas Deus*. Verbum enim Hebręum *Nefo* ex Lexicis, & ferre, & parcere fignificat; quia cum quis alteri parcit, magno eum onere leuat, offenfam enim eius cõdonando fert & portat. *Ad quartum* dicitur talia verba non redundare, quæ Septuaginta fatis exprimunt, dùm fic vertunt: *Et dixit Dominus Deus non fic*:

fiet nō alia ratione nisi quia in codicibus antiquis ipsorum tempore talia verba legerunt; cuius oppositū incumbit Vvitachero probare. Deinde dato quod ita expresse non essent in textu hebræo, datur verbum æquiualens, in quo suppressū aliud subintelligi potest hebræorum more. Particula enim לכן, hoc est, *propterea*; cum sit causalis, negationem illam, quam expresserunt Septuaginta, & noster interpres, virtualiter includit; vnde idem sensus est; *Dixitque ei Dominus nequaquam ita fiet, sed omnis &c.* & quod legit textus Hebraicus, *Dixit Dominus, propterea occidens Cain &c. Ad quintum* respondetur vtramque lectionem esse veram; differuntque solùm, quod Hebræi, septuaginta, Iosephus & alij, dum legunt, *habitauit in terra Nod*, ibi vocem *Nod* accipiunt, vt proprium nomen loci; noster autem, vt appellatiuum; *Nod* enim significat vagum, mobilem, fluctuantem, profugum: Vnde etiam terra in quā primitus fugit Cain, vocari potuit *Nod*, non quasi terra quęcumque à Caino pedibus calcata fuisset, fluctuaret & contremisceret, vti Rabbini aliqui finxerunt; sed dicta est terra *Nod*, quasi dicas, terra profugij, in quam scilicet profugit Cain profugus. *Ad sextum* similiter respondetur, siue temporis, siue personæ ratio habeatur circa publicum Dei cultum, in idem recidere, quod habetur in Hebræo, cùm eo quod est in editione vulgata; nàm tunc cœptum est, publice & per cætus, auctore Enos, inuocari nomen Domini. Lectionem tamen nostram septuaginta expresserunt, dum verterunt: *Hic sperauit inuocare nomen Domini*, ponendo radicem inuocationis, nempe virtutem spei. Vnde Nazianzenus orat. ad eos qui morbo sacro essent implicati, ait; *De spe Enos, qui primus sperauit inuocare nomen Dei*.

Capite 5. vers. 22. *vbi dicitur, ambulauit Enoch cum Deo, & vixit &c.* Vvitacherus ait, superflua esse illa verba: *& vixit*; item vers. 26. dum dicitur; *Mathusalah postquam genuit Lamech, vixit septingentis octoginta duobus annis*; si hoc verum esset, sequeretur Mathusalah vixisse vsque ad tempus diluuij nempe anno à creatione mundi 1657. & tamen nulla fit mentio ipsum ingressum fuisse arcam. *Ad primum* respondetur, illud verbum, *& vixit*, malè iudicari superfluū à Vvitachero; cum enim aliquis legens textum hebræum prout sonat; *& ambulauit Enoch cum Deo, postquā genuit Mathusala trecentis annis &c.* intelligere potuisset solum ambulasse cum Deo postquam genuit filios, & filias, & non iugiter, quasi ante malam vitam duxisset, ad tollendam eiusmodi æquiuocationē, prædicta verba noster interpres addidit, & interposuit, quæ iuxta phrasim hebræam sufficienter in illis alijs verbis, *trecentis annis*, subaudiebantur. Præsertim cum in sententijs explicādis potius quàm verbum verbo reddendo iuxta leges bonæ interpretationis plerumque noster interpres elaborarit: magis enim in sensu, quam in nudo verborum sono sacrarum litterarum veritas, ac maiestas posita est; vt non interpretem aliquando, sed paraphrastem agere videatur, vt infra suo loco dicemus. *Ad secundum* dicitur, verum quidem esse à nato Lamech vsque ad diluuium præcisè numerandos esse annos 782. tot quoque fuisse vsque ad obitum Mathusalah; qui cum natus esset anno mundi *686.* vixissetque annos *969.* obijt anno mundi *1656.* priori scilicet anno quàm fieret diluuium, iuxta computum à nobis adductum: docent Hebræi, & præcipuè R. Salomon, Mathusalah septem diebus ante initium diluuij è vita excessisse: Quod etiam asserit D. Hieronymus. Non benè ergò S. Augustinus lib. 1. quæst. in Genes. censet eum obijsse sex annis ante diluuium, sexto enim anno ante diluuium obijt, non Mathusalah, sed Lamech eius filius, qui fuit pater Noe, vt patet Genes. cap. 5. vers. 30. & 31.

Capite sexto vers. 3. pro, *non permanebit spiritus meus in homine in æternum*; vertendum erat ex Hebræo, inquit Vvitache-

tacherus, *non litigabit, vel contendet spiritus meus in homine.* Versu 5. vbi secundum vulgatam legimus, *& cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore*: hunc locum Kemnitius vult esse corruptum, ad extenuandum peccatum originale, cum ex Hebræo vertendum esset, *figmentum cordis eius tantum malum omni die.* *Ad primum* respondetur, cum vox Hebraica iadon, e diuersa radice deduci, varijsque punctis legi possit, diuersas indè natas esse traductiones secundum verbum, sed easdem secundum sensum; quarum planissima est nostra, quam septuaginta secuti sunt, quibus paraphrasis Chaldaica consentit. *Ad secundum.* Respondetur, sensum esse eumdem; nam illud *figmentum cordis*, significat cogitationẽ cordis, quia à corde fingitur & efformatur. Idem autem est: *Cuncta cogitatio cordis intenta est ad malum, & figmentũ, id est, cogitatio cordis, non est nisi malum.* Quod autem inde Lutherani, & Caluinistæ inferunt, omnia opera nostra, etiã sancta, aliquo occulto concupiscentiæ peccato esse inquinata, imo tota esse sordida. Nam Hebræi addunt רק *rac*, id est tantum intenta ad malum. Respondeo primo *to rac* nec septuag. nec Chald. nec nostrum vertisse, quia videntur id in Hebræo addi per pleonasmũ & auxesin, satisque includi in eo quod dicitur, *cuncta cogitatio, & omni tempore, intenta ad malum.* Dico secundò scripturam hic non loqui de iustis, sed de peccatoribus, ob quos inductum est diluuium; nam statim excipit Noe vers. 8. cuius cuncta penè cogitatio intẽta erat, non ad malum, sed ad bonum. Vndè illa est hiperbole scripturæ, qua sæpe vtitur ad rem aliquam extollendam.

Capite 8. vers. 4. legitur in vulgata; *Requieuitque arca mense septimo, vigesimo septimo die mensis*; cum tamen in Hebræo habeatur, *decimo septimo die mensis*, ex Vvitachero & Faio. Respondetur ita legendum esse, sicut habetur in vulgata, cum ita legerint Septuaginta, Iosephus, & Patres omnes, ratioque id euincere manifestè videatur. Nam cùm per centum quinquaginta dies versu 3. dicantur aquæ manentes in sua altitudine obtinuisse terram; sequitur eas in sua altitudine mansisse vsque ad diem 17. mensis huius septimi, (qui ab initio non diluuij, vt volunt aliqui, sed anni computandus est, vt patet ex vers. 13. & sequent.) Cœpit enim diluuium 17. mẽsis secundi. iam à die 17. mensis secundi, ad 17. mensis septimi præcisè intersunt 150. dies, post quos aquæ cœperunt decrescere: ergò die 17. mensis septimi cœperunt decrescere: non potuerunt autem vno die quindecim cubitis, quibus quaqua versum montes, non tantùm Armeniæ, sed etiam ijs altiores, in tota terra superabant, ita decrescere, vt eodem die 17. arca quiesceret in montibus Armeniæ, sed sensim hoc factum est, ita videlicet, vt post decem dies, puta 27. die eiusdem mensis, arca quiescere posset in illis montibus vti habetur in vulgata. Valde enim lentè decreuisse aquas, clarè colligitur ex eo quòd post quietem arcæ mense septimo, decimo tandem mense apparuerint cacumina montium. Quare quod Sixtus Senensis lib. 5. annot. 82. Eugubinus, Caietanus & Lipomanus dixerunt textum nostrum hic esse corruptum, quamuis in re, nec ad fidei dogmata, nec ad morum informationem spectante, minimè probandũ est; sed potius vitio scribentium errorẽ irrepsisse in codices Hebraicos, & Chaldæos; qui videntur non tam mutili, quã distorti, & diuulsi; nam pro 27. habent 17. nimirum pro duabus disiunctis vocibus Asar iom, id est, decimo die, legendum est coniunctim Esrim, id est vigesimo, supple die.

Capite 9. vers. 6. vbi habetur; *quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Kemnitius dicit hunc locum mutilatum esse, cum in Hebræo sit, *dam haadam baadam*, id est, *sanguinem hominis in homine.* Respondetur. *in homine*, variè à varijs exponi,

Septuaginta enim sic vertunt: *pro hominis sanguine fundetur sanguis illius*. 2. Oleaster, *in homine*, inquit, id est, *per hominem* 3. Caietanus vertit *in hominē*, id est, inquit ipse, in hominis iniuriam & contumeliam. 4. Abulensis *in homine*, inquit, id est, intra hominem, vel hominem existentem sanguinem: secundum quas omnes versiones, præsertim quartam Abulensis quæ omnium facillima, & planissima est, cùm prædicta verba, sint pleonasmus, merito noster interpres illa tacuit & omisit, illa enim omissio nec reddit sensum falsum, neque imperfectum. Sensus enim est tam in Hebræo, quàm in Latina vulgata; qui occiderit hominem, occidetur etiam ipse, puta per sententiam & condemnationem iudicum, vt habet Chald. Deus enim tàm hìc quam Exodi 21. vers. 12. & Matth. 26. 57. lege talionis, tulit in homicidas sententiam mortis, quæ omnium gentium vsu recepta est. Quod notandum est contra Anabaptistas, qui magistratibus ius gladij in nocentes auferunt.

Capite vndecimo vers. 12. *dicitur, quod, Arphaxad genuit Sale*; cum tamen Lucæ 3. interijciatur Cainan; habeantque septuaginta tam hic, quàm libro 1. paralip. cap. 1. v. 18. & 24. *Arphaxad genuit Cainan, & Cainan genuit Sale*. Insuper versu 13. legitur in vulgata; *vixitque Arphaxad postquā genuit Sale, trecentis tribus annis*; textus autem Hebraicus habet illum vixisse, *quadringentos, & tres annos*, cui cōcordant biblia Chaldæa, & Septuaginta, tàm ex editione Complutensi, quam Regia, multaque etiam vetera latina biblia. Tandem hic textus non concordat cum eo, quod dicitur cap. 6. vers. 3. *eruntque dies illius*, scilicet hominis, *centum viginti annorū*; tam enim Arphaxad, quam alij multi, qui in hoc capite vndecimo commemorantur, post diluuium hunc annorum numerum excesserunt. Ad primum respondetur esse problema Chronologicum vter sit sequendus, an Moses omittens Cainan, an versio septuaginta, quā sequitur Lucas, Cainan inserens; de quo infra agemus cap. 63. Ad secundum respondetur, multos quidem doctores Catholicos, Cornelium à Lapide hic, Eugubinum, Caietanum, Salianum in annalibus ad annum mundi 2096. hebraicam vt nunc est editionē sequutos fuisse; præferenda est tamen lectio vulgata, quam egregia supputatione defendit Torniellus. Sunt etiam, qui hæc loca conciliare student; illaque communior ac plausibilior concordia, siue responsio videtur esse, quod non sit supputatio secundum cursum communem anni, vt dicit Caietanus, sed vt scribit Abulensis secundum supputationem relatiuè ad principium diluuij, & sic omnia concordare existimant. Ad tertium dicitur, putare aliquos ibi à Deo statui terminū vitæ singulis hominibus, quasi singuli homines deinceps tantū victuri essent 120. annis. ita Iosephus, Philo, Rupertus, Abulensis, sed falluntur, nam constat ex hoc capite 11. post hęc tempora homines vixisse, non 120. sed 400. annis. Dicendum est ergò Deum capite 6. non statuere singulis hominibus deinceps illum annorum numerum, sed toti generi humano ad agendam pœnitentiam ante aduentum diluuij; quasi diceret; homines carnales grauissimè me offenderunt, possemque eos hoc instanti delere, sed quia clemens sum, do eis tempus pœnitentiæ, idque largum, scilicet annorum 120. quod si illud negligant, post 120. annos, omnes plane delebo per diluuium quod orbi inducam. ita paraphrasis Chaldaica, Hieronymus, Chrisostomus, & Augustinus lib. 15. de Ciuitate Dei cap. 24. vbi rectè aduertit, Deum hęc verba dixisse anno ætatis Noe 480. viginti annis ante natiuitatem Sem, quæ contigit anno Noe 500. sicut diluuium contigit 600. licet S. Hieronymus, Chrisostomus, & Hugo hæc dicta velint anno 500. Noe, centum annis ante diluuium: ita nimirum vt ab his 120. annis, Deus ob scelera hominum viginti dempserit. Ex quibus satis patet nullam inter prædi-

cta duo capita esse contrarietatem.

Capite 14. versu 18. vbi legimus; *At verò Melchisedech rex Salem, proferēs panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi, benedixit ei & ait*; hunc locum Kemnitius, & alij nouatores dicunt esse corruptum, vt indè probare possemus sacrificium missæ: nam in Hebræo non habetur verbum offerendi, nec rationalis, siue causalis coniunctio, vt in vulgata editione. Respondetur, imprimis falsò Nouatores obijcere, haberi in vulgata editione verbum offerendi. Nec enim legimus obtulit, sed protulit panem & vinum; non quidem ad cibum militum, vel ad epulum victoriale, vt vult Caluinus & Kemnitius, iam enim ex præda saturi erant milites, vt patet versu 24. sed ad sacrificium pacificum, in gratiarum actionem pro victoria Abrahæ à Deo concessa offerendum; de quo vide Cornelium à Lapide hic: Cōiunctionem autem rationalem, *enim*, habet vulgata editio, sed habet etiam textus Hebræus, etsi eam Nouatores non tàm propter imperitiam, quam malitiam videre noluerint. Nam licet in Hebræo sit *Vau*, id est, *&*, non *Ki*, id est, *quia, nam, enim*; tamen nullus vel mediocriter in lingua Hebræa versatus ignorat illud *Vau* sępissime accipi in scriptura pro *Ki*. vt Psalmo 94. v. 5. *Ipsius est mare, &* (id est, quia, vt vertit S. Hieronymus) *ipse fecit illud*; Isaiæ 64. v. 5. *Tu iratus es, &* (quia) *peccauimus*: ita in præsenti, *& ipse Sacerdos*, id est, quia erat ipse Sacerdos, dat enim causam, cur protulerit panem & vinum, scilicet, quia ex ijs vt Sacerdos parabat sacrificium; vnde etiam hęc verba ad pręcedentia in hoc versu pertinere, non autem ad sequentem versum 19. (vti volunt nouatores, vt excludant Melchisedech hoc facto gessisse figuram sacrificij nostri, quo sub specie panis & vini corpus & sanguinem Christi offerimus Deo, vt omnes veteres Græci & Latini affirmant) non solùm patet ex textu Hebræo, Græco, Chaldæo & Latino, qui omnes hæc in eodem versu iungunt præcedentibus, scilicet versui 18. non autem sequentibus versu 19. sed ex plana quam requirunt eiusmodi verba constructione; falluntur ergò nouantes, qui Melchisedech Sacerdotem hic vocari putant eo duntaxat nomine, quod benedixerit Abrahæ, vti sequitur; non autem ex eo quod panem & vinum Deo obtulerit in sacrificium.

Cap. 21. versu 9. vbi habemus; *Cumque vidisset Sara filium Agar Aegyptiæ ludentem cum Isaac filio suo &c.* dicunt hebraizantes non haberi in textu hebræo, nisi illud verbum *ludentem*, atque adeo quæ sequuntur, *cum Isaac filio suo*, esse superflua. Respondetur negando prædicta verba esse superflua, quæ habent septuaginta, quæque ex illis posuit vulgatus Interpres, vt significaret Ismaelem lusisse cum Isaac, sensum potius sensui, quam verbum verbo reddens; quod etiam præstitit Apostolus ad Galatas 4. vbi eum locum exponens dicit; *Qui secundum carnem natus est, persequebatur eum, qui erat secundum spiritum*. Et quamuis diuersa sint doctorum placita, quis fuerit ludus ille, secundùm quod illud verbum ludere varias in scriptura significationes habet; magis tamen propriè significat hic Ismaelem, siue verbo, siue gestibus irrisisse, subsannasse, imo superbe & contumeliosè tractasse, persecutumque fuisse Isaac, vti loco citato vers. 29. explicat Apostolus. Nec mirum quod iurgium paruulorum sacra Scriptura ludum vocauerit; quæ sic duellum Ioab cum Abner appellat 2. Reg. cap. 2. vers. 14. *Surgant*, inquit, *pueri & ludant, id est, duellent*.

Cap. 22. versu 5. *dixitque ad pueros suos expectate hic cum asino, ego, & puer illuc vsque properantes postquam adorauerimus reuertemur ad vos*. Posset hic textus alicui videri contrarius versui 2. eiusdem capitis, vbi præcipitur Abrahamo quod filium Isaac in holocaustum offerret; quomodo igitur ambo erant reuersuri. Respondetur nullam ibi esse contrarietatem, nec etiam Abraham esse mentitum, vt vult Melchior Canus li-

bro 2.

bro 2. de locis cap. 4. præter quam quod enim primo verè dicere potuerit, *reuertemur*, scilicet si vita comes fuerit, si Deus voluerit; vel secundo *reuertemur*, id est reuertar ego, non Isaac, vt pluralis ponatur pro singulari: Insuper nō obstante diuino præcepto immolandi Isaac, asseruit Abraham se cum illo reuersurum, quia certus erat, certòque credebat, quod Deus Isaacum, vel à morte liberaret, vel occisum & immolatum resuscitaret. Sciebat enim se non posse decipi ab eo, qui promiserat ex Isaac nasciturum semen benedictum, & posteritatem maximam, & hoc est quod Apostolus ad Hebræos cap. 11. vers. 19. ait, Abraham contra spem, (naturæ) in spem, (gratiæ & diuinæ promissionis) credidisse, arbitrando, *quia & à mortuis resuscitare potens est Deus.*

Cap. 25. vers. 6. *Filijs autem concubinarum largitus est munera, & separauit eos ab Isaac filio suo.* Vbi concubinarum nomine intelliguntur Cetura, & Agar; quæ tamen alijs in locis vocantur vxores, ita vocatur Cetura hoc eodem capite vers. 1. & Agar cap. 16. vers. 3. Si ergò erant vxores, cur appellantur concubinæ; videtur inter hos textus esse aliqua contradictio, inquiet infidelis; Respondeo veras quidem ac legitimas vxores fuisse, quia tamen ignobiliores, & ferè seruæ, ideo concubinas vocari, quasi concubantes, quarum filij non habebant ius ad paternam hæreditatem. Vnde sola primaria vxor erat, & dicebatur Domina. Sic Abraham vxori c. 11. vers. 29. dedit nomen Sarai, id est, princeps vel domina mea. Hęc primaria vxor ducebatur præmissis sponsalibus, dote dicta, & solemni ritu, eratque materfamilias, & bonorum omnium cum marito consors, atque gubernatrix domus, eius denique filijs integra debebatur hæreditas patris; cum cæteris tantùm dona pro patris arbitrio darentur. Eodem cap. 25. versu vltimo, dum dicitur in vulgata, *Esau paruipendens, quod primogenita vendidisset*; obijcit Vvitacherus, quod assecuta non fuerit vim illius peccati, nam textus Hebræus ait contempsisse ipsam primogenituram, vnde potuit Esau venditionem paruifacere, sed primogenituram magni facere. Respondetur duo fuisse mala in tali facto Esau, scilicet venditionem primogenituræ, & contemptum eiusdem; de venditione nulla est difficultas, cum in omni textu legatur, vendidisse primogenita; contemptus autem eiusdem satis explicatur à vulgata, ab effectu comestionis, quasi ventris repletionem iustum primogenituræ pretium existimarit, & sic iudicio practico illam paruifecerit, viliuendendo tantum bonum. Vel dicendum, quod etiam si primogenituram magni existimasset, facto tamen perinde se gesisse, ac si eam contempsisset, eamdem pro re vilissima cōmutando: vnde quia primogeniti ius vilipendebat (intellige iudicio practico, vel facto ipso) ideo venditionem nihili æstimasse dicendum est; & hoc verius, quàm quod asserunt aliqui, non ipsam primogenituram despexisse, sed tantum venditionem, siue parui se ius hoc vendidisse, quia non habebat in animo suo contractum, hic iuramento firmatum, seruare.

Capite 36. vers. 24. habetur in vulgata; *ipse est Ana qui inuenit aquas calidas in solitudine*; cum autem particula Hebrǽa, *Iemim*, non aquas, sed mulos significet; obijcit Vvitacherus vulgatam malè pro Iemim, Iamim legisse, id est, aquas, addendo ex suo calidas. Respondetur vocem Hebræam, ימים, pro diuersitate punctorum, quibus potest affici, tam legi posse *Iemim*, quam *Iamim*, tamque pro tali diuersitate significare mulos, quam aquas calidas, siue thermas, propter additionem litteræ chet, ח in textu Hebræo detortam in vicinam ה, vt notat hic Cornelius à Lapide; quia autem vt dicemus infra vulgatus interpres in sua versione non potuit explicare omnem sensum litterę originalis, ideò tantùm vertit aquas calidas, quæ versio præstantior etiam, & verior videtur esse; imò Oleaster hic pu-

tat, nunquam in ſcripturis prædicto vocabulo ſignificari mulos, ſed potius venam aquæ ſalſæ; vndè optimè ingens ſtagnum eiuſmodi aquæ, quæ verè ex ſua proprietate, & effectu calida eſt, *aquas calidas* potuit interpres vertere; deindè in lingua Punica, quæ teſte Diuo Hieronymo affinis eſt linguæ hebrææ, *Iamim* ſignificat aquas calidas. Vide præfatum doctorem ad hunc locum.

Capite 37. verſ. 2. in vulgata dicitur. *Ioſeph cum ſedecim eſſet annorum paſcebat gregem*; & tamen, inquit Vvitacherus, Hebræi, Chaldæi, ſeptuaginta, & Ioſephus habent *ſeptemdecim*; Deinde verſu 10. vbi habetur, *Num ego & mater tua, & fratres tui adorabimus te ſuper terram?* quomodo hoc dicere poterat Iacob, ſi Rachel mater Ioſephi iam obierat, vt dicitur cap. 35. verſ. 19. Ad primum reſpõdetur, prædictas editiones nihil inter ſe diſcordare, familiaris enim eſt hiſtoricis, & Chronologis talis computandi diuerſitas, vt alij iam expletos annos, alij inchoatos enumerent: vndè ad propoſitum in Hebræo, & alijs verſionibus attenditur inchoatio decimi ſeptimi anni; in vulgata verò agitur de ſextodecimo anno expleto, & interpres noſter plenum numerum exprimere voluit, quod ſexdecim expleſſet, qui decimum ſeptimum inchoaret. Vnde Philo, *Erat*, inquit *circiter 17. annorum*, voxque Hebræa ben, בן; id eſt filius, cum ſignificet inchoationem, & quaſi ædificationem illius rei, à radice bana, id eſt ædificauit, vt patet Exodi 12. verſ. 5. dum in Hebræo legitur, *Ioſeph erat filius 17. annorum*; quaſi dicitur; Ioſeph adhuc ædificabatur à decimo ſeptimo anno, vel agebat decimum ſeptimum annum. Ad ſecundum dicitur Iacob non loqui ibi de Rachele iam mortua, ſed de eius ancilla nominè Bela, quæ nutritia fuerat Ioſephi, ac in matris locum ſucceſſerat.

Capite 38. verſ. 12. *Hiras* vocatur, *opilio gregis* à vulgata; cum tamen Hieronymus ibi non paſtorem, ſed ſocium, vel amicum ſignificari doceat, inquit Vvitacherus. Reſpondetur vocem Hebraicam רעה reghe ſignificare quidem amicum; quia tamen ſine punctis etiam legi poteſt ronghe, quod paſtorem ſignificat, vt aduertit ibi S. Hieronymus, vtraque lectio eſt bona, noſtra tamen præferenda, quam habent ſeptuaginta; veriſimilius enim eſt à Iuda paſtorem, quam amicum, ad dandum capræ hædum Thamar, quam meretricem exiſtimabat, fuiſſe tranſiniſſum, qui etiam paſtor ſimul amicus eſſe potuit: vndè in eumdem fere ſenſum vtraque lectio recidit.

Capite 41. verſ. 45. in vulgata legitur, *& vocauit eum lingua Aegyptiaca Saluatorem mundi*, Vvitacherus *vult legi repertorem occultorum*; *Reſpondetur vtroque modo legi poſſe*, cum verba quæ in Hebræo habentur Zaphanat Phaaneca, Aegyptiacè ſignificent Saluatorem mũdi, Hebraicè autem abſconditorum repertorem; quia tamen ab Aegyptio hoc nomen impoſitum fuit, potius linguæ ipſius, quam alterius debet haberi ratio. Meritò ergò vulgata interpretatur ſermone Aegyptio Zaphanath Phaaneca, Saluatorem mundi, eo quod per occultorum repertionem orbem terræ ab imminentis famis excidio liberarit. De quo vide Auguſtinum Eugubinum.

Capite 45. verſ. 22. vbi legitur, *tantumdem pecuniæ & veſtium mittens patri ſuo*; obijcit Faius vertendum fuiſſe iuxta Hebræum; *& patri ſuo miſit ſicut hoc*; Reſpondetur eumdem vtriuſque lectionis ſenſum eſſe; ſed clarior eſt vulgata, quæ ſenſum potius, quam verbum expreſſit; conſtat enim textum in præcedẽti verſu agere de pecunijs, & veſtibus dicendo; *Beniamin verò dedit trecentos argenteos cum quinque ſtolis optimis*; vndè conſequenter ſubditur; *tantumdem pecuniæ, & veſtium mittens patri ſuo*; pro, *& patri ſuo miſit ſicut hoc*.

Capite 46. verſ. 26. *Cunctæ animæ, quæ ingreſſæ ſunt cum Iacob in Aegyptum, & egreſſæ ſunt de femore illius, abſque vxoribus filiorum eius, ſexaginta ſex*; huic textui repugnare videtur verſus ſequens 27. vbi ſeptuaginta numerantur. Inſuper

per Act. 7. vers. 14. S. Stephanus numerat septuaginta quinque. Respondetur in primo computo non comprehendi Iacob, & Ioseph, ac eius duos filios Ephraim, & Manasses, qui si addantur conficiunt numerum septuagenarium. In Actis verò Apostolorum S. Stephanus numerauit etiam quinque nepotes Iosephi, nimirum Machir filium Manasses, & Galaad filium Machir, item Suthala & Thehen filios Ephraim, & Heran filiũ Suthala, qui omnes in Aegypto nati erant, vt patet ex Numer. cap. 26. & ex 1. Paralip. cap. 7. descensusque & ingressus Iacobi in Aegyptum extendit se vsque ad mortem Iacobi & Iosephi; de quo vide Cornelium à Lapide.

Tandem cap. 49. vers. 24. cum in vulgata legatur de Ioseph; *dissoluta sunt vincula brachiorum & manuum illius*; obijcit VVitacherus ex Hebræo legendum esse *roborata sunt brachia*. Respondetur cum verbum hebræum *iaphotsu* deducatur à radice *pasas* cuius propria & genuina significatio incerta, & incognita est; inde varias hic esse lectiones; quæ tamen omnes ad eumdem sensum, & scopum tendunt; idem enim planè est dicere, *dissoluta sunt vincula brachiorum*, & quod *roborata sunt*, vel, *roborauerunt se brachia manuum eius*; nam ex dissolutione vinculorum rectè brachia roborari dici possunt; & consonat alia versio; *extensa sunt brachia manuum eius*. Nostra tamen videtur magis genuina, *dissoluta sunt brachia*; id est, vincula, (erant enim brachia Iosephi vinculis astricta) brachiorum & manuum eius, nõ solum quia Hebræum *pasas*, magis propriè significat, *mollescere*, *lentescere*, *& dissolui instar auri optimi*, vti doctè ostendit Pineda in Salomonem lib. 4. cap. 18. & ex eo notat Cornelius à Lapide; sed etiam quia sic magis consonat Sapient. cap. 10. vbi dicitur; Hæc (Sapientia videlicet increata & æterna, quæ est Deus) *venditum iustum non dereliquit in vinculis*, cum dissoluta fuerint, *donec afferret illi sceptrum regni*; qua in re satis patet, quã roborata fuerint brachia & manus illius.

Hæc sunt præcipua loca, quę ab infidelibus & hæreticis obijciuntur contra librum Geneseos, præsertim vt in vulgata nostra editione habetur; ex quorum solutione & explicatione satis patet, quã temerè nouatores illam sugillent, ac reprehendant.

CAPVT XX.

De libro Exodi.

Pro diuina huius libri authoritate, stat primùm Ecclesiæ illum approbantis suffragium; Secundò noui testamenti authoritas, in quo plurima ad sensum, decem verò & octo ferè ad verbum testimonia libri Exodi proferuntur; Tertio vnanimis consensus Sanctorum Patrum; ex quibus Origenes, Theodoretus, Augustinus, Procopius, Beda, Rupertus, librum Exodi tàm commentarijs quàm quæstionibus illustrarunt.

Huius etiam libri scriptor sacer fuit Moyses, tertia ætatis suæ quadragena, de qua superiori capite, quia tunc contigere, quæ in illo narrantur, & quoniam tunc fuit tempus magis commodum illorum scriptioni, vt tanquam testis oculatus Moyses illa scriberet, & non tanquam futura ex pura prophetia.

Inscribitur hic liber hebraicè ואלהשמות veelle semoth, id est, & hæc sunt nomina quod eo modo in Hebræo incipiat; vbi particula, *&*, hebraicè ו *vau*, non tàm per pleonasmum, & ornatus gratia ponitur, quàm ad copulandam hanc Exodi historiam, cum fine Geneseos, eamque continuandam. Olim enim Pentateuchus vnus continuus fuit liber: quem posteri deinde in quinque sectiones, siue libros distinxerunt. A Græcis autem primùm, deindè à Latinis vocatus est Exodus, id est, egressus, siue exitus, eo quod præcipuum eius argumentum sit, admirabilis illa, & omnibus sæculis decantata liberatio Israelitarũ per egressum ex Aegypto, qua mundo fore vniuerso gloria Dei nostri innotuit.

Solet hic liber diuidi in quatuor partes

tes principales. *Prima* complectitur Patriarcharum, puta filiorum Iacobi mortem, secutamque indè duram Hebræorum ab Aegyptijs oppressionem, & seruitutem cap. 1. *Secunda* Mosis natiuitatem & gesta, ad quæ potissimum spectant, miraculosa eius præseruatio in Scirpo, fugaque ex Aegypto capite 2. manda tum diuinirus acceptum pro liberandis filijs Israel de manu Pharaonis capite 3. & 4. prodigia & miracula, quibus decem plagæ illatæ sunt Aegypto, itemque mitigatæ. *Tertia* transitum Hebræorum per mare rubrum, mersis in eo Aegyptijs, duodecimque primas illorum mansiones, vsque ad desertum Sinai. *Quarta* tandem & vltima continet præcepta Moralia, Iudicialia, & Cæremonialia, quibus Moyses à Deo edoctus rempublicam populi Israelitici instituit. Nam cùm Abraham alijsque Patriarchis promisisset Deus, se multiplicaturum semen ipsorum, vt fieret gens maxima, populusque celeberrimus, qui consistere non potest, nisi certis legibus & magistratibus, certaque religione fuerit constitutus & ordinatus, ideo in hoc libro Deus per Moysem legum publicarum, magistratuum, & religionis institutionem tradere voluit.

Sic igitur Exodus complectitur gesta annorum 145. Nam à morte Iosephi vsque ad natiuitatem Moysis fluxerunt anni 64. Moyses verò anno ætatis suæ 80. eduxit populum ex Aegypto, & anno sequenti erexit tabernaculum, in cuius erectione terminatur exodus. Qui anni simul iuncti efficiunt annos 145. iamdictos.

Pro qua re, adeoque pro tota Exodi Chronologia notandum est, Hebræos habitasse in Aegypto non 430. annos vt i aliqui volunt, sed tantùm 215. ita, vt à descensu Iacobi in Aegyptum, qui contigit anno ipsius 130. Iosephi 39. vsque ad exitum Moysis & Hebræorū fluxerint tantum 215. anni. Quod enim Exodi cap. 12. vers. 40. dicitur: *Habitatio filiorum Israel, qua manserunt in Aegypto, fuit quadringentorum annorum, quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Aegypti.* Loquitur ibi Moyses Synecdochicos, complectendo sub habitatione Israelitarum in Aegypto, quæ à descensu Iacobi, vsque ad egressum illorum, non diutius quam 215. annos durauit, vt statim probabimus, reliquas quoque Patrum eorum peregrinationes, eas retro vsque ad vocationē Abrahæ numerando. Quā annorum supputationem Apostolus ad Galatas 3. 17. confirmat enumerans à promissione facta Abrahę, vsque ad promulgationem legis, quæ paulo post exitum secuta est, 430. annos. De quo vide interpretes ad prædictum c. 12. & inferius dicenda cap. 63.

A descensu ergò Iacobi in Aegyptū vsque ad mortem Iosephi fluxerunt 71. anni; contigit enim hic descensus anno Iosephi 39. Ioseph autem vixit vsque ad annum ætatis 110. Rursum à natiuitate Moysis, vsque ad egressum Hebræorum ex Aegypto fluxerunt anni 80. ex quo patet mediū tempus, quod fluxit à morte Iosephi, ad natiuitatem Moysis fuisse annorum 64. Si autem 64. annis addātur 80. Moysis, & 71. Iosephi, qui fluxerunt à descensu Iacobi in Aegyptum, vsque ad mortem prędicti Iosephi, habebuntur, & explebuntur dicti anni 215. qui fluxerunt ab hoc descensu vsque ad exitum.

Ex dictis sequitur, Exodum continere historiam mūdi ab anno eius 2310. quo mortuus est Ioseph, vsque ad annum 2454. quo iuxta supputationem factam contigit egressus Moysis, & Hebræorum ex Aegypto; imò ad annum sequētem 2455. quo erectum est tabernaculum in deserto.

Superest iam, vt contra infidelium, & hæreticorum calumnias diuinam huius libri propugnemus authoritatem. Capite igitur 4. vers. 22. cum dicatur, *filius meus primogenitus Israel*, & cap. 5. vers. 3. *Deus Hebræorum vocauit nos*, item cap. 7. Indè obijciebat olim Iulianus Apostata apud Cyrillum lib. 2. 3. 4. & 5. contra eundem Iulianum; Aliarum autem

tem nationum, sub quibus dijs gubernantur, non meminit, ac si illis solis Lunam, & Solem distribuisset. Respondetur ex Cyrillo lib. 3. quamuis dicatur Deus specialiter Deus Hebræorum, non inde sequi, Deum non esse aliarum nationum; sed id dictum est, quia, inquit, oportebat populum illum ab errore idololatriæ reuocatum instrui, & ad meliora erudiri, & paulatim progredi ad cognoscendum mysterium Christi. Planiùs Deus vocatur sæpius Hebreorum, vel Israelis Deus, aut Dominus, quod primus inter populos Dei fide & cultu adunatus, in eaque fide genitus, & nutritus fuerit; potissimumque in illo Dei fides, & cultus conseruatus; qua etiam ratione rectè populus Israeliticus dicitur filius Dei primogenitus per adoptionem, non per naturalem generationem. Tandem hic cap. 5. vers. 3. citato Deus dicitur specialiter Deus Hebreorum, qui solus est verus Deus, & in cuius virtute tot miracula à Moyse patrari debebant, quod illum Pharao, cui tunc Moyses loquebatur, contemneret; cæca enim superbia ita mentem eius excæcarat; vt diceret insipiens: *Quis est Dominus vt audiam vocem eius, & dimittam Israel? nescio Dominum, & Israel non dimittam*; vndè satis soluta manet obiectio impij Apostatæ, qua primùm diuinam libri Exodi authoritatem infirmare contendebat. Quasi ibi negasset Moyses Deo curam esse de alijs gentibus, aut illas debere alios Deos habere, significare voluisse.

Capite 12. vers. 2. legitur, *Mensis iste vobis principium mensium primus erit in mensibus anni*. Iste mensis erat Nisan, Martio nostro respondens, vel partim Martio, partim Aprili; contra verò cap. 23. vers. 16. cum dicatur de festo tabernaculorum, *custodies solemnitatem in exitu anni*; videtur dari primus locus mensi Tisri, qui partim Septembri, partim Octobri nostro respondet, diciturque ibi exitus anni, vbi enim exit, & definit annus precedens, ibi sequens incipit. Respondetur nullam esse contradictionem, quod nunc assignetur Martius, siue Nisan, nunc September siue Tisri pro anni capite. Mensis enim Nisan solum hic post phase, & Hebræorum liberationem ex Aegypto statuitur principium anni sacri, secundum quem Neomeniæ festa, ac reliqua omnia sacra totius anni componi debebant. Cum prius absolutè Tisri, siue September esset principium anni ciuilis, siue vulgaris, iuxta cuius calculum omnia negotia politica, & contractus dirigebantur. Imò annus Sabbaticus, & Iubilæus, etiam si sacri essent, quia tamen multos contractus ciuiles venditionis, locationis, mutui, & alios similes continebant à mense Tisri inchoabantur. Cœpit ergò hic in exitu Hebræorum distingui annus vulgaris, & communis, siue ciuilis à sacro. Vulgaris incipiebat à Tisri; sacer verò à Nisan. Item eodem capite 12. vers. 22. vbi dicitur in vulgata, *fasciculumque Hissopi tingite in sanguine, qui est in limine &c.* aliqui Hebraizantes legendum putant ex hebræo, *qui est in pelui*, vel, *bacino*, Respondetur primò, vtroque modo legi posse, cum hebræum Saph non tantùm limen, sed & peluim significet; sitque idem vtriusque lectionis sensus, tanquam enim in contento erat in vase sanguis, quantùm autem ad situm erat in limine; debebat enim agnus, ait Sanctus Augustinus, vel occidi iuxta ianuã domus, vel potius in pelui ad ostium deferri eius sanguis, vt eo recenti, & liquido intingerent Hyssopum, quo aspergerent postes & superliminare. Hyssopus enim erat hic loco aspergilli. Melius tamen noster cum septuaginta legentibus, *qui est iuxta ostium*, vel, *qui est ad ianuam*, vertit etiam, *qui est limine*; non solùm quia nomen *Saph* communiter limen significat, à radice *Soph*, id est, finire, haud secus, quam Latinis limen dicitur, quasi luminis limes, id est, finis & terminus, atque vmbræ causa; sed etiam quia Sancti Patres in hac tinctura liminis mysteria agnoscunt, de quibus vide Sanctum Thomam 12. q. 102. artic. 3. ad 2.

Capi-

Capite 22. verſ. 26. vbi dicitur, *nec vſuris opprimes*; Hebraizantes legendũ putant ex Hebræo, *& non pones ſuper eum morſum*; Reſpondetur non ſolum conſequenter ad textum, ſed etiam ad Hebræi nominis ſignificationem rectè interpretem noſtrum vertiſſe; Neſech enim ſignificat vſuram; & ſic verterunt Septuaginta, & paraphraſis Chaldaica; quod ſi metaphoricè Hebræi vſuram vocent morſum, quia vſura magis quàm canis mordet & rodit pauperes; vel vt ait Rabi Salomon, quia initio non ſentitur, ſicut cum quis mordetur à ſerpente; & poſtea tota ſubſtantia corroditur, id non negamus, ſed hic nulla eſt editionum diuerſitas cum vna tantùm propriè ſignificet, quod alia impropriè ſiue metaphoricè.

Cap. 32. verſu 28. habetur in vulgata; *Cecideruntque in die illa quaſi 23. millia hominum*; hunc locum Hebraizantes putant eſſe corruptum, debereque legi iuxta Hebræum, *tria millia*, non autem, 23. *millia*. Reſpondent aliqui primò numerum vulgatæ conſtanter eſſe retinendum, non ſolùm quia antiquiora biblia latina, & omnes penè poſt S. Hieronymum veteres commentatores ita legunt, ſed etiam D. Paulus 1. Corinth: cap. 10. vnde etiam veriſimiliter colligunt ſeptuaginta (hos enim ſequi ſolet Paulus) ita olim legiſſe, videlicet εἴκοσι τρεῖς χιλιάδας, pro εἰς τρισχιλίους, vti iam legitur. Quà autem ratione tanta in numerando diuerſitas inter vtrumque textum acciderit non eodem modo explicant omnes. Lyranus enim putat, quod noſter interpres cõplexus ſit eos, qui verſu 35. dicuntur à Domino percuſſi, eoſque fuiſſe viginti millia. Alij cum Abulenſi dicunt in Hebræo primitus indè errorem contigiſſe, quod ſcriba aliquis pro *viginti* ſcripſerit per cõpendium litteram כ *caph*, quæ eſt nota vicenarij apud Hebræos, quod Caph, alij poſtea quaſi notam ſimilitudinis, acceperint pro *quaſi*.

Iſta reſponſio, licet quo ad numerum vulgatæ quem retinet, ac defendit ſit vera, conſtanteſque tenenda, in alijs tamen, multis non placet. Primum enim quod Apoſtolus loco citato Corinth. prædicto vulgatæ numero fauere dicitur, videtur eſſe hiſtoriarum confuſio. Siquidem illa hiſtoria, quam ibi recenſet Apoſtolus refertur ad hiſtoriam Numeror. cap. 25. vt aduertit S. Thomas (& communis interpretum ſententia eſt) qui diſſoluit quoque inſtantiam ex Numeris, vbi dicitur; Et occiſi ſunt viginti quatuor millia hominum, dicendo hoc non contrariari dicto loco Apoſtoli, quia maior numerus non excludit minorem. Secundò, quod ait Lyranus, hoc eſt diuinare, neque interpres noſter hic in Exodo illum locũ vertit, ſed hunc præſentem, in quo biblia Hebræa iam habent tantùm tria millia: illi enim verſu 35. non hac die, ſed poſtea percuſſi ſunt. Tertium tandèm ex Abulenſi non ita ſolidè videtur aſſeri poſſe, cum numerus in Hebræo extenſè deſcriptus appareat.

Igitur dicendum eſt ſecundò, vtramque lectionem vulgatam, & Hebræam eſſe veram, nullamque inter illas quantùm ad hoc eſſe contradictionem; cùm enim in Septuaginta, in Chald. in Hebræ. legatur illa vox איש *virorum*, viri autem nomine plerumque in idiomate non ſolum Hebræo ſed etiam Latino, primates & nobiles ſignificentur, per illud textus Hebræus notare tantùm voluit illos, qui authores fuerãt tranſgreſſionis, & integrum populum ad peccatum adorationis uituli ſuo exemplo, uel hortatione induxerant; dum dixit *cecidiſſe tria millia virorum*. At noſter interpres expreſſit integrum numerum omnium occiſorum, quando dixit, ceciderunt que in die illa quaſi 23. millia hominum, uiginti nimirum de plebe, & tria de primoribus populi. Vide Dionyſium Chartuſian. & Abulenſem in hunc locum. Poteſt etiam dici tertiò cum Lyrano, quod gladio leuitarum ceciderunt tria millia, quorum mentionem facit textus Hebræus; morte autem à Deo immiſſa, cætera uiginti millia à vul-

à uulgata recensita perijsse, undè in fine capitis dicitur: *Percussit ergò Dominus populum suum*. Quod à simili confirmari potest,nam in loco allegato Numer.25.dicitur quod occisi sunt 24.millia hominum, cùm Paulus dicat 23 *millia hominum*, 1.Corinth. cap.10. ubi illius historiæ meminit. Vt enim doctè aduertit Guillelmus Estius ibi, D. Paulus solum locutus est de ijs, qui vna die ceciderunt,in quibus non comprehensi sunt principes populi: nec ij qui occisi sunt mandato Moysis, initiati Beelphegor, qui ad 1000. numerum ascenderunt, qui vero ceciderunt 23. millia, morbo pestilenti corruerunt.

Cap.34. vers.6. *Inuocans nomen Domini. Quo transeunte coram eo, ait: Dominator Domine Deus &c.* vbi particula, *ait*, videtur in vulgata referri ad Moysem, cum tamen ex Hebræo debeat referri ad Deum. Item vers. 29. legitur, *Et ignorabat,quod cornuta esset facies sua*; in Hebræo habetur; ignorabat Moyses, quod cutis faciei suæ esset radians, vel promicuisset. Ad primum respondetur, tàm in vulgata, quam in Hebræo, particulam illam, *ait* vtrique aptari posse, Domino videlicet, ac Moysi; de quo vide Cornelium à Lapide: Ad secundum respondetur eumdem esse vtriusque lectionis sensum: melius tamen noster interpres vertit, cornuta, non solùm quia formam radiorum expressit, quibus ad modum cornium fulgebat Moysis facies, sed etiam quia verbum קרן Karan, significat propriè cornutum esse, non verò radiare, vt quidam confingunt; sicuti nomen קרן Keren, significat tantùm cornu, idque penè in omnibus linguis. Quare perperam Eugubinus nostram vulgatam insimulat,cum Hebreis, qui vt idem refert execrantur, quod facies Moysis in Ecclesijs depingitur cornuta; cum *cornutùm* tàm in ea, quam in Hebręo metaphoricè tantùm accipiatur: non enim cornua habebat in fronte Moyses, vti ei affingunt pictores; sed ita lucida erat facies eius, vt radios luminis vibraret, eiusque quasi cornua emitteret; quod etiam cornibus affictis symbolicè pictores repręsentare potuerunt. Vndè Chaldæus non verba, sed sensum reddens ait: *Ignorabat Moses, quod multiplicatus esset splẽdor gloriæ vultus sui*; & Septuaginta; *quod glorificatus esset aspectus cutis, vel coloris faciei suæ*, Septuaginta sequitur S. Paulus qui hæc cornua vòcat *gloriam vultus Moysi*. 2.Corinth. cap.3. vers.7. Vide Abulensem hic quæst.24. & Oleastrum.

CAPVT XXI.

De libro Leuitici.

HVnc etiam librum fuisse diuinitus inspiratum primò habetur ex testimonio Ecclesiæ illum recipientis. Secundò ex authoritate noui testamenti, in quo testimonia tredecim quo ad sensum, & octo quo ad verbum citantur. Tertio ex communi consensu Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ doctorum,qui semper huius libri tanquam sacri, & canonici testimonia protulerunt; quorum etiam aliqui commentarijs illum exornarunt, Origenes,Theodoretus, Augustinus, Isichius, Procopius, Beda, Rupertus, Radulphus.

Huius quoque libri Scriptor sacer, fuit Moyses tertia suæ ætatis quadragena,ob rationes superius dictas,dum Hebræi duodecimam in deserto mansionẽ agerent, puta in monte Sinai, vti dicitur in fine huius libri, *Hæc sunt præcepta, quæ mandauit Dominus Moysi ad filios Israel in monte Sinai*. In illo enim gesta sunt omnia quæ narrantur à c.19. Exodi ad finem Exodi; quæque toto Leuitico, & Numeris vsque ad cap.10. referuntur. Numerorum enim 10.vers. 11. ex Sina mouerunt Hebræi castra. Hinc sequitur, Leuiticum Moysi à Deo dictatum fuisse anno secundo egressus Hebræorum ex Aegypto, qui fuit anno mundi 2455. Imo totum Leuiticum vno mense, primo videlicet anni huius secundi dictatum esse à Deo, videtur clare colligi, si Leuitici initium & finis

conferatur cum capite vltimo Exodi versu 15. & cum cap. 1. Numer. vers. 1. Certè non potuisse Leuiticum dictari post 20. diem mensis secundi, patet ex eo quod vltra illum diem non fuerunt Hebræi in Sinai, vt dicitur Numer. 10. v. 11. in quo vt diximus præcepta Leuitici Moysi data sunt à Deo; quod tamen non ita intelligendum est, quasi data fuerint in ipso monte Sinai, vti decalogus Exodi 19. & 20. sed ad radices illius, in ipso tabernaculo recens fabrefacto, vt patet ex initio huius libri. Similiter notandum est, hęc Leuitici præcepta non fuisse simul vno die data, sed successiuè per varios mensis primi dies, vt habetur cap. 9. vers. 1. cap. 10. vers. 1. & 2. cap. 16. vers. 1.

Hebræi, ritu patrio, à prima libri voce denominant hunc librum ויקרא Vaijcra, id est, *& vocauit*. Cum enim prius Deus vocasset de cælis, de nube, & de rubo ardenti; hic vocauit ex tabernaculo, tanquàm ex domicilio, quod maiestate sua & gloria impleuerat; quodque sibi unicè in terris delegerat, ut inter homines habitaret. A materia uerò quam tractat, Græcis & Latinis dicitur Leuiticus. Quia cum iam in Genesi Moyses potissimum egisset de Deo creatore; in Exodo de Deo liberatore; hic agit de Deo sanctificatore sanctéque colendo per sacrificiorum institutionem; Vel cũ in Genesi Moyses demonstrasset legislatoris dignitatem; in Exodo conditionem ministri, per quem Deus Opt. Max. legem suã humano generi proponi uoluit; hic in Leuitico sacrificiorum ritum, hostiarum diuersitatem, ac Sacerdotum ministeria describit; uel tandem, cũ in Genesi diligenter ostẽdisset Moyses, quem in modum Ecclesia Dei Patriarcharum ministerio primùm collecta fuisset; deinde in Exodo, quomodo Ducum, Moysis uidelicet, eiusque successoris Iosue opera aucta, & à grauissimis periculis liberata; hic agit de eadem Ecclesia sub Sacerdotibus, & Leuitis: Nam Leuitæ, id est, ij qui erant prognati ex patre, & Tribu Leui, electi fuerunt à Deo ad munus Sacerdotale, & ad ministrandum ei in tabernaculo; sed hac partitione, ut Amramitæ, siue posteri Amram, hoc est Aaron eiusque filij, sacerdotio fungerentur, solique sacrificarent; cæteri uerò, puta posteri Caath, Merari & Gerson (qui omnes fuerunt filij Leui) hisce subseruirent, uti Sacerdotibus nostris diaconi; ur habetur cap. 3. & 4. numeror. Quo factum est ut priores, Sacerdotes; posteriores Leuitæ, nomine communi inferioribus appropriato, uocarentur: Solet enim species imperfectior sibi nomen generis retinere; sic brutum uocamus animal. Hic tamen aduertendum est hanc regulam fallere, contrariumque accidere; nomen enim generis datur dignioribus; si quidem per Leuitas hic Sacerdotes intelliguntur, cùm Leuiticum vocamus hunc librũ. Ita vt Leuiticus idẽ sit, quod sacerdotalis, aut sacrificatorius: continet enim præcepta cæremonialia, quibus propriè Israeliticus populus Deo, Deique familiæ & cultui allectus est, circa oblationes & sacrificia, qui excellentissimi sunt cultus, quos exterius Deo deferre possumus.

Quod spectat ad huius libri partitionem, solet diuidi in tres partes principales; quarum Prima agit de ipsis sacrificijs, eorumque varietate, & distinctione à cap. 1. ad 8. Secunda agit de personis offerentibus, earumque præparatione & dispositione à cap. 8. ad 23. Tertia de temporibus oblationi destinatis, puta de festis à cap. 23. ad finem, cui nonnulla de votis eorumque redemptione iunguntur. De quibus omnibus ait D. Hieronymus ad Paulinum, *spectare ad cælestia sacramenta*. Vt enim in Exodo redemptionis historia fuit cõsignata, typusque datus Ecclesiæ nouæ, & Christianorum: qui ex gentilitate per baptismum, & per multas tentationes, & luctas, perque multa miracula, duce Christo tendunt in terram promissam in cælis; ita non minus in Leuitico docent Patres, varijs tot sacrificiorum typis dignitatem, variamque rationem sacri-

sicij-

ficij Christi in cruce peracti, fuisse adumbratam.

Circa historiam vero Leuitici; etsi aliqui putent illum complecti historiã primi & secundi anni, dum pararetur tabernaculum; & postmodum eo erecto, sacrificia inciperent, populusque ad iustas cæremonias à Domino per Moysen edoceretur. Probabilius tamen alij sentiunt tempus vnius mensis duntaxat continere, ab erectione tabernaculi, vsque ad diem, quo præcipit Dominus Moysi numerare populum. Kalendis enim primi mensis anni secundi egressionis ab Aegypto, erectum est tabernaculum Exodi 40. Et hinc Dominus vocauit Moysen vt dicitur cap. 1. vers. 1. vt traderet illi sacrificiorum ritus, vsque ad Kalendas mensis secundi eiusdem anni; quibus idem Dominus iussit Moysi numerare summam filiorum Israel; vt dicitur Numer. cap. 1. vers. 1.

Videamus iam, quid infideles & hæretici, contra diuinam huius libri authoritatem obijciant. Cap. 1. vers. 16. in vulgata habetur. *Vesiculam verò gutturis*; cuius tamen in Hebræo nulla fit mentio; sed dicitur; *Et auferet quod apparet cum pennis eius.* Respondetur vtroque modo legi posse; vox enim Hebraica מראה *mura*, tam *vesicam*, quàm *conspicuum*, siue *quod apparet*, significat à radice ראה *raa*, id est vidit, est enim vesica gutturis protensa omnibus conspicua, vel per eam, cum sit peruia, tanquam per vitrum, vel speculum inspicere possumus de quo vide Oleastrum; Magis tamen propriè vulgata nostra vertit *vesiculã gutturis*, explicando quod in Hebræo implicitè, ac veluti metaphoricè continebatur. Vndè etiam tàm Septuaginta quam Chaldæus, Theodotion & Aquila sic verterunt; Septuaginta enim habet, & auferet πρόλοβον. πρόλοβος autem dicitur hæc vesicula gutturis ἀπὸ τοῦ λόβου, id est à sinu siue folliculo, qui primus cibum à gutture comestum excipit. Theodoretus tamen pro πρόλοβον, legit πρόβολον; πρόβολος enim potest etiam vocari hæc vesica, quasi προλαμβάνουσα τὴν τροφὴν, id est, quæ prima cibum assumit. Chaldæus legit *zeneph* quod *vesicam* significat. Theodotion φύσαν, id est folliculum, & Aquila σιτίζουσαν, id est alimentarem partem quæ recipit cibum, eumque reliquis corporis partibus subministrat; nihil est igitur, quod in hac parte reprehendant Hebraizantes nostram vulgatam.

Capite secundo vers. 14. cum in vulgata legatur; *De spicis adhuc virentibus torrebis igni, & confringes in morem farris.* duo ibi calumniantur Hebraizantes, primò quod in Hebræo habeatur, *fruges maturescentes*; quibus significatur omne genus frugum. Secundò male adiungi illam clausulam, *& confringes in morem farris*; cum id non fuerit præceptum, nec habeant Hebræi codices. Respondetur, etiam si species pro genere à vulgata fuisset vsurpata, nullum inde sequi vel afferri præiudicium Hebraico fonti vt dicetur infra, sed cum ex Hebræo legatur, *spicam cum culmo coctam igni*; concordat vulgata, dum dicit, *de spicis adhuc virentibus torrebis igni.* Illa similiter clausula, *& confringes in morem farris*, nullam penitus continet diuersitatem; nam Septuaginta, & Chaldaica paraphrasis vtrique lectioni consonantes vertunt *contusionem*, vel *confractionem* spicæ. cui rectè suppleuit interpres iure suo illam particulam, *ad modum farris*; non enim poterat esse farina, cum spicæ adhuc essent virentes. Vide Oleastrum.

Capite 7. vers. 19. legitur in vulgata; *Caro quæ aliquid tetigerit immundum non comedetur, sed comburetur igni. Qui fuerit mundus vescetur ex ea.* Obijciunt aliqui, quomodo hoc possit esse verum, si omnis caro immunda præcipiatur igne comburi. Quare subdunt vertendum fuisse: *& omnis caro munda comedetur.* Respondetur particulam, *ex ea*, non referri ad carnem immundam, hæc enim iussa est comburi, sed ad carnem mundam, siue ad hostiam pacificam, si non sit polluta, sed munda, & talis qualis

est oblata. De hostia enim pacifica agitur à versu 11. huc vsque. Vndè Chaldęas. *Quicumque fuerit mundus ad comedendum carnem sanctificatam, comedat carnem sanctificatam.* Idemque est dicere, *Omnis caro munda comedetur*, & quod, *qui fuerit mundus vescetur ex ea*. Quatenus solus homo mundus poterat comedere de carnibus mundis hostiæ pacificorum, vt expressè dicitur in versu sequenti.

Capite 12. vers. 1. in vulgata dicitur: *Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus*; cum tamen in Hebræo nihil sit de susceptione seminis, sed de efficacia seminis, hoc est prole. Nam pro *suscepto semine* hebraicè est *tasria*, quod multi vertunt, *si fecerit semen*, id est prolem, hoc est si generarit. Est enim *tasria* in hiphil actiuum, & semen passim in scriptura capitur pro prole. Respondetur hoc quidem modo legi posse; verùm longè melius vertit noster interpres, *suscepto semine*, primò ex eo quod sequitur, & *pepererit* inde enim patet verbum *tasria*, quod præcedit vertendum esse, *si susceperit semen*, siue *conceperit*, formaritque fœtum: alioqui enim idem diceretur, essetque tautologia dicendo, si generarit, & pepererit. Secundò, quia cum nostro interprete consentiunt Septuaginta, qui vertunt ἐὰν σπερματισθῇ, *si susceperit semẽ.* Et Chaldæus, *si conceperit*, & Hebræi, Lyranus ac Vatablus, qui vertit, *si suscepto semine marem pepererit*. Tertiò, quia Hebręum *tasria* propriè significat, *si seminificauerit*, si semen fecerit, & emiserit, more scilicet naturali & ordinario hoc est si suscepto viri semine, suum quoque emittens, conceperit. Mulier enim in conceptu viri semen suscipiens, suum quoque emittit in matricem, quod mox à virili semine retinetur, coagulatur, atque fortificatur, itaque crescit, & tandem in membra consurgit. Sicque concipitur embrio siue infans. Hinc communis Patrum, & Doctorum, vno excepto Abulensi, est sententia Beatissimã Virginem Christum parientem hac lege non fuisse comprehensam; eo quod ipsa non ex suscepto viri semine suum emittens, sed ex Spiritu Sancto, Christi corpus ex purissimis eius sanguinibus efformante, Christum conceperit; quasi singulari Spiritus Sancti prouidentia hanc virginem excipere volentis, factum sit vt Moyses hoc loco non sit vsus verbo *hara*, quod absolutè concipere, sed *tasria*, quod suscepto viri semine suum emittere, atque ita concipere significat. Vide Galatinum lib. 7. arcan. fidei cap. 14. Finum lib. 2. flagelli c. 3.

Capite 17. vers. 4. quod dicitur: *Homo quilibet de domo Israel, si occiderit bouem, aut ouem, siue capram in castris vel extra castra, & non obtulerit ad ostium tabernaculi oblationem Domino, sanguinis reus erit*: cum intelligatur non de occisione ad cibum, sed tantùm ad sacrificium, vt satis patet ex versu sequenti; videtur pugnare cum multis Scripturæ locis, vbi legimus plures sanctos qui alibi, quàm in templo sacrificarunt; vt Manue pater Sampsonis Iudic. cap. 13. vers. 19. Samuel, qui sacrificauit in Masphat 1. Reg. 7. & in Galgala cap. 11. & in Bethleem cap. 16. Dauid, qui immolauit in area Ornan 2. Reg. 24. & Elias in monte Carmelo 3. Reg. 18. Respondetur causas huiusce præcepti, quod in vno templo Hierosolymitano sacrificaretur, fuisse primò, ne laicus aliquis sacrificandi munus sibi arrogaret. Secundò ad arcendum periculum & suspicionem idololatriæ, & ne Iudæi Deos gentium in montibus, lucis, & cauernis colerent. Quapropter hisce causis cessantibus, docet S. Augustinus q. 16. in Leuit. prædictos sanctos viros Deo inspirante extra tabernaculum sacrificasse.

Capite 22. vers. 25. vbi dicitur; *De manu alienigenæ non offeretis panes Deo vestro, & quicquid aliud dare volueritis; quia corrupta & maculata sunt omnia: non suscipietis ea*. Videtur pugnare cum hoc quod Rex Darius 1. Esdræ 6. & Seleucus 2. Machab. 3. dicuntur ministrasse sumptus ad sacrificia necessarios. Respondetur præceptum hoc prohibere tantùm

obla-

oblationem immediatam, siue quod ab alienigena, gentili videlicet manente in sua superstitione, acciperetur aliquid, vt offerretur immediatè, & adoleretur Domino, vti thus, oleum, vinum. Vndè non vetatur, ne Sacerdotes à Gentilibus acciperent pecuniam ad emendas victimas, etiam pro ipsis Gentilibus offerēdas in templo, eas enim tum ab alijs acceperunt, tum à Dario, & Seleuco vt statim dicebatur.

CAPVT XXII.

De libro Numeri.

PRo diuina huius libri authoritate militat primò Ecclesiæ traditio, & approbatio; Secundò quod in nouo testamento citetur, semel quidem tantùm, adducto quo ad verbum vno eius testimonio Ioannis cap. 19. *Os non comminuetis ex eo*; nam quoad sententias, octodecim tam ipse, quàm alij Apostoli protulerunt ex illo testimonia. Tertiò quia omnes Sancti Patres, & Doctores semper hoc libro, tanquam sacro, & canonico vsi sunt; & plures etiam illorum suis commentarijs explanarunt; vt Origenes, Theodoretus, Augustinus, Procopius, Beda, Rupertus.

Hunc pariter librum Deo inspirante, & dictante scripsit Moyses in tertia ætatis suę quadragena, fortasse quamprimū venit in Campestria Moab, tunc enim omnia, quę in isto narrantur libro, contigerant, & à Deo audierat Moyses. Vt superiores libros, ita hunc numerorum Hebræi à primis dictionibus appellant *vaiedabber*, id est, *& locutus est*. Græci Αριθμοὺς, & eos secuti Latini, Numeros eum vocauerunt, à pręcipua eius materia. Quod enim docet Abulensis Mosen Exodo, maximè cap. 20. complexum esse præcepta moralia, siue naturalia, Leuitico cæremonialia, Numeris iudicialia, per omnia verum non est, nam & iudicialia pertexuit Exodi 21. & 22. atque hic in Numeris tam, imò magis, cæremonialia, quàm iudicialia, hinc indè immiscet. Licet igitur in hoc libro Numer. agatur hinc indè de præceptis cæremonialibus, & iudicialibus; quia tamen de ceremonialibus tractatur specialius in libro Leuitici, & de iudicialibus in libro Deuteronomij, vbi tota lex reperitur; in Numeris autem de multis capitationibus, & numerationibus populi Israelitici, ideo ob nouam hanc materiam, noua est hic sectio Pentatheuchi, nouusque liber Numerorum à Leuitico, & alijs distinctus. Certè cùm parum sit, in Ecclesia leges esse, nisi etiam sint, qui eas recipiant ac tueantur: rectè Moyses post expositum legum catalogum, populum, cui has leges præscripserat, in certos distribuit ordines, atque classes.

Vnde iuxta octo ordines, siue numeros in quos populus Israel, eorumque facta distribui videntur, hic etiam liber in octo partes principales diuidi potest; primò pugnantium, siue bellatorum à cap. 1. vsque ad 7. secundò oblatorum, & quid singuli principes obtulerint cap. 7. tertiò Ministrorum, tàm Leuitarum, quā Sacerdotum à cap. 8. vsque ad 13. quartò exploratorum à cap. 13. vsque ad 16. iussit enim Dominus mitti viros duodecim de singulis scilicet tribubus singulos, qui considerarent terram, quam eis se daturum promiserat; quintò peccatorum, à cap. 16. ad 26. cum enim populo Dei aduersarius, & hostis eius perpetuus, hanc fælicitatem inuideret, suis dolis & fraudibus effecit, vt multi ex numeratis principibus & hominibus facti fuerint partim rebelles aduersus Moysen, & Aaron, partim increduli; partim aliorum peccatorum rei; sextò genitorum in deserto à cap. 26. ad 33. extinctis enim propter varia peccata, ex ijs, qui supra numerati fuerunt, multis milliaribus, Moyses & Eleazar ex præcepto diuino iterū numerauerunt omnem summam filiorū Israel de nouo genitorum in deserto, à 20. annis & supra, per domos, & cognationes suas, cunctos qui possent ad bella procedere: quorum summa fuit, sexcenta millia, & mille septingenti triginta.

ta; ſeptimò manſionum cap. 33. Nam vt totius proceſſus ab Aegypto vſque ad Iordanem, terminum ſcilicet terræ promiſſæ, perbreuem quaſi ſummam haberemus, deſcripta ſunt loca, in quibus filij Iſrael ſuas habuerunt māſiones: non quidem omnia, ſed tantùm ea in quibus i lis contigerunt aliqua notatu digna, manſiones autem huiuſmodi ſūt 42. videlicet ante tranſitum maris rubri 4. à mari rubro vſque ad montem Sinai, 8. à monte Sinai vſque ad Cades, 21. A Cades vſque ad campeſtria Moab, 9. Octauus & vltimus ordo, ſiue numerus eſt præſidiorum à capite 34. vſque ad finem; vbi enim ventum eſt in montana Moab ad fines terræ promiſſæ, primùm factum eſt præceptum Iſraelitis diſperdendi cunctos habitatores terræ illius; confringendi titulos; comminuendi ſtatuas; vaſtandi omnia excelſa; mundandi terram; habitandi in ea. Deinde diuiſio totius terræ in quatuor partes Meridionalem, Orientalem, Occidentalem, & Septentrionalem, per Eleazar, Ioſue & deputatos ex ſingulis tribubus vnum; & ciuitatum, ac ſuburbiorum, pro habitatione Leuitarum, quibus deſtinata fuerunt oppida 48. vt in ipſis maneant, & ſuburbia totidem quę ſint pro iumentis & pecoribus. Poſtea pro refugio, vt confugiat ad eas, qui nolens fuderit ſanguinem, ex illis iiſdem 48. Leuitis ad habitandum datis ſex deſignatæ ſunt, tres trans Iordanem, & tres in terra Chanaan, quibus Deus alias tres addi iuſſit Deuteron. cap. 19. verſ. 9. tunc ſcilicet, cum magis dilatati eſſent termini Hebræorum. Vltimo loco fuit promulgatio legum connubiorum, & hęreditatum. Vt autem in omnibus ſupradictis ſummoperè commendatur Dei ductoris, & dominatoris potentia, ac ſapientia; ita etiam pręſignata fuere multa legis Euāgelicæ, populique Chriſtiani myſteria, de quibus videndi ſunt interpretes.

Complectitur hic liber narrationem & geſta Moſis ac Hebræorum à ſecundo menſe anni ſecundi egreſſus eorum ex Aegypto, vſque ad finem penè vitæ Moyſis, ſiue peregrinationis 40. annorū in deſerto, videlicet vſque ad initium menſis vndecimi anni quadrageſimi; nā ab illo menſe vndecimo anni quadrageſimi incipit ſequens liber Deuteronomij, vt patet ſi conferatur verſ. 1. cap. 1. Numeri cum verſu 3. cap. 1. Deuteron. Continent igitur numeri hiſtoriam circiter 39. annorum, ſiue 38. annorum, & menſium decem, videlicet ab anno mundi 2455. vſque ad annum 2494. In huius etiam libri vigeſimo primo capite verſ. 14. fit mentio libri bellorum Dei, his verbis; *Vndè dicitur in libro bellorum Domini: ſicut fecit in mari rubro, ſic faciet in torrentibus Arnon*. Putant aliqui cum D. Auguſtino qu. 42. & Rabano, librum hunc non ſolum fuiſſe vetuſtiſſimum, & ante Pentatheuchum conſcriptum, verum etiam propheticum, quatenus per futurum *ſic faciet* videtur prædicere futuram victoriam ſub Moſe cōtra Amorrhæos. At alij docent poſterius ad illum eſſe conſcriptum, vt to *ſic faciet* idem ſit quod ſic fecit: videntur enim hæc, ſicut & aliqua alia, ab alio quopiam, qui Moyſis diaria hæc digeſſit, illi eſſe intexta vt dicetur capite ſubſequenti. Vtrum autem hic liber fuerit Sacer, & Canonicus, non ſatis conſtat, præſertim ex eo quod hic citetur, quia ſolet Scriptura mentionem etiam facere de libris non Canonicis, vt Paulus de Cretenſibus facit ad Titum cap. 1. Sed tàm de hoc libro, quàm de libris Enoch, Gad, Natan, Addo, & multorum aliorum quorum meminit ſcriptura, redibit ſermo infra cap. 61.

Iam ſatisfaciamus infidelium, & hæreticorum argumentis contra diuinam iſtius libri veritatem. Cap. 2. verſ. 39. quod dicitur; *Omnes Leuitæ viginti duo millia*; videtur falſum. Vniuerſim enim erant 22. millia trecenti. Nam Gerſonitæ erant 7500. Ceathitæ 8600. Meraritę 6200. quæ conflata faciunt 22300. Reſpondetur hic ideo numerata tantùm fuiſſe 22. millia, quia hæc ſurrogata ſunt pro totidem primogenitis Iſraelitarum, vt patet verſ. 41. ſequenti. Reliqui verò tre-

trecenti inter Leuitas primogeniti fuerint, ac proinde inter primogenitos censentur, non inter Leuitas in hac redemptione, vt pote qui & ipsi, vt primogeniti redimi deberent, non autem redimerent alios.

Cap. 4. vers. 2. Leuitas ministrare iubetur, *à trigesimo anno & supra*. cum tamen in Septuaginta habeatur *à 25. annis & supra*. Respondetur lectionem vulgatam esse retinendam; cui concordant Hebraica similiter & Chaldæa biblia: potestque cum Carthusiano & Lyrano prædicta discrepantia conciliari, vt iuxta Septuaginta 25. anno Leuitæ instruendi ad officium Leuiticum deputarentur; 30. verò anno iuxta Vulgatã, & Hebræam lectionem habiles admitterentur ad exercitium, inepti reijcerentur.

Cap. 5. vers. 18. vbi est sermo de poculo zelotypiæ, dicitur de Sacerdote, *ipse autem tenebit aquas amarissimas*; cum tamen iuxta Hebræum legendum sit, *& in manu Sacerdotis aqua amara deficere faciens*. Respondetur eumdẽ esse vtriusque lectionis sensum, & sic est differentia tantum verbalis, quæ veritati nihil efficit. Quod verò Vulgata verterit, *amarissimas*, in superlatiuo, idcirco factum est, quia lingua Hebraica superlatiuo caret, & plerumque sub verbo positiuo superlatiuum exprimit; cuius innumera sunt exempla in diuinis Scripturis.

Cap. 8. vers. 2. dicitur in vulgata: *Cum posueris septem lucernas, candelabrũ in australi parte erigatur. Hoc igitur præcipe vt lucernæ contra boream è regione respiciant ad mensam propositionis, contra eam partem, quam candelabrum respicit, lucere debebunt*. Vbi tamen solùm iuxta Hebræum legendum est; *Cumque accenderis lucernam, contra eam partem, quam candelabrum respicit, luceant septem lucernæ*. Respondetur præsupposito situ candelabri, quod erat in parte australi è regione contra Septentrionẽ, vbi erat mensa panum propositionis, omnes editiones quantùm ad sensum concordare. Nam in Hebræa legitur, vt modo diximus, vel, *quandò accendere facies lucernas contra faciem candelabri, lucere facies septem lucernas*. In Septuag. *Cum imposueris lucernas à parte secundum faciem candelabri, lucebunt septem lucernæ*. In Chaldaica; *cum accenderis lucernas contra faciem candelabri, septem lucernæ*. Idem autem est dicere *contra faciem candelabri*, vt habetur in præfatis editionibus, ac *in parte australi contra boream*, vt dicitur in vulgata; si quidem contra faciem candelabri erat septentrio, cum in parte australi situm esset, vt satis patet. Noster tamen interpres maioris claritatis, & explicationis gratia plura paraphrasticè suppleuit, & addidit ex libro Exodi cap. 25. 26. 40. vbi de situ candelabri fit mentio eodem modo, vt in hoc loco; plura, inquam, noster interpres ex hoc libro suppleuit, quam habeantur in Hebræo, vbi vt diximus tantum legitur, *contra eam partem, quam candelabrum respicit, lucere debebunt*; licet sensus sit idem; quasi enim dicitur, *constitue candelabrum cum suis lucernis in australi parte tabernaculi, ita vt lumen suum eiaculetur in partem borealem oppositam, in qua est mensa panum propositionis, vt eam illuminet*.

Cap. 11. vers. 14. dum dicitur; *non possum solus sustinere omnem hunc populum*; videtur iste textus alteri repugnare, aut iniuste conqueri Moyses, se solum sustinere populi gubernacula, cum Exodi cap. 18. habeamus eum ex soceri consilio elegisse tot millenarios, centenarios, & quinquagenarios, qui illum adiuuarent. Respondetur nullum ex istis duobus sequi; licet enim Exodi 18. ex suggestione Iethro, Moses in populo constituisset decanos & tribunos, qui lites populi deciderent; tamen vltimo appellatio semper erat ad Mosen. Adhęc, maiores causæ ad Mosen referebantur. Denique, ea quæ Deum, Deique cultum spectabãt, solus Moses decernebat; iuste igitur & verè hic dicere poterat Moyses; *Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia grauis est mihi*;

ad

ad quod onus leuandum Deus hic iubet deligi septuaginta viros, qui hæc tria, æquè vt Moyses præstarent: ideoque eos æque ac Mosen spiritu Prophetico insigniuit, vt familiariter Deum consulerent in dubijs, & ab eo edocerentur. Notandum est tamen, hos septuaginta non fuisse eosdem cum illis septuaginta, qui nō tàm delectu, quàm quasi fortuitò occurrentes, vel offerentes se comitati sunt Mosen, euntem ad colloquium Dei in Sina Exod. 24. 1. sed ex ijs & alijs hi Septuaginta à Mose delecti, & à Deo confirmati fuerunt. Manserunt hi 70. deinceps, & continuos habuere successores etiā in Chanaan, sed carentes spiritu Prophetico. Nam solo consilio suo aderant Pontifici, qui Deuter. 17. summus Hebræorum statuitur iudex, erantque eius consiliarij. Vndè concilium horum cum Pontifice summum erat, quod ab Hebræis vocatum est Sanhedrim, Græco συνέδριον, de quo videri potest Galatinus lib. 4. cap. 5. Atque hi seniores fuerunt, qui Matth. 26. & 27. in magno illo suo συνεδρίῳ siue concilio, Christum Dominum mortis reum proclamarunt, & Pilato occidendum tradiderunt.

Cap. 12. versu 1. Quod vxor Moysis Sephora vocetur Aethiopissa; videtur pugnare cū textu Exodi cap. 2. v. 16. vbi dicitur fuisse Madianitis ex Arabia. Respondetur eiusmodi textus minime pugnare, rectèque Sephoram hic vocari Aethiopissam, quia erat Madianitis. Madianitæ enim in scriptura vocantur Aethiopes, vt patet Abacuc 3. vers. 7. & lib. 2. Paralip. cap. 14. Duplex enim in scriptura est Aethiopia, vna Occidentalis vltra Aegyptum in Africa, quæ etiam Abasia, vel Abyssia dicitur, vbi modo regnat Preto-Ioannes, quæ sola iam vocatur Aethiopia; Altera est Orientalis, quæ dicitur Arabia, & complectebatur Ismaelitas, Amalecitas, Madianitas aliosq; què populos ad Arabicum sinum vergentes versus Austrum; ita cōmuniter interpretes: quibus in hac Aethiopiæ diuisione fauent Herodotus, & Plinius.

Cap. 22. vers. 20. vbi Deus veniam eundi Balaamo ad Balac regem Moab concedit; videtur pugnare cum vers. 22. & sequentibus; vbi dicitur; *Et iratus est Deus. Stetitque Angelus Domini in via contra Balaam.* Respondetur similiter ista nequaquam inter se pugnare; Licet enim Deus concessisset Balaam abitum ad Balac, cum hac tamen conditione, vt nihil aliud faceret aut diceret nisi quod ei precepturus esset. Vndè quia Balaam in itinere auaritia victus animo statuebat, si aliquo modo maledicere posset Hebræis, quod erat omninò contra Dei præceptum ac voluntatē, audierat enim ab illo vers. 12. *Neque maledicas populo quia benedictus est.* Merito Deus illi dicitur iratus; quodque Angelus illum obiurgauerit vers. 32. *Veni*, inquit, *vt aduersarer tibi: quia peruersa est via tua, mihique contraria.*

Cap. 25. vers. 12. quòd dicitur, *Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quàm semini eius pactum sacerdotij sempiternum*; videtur ista Dei promissio facta Phinees omnino falsa; cùm 1. Reg. cap. 2. pontificatus paulo post ipsum translatus sit ex eius familia ad familiā Ithamar, puta ad Heli; nam vt docet Iosephus lib. 5. Antiquitat. cap. vltimo, & lib. 8. cap. 1. Eleazaro in pontificatu successit filius Phinees, huic filius Abieser, huic filius Boui, huic filius Osis; à quo translatus est ad Heli, qui fuit de familia Ithamar, vt patet 1. Paralip. cap. 24. cui successit, ex filio Phinees, nepos Achitob, huic filius Abias, huic frater Achimelech, huic filius Abiathar, vti docet Torniellus ad annū mundi 2940. à quo rursum Salomon Pontificatum transtulit ad Sadoc, qui erat de familia Eleazari & Phinees. Respondetur fœdus hoc, siue promissionem, non fuisse absolutam, sed conditionatam, nempè si posteri Phinees in fide, pietate, ac Dei cultu perseuerassent; quia autem peccauerunt, ideo sua culpa pontificatu priuari, & excidere meruerunt; fœdera namque quia mutua, obligationem vtrique parti inducunt: ita Dionys. Carthus.

vndè etiam resipiscentibus illis tempore Dauidis & Salomonis pontificatus ipsis restitutus fuit, quem retinuerunt semper saltem vsque ad Herodis tempora, quādò non amplius iure successionis, sed pretio, vel gratia principum hic honor obtinebatur; & sic Caietanus ait promissionem hanc Phinees fuisse iuris, nō facti; iure enim debebatur familiæ Phinees pontificatus in sempiternum: sed de facto translatum fuit ad Heli, ad breue tempus, ponentibus obicem iuri suo filijs Phinees per peccata sua. Secundò dici potest promitti hic Phinees pontificatum in perpetuum, hoc sensu, quod eo non sit spoliandus iugiter, sicut spoliatus est Heli; sed quod Pontificatus illius familiæ adhærebit, vsque ad finem Synagogæ Iudaismi: esto ad breue tempus interrumpatur, & transferatur ad Heli, eiusque posteros. paulò enim post redijt ad familiam Phinees, in eaque iugiter mansit vsque ad Christum; satis enim familiare est S. Scripturæ paruum numerum in magna multitudine non computare, nec æstimare, vt hic contingit.

Cap. 27. vers. 12. *Ascende in montem istum Abarim, & contemplare inde terrā, quam daturus sum filijs Israel*; videtur iste textus pugnare, cū alio Deuter. 34. vers. 1. vbi dicitur, *Ascendit Moyses super montem Nebo*. Respondetur nullam esse contradictionem; continuatio enim plurium montium vocabatur Abarim, cuius vna pars, seu iugum ad quod Moyses moriturus ascenderat, dicebatur Nebo; idemque mons secundum alias diuersas partes & iuga, varia habebat nomina; nam vocatur Phasga, Phagor, Excelsa Baal.

Cap. 35. vers. 4. vbi suburbana Leuitis dantur, ad mille passus circumcirca vrbes eorum, idque pro pabulo pecorum; videtur omnino contrariari sequenti, tam in vulgata, quàm in Hebr. Septuag. Chald. & alijs, versu 4. dantur Leuitis tantùm mille *amma*, id est cubiti; versu verò 5. sequenti dantur bis mille *amma*, id est cubiti; idque ad quamlibet mundi plagam. Multa pro solutione huius difficultatis adducunt interpretes, de quibus videri potest Cornelius à Lapide; qui supponendo tam vrbes, quam suburbana hæc, circulari, vel ouali forma fuisse, docet antilogiam hanc dupliciter solui, & conciliari posse: primò, si cum Caietano dicatur, suburbana hæc fuisse mille cubitorum; sed circulum, siue peripheriam ipsorum fuisse octo circiter millium cubitorum: ita vt peripheria hæc à quolibet mundi angulo, id est plaga, haberet bis mille cubitos, vel passus; cum enim vox Hebræa *amma* non tantùm cubitum, sed & passum significet, primò passum vers. 4. deinde mox cubitum vertit vers. 5. Secundò aptius hæc duo millia cubitorum accipi possunt, non in peripheria, sed in canthis, siue lineis à centro, puta à muris vrbis, ductis vsque ad peripheriam suburbanorum: hæ enim lineæ, cum sint binæ ad quamlibet mundi plagam, vt eam totam inter se capiant & comprehendant, faciunt vnum angulum in cētro, in quo coeunt, & duos angulos in peripheria, in qua terminantur, itaque faciunt triangulum. Sic igitur facile cōciliatur hæc antilogia, dicendo, suburbana tantum extensa fuisse, ad mille cubitos circumquaque, sed quamlibet plagam fuisse descriptam quasi per triangulum; ita vt duo haberet latera, quorum quodque erat mille cubitorum; ac consequenter vtrumque latus simul sūptum, erat bis mille cubitorum, pro vt in figura, quam præfatus author adducit, facile videre est.

Cap. 36. & vltimo, v. 8. quod dicitur in vulgata; *Omnes enim viri ducent vxores de tribu & cognatione sua; & cuncta fœminæ de eadem tribu maritos accipient: vt hæreditas permaneat in familijs &c.* videtur omnino falsum, nec posse consistere; nam tale præceptum Moyses, aut Dominus per Moysem nullibi dedit, imo potius videtur aduersari plurimis exemplis scripturarum; & in Hebræo limitatè dicitur: *Quæcumque filia hæreditatem aliquam possederit in tribu filio-*

filiorum Israel, nubat uni ex familia Patris sui; quod multum differt à textu vulgatæ, vbi contra plura scripturarum exempla, in Dauid respectu Michol; in Boos respectu Ruth; in Elisabeth matre Ioannis Baptistæ, quæ erat de filiabus Aaron, & tamen cognata Virginis Mariæ, quæ fuit de tribu Leui, videtur statui lex vniuersalis, quod *omnes viri ducent vxores de tribu sua*; & vice versa, *cunctæ fæminæ de eadem tribu maritos accipient*. Respondetur iampridem Rabbi Paulum hanc difficultatem contra vulgatam mouisse apud Carthusianum; quam iam Nouatores nulla calumniandi vulgatam occasione relicta, pro suo in Ecclesiam odio, mirum in modum inculcant, quasi noster interpres in hac parte grauiter errauerit, textumque hebræum corruperit; verùm quam friuolè id dicatur patebit statim; etsi enim varietas responsionum, iuxta diuersa doctorum placita, hanc obiectionem aliquo modo difficilem reddere videatur; omnium tamen planissima est illa, qua dicitur sensum legis tàm vulgatæ editionis, quam textus Hebraici eumdem penitus esse; debereque intelligi non de omnibus omnino, sed tantùm de fæminis, quæ succedebant in hæreditatem patris ob defectum prolis masculæ, & viciſsim de viris, qui tales fæminas ducebant; tales enim fæminæ non poterant nubere alicui, qui non esset de tribu sua, & nullus vir poterat eas accipere, etiam si ipsæ voluissent, nisi esset de earum tribu: vnde lex communis quidem fuit, & viris, & mulieribus, sed tamen propter mulierum bona. Hunc autem esse verum legis sensum, patet primò ex quæstione proposita vers. 2. & 3. istius capitis. Ibi enim tantùm quærebatur, quomodo occurrendum esset, ne hæreditas filiarum Salphaad (quæ deficiente prole mascula, erant hæredes patris sui Salphaad) ad alienam tribum deuolueretur; cui quæstioni respondet Moyses, modumque congruum quo id fiat, præscribit, dicens: *nubant quibus volunt, tantùm vt sua tribus hominibus*; idque deindè generali sanctione, omnibus eiusmodi fæminis & viris præcipit. Secundò idem patet ex fine legis, quem subdit hic Moses dicens; *vt hæreditas permaneat in familijs*; ad hoc enim sufficit, fæminas illas quæ hæredes sunt, non nubere in alia tribu; impertinens verò est, id ipsum ad alias omnes extendere: nam aliæ cum non habeant hæreditatem, neutiquam eam in aliam tribum transferent, si in ea maritos accipiant: viri autem, suam hæreditatem ad fæminas alterius tribus, ac consequenter ad aliam tribum transferre nequeunt: proles enim sequuntur nomen patris non matris. Et hoc modo facile soluitur argumentum, satis fitque omnibus exemplis in eo allatis, dicendo legem hanc, de sola fæmina quæ hæreditatem adit, esse intelligendam.

Nec refert primò, quod noster interpres id non expresserit, sed potius generatim verterit? *Omnes viri ducēt vxores de tribu sua*; & vice versa, *cunctæ fæminæ de eadem tribu maritos accipient*. Dico enim primo ex hoc tantùm sequi, quod vulgata clarius & apertius potuerit hic sensum exprimere, quod si non præstitit, non propterea eius authoritati aut veritati præiudicatur, quasi sit male translata, aut corrupta; cum hic & similes defectus sint puræ negationis, & non priuationis, cum quibus semper stat integer, licet interdum non adeo clarus, sacræ scripturæ sensus. Obscuritas autem editionis vulgatæ in hoc loco consistit, quod nimis generaliter loqui videatur; respectu textus Hebræi loquentis duntaxat de fæminis nō de viris, nec de omnibus fæminis, sed ijs quæ habebant hæreditatem. Dico secundò non solùm nullam in re esse contradictionē, sed nec etiam in modo loquendi, clarissimeque vulgatam expressisse sensum textus Hebræi; etsi enim expresse non sit in vulgata limitatio illa, quam habet textus Hebræus; æquiualenter tamen cōtinetur: præsupposita enim tàm quæstione de filiabus Salphaad, quàm fine & ratione legis occasione illius datæ,

nem-

nempè, *vt hæreditas permaneat in familijs*; dùm dicitur; *Et cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipiant*; facilè intelligitur terminum illum vniuersalem ibi limitari ac modificari, nec distribuere absolutè, sed distributione accommoda, tantùm pro fœminis, quæ hæreditatem adeunt, & pro viris, qui tales coniuges accipiunt. Lex autem data viris, quam noster interpres vertit, *Omnes viri ducent vxores de tribu sua*; quamque aduersarij dicunt nō haberi in Hebræo, sufficienter imò clarissimè illis verbis comprehenditur: *filij Israel adhærebunt; vnusquisque in possessione tribus patrum suorum*; illud enim verbum, *adhærebunt*, non refertur ad possessionē, vt falsò putant aduersarij, vt sit sensus, adhærebunt possessioni, id est, manebūt in possessione tribus suæ; sed refertur ad coniugem, vt sit sensus, filij Israel adhærebunt, nimirum vxori, id est, coniungent matrimonio vnusquisque in possessione tribus suæ, id est, non transeundo per coniugium ad possessionem alterius tribus. Et hunc esse verum sensum, colligitur ex sequentibus, sequitur enim in textu Hebræo; *& omnis filia hæreditans possessionem adhærebit viro tribus suæ &c.* atque ita hunc locum intellexerunt Eusebius lib. 1. hist. cap. 6. Epiphanius hæresi 78. Ambrosius in cap. 3. Lucæ, Damascenus lib. 4. cap. 15. Beda in cap. 1. Lucæ. Deinde dato, quod verbum, *adhærebunt*, in textu hebræo deberet referri ad possessionem, vt mox dicebatur, nihil indè sequitur contra vulgatæ veritatem in vertendo; sed potius, cum hoc non posset fieri, nisi accipiendo sanguine sibi iunctam vxorem, vniuersaliter loquendo; quæ pro hæreditate capessenda proximitas, & cognatio in hebraico fonte latitabat obscurius, expressior posita est à vulgato. Nunquam enim hereditates seu sortes vt à Domino diuisæ erāt obtineri potuissent, si licuisset ex alijs familijs, & tribubus indiscriminatim, vel vniuersaliter vxores copulari; vt satis patet in casu, quo fœminæ succedebant in hereditatem patris, ob defectū prolis masculæ.

Quod si dicatur secundo, si non erat necessarium absolutè, & vniuersaliter secundum legem Moysis, quod viri ducerent vxores ex eadem tribu, sed tantùm quandò adibant hereditatē Patris, perinde sequi S. Mattheū inefficaciter probasse, quod Christus esset de tribu Iuda, connumerando ex illa descendentiam Ioseph sponsi Virginis, quia cum Ioseph non esset pater naturalis Christi, si potuit ducere vxorem ex alia tribu, non sequitur ex eo quod duxerit Mariam, illam esse de tribu Iuda. Respondetur, quod cum Maria esset vnica filia suorum parentum, ex necessitate illorum hereditatem accipiebat, fœminæ verò accipientes talem hereditatem, etiam necessario debebant nubere viro eiusdē tribus, vt satis patet ex dictis; & ita rectè sequitur, Mariam fuisse de tribu Iuda, ex eo quod Ioseph fuerit ex illa, de quo redibit sermo infra.

CAPVT XXIII.

De Libro Deuteronomij.

HVnc quoque Deuteronomij librū, diuinam & à Deo inspiratam cōtinere Scripturam, patet primò ex traditione, & definitione Ecclesiæ; deinde illà supposita, quod in nouo testamento, viginti quatuor ferè ad verbum, multò autem plura quoad sensum, ex eo testimonia producantur. Tertiò ex Sanctis Patribus; præterquam quod enim omnes illum citant passim in suis operibus; aliqui etiam illorum suis commentarijs, & quæstionibus illum illustrarūt. Theodoretus, Augustinus, Procopius, Beda, Rupertus.

Circa huius libri authorem, putant aliqui Moysem illum non scripsisse, sed tantùm dictasse, posteaque eius verba à Iosue, aut ab alijs fuisse in librum collecta; eo quod in eius principio nullius scripti, sed verborum tantùm Moysis fit mentio; deindè in fine de eiusdē Moysis obitu agitur, quem describere non potuit, nisi spiritu prophetico præuiderit.

rit. Communior tamen ac verior sententia est, authorem Deuteronomij, vti & totius Pentateuchi, esse Moysem, qui illud primò populo viua voce promulgauit, deinde illud ipsum ijs scripto reliquit, vt expresse dicitur Deuteron. 31. vers. 8. *Scripsit itaque Moyses legem hanc, & tradidit eam Sacerdotibus*. & vers. 24. *Postquam ergo scripsit Moyses verba legis huius in volumine atque compleuit &c.* Neque obstant argumenta primæ sententiæ: non primum quia communiter Scriptores sacri, in principio suorum librorum, præcipuè Prophetæ non solent dicere, se scripsisse, sed dixisse, vidisse aut audijsse, sicut hic dicitur de Moyse cap. 1. vers. 1. Secundum autem argumentum solùm probat, vltimum caput, vbi mors & sepultura Moysis describitur, non ab eo, sed ab Esdra, vel potius, à Iosue discipulo & successore Moysis, scriptum esse; quod nos libenter admittimus. Licet enim Philo in vita Moysis, & Iosephus lib. 4. Antiquitat. cap. vltimò putent hęc prophetice ab ipso Moyse, ante mortem esse conscripta: tamen contrarium est verius; illudque significant tum alia, tum illa verba: *Et non cognouit homo sepulchrũ eius, vsque in præsentem diem*. quæ planè de tempore, quod mortem eius secutum est, accipiẽda sunt. Sic non à Moyse, sed ab alio quopiam, vt videtur, laus mansuetudinis Moysis intertexta est numer. 12. 3. & cap. 21. ab alio pariter additi sunt versus 14. 15. 27. Sic Genes. cap. 14. v. 15. Vrbs Lais vocatur Dan, cum diu post tempora Moysis, vocata sit Dan. quare etiam nomen *Dan* ibi pro *Lais* substitutum est, non à Iosue, sed ab alio qui posterius vixit.

Dixit autem, & simul scripsit Moyses Deuteronomium anno 120. & vltimo vitæ suæ, qui fuit mundi 2493. idque paucis & vltimis penè anni illius septimanis, vt colligitur ex eo, quòd scriptum sit Deuteronomium post mortem Aaronis, quæ contigit eodem anno, mẽse quinto, vt patet Numer. 20. v. 28. & 33. vers. 38. atque post victoriam de Og & Sehon, post prophetiam Balaam, post cladem Beelphegor, post censum populi, post bellum Madianiticum, & alia, quæ à cap. 20. Numer. vsque ad finem enarrantur. Hæc enim omnia secuta sunt mortem Aaronis; atque post hęc omnia, Moyses paulo ante mortem cœpit promulgare, ac deinde conscribere Deuteronomium, nempè mense vndecimo anni quadragesimi exitus ab Aegypto, prima die mensis, vti expresse dicitur Deuter. cap. 1. vers. 3. Qui vndecimus mensis fuit *Sebet*, nostro Ianuario respondens: Primus enim Hebræorum mensis, loquendo de anno sacro, erat *Nisan*, puta Martius, vt diximus supra cap. 20. ac consequenter vndecimus erat Ianuarius; duodecimus Februarius.

Cum autem Pentateuchus integer, olim apud Hebræos vnus tantùm esset liber legis, vnde & Hebraicè *thora*, & Latinè *lex* à Christo & Euangelistis passim vocatur in nouo testamento, postea secundum quintuplicem materiam quam tractat, distinctus fuit in quinque partes, seu libros: quorum vltimum à prima eius voce, vt de alijs diximus, appellant Hebræi *elle hadebbarim*, id est, *ista sunt verba*, à Græcis verò interpretibus, ac primum à Septuaginta Deuteronomion, id est, secunda lex, & à Rabbinis *misne*, id est iteratio legis fuit appellatus; non quasi nouam & aliam à præcedentibus legem contineat, sed quòd legis in monte Sina, à Deo ante annos 38. annos latæ, & tribus superioribus libris descriptæ, sit quædam repetitio. Quod à Moyse non sine multis factum est causis; *prima*, vel vt obscura declararet, vel omissa suppleret. *Secunda*, cùm senes omnes, qui ex Aegypto egressi fuerant, & primam legem in Sina audierant, iam mortui essent, & populus præsens esset nouus, qui priorem legem promulgatam non audierat, necessum fuit, vt hac secunda legis promulgatione, iterato Deus nouum cum Hebręis fœdus iniret, vt dicitur cap. 29. vers. 1. *Tertia*, vt superioribus adderetur libris veluti Enchiridion, & com-

& compendium totius philosophię cælestis, & quasi commentarius, & explanatio Decalogi, quem facilius Hebræi memoriæ mandarent. Etenim prætermissis illis, quæ ad Leuitas, & Sacerdotes pertinent, tantum ea docentur, quæ vulgo, & populo erāt necessaria. *Quarta*, quia Moyses iam moriturus, vltimumque suis, sibique commissis Hebræis, quos præ vita sua diligebat, valedicturus, hac repetitione legem profundius, atque tenacius imprimere, & inculcare voluit. Vltima enim parentum, Principum & Doctorum verba, tenacius filijs, & subditis inhærere solent.

Præcipuæ Deuteronomij partes sunt septem, continet enim repetitionem, siue summam & Epitomen 1. itineris & laborum ab Israelitis perpessorum, à principio vsque ad cap. 4. 2. fœderis, & præceptorum Iudicialium, Cæremonialium, Moralium, à cap. 4. vsque ad cap. 27. 3. officiorum Ecclesiasticorum, quæ per discursum hinc inde repetuntur 4. Benedictionum, siue promissionum diuinarum, quæ filijs mandata Dei obseruantibus paratæ sunt, à cap. 27. vsque ad 33. 5. maledictionum, siue pænarum, quæ in legum transgressores ibidem constitutæ sunt. 6. prædictionum, quandò Moyses iam moriturus, benedicendo filijs Israel, quæ cuilibet tribui futura erant, breuiter exposuit atque prophetauit cap. 33. Quibus peractis ipse deinde Moyses moritur, defletur ab Israelitis, sepelitur à Deo, substituitur ei Iosue cap. 34. D. Hieronymus epistola ad fabiolam de 42. mansionibus circa finem, vocat hunc librum meditatorium Euangelij, hoc est legis Euangelicæ præfigurationem; quatenus, ait Beda, priora quatuor volumina, quatuor quidem Euangelia figurabāt eodem numero, Deuteronomium autem totum Euangelium, quia Deuteronomium nouata lex interpretatur; vel melius, quod Deuteronomium secunda lex, aut iteratio legis vocetur; significabat quod nouum testamentum veteri succedere deberet.

Præter hoc quod in Deuteronomio summatim repetuntur cuncta ferè quatuor priorum librorum gesta, complectitur insuper historiam duorum mensium anni quadragesimi, ab egressu ex Aegypto, nouissimæque mansionis tempus in campis Moabiticis, vbi & Moyses seruus Dei moritur, & sepelitur.

Examinemus iam quid infideles, & hæretici diuinæ huius libri authoritati opponant. Cap. 4. vers. 48. dicitur; *vsque ad montem Sion, qui est & Hermon*: vbi duæ contradictiones videntur esse, prima quod mons Hermon fit trans Iordanem; mons verò Sion Hierosolymæ; Secunda quod hic mons Hermon vocetur Sion, qui tamen capite tertio præcedenti vers. 8. dicitur Sarion, & Sanir. Respondetur alium esse hunc Sion, qui vocatur & Hermon, à Sion monte Hierosolymæ & templi; hic enim Sion erat ab alia Iordanis parte, & Hebraicè scribitur per *Schin*: Sion verò templi scribitur per *tsade*. Mons quoque Hermon triplex est in diuinis scripturis; Vnus in quem offendit Cylon fluuius extra fines Samariæ, cuius mentio fit Iosue vers. 13. *Qui habitant ad radices Hermon in terra Masphor*. Alter Monticulus paruulus est Galileæ inter montem Thabor, & locum Genesareth, in cuius latere Naim ciuitas est: de quo Psalm. 41. *Memor ero tui de terra Iordanis, & Hermonim à monte modico*. Et Psalm. 88. *Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt*. Tertius tandem (de quo tàm locis citatis Deuteronomij, quam Psalm. 132. fit mentio. *Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion*) est contiguus Lybano, eiusque quasi pars spectans ad orientem, quem vt dicit Sacer textus Sidonij Sarion vocauere, & Amorrhæi Sanir, alij Sion, vel Seon.

Capite 5. vers. 3. dicitur in vulgata: *Non cum patribus nostris inijt pactum, sed nobiscum*. Quod non videtur concordare cum eo quod legitur Genes. 15. v. 18. *In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abraham*. Si dicatur subaudiri, *istud*, quasi dicatur, illud fœdus non fuisse tale quale hic initum fuit, ibi enim solum Abrahamo

hamo promisit terram Chananæorum; hic verò omnes Abrahæ posteros in populum suum peculiaribus legibus, ac ceremonijs sibi adstrictos acceptat Deus, & illi vicissim acceptant eum in Deum, eiusque legibus se se adstringunt. Si hoc, inquam, respondeatur, instabit aliquis & dicet, ita quidem saluari quod nulla inter hos textus sit contradictio; cæterum malè fuisse translatum à vulgato interprete, cum in Hebræo legatur; *Non cum patribus nostris pepigit Iehoua pactum istud.* Respondetur indè tantùm sequi Hebræam lectionem maiorem in hoc habere emphasim, aut claritatem; nihil autem præiudicat veritati nostræ vulgatæ, aut integritati sensus, cum ex consequentibus facile subintelligatur prædicta particula *istud*, absque eo quod necessarium esset illam exprimere.

Capite 9. vers. 2. dicitur de filijs Enacim sine interrogatione; *quibus nullus potest ex aduerso resistere*: cum tamen Hebraicè per interrogationem proferatur. *Quis resistet ex aduerso filiorũ Henach?* Respondetur siue cum interrogatione, siue absque illa legatur iste locus, eumdem esse omnino sensum; imò prædicta interrogatio Hebraica: *Quis resistet ex aduerso filiorum Henach?* rectè in vulgata exprimitur per istam propositionẽ negatiuam, *Nullus potest ex aduerso resistere*. Cum enim sæpè numero ponantur interrogationes pro negationibus; congruè noster interpres illam interrogationem vertit in negationem.

Capite 10. vers. 18. in vulgata legitur; *dat ei victum*; hebraicè autem est; לחם *panem*. Respondetur esse eumdem vtriusque lectionis sensum; quatenus secundum idiotismum hebraicum plerumque vsurpatur species pro genere, v. g. triticum pro omni genere fructuũ Oseę 9. & hic panis pro victu, siue pro omni esculento, vel potulento; pluribusque alijs in locis, 2. Reg. cap. 9. *Comedes panem in mea mensa semper*. Quod satis patet ex contextu, dum enim enuntiatur de Deo; *quod amat peregrinum, & dat ei panem*; certum est hoc non debere restringi ad solum panem in specie; sed intelligi de omni victu, prout vertit noster interpres.

Cap. 11. vers. 10. dicitur de terra promissionis; *Non est sicut terra Aegypti, de qua existi, vbi iacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ*. Hebraicè autem est, *quàm rigabas pede, sicut hortum*. Vbi videtur esse magna differentia inter vulgatam, & textum Hebræum. Respondetur istas duas lectiones minimè quo ad sensum dissentire; ibi enim Scriptura vult tantùm significare discrimen inter Aegyptum, & terram promissionis quod in ista, quia campestris & montuosa, terra sine labore tùm ex montibus, tum maximè ex cælo, & cælesti pluuia abundè irriganda erat; in Aegypto autem labore opus erat, deducendo scilicet aquas ex flumine Nilo in campos, per sulcos & fossas, vti in hortis fieri solet; quod cum fieri non possit nisi labore, tum fodiendo, tum huc illud discurrendo, propterea in Hebręo ad significandum huiusmodi laborem dicitur, *quã rigabas pede, sicut hortum*; rigare enim pede, est rigare labore, & fossione sua; noster autem interpres veluti ab effectu clarius hunc laborem expressit, dicendo quod in Aegypto, *in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ*; vndè aquas in campos, vel terram duci irriguis, & terram rigari pede, idem penitus significant, laborem videlicet in irrigando, diuersa tantùm phrasi, vel modo loquendi.

Cap. 15. vers. 4. quod dicitur: *Et omnino indigens, vel mendicus non erit inter vos*; videtur pugnare cum versu 11. eiusdem capitis; *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ*; & cum illo Matth. 26. *Pauperes semper habebitis vobiscum*. Conciliat Vatablus hæc loca, dicendo apud Hebræos fuisse priuatos pauperes, nullos autem mendicos publicos, vti obseruatur in aliquibus ciuitatibus, aut rebus publicis bene ordinatis. Melius tamen respondetur præfato versu 4. contineri præceptum, quo Deus pauperibus subueniendum esse iubet; quasi dicat, curate pro posse vestro, vt non sint inter

vos

vos indigentes, & mendici, mutuando videlicet pauperibus, pręsertim infirmis, aut inualidis ea, quibus indigent, illisque ea remittendo anno septimo, si ante ea soluere & reddere nequiuerint. Cum quo rectè consistit, id quod dicitur versu 11. *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ*; ibi enim pauperes fore significat, hic verò eis subueniri iubet. Voluit enim Deus semper inter Hebręos esse aliquos pauperes, vt diuites haberent occasionem misericordię, in eos exercendæ.

Cap. 16. vers. 1. dicitur in vulgata; *Obserua mensem nouarum frugum, & verni primum temporis*; vbi vltima verba videntur superflua cum nec in Hebræo, nec apud Septuaginta habeantur. Respõdetur quod dicit Hebr. *Obserua mensem primarum Aristarum*; puta Nisan, siue Martium, quo in terra promissionis incipiunt spicæ hordeaceæ flauescere: illę enim offerebantur in Paschate, scilicet secundo die azymorum, vt patet Leuit. 2.14. & Leuit. 23.10. Idem est, ac dicere, mensem nouarum frugum, & verni primum temporis, vt maioris claritatis gratia vertit vulgatus interpres.

Cap. 23. vers. 1. quod dicitur; *Non intrabit Eunuchus &c. Ecclesiam Domini*: videtur pugnare cum alio loco Isaiæ 56. vers. 5. *Eunuchis qui tenuerint fœdus meũ, dabo in domo mea locum*, & Actorum 8. vers. 27. *Ecce vir Aethiops Eunuchus venerat adorare in Hierusalem*. Respondetur per Ecclesiam, hic non intelligi templum, nec religionem Iudaicam, quasi Eunuchi, Ammonitæ, Moabitæ, & alij, qui in hoc capite recensentur, arcerentur ab illis, hoc enim alienum videtur à Dei bonitate, satisque patet ex alijs scripturæ locis, quemlibet ex prædictis potuisse fieri proselytum, itaque admitti ad Phase, aliaque sacra Iudæorum, vt constat Exodi 12.48. Dum ergò de illis dicitur, quod non intrabunt *in Ecclesiam*, vel vt habet lectio Hebræa, *in congregationem Dei*; per Ecclesiam intelliguntur primores Ecclesiæ, & cætus Iudæorum, quasi dicat, Eunuchus &c. non erit è magistratu Iudæorum; vel latius, loquitur textus de iure ciuium, aut societate politica Iudæorum, vt prædicti non haberentur ciues, nec haberent ius ciuicum apud Iudæos. Sic enim sumitur Ecclesia pro cætu populi Numer. 20.4. & Iudic. 20.2. vbi dicitur: *Cunctæ tribus Israel in Ecclesiam Dei conuenerunt*. Cum hac tamen exceptione sumenda est ista lex, si nimirum tam præclara essent merita, poterat aliquis populo adcenseri, vt concessum fuit Rahab meretrici Iosue 6. & Achior Ammonitæ Iudith 4. & alijs, qui iura ciuium adepti sunt.

Cap. 27. vers. 25. in aliquibus editionibus Latinis dicitur; *Maledictus, qui dormit cum vxore proximi sui*; quæ tamen maledictio nec habetur in Hebræo, nec apud Septuaginta; Respondetur in nonnullis quidem codicibus librariorum incuria fuisse mendosè additam prędictam maledictionem; quam vulgata Sixti V. iussu Clementis VIII. correcta & publicata expunxit.

Capite 33. vers. 12. *Et Beniamin ait: Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo*; Hæc Mosis benedictio non videtur adimpleta, quatenus templum & ipsa Hierusalem, de quibus videtur ibi loqui, erant in tribu Iuda; vt dicitur Iosue 15. vers. 18. item Psalm. 77. *Elegit tribum Iuda, montem Sion*. Respondetur licet pars Hierosolymæ superior australis, vbi erat mons Sion, pertineret ad Tribum Iuda, pars tamen inferior, & septentrionalis cum intermedio monte Moria, in quo templum extructum fuerat, pertinebat ad tribum Beniamin, siue in Sorte illius erat; vndè quando dicitur Deus habitasse in Sion, est figura Synecdoche, quatenus Sion sumitur pro tota vrbe Hierosolyma, cuius tamen pars duntaxat erat.

CAPVT XXIV.

De libro Iosue.

QVi circa hunc librum errauerint, vel diuinam eius authoritatem reiecerint, non inueniuntur nisi soli Samaritani, & eorum asseclæ, qui veteris testamenti solum Pentateuchum admittentes, hunc consequenter cum alijs libris de medio sustulerunt. Cæterùm illum inter sacros, aut canonicos libros reponendum esse, primùm demonstrat constans ac perpetua Ecclesiæ tum traditio, tum definitio; Secundò quod in nouo testamento citetur à D. Paulo Hebræor. 13. vers. 5. *Non te deseram neque derelinquam*; Tertiò quod Sancti Patres illius testimonijs passim vtantur; & eorum etiam aliqui suis commentarijs illum illustrarint; Origenes in Homilijs 26. qui more suo moralis est; ad litteram Theodoretus, Procopius, & S. Augustinus per quæstiones 30. quę extant to. 4. post quæstiones in Genesim, totumque Pentatheucum. Posteriori sæculo Rupertus, Lyranus, Hugo Cardinalis, & Dionysius Carthusianus.

Circa huius libri authorem varia sunt doctorum placita; aliqui enim vt Dionysius Carthusianus Magister Historiæ Scholasticæ, Vatablus & alij putant cum Hebræis ab ipso Iosue istum scriptum fuisse; idque satis significari cap. vltimo vers. 26. vbi de illo dicitur: *Scripsit omnia verba hæc in volumine legis Domini*; sicut enim Moyses sua gesta scripsit in Pentatheuco, sic & Iosue Mosis discipulus & successor fortissimus sua hic describit; perindè ac Iulius Cæsar sua acta & bella in ipsis castris sigillatim conscripsit, indeque librum vocauit commentarium de bello Gallico &c. non quidem ad posteritatis vtilitatem vt Iosue; sed ad gloriæ bellicæ virtutis immortalitatem. Alij vt Abulensis, vt Andreas Masius opinantur hunc librum longè post mortem Iosue ex antiquis diarijs & annalibus (qui cap. 10. vers. 13. vocantur liber iustorum) ab aliquo spiritu Dei afflato siue Propheta fuisse collectum, puta ab Esdra, vt sentit Masius; vel à Samuele, vt Abulensis; quod etiam verisimilius esse docent moderni interpretes Magalianus, & Cornelius à Lapide; ex Theodoreto quæst. 13. in Iosue, & ex D. Athanasio in synopsi Sacræ Scripturæ. Existimarem ego istas duas sententias facile ad concordiam reuocari posse, dicēdo primùm Iosue, vel eius amanuensem per modum diarij, & annalium suam historiam & res gestas conscripsisse, postea verò Samuelem, vel Esdram, vel etiam Eleazarum Aaronis filium Sacerdotem, qui comes & socius Iosue fuit, diuinitus illos in vnum volumen collegisse, atque digessisse, adiungendo illi tam ipsius Iosue & Eleazari mortem, quam aliqua alia quæ post eam contigere, vti sunt ea quæ cap. 15. de Axa filia Caleb, & cap. 19. de filijs Dan narrantur; quemadmodum superiori capite de Pentateucho Moysis diximus; & de alijs Scripturæ libris iterum infra notabimus. Verum quicquid sit de proximo huius libri authore in particulari parum ad illius authoritatem refert, cum certa fides nos doceat potissimùm authorem esse Spiritum Sanctum; consentiantque omnes Prophetam fuisse qui illum scripsit. Quod si tamen Iosue illius author fuit, vt modo dicto probabilius nobis videtur, scripsit illum vltimo tempore suæ vitæ; tum, quia id ratio historiæ exigit, saltem eius complementum, tum etiam, quoniam Iosue vltimo, postquam dicitur: *Scripsit quoque omnia verba hæc*: statim subditur: *Et post hæc mortuus est*: Quæ verba videntur manifestè nostram demonstrare sententiam, tam de tempore scriptionis, quam quod Iosue librum hunc ediderit; cùm enim non constet, alium librum, quam hunc, scripsisse Iosue, nec de vllo alio tanta possit esse ratio, quàm de isto, necessariò de illo debent intelligi relatæ Scripturæ verba; Et hinc etiam est, quod hic liber incipit à coniunctione, *&*, copulatiua, *Et factum est post mortem Moysi serui Domini*; quasi pendeat illius principium

cipium

cipium à fine Deuteronomij, quia Iosue, qui hunc librum scripsit, scripserat quoque finem Deuteronomij, ab eo scilicet loco, vbi agitur de morte, ac sepultura Moysis.

Inscribitur hic liber Iosue, non tàm ex eo quod illius sit author, hoc enim vt statim vidimus in dubium vocatur à multis, quàm ex eo quod gesta Iosue describit, quibus ille Chananæam bello subegit, illamque duodecim tribubus diuisit, ac Rempublicam Israelis in eadem constituit, eamdemque tam in pace quàm in bello prudentissime gubernauit. Quem nos cum Latinis interpretibus vocamus Iosue, appellāt fere Græci omnes Ἰησοῦς Ναυὴ, siue *Iesum filium Naue* & D. Hieronymus, *Iosue filiū Nun.* Non quod binominis esset, tam ipse, quam illius pater: sed quia quem Hebræa lingua vocat יהושע Iehosua; pro quo Hieronymus vertit Iosue, Septuaginta interpretes, quos Ecclesiastici cap. 46. Latinus interpres sequutus est, vocant Ἰησοῦν. Et quem Hebræa origo vocat *Nun*, Septuaginta interpretes, dicunt Ναυὴ, ad differentiam alterius Iesus, nēpe filij Sirach, auctoris Ecclesiastici, & alterius, filij Iosedech Sacerdotis. Prius tamen fuit vocatus הושע *Osee* Numeror. 13. vel *Ause*, teste Augustino in quæst. de veter. testamento cap. 80. Vel *Auxes* teste Ambrosio ad Roman. 9. Sed Moses in imponendis nominibus semper felix; vt solent parentes filijs charissimis interdum facere, adiectione vnius litteræ, & mutatione vnius puncti, vocauit eum *Iehosua*, vt legitur Numeror. 13. hoc est saluator, ad spem gerendi res maiores, & tanto dignas nomine; *Osee* autem, vel *Osea* dictus primùm fuit, ab *ose*, siue *osa*, quod est scribe, vel scribito, eo quod esset veluti amanuensis, & secretorum Mosis conscius.

Diuiditur hic liber in quatuor partes principales: In prima agitur de ingressu filiorum Israel in terram promissionis, à principio vsque ad cap. 6. In secunda de subuersione regnorum Impiorum à cap. 6. vsque ad 13. In tertia de diuisione terræ Sanctæ à cap. 13. ad 22. In quarta de institutione ducis tempore belli, & pacis cap. 22. & 23. deindè 24. de morte Iosue, & Eleazari. Ita vt causa, siue *sensus litteralis* in hoc libro principaliter intentus à Spiritu Sancto, fuerit, creationis mundi historiam à Mose cœptam, Ecclesiæ veteris continuam propagationem ordine temporum non interrupto pertexere; ac diuinæ prouidentiæ fidem in promissis præstandis toti mundo testatam facere. *Tropologicus*, siue *Moralis*, dare in Iosue Idæam optimi Imperatoris, Ducis, & Principis, tam in bello quam in pace Rempublicam gubernantis, multò excellentius quàm Xenophon descripserit in Cyro, Plato in Republica, Aristoteles in Politicis; quatenus omnes dotes in perfecto principe requisitæ mirificè in Iosue eluxerunt; vnde Tertullianus libro 3. contra Marcion. cap. 16. censet Iosue esse Angelum illum, ac ducem quem promisit Deus Exodi 23. dicens: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui te custodiat in via, & introducat in terram, quam paraui tibi*; dignusque plane est, quem omnes Christiani principes sibi ob oculos ponere, ac iugiter intueri & imitari debeant. *Allegoricus*, in Iosue pingere Iesum Christum, debellantem peccatum & omnem inferorum potestatem; de quo, ait Hieronymus in epistola ad Paulinum, typum Domini non tantùm gestis sed & nomine præferre. Et Origenes homil. 1. docet in hoc libro, gesta non tam Iesu Naue, quam sacramenta Iesu Domini nostri depingi: Vide Salianum tomo 2. Annalium ad annum mundi 2600. vbi omnia Iosue facta Christo adaptat. *Anagogicus* tandem, in eodem præsignare, qua ratione fidelis quisque ceu miles, septem, non gentibus, sed vitijs capitalibus animæ profligatis, victor in terram viuentium vincentibus promissam contēdere debeat; vt docet Origenes, Theodoretus, & Rupertus.

Quot annorum historiam, aut gesta contineat hic liber magna est difficultas; etsi

etsi enim certum sit ex scriptura Iosue vixisse centum & decem annos, vt dicitur cap. vltimo vers. 29. omnesque ferè consentiant illum per septem annos gessisse bella ad subigendam Chananæam, quæ omnia hic describuntur; inde tamen secuta pace, quot annis superstes fuerit & populum gubernarit Iosue, siue quod idem est, quoto anno principatus sui mortuus fuerit, valde incertum est; variant enim interpretes, & Chronologi. Serarius hic, & Henricus Philippi in quæstionibus Chronologicis in libro Iosue, duodecim eorum sententias referunt, è quibus duæ sunt probabiliores, pluresque habent auctores. Prior dat Iosue ducatui 17. vel 18. annos. posterior 27. & vtraque conciliari potest, si dicatur Iosue præcisè præfuisse annis 18. dumtaxat, septem videlicet tempore belli, & vndecim tempore pacis, illoque anno mortuum; sed librum Iosue extendi ad gesta post mortem ipsius, scilicet capite vltimo vers. 31. narrare quod Israel multis annis seruierit Domino, quamdiu scilicet vixit Eleazar, & Seniores, qui viderant opera & prodigia Dei pugnantis pro Israele, ac tandem mortuum esse Eleazarum, quod forte contigit sub annū 27. ab inchoato principatu Iosue: quamquam hi anni Seniorum post mortem Iosue excurrentes cōtineantur in annis Othonielis, qui successit Iosue, vt dicetur capite sequenti. Supposito igitur quod Iosue præfuerit populo tantum 18. annis, hęc erit annorum, siue Chronologiæ series. Moses mortuus est ab exitu Hebręorum ex Aegypto anno 40. qui fuit mundi 2494. Eodem anno inchoante Mosi successit Iosue, cui si tribuantur 18. anni ducatus, mortuus est ab exitu Hebręorum ex Aegypto anno 58. mundi 2512. talem enim summam efficit additio 18. annorum.

Diluamus iam infidelium, & hæreticorum obiectiones contra huius libri authoritatem. Cap. I. vers. 11. vbi dicitur; *Præparate vobis cibaria. Quoniam post diem tertium transibitis Iordanem*: videtur hoc manifeste pugnare cum alijs textibus. Nam capite sequenti Iosue misit exploratores in Iericho, qui præter tempus itus & reditus per triduum latuerunt in montanis. Quibus ad Iosue regressis, eius iussu Hebræi mouerunt castra ad Iordanem, ibique hæserunt tres alios dies, vt patet cap. 3. ver. 1. vndè vt minimum sex dies antecesserunt transitum Iordanis. Quomodò ergò dicitur: *Post diem tertium transibitis Iordanem*. Respondetur facilè hic esse Hysteron proteron, hoc est posterius prius; nam missio exploratorum, adeoque totum caput secundum præponendum est huic præcepto Iosue; voluit enim scriptura promptam obedientiam & executionem Iosue verbis iussuque Domini proximè subnectere, quomodo videlicet ipse mox totum populum ad transitum Iordanis à Domino præceptū & prædictum comparare se iusserit; ac deinde capite 2. redit ad ea quæ præcesserunt, quibus scilicet Iosue transitum hunc particulari ratione præmuniuit, mittendo prius exploratores; vndè isti tres dies, de quibus cap. I. vers. 11. fit mentio, sunt ijdem cum illis tribus diebus, qui habentur cap. 3. v. I. vbi dicitur Iosue mansisse cum Hebræis apud Iordanem per tres dies, ac postero die transisse Iordanem. Ita vt hic fuerit rei gestæ ordo: Iosue peracto tricenario luctu mortis Mosis, die 3. mensis primi Nisan, id est Martij, excitatus roboratusque à Deo, capessit populi ducatum. Vnde eodem die, ex Setim, vbi degebat, mittit duos exploratores, qui explorent Iericho distantem à Setim, teste Iosepho, sexaginta stadijs, id est septem milliaribus Italicis, quæ faciunt duas leucas Gallicas cum dimidia. Exploratores in Iericho excepti à Rahab, proditi, & quæsiti ab incolis, ab eadem Rahab occultè dimissi latuerunt in montanis per triduum: quare reuersi sunt ad Iosue sub finem diei 6. eiusdem mensis Nisan: quibus auditis Iosue nocte proximè sequente mouet castra ex Setim ad Iordanem, vbi tres dies commorans

iubet populum parare cibaria, cęteraque ad transitum Iordanis necessaria; vndè postera die quę fuit 10. Nisan, diuisum à Deo Iordanem sicco pede cum Hebræis transit. Sequenti vero 11. Nisan, Iosue populum circumcidit in Galgalis. Mox 14. die ad vesperam ibidem celebrant Pascha; cumque iam fruges terræ sufficerent alendo populo, deficit manna ningere cap. 5. ver. 12. Die autem 15. Nisan, Iosue iussu Dei circuit muros Iericho per septem dies, ac tandem die 7. quæ fuit 22. Nisan, clangentibus tubis corruunt muri Iericho. Hebræi eam ingressi succendunt, statuuntque æternum anathema, saluant Rahab, quam Salmon filius Nahasson princeps tribus Iuda sibi in vxorem adsciscit.

Capite 5. vers. 2. dicitur in vulgata; *Fac tibi cultros lapideos, & circumcide secundò filios Israel*; cùm tamen secundum textum Hebræum legi deberet; *fac tibi cultros acutos*. Respondetur multos quidem Hebraicum *tsurim*, vertisse *acutos*; quod etiam facit eumdem sensum cum vulgata; melius tamen illa cum Septuaginta, & alijs pluribus vertit lapideos. Hebr. enim צור *tsur* passim petram, lapidem & saxum significat. Vnde & *tsor* (indeque *Tor* & *Tyrus*) dicta est vrbs illa potens Phęniciæ, eo quòd in rupe maris esset ædificata, ideoque inexpugnabilis. Sic & Sephora vxor Mosis, cultro lapideo filios circumcidit Exodi 4. Litteralis huius causa fuit, quam dat Theodoretus, quod eo loci petrarũ erat copia, ferri verò & chalybis inopia. Versabantur enim Hebræi circa Arabiam, quæ à copia petrarum dicta est Petræa, vbi petras exacuunt instar ferri, & ex eis cultros faciunt acutissimos. Quod certè nemini mirum videri debet, cum Catullus Atyn castratum scribat silice:

Deuoluit ipse acuto sibi pondera silice.

Quin & Græcos olim silice calamos acuisse scribit Iulianus lib. 6. Epigrammatum.

Lapidem, qui obtusam acuit genam calami.

Capite 6. vers. 20. quod, *omni populo vociferante & clangentibus tubis muri Iericho corruerunt*; posset alicui infideli videri fabulosum: Respondetur ita quidem fore, si tàm hoc miraculum, quam alia multa, tribuerentur naturali clangentium tubarum, aut populi vociferantis virtuti; sed hoc non asserimus. Corruerunt enim muri Ierichuntini, impellentibus illos ad hoc signum sonumque Angelis, vel Deo concursum suum muris stantibus ad standum substrahente. Sicut enim Sole subtrahente radios suos lux euanescit, sic Deo subtrahente concursum suum res corruit, & perit. Quod nemini mirum videri debet, cùm omnis res sicut in sui creatione, sic & in sui cõseruatione intimè pendeat à Deo.

Capite 15. vers. 17. *Cepitque eam Othoniel filius Cenes frater Caleb iunior*. Videtur hoc pugnare cum cap. 32. Numer. vers. 12. vbi dicitur; *præter Caleb filium Iephone Cenesæum*. Ergo Caleb non erat frater Othonielis, sed Cenes. Respondetur primò, quod *frater* ibi, idem est ac cognatus, vndè Othoniel non dicitur absolutè frater Caleb, sed cum addito nempe frater iunior, siue minor; id est cognatus, puta fratris filius, siue nepos Calebi: nam Caleb non fuit filius Cenes, sed Iephone, vt constat ex loco citato Numer. ac proindè non potuit esse frater Germanus Othonielis, qui fuit filius Cenes. Cenes ergo fuit frater Calebi, & pater Othonielis. Vnde Septuaginta Vaticana & Romana habent ἀδελφοῦ, id est fratris; Regia tamen siue complutensia habent ἀδελφὸς. Chald. quoque & Vatabl. vertunt in genitiuo, *filius Cenes fratris Caleb*, siue filius Cenes, qui fuit frater Caleb Iunior. Hebræi enim sæpe subticent pronomina relatiua, & verbum est. Itaque hic videtur genuinus sensus; filius Cenes, qui (Cenes) fuit frater Caleb Iunior. Secundò Masius & alij censent Caleb vere fuisse fratrem Germanum Othonielis, sed vterinum dumtaxat, quod vterque eamdem habuerit matrē, ex qua Iephone genuerit Caleb, Cenes

verò genuerit Othonielem. Poterat enim licitè Othoniel, licet patruus ducere neptem suam ex fratre, puta Axam, quia Leuit. 18. vers. 9. prohibetur dumtaxat coniugium amitæ cum nepote, non autem neptis cum patruo. Vtraque sententia est valdè probabilis, versionique vulgatæ conformis, & nulla ex illis sequitur contradictio.

Cap. 21. vers. 36. *De tribu Ruben vltra Iordanem contra Iericho ciuitates refugij, Bosor in solitudine, Misor & Iaser & Iethson, & Mephaat, ciuitates quatuor cum suburbanis suis.* Primò obijcitur totum hunc versum in Hebræo iam deesse. Secundò quomodo sunt quatuor ciuitates, si numerantur quinque. Respondetur hunc versum in Hebræo quidem iam deesse; sed olim fuisse; nam Septuaginta illum habent, & nonnulli antiqui codices Hebraici, æquè ac Chaldæus, qui pro *Iaser* & *Iethson* legunt *Iassa* & *Cademoth*. Ita quoque legit noster 1. Paralipom. cap. 6. vers. 78. & 79. quare videntur hæ vrbes duo habuisse nomina. Quod dicitur secundò, quomodo sunt quatuor ciuitates si numerantur quinque, respondent aliqui, Misor & Iaser fuisse vnam eamdemque ciuitatem; vel secundò dici potest, ciuitates quatuor applicare tantùm supra Misor, Iaser, Iethson, & Mephaat; separatim à Bosor existente in solitudine.

CAPVT XXV.

De libro Iudicum.

PRo diuina huius libri authoritate habemus primò Ecclesiæ traditionem, ac definitionem; Secundò, quod etsi nullus ex eo locus ad verbum citatus inueniatur in nouo testamento, plura tamen quo ad sensum; quatenus multa mysteria pertinentia ad Saluatoris legisque Euangelicæ Oeconomiam fuerunt in illo mirabiliter præsignata, vt statim amplius dicetur. Tertiò suffragium Sanctorum Patrum, præterquam quod enim omnes passim in suis operibus huius libri testimonijs vtuntur, aliqui insuper commentaria in illum scripserunt, vt Origenes, Theodoretus, Procopius, Sanctus Augustinus, Isidorus, Hugo Victorinus.

Quis hunc librum scripserit vix certo definiri potest. Aliqui enim, in quibus est Author Histor. Scholasticæ, Ezechiam faciunt illius authorem; alij vt Masius Iosue 6. malunt fuisse Esdram, sunt qui tertiò putent Scriptorem huius libri extitisse Samuelem; quæ sententia vt est communior inter doctores, ita etiam videtur probabilior; si tamen cum Theodoreto dicatur quæst. 1. eum ex antiquis diarijs & annalibus, quibus index quisque, aut alius eius tempore conscribebat, quæ posteritatis memoria magis digna viderentur, collegisse, & in hunc librum scribendo redegisse. Eamque esse causam ait Abulensis cap. 1. Iudic. quæst. 22. cur in hoc libro, de Samuele, & Heli, summum sit silentium; noluit enim Samuel modestię causa de suis rebus agere; ac consequenter, nec de gestis Heli, cum suis essent necessario annexa. Nec obstat quod cap. 1. vers. 8. & 21. mentio fiat Vrbis Hierusalem, quod nomen omnium Iudicum, atque adeò Samuelis etiam recentius est ætate; & cap. 18. captiuitatis, quæ multo post Samuelis mortem contigit. Respondent enim aliqui hæc ab Esdra, vel Propheta aliquo posteriori facilè contextui sacro addi potuisse. Verius tamen reputo non esse certum assumptum de nouitate nominis Hierusalem, neque sufficienter probari; vndè non est, vt propterea Samuelem huius libri Scriptorem fuisse negetur, satis idonea ratio. Similiter quod dicitur cap. 18. vers. 30. *Posueruntque sibi sculptile, & Ionatham filium Gersom, filij Moysi, ac filios eius Sacerdotes in tribu Dan, vsque ad diem captiuitatis suæ*; non debet intelligi necessario de captiuitate Assyriaca, qua decem tribus, inter quas vna erat Dan, à Salmanazar abductæ sunt in Assyriam anno 6. Ezechiæ Regis 4. Reg. 17. Sed facilè potest explicari, vel de peculiari aliqua tribus Dan captiuitate,

tate, quam alibi scriptura non narrat, vt vult Caietanus; vel quod probabilius est de illa, quæ fuit eo tempore, quo arcà Dei sub Heli Pontifice capta est, & Hebræi ingenti strage cæsi, & magna clade affecti fuere à Philisthæis; tunc enim multi ab eis bello capti in captiuitatem fuere abducti; tam ex tribu Dan, quàm ex cæteris tribubus, vt ex Lyrano, Abulensi, Vatablo, Aria, Serano, Genebrardo, & Ribera optimè demonstrat Cornelius à Lapide ad prædictum caput 18. Cuius captiuitatis cum fuerit oculatus testis Samuel, potuit illius mentionem facere.

Inscribitur hic liber hebraicè שופטים *Sophetim*, Græcè κϱιταί, Latinè Iudices, quia gesta Iudicum, eorum scilicet, qui à morte Iosue, vsque ad regem Saul exclusiuè, rerum summam, clauumque in Israele tunc temporis tenuerunt, contineat. Quorum potestas partim Aristocratica fuit, partim Monarchica; siue Monarchica Aristocratia tēperata; Vnus enim solus Iudex ita suo tempore præerat populo, quod pertinet ad regimen monarchicum; vt tamen in rebus difficiliotibus supremi consilij, quod Sanhedrim dicebatur, sententiam exquirere; eiusque decretis stare deberet, quod regiminis Aristocratici proprium est. Quę etiam Iudicum potestas, non solum fuit Mosaica præcedenti, sed etiam Regia subsequenti longè inferior, si quidem Moyses non fuit simpliciter Iudex, vt cæteri, sed maiori quadam pollebat, commissa sibi à Deo, ad regendum populum potestate; habebat namque spiritualem simul & temporariam præfecturam, quā Iudices non habebant. Regia etiam potestate; fuit magis restricta, & limitata Iudicum authoritas: quia nec nouas leges condere, nec tributa populo imponere poterant, vti possunt reges, nec diademate & sceptro vtebantur, præter Abimelech, qui per tyrannidem adiutus à Sichimitis, regium vsurpauit principatum; nec vngebantur vti vnguntur reges; nec hæreditario iure succedebant, vt faciunt filij regum, sed electione Dei vel populi creabantur. Electi tamen per omnem vitam manebant Iudices. Quare, cum tam manifestum sit inter Moysem, cui addendus est Iosue, Iudices & Reges discrimen; meritò notant aliqui librorum quoque, in quibus separatim de singulis agitur, in prænotationibus præfixum esse discrimen, nec pentateuchum Moysis, nec librum Iosue, nec libros Regum, nuncupari debuisse libros Iudicum, etsi alias omnes illi populum iudicauerint.

Duæ autem sunt principales huius libri partes. Priore gesta Iudicum narrantur, additis initio eorumdem præambulis, id fit à capite primo vsque ad cap. 16. inclusiuè; posteriore verò recensentur historiæ quædam, quæ Iudicum non sunt, sed eorum tempore contigerunt; id fit à cap. 16. ad finem libri; nam cap. 17. & 18. narratur historia Michæ & idoli collocati in Dan; tribus verò vltimis capitibus refertur historia vxoris Leuitæ, ob cuius violationem tota tribus Beniamin pœnè ad internecionem cæsa est. Circa primam partem, in qua Iudicum historia texitur, difficultas est quot illi fuerint. Abulensis enim sexdecim enumerat, Othoniel, Aod, Sangar, Barac, Debora, Gedeon, Abimelech, Thola, Iair, Iephte, Abesan, Helon, Habdon, Sanson, Heli & Samuel. Alij quatuordecim tantùm admittunt, excludentes duos vltimos Heli, & Samuel, quia licet fuerint Iudices, illorum tamen gesta non hoc libro, sed in primo Regum recensentur. Alij tredecim ponunt, prę terquam quod enim propter rationem dictam excludunt Heli, & Samuel, quia Barac, & Debora ad vnum & eumdem spectant principatum, existimant non duo, sed Iudicem vnum censeri debere. Tandem quia plerisque placet, eos tantùm Iudices cum Ruperto numerare, qui honestæ vitæ sanctimonia laudabiles extitere, hi expuncto Abimelech, qui impius fuit, & rex maluit appellari, quam Iudex, duodecim tantum Iudices constituunt, in quo numero mysticam pro numero Apostolorum significationem esse vo-

volunt. Communiori tamē calculo inter Iudices refertur Abimelech; nec quia malus fuit, videtur prorsus expungēdus; cùm in Regum Israelis catalogum, nō solū bonos, & pios Reges, sed malos etiam, & impios relatos videamus; non solùm ad historię seriem, sed vt malorum vitemus vitia, bonorum autem sequamur vestigia. Vnde satis patet prædictas omnes sententias suo sensu esse veras, nec vllam inter se habere contradictionem.

Vt præcipua huius libri materia sunt prædictorum tredecim Iudicum res gestæ; facilè est colligere sensum vel causam litteralem illius fuisse, tùm vt creationis mundi Historia continuaretur, & absoluta iam prima veluti Patria sub antiquis Patriarchis, Ecclesiæ & Reipublicę Israeliticæ forma; deindè secunda, veluti Heroica, siue Ducali sub Moyse, & Iosue, iam tertius sequeretur illius status, sub Iudicum potestate veluti Conseruatoria; cum enim regerent, non per modum imperij, sed per modum ministerij, exhortationis, & consilij, vt colligitur ex cap. 8. vbi, cum filij Israel liberati essent per Gedeonem de manibus Madian, & ei dicerent: *Dominare nobis tu, & filius tuus, & filius filij tui, &c.* Respondit: *Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur Dominus*; Cum inquam ita se haberet Iudicum regimen, vndè non tàm ipsi quàm Deus Deique lex populum regebat, vt Deus dixit Samueli Iudici; Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos lib. 1. Reg. cap. 8. Iudices non tam Domini, quàm conseruatores dumtaxat, & curatores Reipublicæ fuere, similes ferè magistratui Dictatorum apud Romanos; in eo tamen dissimiles quod hic temporaneus esset, ille verò perpetuus, vt iam notauimus supra. Deindè habet hic liber ad litteram probationem secundæ promissionis, Deum scilicet, firmissimum esse semper, & certissimum populi sui defensorem; Vt enim si quando propter peccata à vicinis hostibus opprimebatur, eidem ad pœnitentiam reuerso propugnatores egregios ac liberatores submittebat.

Pro sensu verò Morali, siue Tropologico, notat Procopius ex hoc libro clarè perspici, quod è vera fide, ac religione retenta, diligenterque culta, omnis Rerumpublicarum salus & amplitudo pendeat: contra verò quemadmodū ex ea deserta & neglecta: fœdum earumdem sequatur exitium, ruina & dedecus. D. Augustinus lib. 16. de ciuitate Dei cap. 43. *Temporibus*, inquit, *Iudicum, sicut se habebant peccata populi, ex misericordia Dei, alternabant prospera & aduersa bellorum.* Et lib. 18. cap. 13. *Post mortem Iesu Naue, populus Dei Iudices habuit quibus temporibus alternauerunt apud eos & humilitates laborum pro eorum peccatis, & prosperitates consolationum propter miserationem Dei.* Vndè Sanctus Celestinus Papa ad Theodos. Imperat. scribens, ait. *Maior vobis fidei causa esse debet, quàm regni; ampliusque pro pace Ecclesiarum clementia vestra debet esse sollicita, quàm pro securitate omnium terrarum. Subsequuntur enim omnia prospera, si primitus quæ Deo sunt chariora seruentur.* Tandem ad sensum Allegoricum pertinet, quod omnes hi iudices fuere typi & figuræ Christi; vndè S. Hieronymus ad Paulinum Epistola 103. *In Iudicum libro*, ait, *quot principes populi, tot figuræ sunt.* Sicut enim Iudices saluarunt populum in corpore, Iesus sanat fideles in anima, Iudices profligarunt tyrannos, Iesus dæmones mundum opprimentes. Sicut autem Christus licet à Deo supremus iudex cōstitutus, maluit Saluator quam Iudex vocari, siue à saluando magis, quàm à iudicando nomen mutuari, vt ea appellatione propensam ad clementiam volūtatem commendaret, quodque naturam humanam non assumpsisset, nisi vt homines saluaret; ita etiam principes, qui in hoc libro Iudices dicuntur, licet Saluatores vocari potuissent secundariò, id est homines, qui in danda salute administri Dei sunt, & cooperatores: nam lib. 4. Reg. 13. dum dicitur: *Dedit Dominus Saluatorem Israeli, & liberatus est de manu Regis Syriæ, &c.* Sic scribit qu. 18, San-

Sanctus Augustinus : *Aduertendum est Saluatorem etiam dici hominem per quem Deus alios saluos faciat, &c.* meritò nomen illud respuerunt ; enimuerò ea honorifica appellatio, Iesu Christo vero Saluatori & primario reseruanda fuit.

Sicut plures à quibusdam, pauciores ab alijs numerantur Iudices, siue quod idem est, sicut in Iudicis nomine huic, aut illi imponendo, aut detrahendo aliqua est varietas, licet de re nullum sit dissidium ; ita etiam difficultas est, quot anuis regnarint ; siue quot annorum historiam contineat hic liber ; Qui enim Iudicibus adnumerant Heli, & Samuelē numerant annos 356. vel 360. secundum quod aliqui dant Samueli annos 18. alij verò 22. At cum hoc libro ipsorum acta non narrentur, sed in libro primo Regum, eo quod filij Heli petendi regis & regni occasionem sua improbitate populo dederint, ac Samuel reipsa regem ei dederit ; melius alij tredecim duntaxat Iudices numerando, tribuunt illis annos 298. Primus enim Iudex fuit Othoniel de tribu Iuda, qui imperauit annis quadraginta ; Secundus Aod de tribu Beniamin annis 80. Tertius Sangar filius Anath per paucos menses : Quartus Barach de tribu Nephtali, cum Debora prophetissa de monte Ephraim, vxore Lapidoth, annis 40. Quintus Gedeon de tribu Manasse pariter 40. Sextus Abimelech filius Gedeonis annos tres : Septimus Thola de tribu Issachar annis 23. Octauus Iair Galaatides annis 22. Nonus Iephte Galaatides de tribu Manasse annis 6. Decimus Abesan de tribu Iuda annis 7. Vndecimus Ahialon de tribu Zabulon annis 10. Duodecimus Abdon de tribu Ephraim annis 8. Decimus tertius Sampson de tribu Dan annis 20. Sic ergò complectitur hic liber historiam annorum 298. Scilicet ab anno mundi 2512. quo mortuus est Iosue, & mox successit ei Othoniel Iudicum primus, vsque ad annum mundi 2810. quo mortuus est Sampson, cui successit Heli & Samuel, quorum duorum gesta non hoc libro, sed in primo Regum recensentur.

Quia tamen sæpè in hoc libro varijs temporibus numerantur varij seruitutis & oppressionis Hebræorum anni ; ita vt primæ seruituti sub Chusan tribuantur 8. anni cap. 3. vers. 8. secundæ 18. ibidem vers. 14. Tertiæ 10. cap. 4. vers. 3. Quartæ 7. cap. 6. vers. 11. Quintę 18. cap. 10. ver. 8. Sextæ 4. cap. 13. vers. 1. ex quibus omnibus consurgit summa annorum centum vndecim ; magna controuersia est inter Chronologos, vtrum omnes hi anni nō seorsim in Chronologia computādi sint sed intra tempora & annos proximè præcedentium, vel sequentium Iudicum includi debeant ; Aliqui enim volunt istos annos esse Chronologicos, hoc est distinctos ab annis Iudicum, & pacis identidem reparatæ ; ex quibus & annis Iudicum iam recensitis confiunt 409. Communior tamen sententia, ac verior est, tempora seruitutum prædictarum annis Iudicum ita absorberi vt à morte Iosue, vsque ad Heli exclusiuè, non plures effluxerint quam 298. anni. Quod clarè colligitur primò ex cap. 15. versu vltimo, vbi Sampson dicitur iudicasse Israel 20. annis in diebus Philistijm, quibus scilicet Philistini oppresserunt Hebræos per 40. annos, vti dicitur cap. 13. vers. 1. Ergo eodem tempore quo Hebræi à Deo traditi sunt Philisthinis, saltem posterioribus annis, Sampson fuit excitatus à Deo, vt eos ab illis liberaret vti cap. 13. vers. 2. & sequentibus narratur. Quare ex 40. illis annis viginti posteriores continentur intra viginti annos Sampsonis, viginti autem priores inter annos Iudicum, qui Sampsonem præcesserunt. Secundò id ipsum patet ex lib. 3. Reg. cap. 6. vers. 1. vbi ab egressu Hebræorum ex Aegypto vsque ad annū quartum Salomonis, quo ipse cœpit fabricare templum, numerantur præcisè anni 480. ergo seruitutis anni non sunt computandi : Si enim illi computarentur, inuenirentur centum, & vndecim plures, puta 591. non 480. Et licet id concedant aliqui, quasi 480. illi anni, tantùm sint anni, quibus præfuerunt iudices, non quibus oppressi à tyrannis Hebræi eis seruierunt ; hos enim fuisse

591. ta-

591. tamen hoc directè aduersatur scripturæ, quæ totum tempus ab exitu ex Aegypto vsque ad annum quartum Salomonis numerans, præcisè consignat annos 480. Audiamus eius verba: *Factum est ergò quadringentesimo & octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Aegypti, in anno quarto, mense zib (ipse est mensis secundus) regni Salomonis super Israel, ædificari cœpit domus Domino*. Sic enim vniformiter habent Hebræa, Chaldæa, Græca & Latina Biblia. Quare errat Iosephus, vel certè mendum est in ipso, dum numerat annos 592.

Quod asserimus de annis seruitutis & pacis in libro Iudicum signatis, scilicet contineri numero annorum qui Iudicibus tribuuntur; idem penitus dicendum est, de annis Seniorum, de quibus dicitur Iudic.2.vers.7. *Seruierunt Domino* (scilicet filij Israel) *cunctis diebus eius (scilicet Iosue) & seniorum qui longo post eum vixerunt tempore*. Eadem clare habentur Iosue 24. 31. Per illos enim seniores, vel intelliguntur illi, qui mortuo Iosue fermè vsque ad seruitutem Mesopotamenam sub rege Chusan superstites fuere, & etiam aliqui qui postea vixerunt saltem vsque ad finem Othonielis, quando Hebræi ab Othoniele ad frugem reducti aliquamdiu ita vixerunt, vt præcipua pars populi verum Dei cultum vt minimum publicè retineret, non obstante, priuata fortè quorumdam Idololatria. Vel, quod valdè probabile est, per seniores illos, de quibus locis citatis fit mentio, quique dicuntur à Mose accepisse, & à Iosue, traditionum doctrinam, intelligi possunt ipsi Iudices, vt ex Rabano in commentarijs lib. Paralipom. manuscriptis refert Serarius cap.3.qu.9. Cum enim Iudæi duplicem legem constituant, scriptam vnam; alteram non scriptam, sed à Mose traditam Iosue; à Iosue verò deinceps senioribus; sex huius Cabalæ, seu traditionis gradus ponunt; ita vt primus sit, quo, à Deo, ad Mosen descenditur. Alter ab hoc, ad Iosue. Tertius à Iosue, ad seniores. Quartus ab his, ad Prophetas. Quintus à Prophetis, ad viros Synagogæ magnæ. Sextus ab istis, ad generationes posterorum. Ex quibus satis patet, ne cogerentur horum graduum inuentores, interijcere eum, quo descenderetur à senioribus ad Iudices, fierentque septem gradus, in tertio gradu seniorum nomine Iudices comprehendisse. Nullumque indè videtur sequi absurdum; etsi enim seniores omnes absolutè nec fuerint, nec dici potuerint Iudices, seniorum tamen nomine Iudices appellari potuere. Sed de his satis, de quibus magis ad longum videri possunt Interpretes, Abulensis, Arias Montanus, Nicolaus Serarius, Cosmas Magalianus, Cornelius à Lapide; & ex Chronologis Henricus Philippi in quæstionibus Chronologicis in lib. Iudicum, vbi plures alios citat.

Videamus iam quid Infideles, & heretici contra hunc librum obijciant. Capite 5. vers. 11. vbi dicitur: *Descendit populus Domini ad portas, & obtinuit principatum*; reprehendunt aliqui vulgatam quod illa verba addiderit, *& obtinuit principatum*, quæ in Hebræo non habentur: Respondetur Latinum interpretem rectè per Paraphrasin illa verba addidisse, etsi in Hebræo formaliter, aut explicitè non sint, vt explicaret id quod accidit cum quadam perspicuitate. Nā antè id tempus erāt Hebræi Chananæis subiecti; post victoriā verò adepti sunt quasi postliminij iure, principatum non solum in terra Israel, sed etiam in terra Chanaan bello vendicata, ipso Chananæorum rege Iabin interfecto, vt ait Ioseph lib.5. cap.6. Vel etiam addidit interpres prædicta verba; quia cum iudicia in portis ciuitatum agerentur apud Hebræos, quique summum Magistratum gerebat, Iudex appellaretur; hinc quoque porta pro potentia vsurpatur, vt idē penitus sit descendere ad portas, quàm iudicium, & magistratum, seu principatum obtinere.

Cap.9. vers.5. dicitur de Abimelech: *Et occidit fratres suos filios Ierobaal*, id est Gedeonis, *Septuaginta viros super lapidem vnum*. Cum tamen ex hoc eodem capite manifestè colligatur occisos fuisse

se tantum 69. Nam Ioatham septuagesimus, natuque minimus effugerat, imò tantum 68. si Abimelechum interfectorem inter 70. filios Gedeonis annumeremus. Respondetur Scripturam more suo rotundum perfectumque numerum assignare, etiam si illi aliquid desit, vel supersit; computat enim per denarios, centenarios, & millenarios: vnde sicut Numeror. cap. 11. vocantur septuaginta seniores, cum re vera fuerint septuaginta duo, ita hic e contra adduntur duo, qui non fuerunt interfecti, licet & ipsi de fratrum numero essent.

Cap. 10. vers. 1. dicitur: *Post Abimelech surrexit dux in Israel Thola filius Phua patrui Abimelech vir de Isachar.* Vndè constat Tholam fuisse nepotem Gedeonis, Phua enim pater Thola erat frater Gedeonis; inde obijciunt aliqui hunc textum non concordare cum alio Iud. 6. ver. 15. vbi dicitur Gedeon fuisse de tribu Manassis, non vero Isacharis, de qua dicitur hic fuisse Phua & eius filius Thola. Respondetur nullam inter istos textus esse contrarietatem; vt enim rectè notat S. Augustinus, & alij, Gedeon & Phua fuerunt fratres vterini duntaxat, ita vt mater eorum nupserit primo Ioas Manassensi, ex eoque genuerit Gedeonem; deindè nupserit alteri viro e tribu Isachar, ex eoque genuerit Phua patrem Thola. Si quidem poterant fœminæ extra tribum suam viris alterius tribus nubere, quandò illæ habebant fratres, qui patrum suorum erant hæredes, eorumque hereditatem in tribu eorum seruabant, ne illa ad virum alterius tribus per fœminam (si deficiente prole masculâ ipsa foret heres) illi nubentem transferet. vt diximus supra ex Numer. cap. vltimo.

Capite eodem 10. vers. 4. *Habens triginta filios sedentes super triginta pullos asinarum, & principes triginta ciuitatum, quæ ex nomine eius sunt appellatæ Hauot Iair, id est oppida Iair.* Cui videtur contradicere alius textus Numer. 23. vers. 41. vbi asseritur has ciuitates appellatas fuisse ab alio Iair filio Manassis longè antiquiore. Respondetur has quidem triginta ciuitates, & insuper alias triginta, hoc est sexaginta, iam pridem ab alio antiquiore Iair nuncupatas fuisse ciuitates, vel villas Iair, vt patet ex loco citato Numer. Hic tamen illud nomen eis confirmatum est, & quasi de nouo inditum à posteriore Iair ob nouam rationem; quia scilicet triginta his vrbibus præerant triginta principes filij Iair Iudicis: cæterarum verò triginta hic non fit mentio, quia illæ ad hos triginta principes non pertinebant.

Item vers. 8. dicitur de filijs Israel: *Afflictique sunt, & vehementer oppressi per annos decem & octo, omnes qui habitabant trans Iordanem in terra Amorrhæi, qui est in Galaad.* Contra quod primo obijcitur, solum esse in Hebræo: *Et conturbanerunt, & fregerunt filios Israel in anno ipso.* Secundò, hos annos decem & octo comprehendi non posse annis Iudicis sequentis puta Iephte; hic enim tantùm sex annis præfuit. Respondetur ad primum Vulgatam omisisse illam particulam, *in anno ipso*, quòd satis ex præcedentibus subintelligeretur; quia enim scriptura prius recensuerat annos, quibus regnauerant Iudices, & immediatè subiungitur præuaricatio Israel, quodque propter illam afflicti sunt per annos 18. veluti continuatur series afflictionum cum anno præuaricationis immediatè sequenti ad seriem annorum, quibus regnauerunt præcedentes Iudices. Quod ergò expressit Hebræus ipso anno, virtualiter subintellexit vulgatus interpres. Ad secundum respondent aliqui hos decem & octo annos non comprehendi annis Iudicum, sed potius illis in Chronologia addendos esse: Verum quia vt iam supra notauimus, anni seruitutis & pacis in libro Iudicum signati non sunt Chronologici: Respondeo hos 18. annos comprehendi debere annis precedentis Iudicis scilicet Iair, qui prefuit 22. annis; vel etiam cæpisse hanc oppressionem, siue seruitutem Ammoniticam decem & octo annorum circa 5. aut 6. annum Iairi; finitam verò esse

anno primo aut secundo, quo Iephte Ducatum inierat: de quo vide Henricum Philippi, quæst. Chronologic. in lib. Iudicum cap. 8. vbi rectè notat mortem Iairi per prolepsin ante oppressionem Ammonitarum enarrari.

Cap. 11. vers. 26. quod dicit Iephte, Israelitas 300. annis terram Galaad possedisse; videtur omnino falsum. Certum est enim Galaaditas in terræ istius, de qua erat contentio possessionem immissos fuisse anno 40. ab Exodo: indè verò quomodocumqne fiat computus vix aut ne vix quidem iste 300. annorum numerus colligi potest. Respondent aliqui primò Iepthen errare potuisse, salua scripturæ veritate: hęc enim ibi non signat 300. annos, sed refert Iephten ita respondisse. *Poterat*, inquit Abulensis quęst. 38. *Iephte mentiri, in aliqua summa annorum, forte ex ignorantia, vel quod verisimilius est, ad augendum ius suum, vt ostenderetur præscriptio valdè longa*. Melius tamen respondetur secundò Iephten sine mēdacio vsum fuisse loquendi modo plerunque vsitato, quo numerus plenus & rotundus neglectis aliquot annorum minutijs, poni solet, quasi dixerit, iam agitur tertius annorum centenarius, agitur tertium prescriptionis, possessionis sæculum; ergò frustra laboras vt nos ea tam serò deturbes. Tertio dici potest Iephten ibi spectasse responsum regis Ammonitarum dicentis vers. 11. *tulit Israel terram meā, quandò ascendit de Aegypto*. Hoc autem Iephte dupliciter refellit, 1. negando rem ita se habere; 2. ad hominem vt aiunt arguendo, quasi dicat: Si Israel eam terram tunc inuasit, quandò propriè loquendo pedem extulit de Aegypto, iam 300. vt minimum annorum possessione eamdem præscripsit. Si quidem iuxta communem supputationem Iephte ad principatum vocatus est circà annum ab Exodo, siue egressu Aegypti 306.

Cap. 18. vers. 1. dicitur: *In diebus illis non erat Rex in Israel, & tribus Dan quærebat possessionem sibi, vt habitaret in ea: vsque ad illum enim diem inter cæteras tribus sortem non acceperat*. Vbi videntur contineri duo falsa, primò in illis diebus non fuisse regem in Israel; cùm enim hic regis nomen latè accipiatur, vt etiam Indices comprehendit; hoc dici non potest. Secundò Tribus Dan, ęque ac cęteræ possessionem suam sorte acceperat à Iosue cap. 19. vers. 4. versus mare & Philistinos; quomodo igitur hic dicitur, vsque ad illum diem, inter cæteras tribus sortem non accepisse. Respondetur ad primum tunc quidem, quando quæ cap. 17. & sequentibus narrantur historiæ post gesta Samsonis & Iudicum, contigerunt, fuisse Iudices, quamuis sit difficultas inter doctores, quinam præcisè illi fuerint, siue tunc regnarint; quia tamen nō habebant tantam authoritatem & imperium, quanta ad idololatriam puniendam, populumque ab ea auertendum, aut ob eam castigandū requirebatur, ideo dicitur tunc non fuisse regem, aut principem siue Iudicem in Israel; eodem sensu quo cap. 17. versu 6. iam illud dictum fuerat vt patet ex sequentibus verbis: *sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat*: quasi diceretur; tunc non erat rex aut princeps siue Iudex in Israel, qui impediret, quominus quilibet pro arbitratu viueret: nullus erat, qui suo imperio & potentia errata corrigeret, & puniret delicta. Hinc Samuel sanctissimus & zelosissimus Propheta, creato rege Saule, omnibus modis apud eum egit, vt pro regia sua authoritate reliquias idololatriæ, quæ prius impunè grassata erat, & durauerat per tempora Iudicum vsque ad Heli, e domo Michæ ac toto Israele cum suis Sacerdotibus tolleret; vt colligitur lib. 1. Reg. cap. 28. vers. 9.

Ad secundum respondetur tribum Dan ęque ac cęteras possessionem suam sorte accepisse à Iosue loco citato versus mare & Philistinos; sed his acriter resistentibus, & Amorrhæis alia ex parte eos coarctantibus, vt dicitur cap. 1. Iudic. vers. 34. non potuerunt Danitæ to-

tam sibi sortem à Iosue attributam occupare: quare videntes se in ea nimis angustè habitare nouas sedes quæsierũt, ac coloniam duxerunt in Lais. Et hoc est quod hic dicitur: *sortem non acceperat*, id est armis capere, & occupare non potuerat. Vnde facile colligere est, hic non repeti ea quæ sub Iosue gesta narrantur, Iosue 19. quasi hęc expeditio, vrbisque Lais expugnatio tunc contigerit; sed potius ibi per prolepsin, siue anticipationem hęc historia fuit ab aliquo alio addita, vt supra notauimus in libro Iosue, cum posterius contigerit, ea scilicet tempestate, qua impunè publicum Idololatriæ exercitium permittebatur, quod minimè quadrat in Iosue præfecturam, eò quod iste præ sua authoritate & zelo eam non fuisset toleraturus. Porro hęc ciuitas quæ vocatur hic *Lais*, alibi dicitur *Lesem*, & *Laysa*: postea à Danitis vocata est *Dan*, factaque caput tribus *Dan*, & iuncto vtroque nomine *Lesemdan*; deindè *Danęas*, siue *Paneas* est dicta à Paneade fonte qui eam alluit. Denique à Philippo Tetrarcha in honorem Tiberij Cęsaris instaurata, & ornata, appellata est *Cæsarea Philippi*, vbi Christus Dominus Petro se filium Dei confitenti dixit; *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Erat vrbs hęc loco amęnissimo sita, inter duos riuos Ior & Dan, ad radices ferè montis Libani.

Cap. 21. vers. 2. dicitur in vulgata, *Veneruntque omnes ad domum Dei in Silo*. Obijciunt Hebraizantes solùm in textu Hebręo legi, *Inuenit populus Bethel*; vnde illa verba *in Silo* videntur superflua. Respondetur non esse superflua, si quidem Vulgatus interpres voluit per illa explicare locum, vbi erat domus Dei, nempe in Silo.

CAPVT XXVI.

De Libro Ruth.

Etsi liber Ruth in nonnullis codicibus Arabicis, vt porè manuscriptis

dumtaxat, non extet; pro diuina tamen illius authoritate primùm est Ecclesiæ traditio, ac definitio. Secundò in nouo testamento fit mentio huius historiæ Matthęi 1. vers. 5. *Salmon autem genuit Booz de Rahab, Booz autem genuit Obed ex Ruth, Obed autem genuit Iesse, Iesse autem genuit David Regem*: Et Lucæ 3. vers. 32. *qui fuit Iesse, qui fuit Booz, qui fuit Salmon*. Vnde satis apparet, quam sit necessaria huius historiæ notitia pro intelligenda Christi Domini genealogia. Tertiò omnes Sancti Patres, qui catalogum diuinarum scripturarum attexuerunt, hunc librum cum illis semper numerarunt; alij testimonijs illius vsi sunt, & suis etiam commentarijs illum illustrarunt; vt Theodoretus tomo 1. Venerabilis Beda tomo 8. Hugo Victorinus, & Rupertus Abbas. Ex modernis Feuardentius in prolegom. huius libri, & Serarius quęst. procemiali 5. optimè diluunt obiectiones, quæ huius libri fidem eleuare possent.

Quidam huius libri, sicut aliorum incertum esse authorem putant, vt Caietanus, & Iunilius. Alij auctores certos producunt, sed non eosdem. A nonnullis enim producitur Ezechias rex, ab alijs Esdras, à pluribus verò Samuel; idque verisimilius videtur, negarique non posse ab his, qui Samuelem auctorem, vel collectorem faciunt libri Iudicum, vt notauimus supra, & lib. 1. Reg. ad cap. 25. Hęc etenim historia ad alterum horum librorum pertinet, vel potius ad vtrumque, ad Iudices nempè, quia eo tempore regia administratio nondum erat in Israelitarum populum inducta, ad Reges verò, quia non alio videtur scripta consilio, quam vt Dauidis compertum esset genus, qui secundo loco in Israele regnauit, & ex quo progenerandus erat Christus, vt mox dicemus. Vndè ob primam rationem S. Hieronymus cum Hebręis hunc librum, quasi appendicem libri Iudicum, illi annectit; ob secundam autem, S. Augustinus lib. 2. de doctr. Christiana ad libros Regum pertinere putat; quasi sit

præludiũ & manuductio ad illos. Quocirca nemo etiam non videt recto ordine interijci hunc librum inter lib. Iudicum & Regum. Quem Hebraica lingua scriptum esse ab authore Hebræo, siue ille Samuel sit, siue Esdras, siue quicũque alius consentiunt omnes. Attamen, vt inter Hebręos non solùm sub tempus Euangelij variæ fuerunt dialecti, vt colligitur ex Matth. 26. v. 73. vbi ex certo quodam idiomate Petrus cognitus fuit esse Galilæus, quando illi dictum fuit: *Verè & tu ex illis es; nam & loquela tua manifestum te facit*: vt, inquam, non solùm tunc temporis, sed superioribus etiam sæculis, variæ inter Hebręos fuerunt dialecti; id est proprietates variæ loquendi pro regionum varietate: nam Ephraimitæ Iud. 12. ex cuiusdam vocis pronuntiatione colligebant aliquos esse Ephraimitas; quod idem dici potest de Moabitis, quorum ideo decennali consuetudine suæ gentis linguã aliquo modo corruperat Nohemi: hinc est quod, cùm cætera Hebraicè propria, & seruata re Grammatica dicantur à Samuele, seu ab eo quicumque est, qui historiam conscripsit; quandò Nohemi loquẽs inducitur, à communi aberrat lege, atque loquendi consuetudine cap. 1. vers. 8. & 9. vbi ter ponitur *mem* pro *nun*: & iterum vers. 12. & 13. Quod diligenter notandum est, quia nonnulli sunt, qui in hoc à Scriptore erratũ esse putent, cùm ille verba fideliter referat, quæ dixit Nohemi, cui aliquid peregrinum adhæsit ex Moabitica dialecto, post exactum in ea regione decennium.

Cum autem libri etiam sacri, nomẽ sibi ex varijs causis, atque rationibus assumant; modo ab authore, & hoc frequentius; modò à materia, de qua præcipuè sermo: modò ab ordine: modò à principio, vt de Pentateuchi libris vidimus; in hoc libro tres reperiũtur personæ præcipuè, à quibus liber sumere potuisset nomen, Ruth, Nohemi, Boos, solũ tamen à prima sibi titulum vendicauit & nomen; quatuorque capitibus, veluti quatuor partibus absoluit eius historiã; in primo enim agitur de eius conuersione ad Iudaismum: in secundo de vita & moribus; in tertio de occasione futurarum nuptiarum: & tandem in quarto de contractu matrimonij inter ipsam Ruth & Boos, per cessionẽ propinquioris. Vndè præcipua huius libri causa, siue sensus litteralis fuit, non solum ostendere Deum placidissimũ semper oppressis fuisse, in peregrinatione Elimelech, reuersione Nohemi, & desponsatione Ruth; sed insuper pertexere Genealogiam Iudæ Patriarchæ à Phares filio eius vsque ad Dauidem, ex quo prognatus est Christus secundum carnem, hoc fine vt Christus (quem quasi scopum & finem tota S. Scriptura respicit) ostendatur natus ex Iuda, vti promiserat & prædixerat Iacob Iudæ filio suo benedicens, Genes. 49. 10. Tropologicus, vt in Ruth idæa & exemplar piæ, modestæ, & sanctæ vxoris daretur, significareturque nobilitatẽ generis dari à Deo, vt potè qui Ruth gentilem, vilem, & pauperem asciuit in familiam Abrahæ & Iudæ, eamque fecit genitricem Dauidis & posterorum, quin & ipsius Christi. Vnde Ruth à Rabbinis & à S. Chrisostomo, & B. Petro Damiano vocatur *mater regni & regum*. Omnes enim reges Iuda ab ea descenderunt. Allegoricè tandem inducitur in prædictam genealogiam. Ruth Moabitis & Gentilis, sed mox facta fidelis & proselita, quia miro casu, vel potius Dei prouidentia in eam subintroiuit, eque ac Rahab Chananæa: *vt ostenderet*, ait S. Hieronymus *non dedignatum ex peccatoribus nasci, qui venerat vt omnium peccata deleret, vtque gentium vocatio & electio Iudæis exclusis à Christo facienda, in Ruth gentili & avia Christi præsignificaretur*. Vnde idem sanctus in epistola ad Paulinum de eadem Ruth asserit, quod *Isaiæ explet vaticinium, dicentis*: *Emitte agnum Domine Dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion, hoc est de Ruth Gentili. Gentes enim lapides pro Deo colebant, & ob id à Deo deserti erant. Ad Hierusalem, vel potius ad Ecclesiam, quæ est in* con-

contemplatione tanquàm speculationis filia.

21. Circa tempus huius historiæ, cùm certissimum sit illam sub Iudicibus contigisse, vt patet cap. 1. vers. 1. *In diebus vnius Iudicis, quãdo Iudices praerant &c.* atque adeò librum Ruth annos à Iudicum temporibus distinctos non habere; quis tamen fuerit ille *vnus Iudex*, hactenus authores inquirunt, sexque diuersas de hac re sententias refert Henricus Philippi quęstionibus Chronologicis in librum Ruth; quarum magis probabilis, magisque inter doctores cõmunis est; in Genealogia, siue catalogo generationis Dauidicæ nonnisi vnum Boosum interserendum esse, inter Salmonem & Obedum, non tres sibi succedentes, vt volunt aliqui, deinde Obedũ ex Boos & Ruth natum esse, sub finem regiminis Barac; cui opinioni non obstat, quod secundum illam asserendum sit, Ruth annò ætatis suæ 70. Boosum concepisse; potius enim concedi debet casu aliquo raro quidem, sed naturali Ruth in tam prouecta ſutũ ætate concepisse, quam duos Boos, in sacrum textum quasi defectu laborantem inserere. Præsertim cum nostris temporibus videamus fæminas 52. imo vt refert Serarius 56. 70. 76. annorum subindè vterum gestare; Sed de his satis, de quibus Matthæi 1. & Lucæ 3. recurret sermo: queque etiam parum referunt ad Chronologiam, cum anni libri Ruth non sint Chronologici, nec à Iudicum temporibus distincti, vt omnes concedunt.

Satisfaciamus iam aduersariorum obiectionibus. Cap. 2. vers. 13. vbi in vulgata dicitur; *Inueni gratiã apud oculos tuos Domine mi*. Hebræi & Septuaginta habent in optatiuo, *Inueniam gratiam*; Respondetur ita quidem legi posse, quasi Ruth optet, petatque, vt Boos gratiam sibi exhibitam continuare, & prorogare pergat; melius tamen vulgata vertit, *inueni*, vt clare colligitur ex antecedentibus beneficijs receptis, talisque gratiarum actio pro illis, potuit esse sufficiens dispositio pro alijs subsequenter ac de nouo recipiendis.

Ibidem vers. 20. in vulgata dicitur tantùm: *Propinquus noster est homo*; cum tamen in Hebræo addatur: *è redemptoribus nostris ipse est*: Respondetur hoc in vulgata sufficienter exprimi per nomen *propinqui*; ratione enim propinquitatis, propinquus vocatur Hebraicè *goel*, id est *redemptor*, tripliciter; scilicet agri, vxoris & hęreditatis, famæ & iniuriæ. *Agri* quia si à quopiam ager esset venditus alicui externo, propinquus venditoris habebat ius redimendi agrum, reddendo pretium eius emptori, qui agrum comparàrat. *Vxoris*; quia si quis sine liberis esset defunctus, propinquus eius habebat ius, imò debitum ducendi eius vxorem, vt ei liberos suscitaret, sicque eam cum sua hęreditate quasi redimebat, sibique vendicabat. *Famæ & iniuria*, quia si quis ab alio fuisset occisus, ad propinquum occisi spectabat cædem eius vindicare, & occisorem ad necem deposcere, eumque apud Iudicem reum mortis peragere, vt hac ratione occiso quasi suum ius, id est suam famam & innocentiam restitueret.

Cap. 3. vers. 4. vbi dicitur: *Et projicies te, & ibi iacebis &c.* accusant aliqui hoc consilium Nohemi & factũ Ruth, quasi parum honestum & illecebrosum; Respondetur, alios vtrumque excusare, de quo vide interpretes Corneliũ à Lapide, & Gasparem Sanctium; verùm siue laude, siue vituperio dignum fuerit; nihil refert ad huius libri authoritatem, quæ historiam tantùm narrat, consilium autem, & factum, si mala fuerint non approbat.

CAPVT XXVII.

De Libris Regum.

QVatuor Regum libros diuinos esse, primum habemus ex Ecclesiastica traditione, & definitione eosdem consignante: Secundò ex authoritate noui testamenti; quandoquidem Christus Dominus inde historiam de Regina Austri Matth. 12. de Naaman Syro, &

Sare-

Sareptana vidua Lucæ 4. manifestè citat; D. quoque Paulus Hebræor. 1. ex libro 2. Reg. cap. 7. profert illud testimonium; *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium*; & Rom. 11. ex lib. 3. c. 19. alia duo; *Domine prophetas tuos occiderunt, &c. Reliqui mihi septem millia virorum*. Tertiò ex Patribus, qui omnes huic veritati attestantur; tàm illi, qui catalogum scripturarum contexuerunt, quàm qui ex ijsdem testimonia desumpserunt, & in illos commentaria scripserunt; Theodoretus, Procopius, Ambrosius, Hieronymus, Gregorius Magnus, Gregorius Nyssenus, Angelonius, Eucherius, Beda, Hugo Victorinus, Rupertus, Antoninus Archiepiscopus Florentinus. Notandum tamen est, quod etsi aliqui dubitent, an sint D. Hieronymi quæstiones ad litteram in libros Regum, quæ citantur ex ipso, non magni referre; concedunt enim omnes has esse antiqui alicuius auctoris; nam sæpè citantur ab Angelonio, qui claruit circa annum Domini 830.

De authore horum librorum nihil habemus certum; plerique tamen in eo consentiunt, quod non ab vno, sed à pluribus longum illud opus contextum fuerit. Primum enim librum scripsit Samuel Propheta, vsque ad mortem suam, quæ recensetur cap. 25. mortem verò Samuelis & gesta post eam vsque ad finem libri secundi scripsit Dauid, ait S. Isidorus lib. 6. orig. cap. 2. aut potius Nathan & Gad Prophetæ, qui Dauidi erant à secretis & commentarijs, vt scilicet eius acta per singulos dies, quasi diaria & chronica siue Ephemerides cōscriberent, vt apertè dicitur lib. 1. Paralipom. cap. 29. in fine. Licet Abulensis eos ab Isaia vel Ieremia conscriptos putet, eò quod lib. 1. cap. 27. vers. 6. vrbs Siceleg Dauid concessa ab Achis dicatur facta *Regum Iuda, vsque in diem hanc*. Hoc enim non videtur dixisse Dauid, sed aliquis eo posterior vt Isaias, & Ieremias. Verùm hoc argumentum non est efficax, cùm predicta verba libro iam composito addi potuerint ab Isaia, vel Ieremia, vti similia addita sunt in Pentateucho Mosis, Iosue, Iudicum, & alijs libris. Tertius autem & quartus Regum libri probabilius etiam conscripti dicūtur, partim ab Isaia, partim à Ieremia, partim ab Esdra: qui tamen per compēdium videntur collecti ex priscis singulorum Regum diarijs; suos enim habebant à commentarijs, qui acta eorum quotidie conscriberent; vt patet ex pluribus scripturæ locis: Sic gesta Salomonis scripsit Ahias Silonites & Addo Propheta, lib. 2. Paralipom. cap. 9. Sic acta Roboam filij Salomonis æquè ac Abiæ regis filij Roboam scripsit idem Addo, & Semeias Propheta; ibidem cap. 12. 15. & cap. 13. 22. Sic Osiæ regis gesta scripsit Isaias, nec non Ezechiæ, vt ibidem dicitur cap. 26. 22. & cap. 32. v. 32. De alijs regibus idem asseri potest, licet de illis, à quibus eorum verba dierum, siue Ephemerides, aut Diaria scripta fuerint, ex scriptura non constet. Cum igitur ita res se haberet, eo saltem in statu, quo res erat Regia composita, & inducta publicarum rerum administratio, vt Regibus Israel & Iuda essent, qui quod singulis diebus dignum videretur publica memoria, in commentarios referrent: quales Iulius Cæsar scripsisse proditur; valdè probabile est Isaiam ex illis, ea quæ nunc in libris Regum habemus à Salomone vsque ad Manassen, à quo Isaias interfectus est, historico stylo concinnasse; Nam primùm eodem penè modo scripta sunt tria capita lib. 4. Regum scilicet 18. 19. & 20. quo quatuor ex Isaiæ vaticinio, nempè 36. 37. 38. & 39. Adde quod, quemadmodum paulo antè notauimus, Isaias scripsisse dicitur gesta Osiæ, & Ezechiæ. Quare hoc opus historiæ sacræ contexendæ ad suum tempus, id est ad regnum Manasse, Isaiæ potius, quam Ieremiæ tribuendum videtur. Reliqua deindè vsque ad captiuitatem Babylonicam, post Isaiam pertexisse Ieremiam docent communiter doctores; confirmaturque ex eo, quod caput vltimum Ieremiæ idem sit cum capite vltimo libri quarti Regum.

Isaias enim diu ante posteriorum regum tempora, & captiuitatem Babylonicam quæ hic enarrantur, mortuus fuerat: ea verò vidit Ieremias; tandem ab Esdra conscripta sunt, aut ab alio quouis, de quo nihil est certum, quæ post Ieremiã sub Cyro contigisse narrantur. Tantum de horum librorum scriptoribus.

Iam circa illorum titulum, Hebræi duos priores nomine Samuelis inscribunt: cuius ratio non ita clara est. Quod enim putant aliqui ab eo, tanquam ab authore sic denominatos fuisse, falsum est: vt enim diximus supra, duo illi libri non potuerunt à Samuele componi, cum in lib. 1. cap. 25. decesserit: quare nouissima tempora Dauidis, duo alij Prophetæ Nathan & Gad monumentis mandarunt. Dici igitur potuerunt libri Samuelis, quia in vtroque aliquid est, quod ad Samuelis nomen, opusque pertineat, Nam in primo agitur de Sacerdote Heli, in cuius ipse societate vixit, & de Saul, quem regno Israelitico præfecit: in secundo de Dauid, quem ipse vnxit, & abiecto Saule ad regni gubernacula vocauit. Duo verò posteriores soli ab eisdem Hebræis vocantur *libri Regum*. Septuaginta *Regnorum* vertunt *libros*: quod tamen non probat Hieronymus, quia non de pluribus regnis, sed de vno Israelitico texitur historia. Et quidem, cum duo posteriores libri de Israelitico populo iam diuiso, in quo duo iam spectabantur regna, loquantur, quibus aptius erat *Regnorum* nomen, Hebraicè non inscribuntur *Melachot*: id est, Regnorum; sed *Melachim*: id est, *Regum*: Quod nomen Latini dederunt à materia omnibus quatuor libris, quia de regum gestis, regnorumque ipsorum siue administratione, siue conuersione instituti sunt. Vndè etiam apparet, quã recto rerum, temporumque ordine libri Regum proximè sequantur librum Iudicum, cuius appendix est liber Ruth, vel præludium lib. Regum, vt vidimus supra. Post Iudices enim in Israele regnarunt Reges, quorum gesta hic describuntur. Siue post tertiam Reipublicæ Iudaicæ formam veluti Conseruatoriã, siue Dictatoriam sub Iudicibus, sequitur Regia in libris Regum. Quorum licet tot ferè partes principales assignari possent, quot sunt Reges, qui in Israel regnauerunt: breuius tamen ab alijs diuiditur in duas partes; in quarum prima, videlicet lib. 1. & 2. agitur de regno Israel vnito; in secunda verò, tertio nempè & quarto libro, de regno Israel diuiso. Vel in quatuor partes iuxta librorum numerum, quatuorque principalia quæ in illis narrantur, regni Israelitici Symptomata. In primo enim agitur de regno per electionem; in secundo de illo per successionem; in tertio de florentis regni Dauidici statu sub imperio Salomonis; in quarto de cadentis regni statu sub imperio Regum Iuda & Israel.

Itaque causa litteralis scribendi istos libros fuit, prosequi historiam gentis Iudaicæ, & Ecclesiæ, siue Synagogæ veteris proximè à Iudicum exitu, vsque ad captiuitatem Babylonicam; Moralis autem sibi Tropologica, principum instructio. Indè enim clarè intelligitur, fundamentum regni & politiæ, totiusque prosperitatis in vera religione, & iustitia collocandum esse; & extra hoc nihil Christiano principi fore firmum, aut tranquillum. Tandem ad Allegoriam, siue sensum Allegoricum pertinet, quod omnes reges Iuda, vt ait hic S. Gregorius, fuere typi Christi ex eis nasciturí, qui est rex regum, & Dominus dominantium. Vnde S. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 24. *Dico*, inquit, *illorum hominum non tantùm linguam sed etiam vitam fuisse Propheticam, totumque illud regnum gentis Hebræorum magnum quemdam, quia & magni cuiusdam, fuisse Prophetam*. Diuus quoque Hieronymus epistola 103. ad Paulinum ait: *Samuel in Heli mortuo, & in occiso Saul, veterem legem abolitam monstrat. Porrò in Sadoch atque Dauid, noui Sacerdotij nouique imperij Sacramenta testatur. Melachim, id est Regum tertius & quartus liber à Salomone vsque ad Iechoniam, & ab Hieroboam filio Nabat vsque ad Osee*

qui

qui ductus est in Assyrios, regnum Iuda, & regnum describit Israel. Si historiam respicias, verba simplicia sunt. Si in litteris sensum latentem inspexeris, Ecclesiæ paucitas, & hæreticorum contra Ecclesiam bella narrantur.

Isti tandem libri, quod pertinet ad Chronologiam, complectuntur historiam quingentorum quinquaginta annorum, ab anno mundi 2810. quo vt diximus supra mortuus est Sampson, & successit illi Heli, vsque ad captiuitatem Babylonicam anno mundi 3360. sub Rege Sedecia: Continet enim primus liber Chronologiam 80. annorum; Si quidem Heli distinctè à Sampsone præfuit Israeli non tantùm annis 20. vt volunt aliqui, sed 40. totidem Samuel & Saul simul; quorum actis intexuntur gesta Dauidis in adolescentia, antequam crearetur rex, nimirum vnctio eius in regem facta à Samuele, duellum cum Goliath, bella cum Philistæis, fugæ, & latebræ cùm eum persequeretur Saul. Libro secundo narrantur acta Dauidis, ab inito regno vsque ad eius finem, & mortem, quod fuit spatium 40. annorũ: tot annis enim regnauit Dauid. Tertiò denique & quarto, quo gesta Salomonis cæterorumque Dauidis posterorum regum omnium referuntur vsque ad captiuitatem Babylonicam, in qua à Nabuchodonosor & Chaldæis euersa est Ierusalem, Iudæique traducti sunt in Babylonem, habetur spatium 430. annorum, vt satis patet ex sequenti horum regum ordine, æquè ac temporis quo regnarunt serie.

1. Salomon regnauit	40. annis	3. Reg. 11. v. 42.
2. Roboam eius filius	17. annis	3. Reg. 14. v. 22.
3. Abia	3. annis	3. Reg. 15. v. 2.
4. Asa	41. annis	3. Reg. 15. v. 10.
5. Iosaphat	25. annis	3. Reg. 22. v. 42.
6. Ioram	8. annis sed tribus cũ patre ac post eũ solus quinq; annis.	4. Reg. 8. v. 17.
7. Ochosias	1. anno partim cum patre, partim solus.	4. Reg. 8. v. 26.
8. Athalia	6. annis	4. Reg. 11. v. 4.
9. Ioas	40. annis	4. Reg. 12. v. 1.
10. Amasias	29. annis	4. Reg. 14. v. 2.
11. Asarias, siue Osias	52. annis	4. Reg. 15. v. 2.
12. Ioatham	16. annis	4. Reg. 15. v. 33.
13. Achas	16. annis	4. Reg. 16. v. 2.
14. Ezechias	29. annis	4. Reg. 18. v. 2.
15. Manasses	55. annis	4. Reg. 21. v. 1.
16. Amon	2. annis	4. Reg. 21. v. 19.
17. Iosias	31. annis	4. Reg. 22. v. 1.
18. Ioachas	tribus mensibus	4. Reg. 23. v. 31.
19. Ioakim	11. annis	4. Reg. 23. v. 36.
20. Ioakim	tribus mensibus	4. Reg. 24. v. 8.
21. Sedecias	11. annis	4. Reg. 24. v. 18.

Colligendo igitur omnes prædictos annos inuenientur 550. quos dixi hisce quatuor libris contineri; qui si iungantur anno mundi 2810. quo in Sampsone definit liber Iudicum, fiet annus mundi 3360. quo in Sedecia desinunt libri Regum.

Satisfaciamus iam infidelium & hæreticorum argumentis, quibus istorum librorum veritatem conuellere conantur. Lib. 1. cap. 1. vers. 1. dicitur: *Fuit vir vnus de Ramathaim Sophim, de monte Ephraim; & nomen eius Elcana, &c.* quod

quod videtur pugnare cum textu alio 1. Paralip. 6. 33: *vbi dicitur fuisse de tribu Leui*; si enim fuit ex tribu Leui, quomodo natus dicitur in Rama, quæ erat tribus Ephraim. Hinc S. Gregorius putat Samuelem in Rama natum, fuisse prognatum è tribu Ephraim. Respondetur certum esse, ex citato loco Paralipom. Elcana fuisse oriundum è tribu Leui, per Caath & Isaar, non verò per Amram, & Aaron, ideoque fuisse Leuitam, non Sacerdotem; cuius proindè filius Samuel fuit etiam Leuita, non Sacerdos, solumque ex Dei dispensatione Sacerdotis officio functus est, & vt Sacerdos sacrificium Deo obtulit, lib. 1. Reg. Ita tamen fuit ex tribu Leui, vt natus fuerit in Rama, quæ sita erat in tribu Ephraim, ad distinctionem aliarum ciuitatum huius nominis, quæ erant in tribu Beniamin, Aser, & Nephtali: Causa est, quod tribus Leui in diuisione Chananeæ non acceperat sortem propriam, vti ceteræ tribus, sed per eas sparsa erat; adeoque in ijs sua habebat oppida, inter quæ erat Rama de tribu Ephraim. Vnde Elcana domicilio quidem fuit Ephratæus, genere autem Leuita: in quo nulla est contradictio; in actis enim Apostolorum, sic etiam Iudæi ratione domicilij vocantur Cretenses, Arabes &c.

Item cap. 1. vers. 11. *Dederisque seruæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius.* Obijciunt quomodo mater Samuelis promittat filium Domino, si omnes Leuitæ erant Domino dicati, vt habetur Num. 3. vers. 45. Respondetur votum hoc Annæ fuisse, se filium, si ei daretur, facturum Nazaræum, id est religiosum illius æui, qui scilicet comam non tonderet, & vinum siceramque non biberet, idque per omnem vitam, vti de Sampsone dicitur Iudic. cap. 13. quique omnibus diebus vitæ Deo in tabernaculo ministraret; cum cæteri Leuitæ dicarentur Domino à trigesimo ætatis suæ anno, vsque ad quinquagesimum; eoque adhuc tempore per vices tantum, quæ tardè ob eorum multitudinē in orbem ibant & redibant ministrarent. Erant enim Leuitæ, æque ac Sacerdotes in suas Ephemerias, siue classes distributi.

Capite 8. vers. 6. *displicuit sermo in oculis Samuelis, eo quod dixissent: Da nobis regem*; imo etiam Domino displicuit, qui id Samueli indicauit versu sequenti: *Non enim te abiecerunt sed me.* Videtur hoc pugnare cum alio textu Deuter. 17. vbi conceditur Israeli constituere sibi regem; imò fore prædicitur Genes. 17. v. 49. Respondetur non peccasse Israelitas petentes sibi regem, qui populum ex diuino nutu, & legibus à Deo præscriptis regeret; sed peccarunt pluribus alijs titulis, ratione quorum non solum Samueli, sed etiam Deo talis earum petitio displicere potuit. *Primò* quia petierunt Regem inconsulto, imò aliquomodo inuito Deo. Deus enim instituerat Iudicum Magistratū, hunc ergo ipsi in Regium regimen mutare non debebant, nisi volente, & mutante Deo: sed potius petere à Samuele, vt filios suos corrigeret, aut eorum loco alios æquos Iudices Israeli præficeret. *Secundò* quia volebat Deus esse proprius rex, & immediatus Dominus Hebræorum, qui eis partim per se, partim per iudices à se excitatos gubernaret; vnde ægre tulit, quod pro se alium regem peterent, indignansque ait Samueli: *Non te abiecerūt, sed me ne regnem super eos.* *Tertiò* quia hac petitione abijciebant Samuelem suum Iudicem, quasi is principatu indignus esset, nec posset aut vellet pro filijs improbis alios Iudices probos surrogare: quæ insignis erat iniuria & ingratitudo in Prophetam tam benè de eis meritum. *Quarto* quod peterent regem talem qualem habebant Gentiles, puta Persæ, Aegyptij, Medi, Chaldæi, qui potestatem regiam tyrannidi proximam obtinebant; & sic hoc eodem capite explicatur ius regium non quidem iustum, vt notat S. Thomas lib. 3. de regimine Princip. cap. 11. & 1. 2. q. 105. artic. 1. & 2. sed iniustum, ac pro libito: Quo circa ipsimet Hebræi hoc agnoscē-

tes postea dixerunt cap. 12. 19. *Addidimus vniuersis peccatis nostris, vt peteremus nobis regem.*

Cap. 11. vers. 1. habetur in vulgata: *Et factum est quasi post mensem*, scilicet à Saulis electione: *ascendit Naas Ammonites, & pugnare cœpit aduersum Iabes Galaad.* Contra quod duo obijciuntur; primùm illa verba, *& factum est quasi post mensem*, esse superflua & ex Iosepho desumpta, nam iuxta Heb. sic legitur: *Et ascendit Naas Ammonites.* Secundò non solum esse superflua, sed etiam videri falsa, si quidem Naas ante Saulis electionem aduersus Israelitas venerat, vt colligitur ex capite sequenti 12. v. 12. vbi dicitur causam cur Hebræi petierint regem, fuisse metum imminentis Naas. Respondetur primò dicta verba non esse superflua; magis enim credendum est vulgatæ, cui cócordant 70. & Iosephus; quàm fonti turbidè fluenti. Nullam etiam continent falsitatem, sed tantùm significant Naas regem Ammonitarum, qui iampridem contra Israelitas bellum adornabat, cuius causa populus de sua, publicaque salute sollicitus, præponi sibi regem postularat, vt habetur cap. 12. ver. 12. post Saulis electionem, arrepta hac noua occasione bellum redintegrasse, ciuitatemque Iabes, quæ erat in regione Galaaditide, obsedisse.

Cap. 13. vers. 1. in vulgata dicitur: *Filius vnius anni erat Saul cum regnare cœpisset duobus autem annis regnauit super Israel.* Aliqui hæretici, quibus etiam subscribút nonnulli doctores Catholici, Mariana, Melchior Canus lib. 11. de locis cap. 5. ad arg. 12. putant prædictos numeros esse vitiatos, legendumque esse: *Filius viginti, & vnius anni erat Saul, cum regnare cœpisset*: Verum huic lectioni repugnant Hebræi, Chald. Septuaginta Rom. Aquila, Symmachus, Theodotion, & cæteri qui constanter legunt, *Filius vnius anni erat Saul*: Adde, Saulem hoc tempore plurium quam 20, vt ait Canus, vel triginta fuisse annorum, vt Scholiastes Græcus legit; iam enim genuerat Isboseth, qui hoc tempore erat 20. annorum; & Ionatham eo seniorem, vt potè qui esset dux belli contra Philistheos vt patet cap. sequenti. Igitur absque eo quod recurramus ad vulgatæ corruptionem, quam absolutè negamus infra cap. 34. & sequent. facilè intelligitur quo sensu verè dicatur hic Saul filius anni, cum regnare cœpit, quodque duobus annis regnauerit super Israel: etiam si Actor. 13. vers. 20. dicatur: *Exinde postulauerunt regem, & dedit illis Saul filium Cis virum de tribu Beniamin annis quadraginta.* Primùm dicitur filius anni ob animi candorem, quem initio regni ostéderat; adeò enim erat simplex & innocés ac si fuisset puer vnius anni: & in hac innocentia persistens regnauit duos annos, quibus exactis ab ea defecit per inobedientiam, ideoque à Deo, & Samuele reprobatus est: vnde Chald. vertit: *Sicut filius vnius anni, in quo non sunt culpæ, Saul erat quando regnauit.* Hic sensus communis est, & commodus de quo vide Cornelium à Lapide & Henricum Philippi quæst. Chronolog. in lib. Reg. quęst. 5. verum quia tropologicus potius, quam litteralis videtur; facile respondetur secundo sensum litteralem esse, quod annus intercesserit, ab vnctione, vsque ad confirmationem regni Saulis de quo cap. 11. siue, quod idem est, quod Saul parta victoria de Naas, ideoque comparata sibi authoritate & gratia populi, rursum in regem à Samuele vnctus cap. 11. vers. vltimo agebat, & forte exigebat primum regni sui anuum, ac inchoabat secundum; quo exacto elegit tria millia militum pręsidiariorum, vt sequitur; ita ex R. Dauid, Vatablo, Brixiano, Serario & alijs Cornelius à Lapide, ostendens primo hunc sensum exigere phrasim Hebraicam, quæ ad verbum sic habet: *Filius vnius anni Saul in regnare ipsum*; quasi dicat: Iam regnabat Saul vnum annum: iam agebat primum regni sui annum. Secundò, ex eo quod Naas septimo mense à creatione Saulis inuasit Galaaditas, ac tum Saul ei occurrens eum cecidit, & regnum suum con-

confirmauit, & innouauit, vt patet ex cap.11. vnde hęc omnia fuere acta anni primi regni Saulis. Quod autem inde vocetur Saul filius vnius anni, est Hebraismus, Hebræi enim tempori, diei, mensi & anno tribuunt nomen *filius*, vt *filius huius anni, diei, vel temporis* dicatur, qui hoc anno, die, vel tempore natus est; cuius multa profert exempla ex diuinis scripturis præfatus author.

Quod postea dicitur: *Duobus autem annis regnauit super Israel*: præter expositiones iam allatas, nonnulli ex hisce verbis volunt, Saulem per biennium dumtaxat fuisse regem, ac in fine biennij in prælio occubuisse; ita ex Hebræis in Seder Olam cap. 15. plures doctores. Verum difficile creditu est Saulem biennio præstitisse omnia quæ deinceps vsque ad finem libri, ac præsertim cap. 14. sub finem enarrantur: illa enim plures annos exigunt. Secundò, alij sic exponunt, quasi dicat, *Saul post mortem Samuelis tantum regnauit duobus annis*; vnde quod Apostolus ait loco citato Act. 13. Saulem regnasse 40. annis; paucis exceptis cæteri omnes interpretes, ac Chronologi censent, istos quadraginta annos respicere tam Samuelis, quam Saulis regimen, & vtriusque tempora ibi esse coniuncta; quamuis hos 40. annos varij variè inter illos partiantur: ex quibus verius Salianus & alij, de quibus vide præcitatos authores, asserunt Samuelem solum præfuisse Israeli per annos 22. deinde creato rege Saule cum eo præfuisse annis 16. mortuo vero Samuele, solum Saulem regnasse biennio dumtaxat; iungendo enim hos annos, inueniuntur 40. per quos D. Paulus dicit Saulem regnasse Actor. 13. illis 40. annis, quos ipsi assignat, complectendo annos Samuelis quibus ipse prefuit, & habentur duo anni, quibus tàm hic, quam ex Iosepho & alijs, dicitur Saul post mortem Samuelis tantùm regnasse. Verùm licet ista sint vera, quia tamen vix apparet ratio, cur huius biennij dumtaxat meminit hic scriptura, cum per plura capita sequentia recenseat acta Saulis viuente adhuc Samuele; tò *duobus annis regnauit* planius iungendum est cum sequentibus verbis, *& elegit sibi tria millia de Israel*; quasi dicatur, inquit Genebrardus ad annum mundi 3106. Cum Saul regnasset duobus annis, elegit sibi tria millia; nempe duobus primis regni annis, sat habuit vitare inuidiam: & se aduersus malignas linguas modestia & authoritate Samuelis tueri. Postea dum se satis confirmasset, cœpit more regio, se se stipare satellitibus. Nō quod alioqui duobus tantùm annis regnarit &c. sic & Torniellus, Baradas, Abulensis, Hugo, Cornelius à Lapide & alij.

Cap. 13. vers. 13. *Quòd si non fecisses iam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum*. Videtur pugnare cum illo loco Genes. 49. 10. *Non auferetur sceptrum de Iuda*; ibi enim Deus promittit regnum perpetuum Iudæ; hic vero Sauli, qui non erat de tribu Iuda, sed Beniamin. Respondetur. Deum quidem primò decreuisse Sauli & posteris eius perpetuare regnum, si illi per omnia sibi fuissent obedientes; Verum quia præuidebat, (quomodocūque fuerit ista præuisio, de qua non disputamus modo, quamque pro suarum sententiarum diuersitate, diuersimodè etiam doctores explicant) id Saulem non facturum, hinc decreuit ab eo transferre sceptrum ad Iudam, & Dauidem. Prophetia ergò illa Iacobi de regno Iudæ, præsupponit in Deo reuelante illam præuisionem culpæ, & reiectionis Saulis; licet post aliquot sæcula futurę. Hoc enim euincere videtur hæc Samuelis de regno Saulis perpetuando conditionata assertio.

Cap. 14. vers. 3. quod dicitur; *Achias filius Achitob fuisse Pontifex*; videtur pugnare cum cap. 22. vbi legimus, Achimelech filium Achitob fuisse Sacerdotem. Respondetur nullam esse inter hos textus contrarietatem; Achias enim fuit binomius, & alio nomine dictus *Achimelech*, *Achias* enim Hebraicè idē est, quod *frater Dei*. *Achimelech* idem quod *fra-*

ter regis. Deus autem eſt Rex Regum; vel certè dici poteſt Achiæ ſeniori ſine liberis defuncto, in Pontificatu ſucceſſiſſe Achimelech, qui erat frater Achiæ minor.

Ibidem pro toto verſu 41. qui habetur in vulgata: *Domine Deus Iſrael da indicium: quid eſt quod non reſponderis ſeruo tuo hodie? Si in me aut in Ionatha filio meo eſt iniquitas hæc, da oſtenſionem: aut ſi hæc iniquitas eſt in populo tuo, da ſãctitatem*. Pro toto inquam hoc verſu, Hebræi habent duntaxat: *Domine Deus Iſrael da Tummim*, ideſt, per Vrim & Tummim, occultum reum nobis indica; vnde cætera videntur ſuperfluè in vulgata fuiſſe addita. Reſpondetur hęc omnia quæ habet hic editio vulgata, & etiã Septuaginta ſecundùm Romanum exẽplar, maioris claritatis gratia fuiſſe congeſta ex varijs interpretationibus rei eiuſdem, quæ eumdem penitus faciunt ſenſum cum textu Hebræo, quatenus vtrobique petitur reuelatio ſanctæ veritatis, videlicet in quà è populo perſona eſſet culpa. Cur autem veritas vocetur hic ſanctitas, dum dicitur, *da ſanctitatem*, id eſt, reuela veritatem; plures adducuntur cauſæ. 1. quia Sanctitas, vt ait Dionyſius eſt ipſa puritas. Veritas autem eſt puriſſima, & ſinceriſſima, ipſaque puritas & ſanctitas. 2. quia futurorum contingentium & arcanorum cognitio (quæ hic à Saule quærebatur) adeò ſublimis eſt, vt hominum & Angelorum intellectum tranſcendat, ſolique Deo, qui Sanctus Sanctorum eſt, ſit propria. 3. quia quærebatur veritas iuſtitiæ, iuſtitia autem eſt ſanctitas; quaſi ſenſus ſit, *Da ſanctitatem*, indica nobis Domine reum qui te offendit, vt eum iuſtè caſtigemus & emendemus, itaque tuæ ſanctitati offenſæ, per ſanctam vindictam ſatisfaciamus. 4. quod textui videtur magis conſonum, quia oraculũ veritatis hic à Saule quærebatur à Sacra perſona; pura à Pontifice ſacris veſtibus, in quibus erant *Vrim*, & *Tummim*, id eſt *illuminationes & perfectiones*, ſiue vt noſter vertit Exodi. 28. *Doctrina & Veritas*, induto. Veritas ergo quia hic quęrebatur à Sanctitate, id eſt à Deo ſanctiſſimo, per ſanctum eius Pontificem, iure merito ipſa vocatur *Sanctitas*; quaſi dicat, *Da ſanctitatem*; Hebraicè *Da Domine Tummim*, id eſt per ſacrum Pontificem, perque ſacrum Ephod & Tummim, da ſanctum ſanctæ veritatis oraculum.

Cap. 15. verſus 35. *Et non vidit Samuel vltra Saul vſque in diem mortis ſuæ*. videtur pugnare cum verſu 24. cap. 19. huius libri, vbi expreſsè dicitur Samuelem prophetaſſe coram Saule tota die. Reſpondetur prædicta verba, *Et non vidit Samuel vltra Saul*, ſignificare tantùm Samuelem non inuiſiſſe Saulẽ amplius, honoris aut amicitiæ gratia, vti fecerat prius, nec collocutum eſſe cum eo, nec eum direxiſſe, admonuiſſe, reprehendiſſe, vti facere ſolebat. Vidit tamen eum Prophetans, vt dicitur loco citato.

Cap. 19. verſ. 24. obijcit Vvitacherus vulgatam multis ſæculis legiſſe, *cecinit nudus tota die*; cum tamen ex Hebræo legendum ſit, *cecidit*. Reſpondetur, hunc quidem errorem irrepere potuiſſe, in aliquos vulgatæ editionis codices, non tamen in omnes; & iam in Vulgata Sixtina & Clementina reſtitutus eſt ille locus, legiturque *cecidit*; quomodo etiam habent Hebrei & Septuaginta, non *cecinit*, vti legunt nonnulli; quamuis etiam ſi legeretur hoc modo, nullum ſenſum falſum faceret, aut textui contrarium.

Capite 21. verſ. 1. dicitur: *Venit autem Dauid in Nobe ad Achimelec Sacerdotem*: Cum tamen S. Marcus cap. 2. verſ. 26. dicat Dauidem veniſſe ad Abiathar: Reſpondetur hoc dici, vel quia Abiathar filius Achimelechi patre abſente, aut ægrotante, vices eius obibat; vel quia nomen vtrumque tam filio quam patri erat commune, vt loco citato D. Marci probant Interpretes Ianſenius, Toletus, Cornelius à Lapide & alij.

Cap. 28. verſ. 19. quod dicitur: *Cras autem tu & filij tui mecum eritis*; videtur.

tur esse falsum. Nam licet aliqui, inter quos Lyranus dubitent de Saulis damnatione, nihilominus omnes ferè Sancti Patres id affirmant, videturque colligi ex lib. 1. Paralip. cap. 10. vers. 13. Samuel è contra erat in loco salutis. Respondetur nullam esse ibi contrarietatem; quidquid sit enim de æqualitate status, de qua modo non disputamus, prædicta verba non referuntur necessariò ad illam, siue ad eumdem statum post mortem, sed tantùm mortem parem Samuel Sauli prædicit, q. d. tu & filij tui cras moriemini & apponemini ad mortuos, ac mecum eritis in loco statuque mortuorum. *Mecum eritis*, inquit Augustinus, *non ad æqualitatem felicitatis, sed ad parem conditionem mortis referatur, quod vterque homo fuerit, & vterque mori potuerit, iamque mortuus mortem viuo prænuntiabat.*

Cap. 29. vers. 3. *Num ignoratis Dauid, qui fuit seruus Saul Regis Israel, & est apud me multis diebus vel annis?* Hæc sunt verba Regis Achis; apud quem tamen Dauid quatuor tantùm mensibus mansit vt colligitur ex cap. 27. huius libri: vndè ista inter se non videntur cohærere. Respondent aliqui primò, salua manente scripturæ veritate, Achis esse mentitum, vt magis exploratam redderet Philisthæis Dauidis fidem: idque probabile censet Abulensis & Tornielus. Verum faciliùs, & planius respondetur Achis respexisse ad primam commorationem Dauidis, quæ ante annos sex apud ipsum inchoata fuerat, vt dictum est cap. 27. aut certè computasse finem anni elapsi quo ad se venerat Dauid & initium anni sequentis siue currentis, quo adhuc secum manebat. Id enim significare videntur Septuaginta dum vertunt: *hic quippe secundus annus est*: Nam Dauidem quatuor tantùm menses & aliquot dies mansisse apud Achis, clarè dicitur cap. 27. vers. 7.

Libro 2. cap. 1. vers. 9. quòd dicitur, *Sta super me, & interfice me*; videtur pugnare cum eo quod lib. 1. cap. 31. vers. 2. & 31. disertè asseritur, Saulem seipsum occidisse. Respondent aliqui Saulem conatum quidem fuisse se occidere, sed non perfecisse; siue quod lorica armatus esset, siue quod præ pauore & debilitate gladium non satis firmasset, atque adeo aduocasse hunc iuuenem Amalecitam qui eum occideret. Ita Iosephus & cæteri Hebræi in honorem Saulis & gentis Iudaicæ. Verum cum scripturæ potius quam huic iuueni, qui Dauidi adulatur, credendum sit, quæ loco citato ita clare asserit, quod Saul seipsum occiderit; dicendum est cum Theodoreto, Eucherio, Procopio, Angelomo & alijs, mentitum esse hunc iuuenem, dicendo se Saulem occidisse, vt gratiam Dauidis per hostem eius Saulem à se occisum aucuparetur. Verè tamen ipse diadema Saulis detulit ad Dauidem; quia peracto prælio, & cæso Saule, sponte vel casu venit in montem Gelboe, ibique Sauli diadema detraxit, inquit Abulensis & Caietanus.

Capite 2. vers. 10. dicitur de Isboseth; quod *duobus annis regnauit*; cùm tamen, vt colligitur ex versu sequenti regnauerit septem annis cum dimidio. Respondetur, quod hic dicitur, Isboseth duobus annis regnasse, intelligendum esse tranquillè & pacificè antequã bella inter ipsum & Dauid exorirentur: hoc enim fecit post biennium vti narratur ver. 12. Porro bellum hoc vtrimque durauit quinque annos cum dimidio vsque ad mortem Isboseth: vndè cap. 3. 1. dicitur: *Facta est longa concertatio inter Domum Saul & inter Domum Dauid*, puta inter Isboseth & Dauid. Quare falsum est, textuique repugnans; quod Rabi Salomon & Hebræi docent in Seder Olam cap. 13. Isboseth duobus tantùm annis regnasse; ita vt ijs exactis illo occiso, vndecim tribus caruerint Rege per annos quinque cum dimidio, quibus finitis Dauidem sibi regem crearunt.

Cap. 10. vers. 18. vbi dicitur: *Et occidit Dauid de Syris septingentos currus; & quadraginta millia equitum*: videtur pugnare cum alio loco 1. Paralipom.

c.19. ver.18. vbi plures numerantur, sic enim habet: *Et interfecit Dauid de Syris septem millia curruum, & quadraginta millia peditum*. Respondetur hos textus minimè inter se pugnare, sed tantùm librum Paralipomenon, vt patet ex nomine, supplere ea quæ in libris Regum omissa sunt, illa verò quæ ibi dicta sunt obscurius, explicare clarius. Ergò, quod dicuntur hic occisi 700. currus, textus loquitur metonymice, accipiendo rem continentem pro contenta, significatque milites pugnantes è curribus: milites enim occiduntur, non currus; vnde id confirmat liber Paralip. dicens: *Interfecit septem millia curruum*; id est septem millia militum pugnantium è curribus. Erant enim currus septingenti, sed militum septem millia: nam quilibet currus continebat decem milites. Similiter præter quadraginta millia equitum, quæ habet hic liber Regum, liber Paralip. addit quadraginta millia peditum, ita vt vniuersim tam peditum, quàm equitum cæsa sint 80. millia, præter septem millia pugnantium è curribus: Ex vtroque igitur textu sine vlla contradictione colligendus est cæsorum numerus.

Cap.15. vers.7. *Post quadraginta autem annos dixit Absalom ad Regem*. Nonnulli ex Iosepho pro *quadraginta* legendum volunt, *quatuor*: putantes hanc rebellionem Absalomi contigisse quarto anno post eius reconciliationem, qui fuit regni Dauidis 32. vt patet ex c.12. vers.24. Respondetur legendum esse cū Vulgata, *post quadraginta annos*, cui consonant Hebr. Chald. Septuag. cæterique interpretes prisci & moderni. Quamuis inter se dissentiant vnde hi 40. anni computandi sunt. Probabilius loquuntur, qui illos computant à prima vnctione Dauidis in regem, facta à Samuele 1. Reg. 16. 13. Hæc enim facta est cum Dauid ageret annum vigesimum, à quo computando annos hos 40. peruenietur ad annum ætatis Dauidis sexagesimum, quo facta est Absalomi coniuratio, cum Dauid in regno ageret annum trigesimum (regnum enim adijt agens annum trigesimum) post quem adhuc decem annis regnauit, mortuusque est anno ætatis 70. Vnde nonnulli putant Absalomum hoc prætextu suam tyrannidem & rebellionem excusare voluisse, quòd sicut pater suus Dauid, Sauli socero suo Deo inobedienti, ideoque impiè & tyrannicè imperanti surrogatus esset, vnctusque à Samuele in regem anno ætatis suæ 20. sic pariter iam ipse patri impiè & tyrannicè imperanti, ac præsertim cum Bethsabee adulteranti, & Vriam occidenti, pari iure & modo succederet. Vnde & Semei Dauidi Absalomum fugienti idem improperauit.

Cap.18. vers.6. *Et factum est prælium in Saltu Ephraim*: Videtur hoc pugnare cum capite præcedenti ver.24. vbi dicitur vtrumque exercitum Dauidis & Absalomi transijsse Iordanem in Galaaditen; Tribus autem Ephraim tota habitabat cis Iordanem. Respondetur Saltum, de quo fit hic mentio non fuisse in tribu Ephraim propter rationē in obiectione allatam, sed trans Iordanem, in tribu Gad iuxta vrbem Mahanaim, in quam se receperat Dauid, non longè à mari Galileæ; vt notat Adrichomius in tabulis Geographicis terræ Sanctæ. Dictusque est Ephraim ab aliquo euentu; siue quod esset oppositus tribui Ephraim; siue quod tribus hæc eò pabulatum mitteret sua pecora; siue, quod probabilius videtur, ab insigni clade, quam Ephraimitæ rebelles hic acceperunt Iudic. 12.

Ibidem vers. 18. *Dixerat enim* (scilicet Absalom) *non habeo filium, & hoc erit monimentum nominis mei*; videtur pugnare cum cap. 14. ver. 27. vbi legitur illum tres habuisse filios & vnam filiam. Respondetur hos textus minimè inter se pugnare; sed tantum colligi ex verbis Absalonis hic relatis, hos filios iam mortuos esse, vel certe monimentum hoc erexisse, antequam eos genuisset.

Cap.19. vers.20. *Idcirco hodie primus veni de domo Ioseph*. Sunt verba Semei descendentis in occursum Dauid, veniam-

niamque ab eo petentis; quæ videntur pugnare, cum cap.16. vbi habetur illum fuisse de cognatione Saul; atque adeo de tribu Beniamin. Respondetur Semei re vera oriundum fuisse ex tribu Beniamin, non ex Ephraim, vel Ioseph; dicit tamen se primum hodie venisse de domo Ioseph, id est, de decem tribubus Israelis, quarum caput erat Tribus Ephraim, qui erat filius Ioseph. Opponit enim hic domum Ioseph domui Iuda, hoc est Israel, siue decem tribus opponit tribui Iuda. Respondent alij domum Ioseph posse accipi domum Ephraim, Beniamin, & Manasse, quod vt patet Num.7. vers.18. & 2. hæc vnum haberent vexillum, vnamque aciem in castris duodecim tribuum. Tertiò dicunt alij Semei se vocare de domo Ioseph, quod tota domus Israel, siue totus populus Israeliticus, ex quo ipse erat, sæpè vocetur in scripturis domus Ioseph. Sic Psalm.79. *Qui regis Israel intende, qui deducis velut ouem Ioseph.* Similia habentur Psal.76. & 80. & Zachar.10. Ratio est, quia in Aegypto celebrius erat nomen Ioseph, quam Israelis. Ioseph enim fratribus suis loco patris fuit. Denique Ioseph acquisierat primogeniti dignitatem vt habetur 1. Paralip.5. fortasse meminit hic Semei domus Ioseph, vt exemplo illius Dauidem, ad sibi iniuriam illatam condonandam, excitaret.

Cap.21. vers.8. *Et quinque filios Michol filiæ Saul, quos genuerat Hadrieli.* Putant multi locum hunc esse corruptum, & pro *Michol* substituendum esse, *Merob.* Nam in primis Michol fuit sterilis, 2. Reg.cap.6. vers.23. *Michol filiæ Saul non est natus filius, vsque ad diem mortis suæ.* Secundò quia Michol non Hadrieli nupsit, sed Phalatieli filio Lais 2.Reg.c.3. quo tempore à Saule patre, Dauidi est ablata. Merob verò soror maior ejusdē Michol fuit vxor Hadrielis vt patet 1. Reg. 18. Respondetur omnes codices Hebræos, Græcos, & Latinos habere, *Michol*, non *Merob*; minimeque necessarium esse, recurrere ad huius loci corruptionem, vt explicetur; prædicti enim quinque filij, licet essent filij naturales Merob, quia tamen, illa iam defuncta, Michol illius soror illos adoptauerat, rectè vocantur filij Michol, ab ipsa enim tanquam veri filij tractabantur, & educabantur; quod explicans Paraphrasis Chaldaica habet: *Et quinque filios Merob, quos educauerat Michol filia Saul*, quia scilicet eos adoptarat. Nec refert, quod, vt ait Caietanus, generare sit actio naturalis, & non conueniat, nisi matri naturali; vndè cum dicitur, quos genuerat Hadrieli, non potest verificari de Michol, quæ tantum ponitur mater adoptiua; cum adoptio solum fit per voluntatem, & non per naturam; Hoc, inquam, non refert, præterquam quod enim in scriptura verbum *generandi*, non semper significat naturalem, & necessariam generationē: sed aliquando adoptiuam, & liberam; qua ratione dixit Iacob cap. 1. epist. *Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis*; vndè etiam in nostro casu dici potest Michol supradictos filios genuisse adoptiua generatione; & hoc, quod additur Hadrieli, tantùm significat in vtilitatem, & commodum Hadrielis id fuisse factum: non verò, quod ex illo eos naturaliter genuerit; Insuper prædicta verba, *quos genuerat Hadrieli*, rectè possunt referri ad Merob, vt notat Hugo Cardinalis, quasi diceretur Regem tulisse quinque filios, iam ex Hadriele & Merob genitos, quos sibi Michol, vt potè carens prolibus, in filios adoptarat, postquam mortua fuit Merob soror eius. Alij putant *Merob* alio nomine vocatam fuisse *Michol*, & ita nullam esse, vel apparentem contradictionem in textu: Verum, quia quo fundamento id asseratur, non apparet, præsertim cum altera soror hoc nomine vocaretur, standum est primæ solutioni datæ, qua optimè saluatur scripturæ sensus, vulgatæque editionis integritas.

Cap.24. vers.9. *Et inuenta sunt de Israel octinginta millia virorū fortium, qui educerent gladium, & de Iuda quingenta millia pugnatorum.* Objiciunt hunc nu-

numerum non concordare cum eo qui assignatur 1. Paralip. 21. vbi sic legitur. *Inuentus est omnis numerus Israel mille millia, & centum millia virorum educentium gladium. De Iuda autem quadringenta septuaginta millia bellatorum*. Respondent Hebræi apud S. Hieronymum, hic tantùm recenseri viuos, in Paralip. verò tam viuos, quàm mortuos, nimirum qui peste à Deo percussi mortui sūt. Vndè colligunt ipsi peste mortuorum numerum fuisse trecenta millia; sed hæc solutio stare non potest, cui manifestè repugnat scriptura, quæ hic vers. 15. numerat duntaxat 70. millia. Secundò, alij volunt hic non numerari tribum Beniamin & Leui; in Paralip. autem numerari, ideoque trecenta millia amplius numerari. Verum in libris Paralip. post numerum vndecim centenorum milliū, illicò subditur Leuitas, & Beniamitas non fuisse numeratos. Illi igitur neque hic, neque in Paralip. recensentur. Dicendum est ergò, ex his duobus textibus colligi duplicem fuisse descriptionem, siue censum Israelis; prior fuit, qua principes exercitus per singula oppida & vices in priuatis libris singulorum nomina describebant; & iuxta hanc descriptionem fuere vndecim centena millia populi numerata, vt habet liber Paralip. Posterior fuit, qua ex priuatis hisce catalogis siue libris singulorum nomina transcribebantur in librum maiorem, quem habebat Ioab, vt eum traderet Dauidi, itaque in fastos & annales publicos referrentur, & horum numerus fuit tantùm octingentorum millium, vt hic dicitur. Causa fuit, partim quòd Ioab inuitus hanc descriptionem faceret, ideoque in ea regi transcribenda moras verteret: partim quod sæuiente iam peste à Deo immissa, inhibita fuerit hæc transcriptio, quare in ea emittuntur trecenta millia iam dicta. Id patet ex 1. Paralip. 27. 24. *Ioab*, inquit, *cæperat numerare, nec compleuit* (vnde nec Beniamin nec Leui numerauit) *quia super hoc ira* (pestis) *irruerat in Israel, & idcircò numerus eorum, qui fuerant recensiti, non est relatus in fastos Regis Dauid*. Scriptor verò, siuè collector Paralip. ex priuatis catalogis illa trecenta millia addidit & suppleuit.

Quod autem hic dicatur fuisse. *De Iuda quingenta millia pugnatorum*, qui scilicet apti erant ad ferenda arma & pugnandum, esto actu non essent milites & pugnatores; cum tamen loco citato Paralip. numerentur dumtaxat 470. millia ex Iuda; omissa opinionum varietate, respondeo ex Abulensi, & Lyrano, ibi non numerari eos, qui ex Iuda familiæ & militiæ Dauidis erant ascripti, eò quod illos Dauid apud se iam haberet in numerato: hos autem fuisse 30. millia, quæ iuncta cum 470. millibus faciunt quingenta millia.

Libro 3. Regum cap. 5. vers. 4. *Nunc autem requiem dedit Dominus Deus meus mihi per circuitum, & non est Satan, neque occursus malus*. Sunt verba Salomonis dicta ad regem Tyri, quæ tamen videntur contraria cap. 11. vers. 25. huius libri, vbi loquens textus de Adad ait: *Eratque aduersarius Israeli cunctis diebus Salomonis*; Respondetur nullam esse contrarietatem inter hos textus, si distinguantur tempora; cum enim prius Salomon Deo obediens, nullum haberet aduersarium, vel hostem, cum quo bellum gereret, aut qui eum à fabrica templi impediret: postea iste Adad rebellis surrexit, quando ipse etiam Salomon à Deo deficiens in Idololatriam prolapsus est, vndè in tanti sceleris pœnam id accidit; vt satis patet ex textu.

Capite 7. vers. 13. *Tulit Hiram de Tyro filium mulieris viduæ de tribu Nephtali; patre Tyrio*: non concordat cum lib. 2. Paralip. cap. 2. 13. vbi dicitur Hiram natus ex matre, quæ erat de filiabus Dan. Respondetur hos textus non discordare, verba enim illa, *de tribu Nephtali*, non sunt referenda, *mulieris viduæ*, sed ad Hiram artificem; natum quidem ex matre de Tribu Dan, vt dicitur loco citato Paralip. ex patre autem de tribu Nephtali, vt patet ex Hebræo, Chald. & Septuag. Appellatur tamen hic

hic Tyrius ob diuturnam habitationem, & artis suæ exercitium in illa ciuitate. Tyri enim habitabat, ibique artem affabrè laborandi didicerat, & exercuerat.

Ibidem vers. 15. dicitur: *Et finxit duas columnas æreas, decem & octo cubitorum altitudinis columnam vnam*: cum tamen diuersa mensura assignetur lib. 2. Paralip. cap. 3. vers. 15. *Duas columnas, quæ triginta, & quinque cubitos habebant*. Respondent aliqui primò, in hoc numero maiori comprehendi bases, capitella & coronas, quibus columnæ in apice ornabantur, cùm earum stipes, siue scapus esset tantùm decem, & octo cubitorum. Verùm, cùm prędicta ornamenta in iusta architecturæ proportione, videantur non posse ascendere ad tantam altitudinem, vt ipsi columnæ penè æquentur; melius respondetur, quod vtraque columna simul iuncta erat 35. cubitorum, vt dicitur loco citato Paralip. Licet enim vniuersim esset 36. cubitorum (nam bis 18. faciunt 36.) numerantur tamen solum 35. vel quia in vtraque medius cubitus insertus erat suo capitello, in eoque absconditus non apparebat: vel quia, vt docet Vilalpandus lib. 5. cap. 5. in Ezechielem, secluditur plinthus; siue quod idem est, quia singulæ columnæ cum basi sua fuere septemdecim cubitorum cum dimidio seclusa plintho, quæ absoluebat decimum octauum. Seclusionis autem plinthi causa fuit, quòd reliqua columna cum sua basi caua foret, quàm propterea necesse fuit super solidam plinthum inniti, ideoque seorsim à columna plinthum fundi; plinthus enim est vltima pars basis, quæ spiris subiacet, ita dicta, quod πλίνθον, id est laterem, forma sua repræsentet, plinthus enim est, exæquata latitudine, velut tabula.

Ibidem vers. 26. dicitur de mari fusili. *Duo millia batos capiebat*; At lib. 2. Paralipom. cap. 4. ait textus, *capiebat tria millia metretas*: cùm autem Batus, Ephi, & Metreta æqualia sint, sintque decima pars cori, Ezechiel 45. 11. videtur sequi contradictio in textibus. Respondetur facilè, mare æneum cæpisse duo millia batorum dumtaxat, si communi modo moderatè tantùm implebatur; sin verò ad summum omnino apicem, cæpisse tria millia batorum, siue metretarum; & hoc significare videtur Heb. *machazig* idem enim est quod *fortificante*, id est fortiter plenèque implenti capiebat tria millia metretas. Peripheria enim superior quia erat amplissima, exiguo suo limbo paucorum digitorum facilè capiebat mille batos. Liber autem Paralipomenon est supplementum libri regum, vndè sæpè maiorem recenset numerum, Respondent alij batum siue metretam fuisse duplicem, maiorem & minorem, maior erat sesquialter alterius, vt duo maiores æquarent tres minores. Sic dicitur hic, quod duo millia batos maiores capiebat mare æneum, citato verò loco Paralip. tres millia minores. De quibus mensuris vide Alcasar, Vilalpandum, & Cornelium à Lapide in fine Pentateuchi.

Cap. 15. vers. 1. *Igitur in octauo decimo anno Ieroboam filij Nabat, regnauit Abiam super Iudam, tribus annis regnauit*. Dicitur tamen vers. 9. quod Abiam mortuus fuerit anno 20. Roboam: ergo non tribus, sed duobus tantum annis regnauit: nam ab anno 18. ad 20. sunt tantùm duo anni; Respondetur numerandum hic esse annum 18. cumque fuisse primum regni Abiam, secundum verò fuisse 19. tertium verò 20. regni Ieroboam; de quo vide Abulensem.

Ibidem versu 2. vocatur; *Maacha filia Absalonis*; cum tamen sit certum ex lib. 2. Reg. cap. 14. 27. filiam vnicam Absalonis appellatam fuisse Thamar. Respondent aliqui hic non esse sermonem de Absalom Dauidis filio, sed de alio, cui nomen Abessalom. Verum cum vix dubitandum sit, quin Abessalom hic sit filius Dauid qui 2. Paral. 11. dicitur *Absalom*; Hebraicè enim *Abisalom*, idem est quod *Absalom*; dicunt alij Maacham hanc eamdem esse cum Thamar, fuisseque binomiam, fortasse enim, quod mater Absalonis vocaretur Maacha 2. Reg. 3. vers. 3. illud idem nomen

filiæ vnicæ superimposuit. At dices hæc *Maacha* 2. Paralip. 13. 2. vocata *Michaia* dicitur, *filia Vriel de Gabaa*, quomodo igitur potest dici filia Absalonis. Respõdet Caietanus Absalom etiam fuisse Binomium, alioque nomine vocatum esse *Vriel*, fortasse ob pulchritudinem, quod adeò formosus esset, vt Angelus videretur, dicique posset *Vriel*, id est *lux*, & *splendor Dei*. Aut certè Absalom fuisse patrem naturalem Maachæ, Vrielem verò eiusdem fuisse patrem legalem. Verum cum hoc difficile sit concipere, si quidem nullus Dauidis filius legitur vocatus *Vriel*, cui quasi fratri sine liberis defuncto Absalom semen suscitare debuerit; pro vtriusque loci explicatione, & conciliatione melius respondent alij Maacham dici *filiam*, id est *neptem* Absalonis, more Scripturæ quo nepotes vocantur filij. Videtur enim Thamar Absalonis vnica filia nupsisse Vrieli, ex eoque genuisse Maacham hanc Roboami vxorem, & Abiæ matrem. De quo vide Cornelium à Lapide.

Capite 16. vers. 7. vbi dicitur. *Ob hanc causam occidit eum: hoc est Iehu filium Anani prophetam*; putant aliqui hũc locum in vulgata esse corruptum, esseque vnum ex illis, qui mutandi videbantur, sed tamen mansere immutati, ad vitandam offensionem populorum. Ratio est, quia lib. 2. Paralip. cap. 19. de isto Iehu dicitur, locutum fuisse cum Iosaphat rege Iuda, eo anno quo mortuus fuit Achab rex Israel, qui tamen regnauit post mortem Baasa; fuitque quartus post eum Rex Israel, vt colligitur ex historia regum; non potuit ergò Iehu fuisse occisus à rege Baasa; cum post eius mortem quadraginta fere annos, dicatur locutus cum Iosaphat rege Iuda. Verùm cum ex dicendis infra, vulgata nostra, præsertim correcta, in qua prædicta verba disertè habentur, sit omnimodè incorrupta; primùm respondeo cum Sanctio hic, & Scalante lib. 4. de causis Sacræ Scripturæ cap. 30. non esse eumdem Iehu, occisum à Baasa rege Israel 3. Reg. 16. cum eo qui occurrit Iosaphat 2. Paralip. 19. licet nomina parentum, & filiorum sint eadem; quod satis patet nullam inuoluere repugnantiam. Vel secundo dico, iuxta phrasim satis communem, qua, cum aliquis recipit lethale vulnus, occisus appellatur, non quia re vera fuerit occisus, sed quia habuerit sufficientem moriendi causam; qua ratione dixit Deus Regi Ezechiæ, *cras morieris*, & tamen mortuus non est, quia miraculosè fuit vitæ restitutus; iuxta hanc, inquam, phrasim dico posse hic intelligi, fuisse Iehu prophetam à Baasa occisum, non quidem formaliter, sed causaliter, quatenus fuit ab eo Lethaliter percussus, sed quod postea, vel optimis medicamentis, vel etiam miraculosè conualuerit, duraueritque vsque ad tempus Iosaphat regis Iuda, cùm illũ vt citato loco Paralip. legitur, arguerit, quod cum impio Achab fœdus iniisset.

Et si dicas, voluntariè eneruari vim significatiuam huius vocis occisi, & fingi talem conualescentiam; Respondetur id negando; cum enim, quoties sacra Scriptura non potest in rigorosa significatione accipi, sine euidenti inconuenienti, ad tropum sit confugiendum, iuxta regulam Tichonij ab Augustino approbatam: non mirum si ad saluandam veritatem nostræ correctæ vulgatæ, & ab Ecclesia approbatæ, quæ citato loco Regum expresse ait, Iehu filium Anani fuisse occisum à Rege Baasa, Secundò verò Paralip. 19. quod hic idem locutus fuerit cum Iosaphat, (quod esse naturaliter impossibile constat ex Chronologia) affirmemus multo minori Metaphora accipi *occisum*, pro vulnerato lethaliter; siue quod idem est, Iehu Prophetam non fuisse in effectu occisum à Baasa rege, sed tantum lethaliter percussum, ita vt ex vi vulneris moriturus esset, nisi aliter Deus prouidisset; quod sufficiens est, vt dicatur occisus; accipiendo causam pro effectu, vt vidimus supra relato exemplo. Adde quod nulla est melior declaratio, vnius loci sacræ Scripturæ, quàm per alium eiusdem, si quidem omnes à Spiritu Sancto

ordi-

ordinati sunt, qui nequit esse author mendacij: Igitur si 2. Paralip. legimus Iehu Prophetam filium Anani viuum, & loquentem cum Iosaphat rege Iuda, anno, quo mortuus est Achab rex Israel, qui regnauit multis annis post mortem Baasa regis eiusdem Israel; quandò à Baasa refertur occisus Iehu propheta filius Anani 3. Reg. 16. ne fingamus, vel duos Iehu eiusdem nominis in se, & patre, imo & officij prophetalis, aut iam mortuum suscitatum, sine sufficienti testimonio; satius est dicere nomen *occisi*, metaphoricè fuisse acceptum in vulgata, pro causa sufficienti occisionis, cum sit in scriptura frequens, causam sumi pro effectu: sic enim omnia consonant, manetque nostra correcta vulgata, etiã hoc loco libera ab errore scriptorum, imò conformis textui Hebræo & Græco, qui habent, *& percussi eum*, supple *lethaliter*, quod vulgatus noster interpres vertit, *& occidit eum*, loquens non de vera & formali morte, sed de causali tantùm, hoc est de sufficiente causa mortis, qualis est grauis, ac lethalis percussio.

Capite 21. vers. 24. dicitur: *Si mortuus fuerit Achab in ciuitate comedent eũ canes, si autem in agro comedent eum volucres cæli*; quo insinuari videtur, non fore sepeliendum Achab humana sepultura; quod tamen falsum est, nam capite subsequenti vers. 37. dicitur, corpus eius fuisse sepultum in Samaria; canes verò solum linxisse eius sanguinem: dissonat etiam ab Hebræo originali, in quo habetur: *Qui natus fuerit ex Achab*, id est ex familia Achab, insepultus manebit, vt re vera contigit 4. reg. 9. v. 24. Respondetur hanc prophetiam fuisse comminatoriam, nisi Achab pœnitentiam egisset; ob quam Deus remisit aliquid de seueritate iudicij, suamque distulit sententiam: vnde in fine huius capitis ait Dominus ad Eliam. *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me, quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filij sui*; qui occisus fuit, ac canibus proiectus lib. 4. reg. cap. 9. citato. Ex quo euentu fortasse irrepsit in textum Hebræum *qui natus fuerit ex Achab* pro, *si mortuus fuerit Achab*, pro vt legitur in vulgata, videturque ex contextu debere legi, si quidem illi primum facta est illa comminatio, cui postea facta est pœnæ remissio, vel dilatio, vt autem patet ex dictis, Achab humiliato hoc contigit, non filio, igitur. Secundo respondent alij, vt concordent vulgatam cum lectione Hebræa, pro vt nunc reperitur, nomen illud *Achab*, dum dicitur, *si mortuus fuerit Achab*, non esse in nominatiuo, sed in genitiuo, vel datiuo, aut ablatiuo; quasi diceretur, *si mortuus fuerit filius Achab*, vel, *qui ipsi Achab mortuus fuerit*, vel *de Achab, in ciuitate comedent eum canes, &c.* hoc est iacebit sine sepultura, hoc enim significant prædicta verba; vt re vera in filio accidit. Sed prima lectio vulgatæ est melior, vt intelligatur in nominatiuo Achab, videturque demonstratiuè colligi, ex eo quod statim dicebam; nimirum talem pœnam fuisse illi comminatam, cuius postea diebus inducta non fuit ob eius humilitatem, subsecutamque pœnitentiam, sed hoc verificatur in Achab, non autem in filio; primum igitur Achab facta est illa comminatio, *si mortuus fuerit Achab &c.* quæ pœnitentia, & humilitate eius fuit impedita, Deus enim per illam non tam mutauit, quam distulit sententiam, in diebus & in persona filij sui.

Cap. 22. vers. 15. vbi dicitur: *Ascende, & vade prospere, & tradet eam Dominus in manus Regis*: hęc Prophetia Michæa non solum fuit falsa; sed insuper ipse rex in illo prælio fuit occisus. Respondent aliqui primò cum Caietano, Michæam id dixisse antequàm à Deo oraculum accepisset, ideoque alijs prophetis assentiendo errasse, & falsum prædixisse; at mox adiutatum à rege, à Deo illustratum, verum oraculum de regis nece à Deo accepisse, & pronuntiasse. Secundò censent alij cum Theodoreto, & Lyrano Michæam hic nihil assertiuè dixisse, sed potius optatiuè; nimi-

nimirum vt ostenderet se non odisse regem Achab, vt ipse putabat, se illi optare prosperum belli successum, ita vt *tradet*, idem sit quod *opto vt tradat*. Tertiò magisque genuinè dicendū est, Michæam hic ironicè locutū fuisse, quod optimè percepit Rex, vel ex gestu, vel ex modo loquendi. Vnde adiurat postea Prophetam, vt sepofita finctione vera apertè loquatur his verbis: *Dixit autem ad eum iterum, atque iterum adiuro te, vt non loquaris mihi nisi quod verum est*: quod præstitit deinde Propheta vers.17. nuncians ei necem.

Ibidem vers.34. dicitur: *Et casu percussit regem Israel inter pulmonem & stomachum*. Obijciunt aliqui aliter legi lib.2. Paralip. cap.18. vers.33. *inter ceruicem & Scapulas*: Respondetur vtrumque verum esse; cum vnus textus loquatur de vulnere facto in ingressu sagittæ: alter autem in exitu: telum enim ex inferiori loco missum, ac per armorum commissuros ingressum, sursum versus inter ceruicem & scapulas prorupit; vel è contra ex superiori loco dimissum intrauit inter ceruices & scapulas Achabi, exijt verò inter stomachum & pulmonem eiusdem.

Libro 4. cap.8. vers.10. *Vade dic ei Sanaberis, porro ostendit mihi Dominus, quia morte morietur*: Obijciunt aliqui legendum esse *non sanaberis*; alias hic contraria omnino dicuntur. ita Rabbini & ex eis Abulensis; nam pro לו *lo*, cum vau hoc est ei, legunt לא *lo* per aleph hoc est non. Respondetur legendum esse cum vulgata affirmatiuè *Sanaberis* sic enim Chaldæus, Septuaginta, & Latini omnes codices habent: nec vlla inde sequitur in textu contrarietas. Nam primò dici potest, Elisæum ironicè locutum fuisse, quasi diceret, scilicet sanaberis, speras te sanandum; sed erras: nam non Sanaberis, sed morieris. Vel secundò magisque ad litteram respondet Elisæus ad mentem interrogantis, quærebat enim, an morbus esset lethalis, cui prophetia vera respondit dicendo *sanaberis*, scilicet quantum est ex parte morbi, siue morbus tuus non est lethalis, ex morbo hoc non morieris, quod erat verum; non enim morbus, sed vis Hasaelis occidit & suffocauit Benadab; sunt ergo duo responsa Elisæi, quæ ad diuersas causas referuntur, quæque ad illas relata sunt vera.

Ibidem vers.16. dicitur: *Anno quinto Ioram filij Achab regis Israel, & Iosaphat regis Iuda, regnauit Ioram filius Iosaphat rex Iuda*; quod tamen videtur factum anno septimo Ioram non quinto: nam cap. 3. vers. 1. huius libri legitur, quod Ioram rex Israel cœperit regnare anno 18. regis Iuda. Iosaphat autem regnauit annis 25. ab anno autem 18. ad 25. sunt septem anni, post quos moriente Iosaphat successit ei filius Ioram. Insuper cap. 1. vers. 17. huius libri, cum dictū fuerit de Ioram filio Achab, quod pro Ochosia primo regni sui anno morbo defuncto, regnauit in Israel anno secundo Ioram filij Iosaphat regis Iuda; quomodo hic è contrario dicitur, quod Ioram filius Iosaphat rex Iuda regnauit *anno quinto Ioram filij Achab regis Israel*; tertio quod additur, *& Iosaphat regis Iuda*, videtur omnino falsum, nam Ioram filius Achab, non fuit filius Iosaphat, vt videntur prædicta verba sonare; aut saltem superflue additum, cum non satis appareat, quid per talia verba significetur. Pro solutione harum difficultatum, quibus implicatur hic locus non minus, quam alij plures, qui ad Chronologiam pertinent, notandum est primò, duos reges eiusdem nominis in idem omnino tempus incurrisse, Ioram nimirum Regem Israel, & Ioram regem Iuda. Secundò aduertendum est, certum ac indubitatum esse hunc Ioram patri suo Iosaphato in regni Iuda administratione superstitem fuisse: nam id clarissimè refertur lib. 2. Paralip. cap. 21. ver. 1. & 4. Tertio ex sacris biblijs certò etiam intelligitur Ioram filium Iosaphat regnasse in Hierusalem octo annos, quamuis dubium ac controuersum sit, vnde hi octo anni computandi sunt. Quare notandum est quarto multiplex initium re-

regnandi, huic Ioramo tribui in scriptura. Primò anno 5. Iosaphat, quando vt hic videtur dici annos natus 32. cum eo regnare cœpit. Secundò, anno 17. Iosaphat, quo ipse cum Achab iturus erat ad bellum contra Syros 3. Reg. 22. tunc enim Ioram iterum à Iosaphat regis titulum accepisse videtur, vt si quid mali in bello accidisset, sibi statim succederet. Tertiò, post sex annos, scilicet anno 23. Iosaphat, quo ipse in bellum contra Moabitas profectus est, vt dicitur hoc lib. 4. Reg. cap. 3. tunc enim Iosaphat rursum Ioram filium declarauit Regem, & regni administrationem se absente eidem tradidit. Quartò post mortem Patris sui Iosaphat.

His prænotatis ad primam difficultatem respondetur rectè dici Ioram filium Iosaphat regem Iuda, regnasse anno quinto Ioram filij Achab regis Israel: computando huic annum ab anno 23. Iosaphat, quo vt statim dixi Ioram filius eius tertio rex declaratus, vel designatus dici potest regnare cœpisse: hoc enim contigit anno 5. Ioram filij Achab; nam ab anno 18. Iosaphat, quo capite 3. vers. 1. huius libri dicitur cœpisse regnare prædictus Ioram, vsque ad 23. Iosaphat numerantur quinque anni: Ex quo etiam anno 23. non autem ab obitu Iosaphat probabilius deduci videntur octo anni quibus dicitur regnasse Ioram rex Iuda; ita scilicet, vt tribus annis regnarit cum Iosaphat patre viuente, quatuor verò integris, & quinto incompleto post mortem illius. Id patet ex cap. 9. v. 29. vbi Ochosias filius Ioram regis Iuda, mortuo Ioram patre, dicitur cœpisse regnare anno vndecimo Ioram regis Israel: computando enim annos ab anno quinto Ioram regis Israel, vsque ad annum eius vndecimum, habentur anni dumtaxat quinque integri, quibus solis alter Ioram post mortem patris Iosaphat regnauit in Iuda. Sicut autem loquendo de tertio regnandi initio Ioram regis Iuda, anno videlicet patris Iosaphat 23. rectè vt vidimus dicitur regnare cœpisse anno quinto Ioram regis Israel: ita vice versa, loquendo de secundo regnandi initio eiusdem, quod fuit anno patris Iosaphat 17. quo Iosaphat ituro contra Syros titulum regis accepit Ioram; rectè dicitur Ioram rex Israel regnare cœpisse anno secundo Ioram filij Iosaphat regis Iuda. Secundus enim Ioram filij Iosaphat annus incidit in annum 18. Iosaphat, quo vt diximus cœpit regnare Ioram filius Achab in Israel; per quod patet ad secundam difficultatem.

Circa tertiam putant aliqui prædicta verba, *& Iosaphat regis Iuda*; fuisse ab aliquo superfluè addita: melius tamen alij negant, & si circa illorum sensum, vel significationem sint diuisi: aliqui enim volunt Ioram ibi dici filiũ Achabi, simul & Iosaphati, non quod verus fuerit istius filius, vt satis per se patet, sed propter affinitatis iura, quæ inter duas illas familias intercesserunt: alij censent illa verba debere referri, non ad annum quintum Iosaphat, sicut referuntur ad annum quintum Ioram filij Achab, sed in communi ad tempus regni Iosaphat, quo cum illo viuente pluries diximus regnare cœpisse Ioram filium eius. Alij tandem existimant, per illa verba significari Ioram Iudæum cũ patre suo Iosaphat regnare cœpisse anno quinto eius; postea regnum iterum pro patre absente, & in bellum contra Moabitas profecto anno regni sui 23. gubernandum suscepisse, qui annus 23. vt vidimus fuit annus 5. Iorami Israelitæ; primus autem illorum octo, quibus deinceps Ioram Iudæus dicitur regnasse. Cuius cum diuersa fuerint regnandi initia, mirum non est, quod annus quintus Iosaphat, quo primùm filius eius Ioram regis titulum accepisse dicitur, cum anno quinto Ioram Israelitæ non concurrerit, quo tertio rex declaratus regni administrationem pro patre absente recepit. Quod postea de illo subditur in textu; scilicet, *triginta duorum annorum fuisse, cum regnare cœpisset, & octo annos regnasse in Hierusalem*; hoc, inquam, maximam habet difficultatem: si enim

enim dicatur triginta duorum annorum fuisse, cùm anno 23. regni patris sui Iosaphat, illius etiam gubernacula suscepit, à quo diximus computandos esse illos octo annos, quibus hic in Hierusalem regnasse narratur; ita vt quadraginta dumtaxat annos vixerit. Hoc manifestè cum sacra Scriptura pugnat, quæ tradit Ochosiam huius Iorami filium fuisse annorum 42. quando regnare cœpit 2. Paralip. cap. 22. vers. 2. Sic enim, quod est impossibile, Ochosias parente suo Ioram duobus annis fuisset senior, cum eo tempore quadragenarius dumtaxat obijsset, quo Ochosias filius regnare incipiēs annos implesset quadraginta duos. Quod si dicatur loco citato Paralipomenon in vulgata mendum esse, legendumque esse, *Viginti duorum annorum Ochosiam fuisse, cum regnare cœpit*, vt habetur 4. Reg. 8. vers. 25. contra est, quod vulgata editio fuerit iam ab Ecclesia correcta, & pro authentica approbata; indè enim manifeste colligitur omnimoda eius incorruptio, vt dicemus infra agendo de illa, capiteque sequenti conciliabimus hanc apparentem textuū antilogiam.

Si autem asseratur triginta duorum annorum fuisse Ioram Iudæum, cum anno 5. regni parentis sui Iosaphat regnare cœpit, & cum eo 20. circiter annos regnasse, si quidem Iosaphat 25. dumtaxat annis regnauit; parente autem defuncto, quinque, vt vidimus, annos regnasse; proindeque ad annum vitæ sexagesimum ferè peruenisse; qua ratione facile intelligitur filium Ochosiam annos 42. natum regni hæredem moriendo reliquisse, vt dicitur expressè loco citato Paralipomenon. Si hoc, inquam, secundum asseratur, videtur fieri non potuisse; si quidem Iosaphat erat 35. annorum cum regnare cœpisset & 25. annis regnauit 2. Reg. 22. v. 42. & 2. Paralip. cap. 20. vers. 31. Ergo anno 5. regni sui agebat quadragesimum ætatis suæ: quo tempore non videtur filium 32. annos natum habere potuisse. En vndique angustiæ; respondetur nihilominus eligendo hanc vltimam partem, quà, vt capite sequenti videbimus, saluatur nullum mendum in latina editione vulgata, nullum in Hebræo textu inesse. Vndè ad hanc vltimam instantiam dico, Iosaphat fuisse 35. annorum, non quando parenti successit: sed quando Asa circa annum regni sui 31. ipsum Iosaphat filium in regni collegam adsciuit: atque ita Iosaphat cum parente 10. annos, eo mortuo 25. regnauerit, vniuersèque 35. totidemque ante regni insignia peregerat, quo fit vt totius vitæ illius spatium ad annos 70. dilatatum fuerit, & filius eius Ioramus 32. annorum natus regnare cœperit, Iosaphato iam quadragenario. Tantùm pro huius loci explicatione, propositarumque difficultatum solutione; quę si vndequaque non arrideat; considerandum est primò, in scriptura regnare sæpè filios cum parentibus aliquandiu simul, & parentibus mortuis aliquandiu solos, & numerari interdum annos, quos cum parentibus simul, & deinde soli, interdum illos tantùm, quos soli regnauere. Vndè sequitur secundò, sæpè etiam in scriptura multiplex initium regnandi vni, & eidē regi attribui. Tertiò facile ab vno ad aliud transitum fieri, sicut ab vna re narrata ad aliam, sine ordine temporis; sicut hic narratur quomodo Ioram triginta duorum annorum natus regnare cœpit anno 5. Iosaphat patris sui; & statim dicitur eumdem regnasse dumtaxat octo annos in Hierusalem, incipiendo ab anno 23. eiusdem Iosaphat; sic illa verba, *Et octo annis regnauit in Hierusalem*, non sunt referenda, ad illum annum 5. Iosaphat, sed ad 5. Ioram filij Achab regis Israel, post quos regnauit Ioram Iudæus octo annos, modo superius dicto. Ita vt per illa verba, *Triginta duorum annorum erat Ioram cum regnare cœpisset*, anno videlicet 5. Iosaphat patris sui, significetur primum omnino regnandi principium Ioram cum patre; per ista vero, *Et octo annis regnauit in Hierusalem*, vltimi regni eius anni, ab anno quinto Ioram filij Achab;

chabi secundum quamdam distributionem accommodam.

CAPVT XXVIII.

De Libris Paralipomenon.

THeodorus Mopsuestenus ex antiquis hæreticis reperitur apud Leontium lib.3.contra Eutichianos,& Nestorianos, qui libros Paralipomenon è canone abrasit: Ex modernis autem Lutherus, dum enim tom. 1. Colloquiorum pag. 34. ait, *libris Regum plus credendum esse, quàm Paralipomenon*; satis ostendit se de istorum veritate dubitasse; vel potius, dum illos istis præfert, non æqualiter volens esse diuinos, neutris credidisse, sed sibimet virgula censoria,quos vult recepisse,quos non vult sacros ac diuinos libros reiecisse. Nihilominus pro diuina horum librorum authoritate, non solùm est Ecclesiæ Catholicæ definitio, sed veteris etiam Synagogæ traditio; deindè communis Patrum Ecclesiasticorum consensus, qui semper illos annumerarunt inter canonicos, & diuinos; vel ex iisdem vt talibus testimonia desumpserunt; vel aliquam eorum partem commentarijs illustrarunt. Etsi enim nullus ex veteribus Patribus, de quo conqueritur Gregorius in prologo Regum, & Angelomus in præfatione Paralipomenon hos libros integrè exposuerit, plerique tamen aliquam eorum partem suis commentarijs, aut quæstionibus explicuerunt, Theodoretus in fine 1. tomi, Procopius Gasæus, Auctor libri quæstionum, seu traditionum Hebraicarum, quem licet aliqui dubitét fuisse D.Hieronymum, fuisse tamen scriptorem antiquum, vel ex eo probatur, quòd sæpe ab Angelomo citatur, qui circa annum Domini 830.hortatu Drogonis Metensis Episcopi Caroli Magni filij in hos libros scripsit: & ita quidem, vt libro de Scriptoribus Ecclesiasticis dicat Trithemius hoc esse excellentissimum opus,& quale nè in scripturis sacris aliàs se legisse meminerit: Postea scripsere S.Antoninus Archiepiscopus Florétinus,Lyranus, Dionysius Carthusianus. Extat etiam hodie Eucherius Lugdunensis, Romæ apud Paulum Manutium editus anno 1564.sed de eo dubitant nonnulli.

De authore, vel potius collectore horum librorum, nihil etiam habemus certum; alijs enim Ieremias, alijs fuit Esdras; quod probabilius videtur; quia capite vltimo narratur solutio captiuitatis Babylonicæ,ante qùam mortuus erat Ieremias; narrantur quoque in fine gesta Cyri, quæ scribere non potuit Ieremias, qui ante Cyrum vixit; & quamuis dici posset,hæc fuisse postea addita, vti mors Moysis, & aliqua alia addita sunt Deuteronomio ex dictis supra;quia tamen idem est finis Paralipomenon, & initium Esdræ; insuper cum eadem historia narratur in libris Regum, Paralipomenon, & Esdræ, narratio Paralipomenon consentit cum Esdra, non cum libris Regum. Denique catalogi genealogiarum, & personarum, qui decem primis capitibus fuse hic texuntur,similes sunt catalogis Esdræ lib.2.cap.8.cap. 12.& sequentibus; coniecturæ sunt nõ leues ad asserendum hos libros fuisse ab Esdra conscriptos,vel collectos.Nec refert quod lib.2.cap.5. vers.9. legatur: *Fuit arca ibi* (scilicet in templo) *vsque ad præsentem diem*. quod de tempore Esdræ dici nequit: nam antè captiuitatem Ieremias arcam extulerat, & abscóderat, vt dicitur lib.2. Machab.cap.2.5. Respondetur enim prædicta verba, *vsque in præsentem diem*, intelligi de diebus Nathan, Addo, Ahiæ, & aliorum; qui primi Chronica, & diaria Paralipomenon, vt mox dicemus, conscripserunt, ex quibus Esdras ea desumpsit, & in ordinem redegit.

Inscribuntur hi libri Hebraice דברי הימים *dibre Haiamim*, id est *verba dierum*, quasi dicas Diarium,siue Chronicon; eo quod veluti per modum epitomes siue compendij comprehendunt totum tempus à mundi exordio, creationeque Adami, vsque ad captiuitatem Baby-

Babylonicam, in qua finitur quartus liber Regum. Grecè autè Παραλειπομένων, id est *prætermissorum*, siue *residuorum* libri dicuntur, quod in illis tradantur, quę prius in alijs libris sacris omissa, digna tamen videbantur, quorum cognitio ad posterorum memoriam perueniret: vndè quod de libris Regum, quo ad eorum compositionem supra diximus, idem prorsus de istis asserendum videtur; scriptorem videlicet sacrum illos compilasse, tàm ex publicis populi Israelitici, in quibus superiorum sæculorum gesta fuerant notata, quàm ex priuatis familiarum commentarijs, quibus eorum progenies saltem à tempore Moysis fuerant descriptæ, ne obscuraretur temporum obliuione, quos quisque natales & posteros haberet. Quod satis verisimile apparet, tùm ex eo quod in decem primis capitibus, nihil fermè est aliud, quàm familiarum series, & ab Adamo vsque, Abrahamici, Israeliticiue generis propagatio; tùm ex eo quod in his libris sæpius legimus, cùm singulorum regum absoluitur historia, *reliqua autem verborum eius scripta sunt in libro, Gad, Addo, Isaia, &c.* vel, *in verbis dierum Regum Israel, aut Iuda*. Quasi compilator, aut scriptor sacer dicat, sumpsisse se aliquid in libris illis seu commentarijs Regum, quæ magis ad rationem temporum, populique Israelitici memoriam conferre videbantur, omissis alijs, quæ depromi poterant. Quod satis patet intelligi non posse, de ipsis Regum libris, sed de alijs distinctis; tum quia plures illorum citantur etiam in ipsis Regum libris; tum quia hic plura superiorum Regum historijs, quasi per modum supplementi adijciuntur, quæ non habentur in libris Regum; plura etiam quæ in illis obscurius & strictius dicta fuerant, hic fusius & clarius pertractantur. Vndè putant aliqui hos libros fuisse Hebraicè inscriptos *Verba dierum*, seu Diaria; quod ex verbis dierum, seu diarijs Regum, populique Hebraici collecti sunt.

Præcipua igitur horum librorum materia, est eorum quę in superioribus scripturæ libris omissa sunt, vel etiam obscurius scripta sunt, supplementum, clariorque explicatio; ratione cuius diuiduntur in duas partes principales. Prior continet Genealogiam totius penè generis humani (vt ait Procopius) sed maximè Iudaici vsque ad caput decimum lib. 1. Cum enim antè satis accuratè à Moyse primùm, qui quinque libros, seu Pentateuchum scripsit, deindè ab alijs scriptoribus, qui Iosue, Iudicum, & Regum historiam texuerunt, omnia collecta fuissent; tantùm familiarum series, quæ ab illis magna ex parte prætermissæ fuerant, in istis libris dirigenda fuit: Quidquid est autem ad finem vsque reliquum, multa repetit, quæ in libris Regum tradita; multa supplet quæ omissa, & non pauca magis explicat, & amplificat, quæ ibi strictim dicta: potissimum de regibus Iuda, nam gesta Regum Israel, vt potè magna ex parte Schismaticorum, & Idolatrarum vix tanguntur in libris Paralipomenon. Litteralis itaque, siue historicus illorum sensus idem esse videtur, ac totius diuinæ historię, cuius vt vidimus sunt compendium, vel chronicon complectens summam annorum 3360. à creatione mundi vsque ad captiuitatem Babylonicam. Quare D. Hieronymus Epistola 103. ad Paulinum, ait. *Paralipomenon liber, id est instrumenti veteris epitome, tantus ac talis est, vt absque illo si quis scientiam Scripturarum sibi voluerit arrogare, seipsum irrideat. Per singula quippè nomina, iuncturasque verborum, & prætermissa in Regum libris historia, & innumerabiles explicantur Euangelij quæstiones.* Et Cassiodorus lib. de diuin. lect. cap. 2. *In Paralipomenon*, inquit, *libris duobus, à patribus magna prædicatur vtilitas, qui veram gestorum notitiam breuiter quidem, sed plenissimè continere noscuntur.*

Soluuntur obiectiones, quæ fiunt contra istorum librorum veritatem. Lib. 1. cap. 2. vers. 15. *Septimum Dauid*, numerat scriptura filios Isai, quos asserit fuisse septem; & tamen lib. 1. Regum cap. 16. ver-

versu 10. numerantur octo; videtur ergo esse contradictio. Respondetur minimè, eum enim præter septem filios naturales habuerit Isai, siue Iesse alium adoptiuum, nempè Ionathan filium Sammaa, numerantur hic septem filij tantùm naturales; loco verò citato Regum etiam adoptiuus, ita Lyranus, Caietanus, Dionys. Carthus. & alij plures. Verum de hac adoptione cum nil vspiā legatur; respondent alij scripturam hic non ponere numerum completum, sed vnum prętermittere, vel quod nihil ad historiam faceret; vel ob aliam causam nobis incognitam: fortè eo quod octauus genitus esset ex concubina, vel vxore secundaria; sicut cap.14.vers.49. Saulis filij numerantur tres, & omittitur quartus, scilicet Isboseth, de quo lib.2. Reg.cap.2.

Cap.3.vers.5. dicitur: *Porrò in Hierusalem nati sunt ei filij Simmaa, & Sobab, & Nathan, & Salomon quatuor de Bethsabee*: Quomodo igitur Salomon Prouerb. cap.4.vers.3. asserit se fuisse *Vnigenitum coram matre sua*. Respondent aliqui Salomonem fuisse verè vnigenitum ex Dauide: nam alij tres filij fuerunt ex Vria priori marito, quos tamen postea Dauid sibi adoptauit, vt iniuriam adulterij, & homicidij Vriæ factam compensaret. Sed hęc responsio subsistere non potest; nam Nathan, ex quo S. Lucas deducit Christi Genealogiam, verè fuit filius naturalis Dauid. Melius ergò cum alijs pluribus dicendum est, omnes istos numeratos in textu verè fuisse filios naturales Dauid; Salomonem verò vocari vnigenitum, quia tanquàm vnigenitus longè fuit dilectus, ac in matris gremio versatus: vndè Septuaginta transtulerunt: *Vnicè dilectus*.

Cap.21. vers.12. quod dicitur: *Aut tribus annis famem*; contra verò 2.Reg. 24.13. *Aut septem annis veniet tibi fames*. Obijciunt aliqui mendum esse in libro Regum, quod irrepsit ex similitudine vocum Hebraicarum, quibus ternarius & septenarius numerus significatur. Septuaginta enim in lib.2. Regum ponunt tres annos; nec non textus Arabicus; viderurque rationi magis consonum, ex eo quod in alijs flagellis per ternarium numerum procedit scriptura, scilicet tres dies, tres menses, verisimile est enim id etiam accidisse annis. Nihilominus retenta lectione vulgata loco citato Reg. respondetur nullam inde sequi contrarietatem in textibus; nimirum prima oblatio Dei facta Dauidi fuit septem annorum, vt dicitur lib.2.Regum; sed Dauide tantam moram deprecante Deus pœnam moderatus est, & ad triennij spatium redegit: Sic Genes. 18. Deus à quinquaginta iustis descendit ad decem, quos si inuenisset in Sodoma, ei pepercisset.

Ibidem vers.15. legitur: *Dedit ergò Dauid Ornan pro loco siclos auri iustissimi ponderis sexcentos*: cùm tamen lib.2.Reg. cap. vltimo vers. 24. aliud pretij genus assignetur, ibi enim dicitur: *Emit ergò Dauid aream & boues argenti siclis quinquaginta*. Respondetur Dauidem pro parua altaris area siue ad altare condendùm necessaria, & pro bobus dedisse quinquaginta siclos argenteos, at verò posteà pro tota area vasta, & ampla, quā destinauerat vt in ea à Salomone fabricaretur templum illud orbis miraculum dedisse siclos aureos sexcentos. Ita S. Hieronymus, & ex illo communiter cæteri interpretes.

Lib.2. cap. 1. vers. 13. habetur: *Venit ergò Salomon ab excelso Gabaon in Ierusalem coram tabernaculo fœderis*: quod videtur contradicere vers.3. huius capitis vbi manifestè asseritur tabernaculum fuisse in Gabaon. Respondetur tabernaculum quidem fuisse non in Ierusalem, sed in Gabaon; vndè in vulgata latina, subintelligenda est præpositio *de coram tabernaculo*, vt habet textus Hebræus, Septuaginta verò *à facie tabernaculi*; hoc enim erat in Gabaon, à quo discedens Salomon redibat in Ierusalem.

Cap.2. vers.2. legimus: *Præpositosque eorum tria millia sexcentos*, & tamen lib.3.Reg.cap.5. numerantur tantùm tria mil-

millia trecenti. Respondetur in lib. Reg. prætermissos fuisse præpositos superiores, qui præpositis inferioribus præerant: & hi trecenti erant, quos addit ac supplet liber Paralipomenon.

Cap. 14. vers. 2. *Asa subuertit Altaria peregrini cultus, & excelsa*; & tamen lib. 3. Reg. dicitur: *non abstulit Excelsa*. Quomodo hęc inter se conueniunt. Respondetur, duplicis generis fuisse apud Iudęos Excelsa, nimirum altaria, & templa in locis altioribus. Quædam prophanis idolis erant erecta, alia autem vero Deo dicata, quod etiam illicitum erat, nam Ierosolymis tantum pro cultu diuino templum statutum erat. Prima sustulit Asa, non tamen secunda. Vndè licet prophana templa purgauerit, non tamen funditus euertit; quod causæ fuit vt postmodum Idolorum cultui restituta fuerint ab alijs successoribus, quæ tandèm abstulit Iosias 4. Reg. 23. 13.

Cap. 15. vers. 17. dùm dicitur: *Cor Asa erat perfectum cum Domino cunctis diebus eius*. Debet intelligi de perfectione quo'ad verum Dei cultum; quasi diceretur, Asa per omnem vitam coluit Deum verum, nunquam verò ad Idola deflexit, vti defluxerunt alij. Nam alioquin Asa in alijs multis peccauit, & Deũ grauiter offendit, vt dicitur cap. 16. sequenti.

Ibidem vers. 19. *Bellum verò non fuit vsque ad trigesimum quintum annum regni Asa*; & cap. 16. vers. 1. *Anno autem trigesimo sexto eius. (Asa) ascendit Baasa*. Melchior Canus lib. 11. de locis cap. 5. & alij contendunt hic scriptorum vitio mendum irrepsisse, & pro 36. legendum 26. vel potius 16. Nec hoc mirum, quia hæc res non spectat ad fidei dogmata, nec ad bonos mores. Verùm cùm omnes Codices Hebræi, Chaldæi, Græci, & Latini constanter habeant 36. & non 26. atque adeò nullum corruptionis vestigium in vllo exemplari appareat; satis patet quàm sit periculosa tàm in hoc, quàm in alijs locis expediendi nodi ratio; quæ ad sacrorum codicum corruptionem confugit, maximè cum de vulgata translatione factum ab Ecclesia fuerit tàm seuerum examen, vt dicemus infra: Quare Abulensis 2. Paral. cap. 16. q. 3. relata hac, sed reiecta de textu corrupto explicatione, maluit fateri hunc locum esse explicatu impossibilem, quã ad talem interpretationem descendere. Itaque relictis pluribus alijs solutionibus, & explicationibus huius loci, dicendum est hunc annum 36. quo Baasa Iudæos bello lacessiuit, deducendum esse à morte Salomonis, siue à primo anno Roboam eius filio, qui primus fuit rex Iuda, cum Israel, id est decem tribus regem sibi creauere Ieroboam. Tũc enim facta est noua Aera, ac multi annos computare cæperunt ab hoc insigni schismate. Si quidem tunc institutum est regnum Iuda, ęquè ac regnum Israel; vnde hic passim anni Regum Israel numerantur iuxta annos regum Iuda sibi conregnantium. Igitur Roboam primus rex Iuda regnauit 17. annis, mox Abia tribus annis, denique Asa sedecim, quibus omnibus simul iunctis habebuntur 36. anni qui quæruntur; Quare hic annus 36. regni Iuda, pręcisè fuit decimus sextus regni Asæ.

Quod si dicat aliquis hos 36. annos hic vocari non regni Iuda, sed regni Asæ; viderique durum, & insolens, vt anni alicuius regis numerentur ab alio principio, quam ab eius enthronismo. Respondetur idem esse regnum Asæ, quod regnum Iuda, nam Asa aliud non habuit regnum quam Iuda; quare dum computantur anni regni Iuda, computari etiam possunt aliquando anni Asę, qui illi præerat, & cuius erat hoc regnum. Idque absurdum videri non debet, quando Epocha annorum qui memorantur insigne quippiam habet & memorabile, quod de æra regni Iuda negari nequit. Sic Absalom dicitur anno 40. petijsse à Dauid veniam eundi in Hebron 2. Reg. 15. vers. 7. non vtique anno 40. ab enthronismo Dauidis post Saulis interitum (nam trigesimus eius tantùm agebatur) sed 40. à prima vnctione Dauidis per Samuelem facta, vel potius ab

anno primo regis Saulis, cum publicè vnctus est à Samuele, qui regnum Dauidis decem annis antecesserat. Initium enim alicuius regni nota est insignis, vt inde Chronologia ducatur, nouaque consurgat æra. De quibus vide Henricum Philippi quæst. Chronolog. 12. in libros Regum, & alios plures ab illo citatos.

Cap. 21. vers. 12. *Allatæ sunt autem ei* (scilicet Ioram) *litteræ ab Elia Propheta.* Obijciunt aliqui quomodo ab Elia scribi aut mitti potuerint hæ litteræ? qui iam pridem è terra raptus fuerat curru igneo in cælum. Nam tempore Iosaphat, qui fuit pater huius Ioram, florebat & prophetabat Elisæus, qui Eliæ iam rapto successerat, vt patet 4. Reg. 3. vers. 11. Respondet Caietanus alium hunc esse Eliam, & diuersum à Thesbite; verùm non habet speciem verisimilitudinis talis responsio, & nouè fine fundamento datur; sicut & illa Vatabli per Eliam, hic intelligi Eliseum, eò quod ipsi Spiritus Eliæ insedisset. Dicendum est ergò, vel Eliam ante raptum has litteras scripsisse, & dedisse Eliseo aut alicui simili, vt eas post raptum suum traderet regi Ioram; vel quod probabilius, communiusque asseritur ab interpretibus, Eliam ex paradiso, vel loco in quo ipse post raptum degit cum Enoch, has litteras misisse, siue per Angelum forma humana indutum, siue per Eliseum, aliúue Prophetam, aut virum fidelem, ad regem Ioram. Sicut enim in transfiguratione Christi apparuit Petro, Iacobo, & Ioanni Elias cum Moyse, sic & idem apparere potuit hic alicui viro, eique litteras à se scriptas ad Ioram perferendas dare. Ita Hebræi in Sader Olam cap. 17. Lyranus, Serarius, Sanctius, & alij plures quos citat & sequitur Cornelius à Lapide in hunc locum.

Cap. 22. vers. 2. vbi dicitur de Ochosia filio Ioram rege Iudá. *Quadraginta duorum annorum erat Ochosias cum regnare cœpisset.* Multi doctores quos refert & sequitur Cornelius à Lapide, non admittentes omnimodam vulgatæ editionis incorruptionem, sed tantùm in rebus ad fidem, aut bonos mores pertinentibus, existimant esse mendum, & pro 42. substituendos 22. annos sicut clarè dicitur 4. Reg. 8. 26. *Viginti duorum annorum erat Ochosias cum regnare cœpisset.* Facilè enim, inquiunt, in Hebrǽo pro *Esrim*, id est *viginti* irrepsisse potuit scriptorum vitio *Arbaim*, id est 40. quod etiam facilius in ciphris contingere potuit, vt pro כב id est 22. positum sit מב id est 42. nam כ & מ caractere sunt affines. Præcipuum inter alia huius sententiæ fundamentum est, quia Ioram huius Ochosiæ parens initio regni sui 32. annorum erat, & octennium regnauit. Ergò nonnisi ad 40. ætatis annum peruenit, ac proindè regni immediatum successorem 42. annos natum relinquere non potuit; nisi velimus agnoscere prolem parente biennio seniorem. Verùm cùm tam hoc argumentum, vt patet ex dictis superiori capite, quàm alia similia, tantam difficultatem non habeant, vt propterea recurrere debeamus ad omnium codicũ Hebræorum, & Latinorum corruptionem, qui hoc loco constanter habent 42. non 22. præsertim quia ex decisione S. Congregationis Cardinalium inferius suo loco adducenda habetur: Nihil posse asseuerari, quod Latinæ vulgatæ editioni repugnat, etiam si sola esset periodus, seu clausula, aut membrum, aut Syllaba Iotaue vnum. Meliùs cum alijs doctoribus respondetur; plura regnandi initia tribuenda esse Ochosiæ: alterum viuo parente, & auo cum esset 22. annorum; de quo lib. 4. Reg. cap. 8. ver. 26. alterum patre vita functo cum ad annũ ætatis 42. peruenisset, vt dicitur hic. Quomodo regnauit parente superstite annos 20. exindè vnum nec ipsum completum. Vndè satis patet illos 20. annos quibus Ochosias viuo parente regni titulis insignitus erat, non turbare Chronologiam, cùm partim annis Iosaphat, partim annis Ioram absorbeatur. Quod autem duo prædicta regnandi principia Ochosiæ assignentur longiusculo 20. an-

norum spatio inter se dissita; minimè insolens videri debet, cum id in pluribus alijs regibus accidisse plerique fateantur; de quibus vide Henricum Philippi 3. Reg. quæst. Chronolog. 7. & 14. & 4. Regum quest. 21. num. 3.

Vt tamen facilius ad difficultates, quibus hæc opinio vrgeri posset, respondeatur, notandum est primò ex præfato doctore, & alijs ab illo citatis; Matrem Ochosiæ fuisse Athaliam 3. Reg. 11. 1. filiam Achab, vxorem Iorami filij Iosaphat 4. Reg. 8. v. 18. eam tamen vocari filiam Amri ibid. ver. 26. & lib. 2. Paralip. cap. 22. vers. 2. eo scilicet sensu, quo posteri Israelis vocantur eius filij; quia Athalia erat Amri ex filio Neptis. Vnde intelligimus duorum Regum familias affinitate coniunctas fuisse, nempè domum Dauid & domum Amri. Obseruandum est secundo Amri initio regni sui difficilem habuisse rerum administrationem: cum enim militiæ præfectus bellum cum Philisthæis gereret, rex ab exercitu acclamatus est, moxque Zambri sustulit, qui septem antè diebus occiso Ela rege, regnum Israeliticum tyrannicè inuaserat. Cum Thebnio deinde ad regnum pariter adspirante de summa rerum contendit, ac tandem anno 31. Asa regis Iuda, Amri sublato æmulo in quietam regni possessionem venit, cum 50. circiter anni à regnorum Iuda & Israel distractione effluxissent. Neque ignorabat Amri quàm volubilis esset regni sui rota, è cuius fastigio Baasa Ieroboami stirpem detraxerat, mox Baasæ filium Zambri deiecerat, Zambrium ipse Ambri de regio solio in desperatum rogum impulerat. Meritò igitur ipse sibi suæque domui timere, & pacem affinitate firmandam, cum regibus Iuda ambire poterat, vt hoc modo suæ prosapiæ consuleret. Quam ad pacem & affinitatem verisimile est regem Asa vt pote iam decrepitum ac minus cordatum facile consensisse, quandoquidem annis superioribus adeo Baasam Israëlitarum regem extimuerat, *vt omne argentum & aurum quod remanserat in thesauris domus Domini, & in thesauris domus regiæ mitteret ad Benadab regem Syriæ*, vt ab eo suppetias contra regem Israel obtineret. 3. Reg. 15. v. 16. Supponendo igitur hanc concordiam contigisse, quando Ambri mortuo Thebnio regnum Israelis adijt, tuncque Athaliam neptem Amri Ioramo Asæ nepoti nupsisse, id est anno 31. Asæ, non 7. Iosaphat, & post vnum circiter annum Ochosiam genuisse; sic fiet vt Ochosias post patris obitum annos 42. natus regno positus sit, vt notatur hic; qui antè annos viginti in regni consortium ab auo & parente accitus fuerat, annos natus 22. vt habet liber quartus regum.

Cap. 34. vers. 28. dicitur: *Inferires in Sepulchrum tuum in pace?* At Iosias, de quo hic est sermo, in prælio occisus fuit sagitta à Pharaone Nechao; ergò hæc prophetia non fuit adimpleta; si quidem non pacifice, sed violenta morte occubuit. Respondetur pacem non priuatam Iosiæ, sed publicam regni hic à propheta intelligi, quæ tunc maximè vigebat, quando Iosias extra sui regni fines profectus cum exercitu obuiam Aegyptiorū regi occubuit; at post mortem eius inuasum fuit à varijs gentibus, præsertim Babylonijs, qui illud sub Sedecia filio Iosiæ funditus euerterunt. Hunc esse genuinum istius loci sensum patet ex sequentibus, vbi sic se scriptura explicat.

Cap. 36. vers. 9. dicitur: *Octo annorum erat Ioachim cum regnare cœpisset*: qui tamen lib. 4. Reg. cap. 24. vers. 12. dicitur decem, & octo annorum fuisse. Caietanus hic, & Melchior Canus lib. 11. de locis Theologicis cap. 5. ad 12. putant hunc locum in Paralipomenis esse corruptum, & pro 8. legendum 18. vt habetur loco citato Regum. Verùm cum tale quid in sacro textu admittere, præsertim vbi omnes codices inter se conueniunt, valdè periculosum sit, de quo vide Abulensem hic quęst. 2. dicendum est ex cōmuni doctorum consensu, Ioachim octennem à Ioakimo parente in regni consortium assumptum fuisse an-

no secundo regni sui, adeoque cum eo decem annis regnasse. Causa fuit, quod vereretur, si quid humanitus sibi accidisset, Sedeciam excluso puero Ioachim, inuasurum regnum. Iam tùm enim videbatur meditari rebellionem, vt iugo Chaldæorum se eximeret: quod fecit anno tertio regni sui, ideoque eodem anno à Chaldæis abductus est in Babylonem; vndè tùnc successit ei filius Ioachim nouem vel decem annorum: sed pater Ioakim rebus in Babylone compositis, illico rediit, ac alios octo annos cum filio regnauit: quibus exactis anno vndecimo regni sui rursus rebellans, interemptus est à Chaldæis: vndè tunc solus plano & pleno iure regnās successit eius filius Ioachim, qui iam octodecim erat annorum, vt habet liber Reg. ac tribus tantùm mensibus & decem diebus regnauit, quibus elapsis abductus est & ipse in Babylonem à Chaldæis, qui ei substituerunt Sedeciam patruum. Beneque addit Abulensis quæst. 8. lib. 4. Reg. cap. 24. scripturam non expressisse ibi nisi tempus, quo Ioachim per se regnauit, eo quod anni istorum regum debent esse distincti, vt vna summa addita super aliam, sciretur, quanta esset temporis extensio.

CAPVT XXIX.

De Libris Esdræ.

EX hæreticis antiquis Theodorus Mopsuestenus apud Leontium lib. 3. contra Eutych. & Nestorianos; ex Nouatoribus autem Anabaptistæ apud Sixtum Senensem lib. 8. Hæresi 11. libros Esdræ abiecerunt: Verum licet tertius, & quartus in Ecclesiastico canone non sint recepti, nihilominus tamen primus & secundus sunt scripturæ Canonicæ, extant enim Hebraice, suntque in canone Hebræorum apud Iosephum lib. 1. aduersus Appionem, vbi recensens ex traditione Synagogæ libros diuinos veteris testamenti, hos etiam numerat. Cui insuper accedit eadē Ecclesiæ catholicæ traditio & consensus, qui colligitur tum ex Conciliorum definitionibus, Carthaginensis, Laodicensis, & Tridentini: tùm ex Patrum monumentis, eorum præsertim, qui diuinorum voluminum catalogum conficientes illi constanter attexūt duos primos Esdræ libros. Licet de eorum situ in corpore bibliorum dubium aliquod fuerit inter illos. Augustinus namque lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 36. & Hieronymus in Prologo Galeato, epistolaque ad Paulinum, adiungunt libris Malachiæ, quod idē penè sit vtriusque argumentum; quæ etiam fuit occasio suspicandi, vt mox dicemus, fuisse vnum eumdemque Esdram & Malachiam. Glossa autem, in principio Esdræ, prius ponit historiam Tobiæ, quia præcessit eam, quæ in libris Esdræ continetur. Alij demum, post libros Prophetarum, qui agunt de captiuitate Babylonica. Sed retinendus est ordo editionis vulgatæ, in qua statim post libros Paralipomenon ponuntur duo libri Esdræ: eo quod finis secundi libri Paralip. sit idem cum principio Esdræ; itàque pertexatur continuo quasi filo historia gentis Iudaicæ, æque ac Synagogæ, siue Ecclesiæ Dei.

Etsi autem, quod pertinet ad horum librorum authorem, putent aliqui cum S. Isidoro lib. 6. Etymolog. cap. 2. tàm secundum, quàm primum ab Esdra fuisse scriptum; melius tamen cum alijs omnibus tenendum est auctorem libri primi fuisse Esdram, secundi Nehemiā, vt patet ex vtriusque titulo æquè ac narrationis decursu. Quod enim dicatur *liber Nehemiæ, Esdræ secundus*, prouenit partim ex eo quod contineat ea quæ simul ab Esdra & Nehemia gesta sunt: partim quòd olim apud Hebræos, & Græcos Nehemias & Esdras vnus tantùm erant liber, aut volumen; Hebraicè quidem scriptum, sed immixtis multis vocibus Chaldaicis, ob rationem inferius adducendam. Quis autem fuerit Esdras, non est eadem omnium sententia; Rupertus enim & alij cum eo opinan-

nantur Esdram fuisse Malachiam Prophetam, quoniam multa quæ sunt in Malachia habentur in libris Esdræ. Alij cum Hebræis apud S. Hieronym. in tradit. in lib. Paralipom. asserunt Esdram eumdem esse cum Iosedech, patre Iesu Sacerdotis magni, habuisseque duo nomina. Veritas tamen est Esdram fuisse filium Saraiæ summi Pontificis, qui in excidio Ierusalem cum alijs primoribus occisus est à Nabuchodonosor, anno vndecimo Sedeciæ 4. Reg. 25. Id ita esse patet ex cap. 7. vers. 1. Esdræ, vbi suam genealogiam recensens ait: *Esdras filius Saraiæ, filij Azariæ* (qui fuit Pontifex sub Osia rege Iuda, lib. 2. Paralip. cap. 26.) *filij Helciæ, filij Sellum, filij Sadoc &c.* qui omnes recensentur in catalogo Pontificum 2. Paralip. 6. vers. 12. & 14. vbi additur: *Saraias genuit Iosedec. Porro Iosedec egressus est, quando transtulit dominus Iudam, & Hierusalem per manus Nabuchodonosor.* Vnde sequitur Esdram, ex eodem patre Saraia genitum, fuisse fratrem Iosedec, qui fuit Pontifex in captiuitate, vt pote senior, cui postea successit filius Iesus Pontifex pariter, qui cum Zorobabel duce Iudæos è Babylone reduxit in Ierusalem; nam si Esdras fuit Iosedec Pontifex, vt volunt Hebræi, ergo Iesus filius Iosedec in Babylone non fuit Pontifex: viuebat enim tunc Esdras: nec populum è Babylone reduxit, hoc enim non fecisset Iesus, sed Esdras si ipse fuisset Iosedec Pontifex.

Porro Esdras non tantùm fuit historiographus, æque ac scriba siue legis doctor, sed etiam propheta, hoc enim illi nomen attribuit Kalendarium Romanum ad diem 13. Iulij in quo illius recolitur memoria; vnde quod Augustinus ait lib. 18. de ciuitate Dei cap. 36. *Esdras magis rerum gestarum scriptor est habitus, quàm propheta*; non debet intelligi absolutè, sed comparatiuè; vel de prophetia in ordine ad futurorum prædictionem, qua etiamsi Esdras caruisset, Prophetæ tamen nomen habere non immerito potuit, cùm populum docuerit, & ad officium, & ad pietatem reuocarit, instinctuque diuino scripserit hunc librum quasi canonicam scripturam; si quidem non minus, imò fortasse maius Prophetiæ donum est, libros sacros ex Deo conscribere, quam futura prædicere. De eo multi quoque censent, libros omnes veteris testamenti à Chaldæis cum templo exustos, fuisse ab Esdra ex memoria potius diuina, quam humana restauratos; Verum, hoc dici nequit, cum enim longè sit probabilius, & ex ratione ferè certum, vt vidimus supra, libros omnes sacros captiuitatis tempore non perijsse, quasi nihil illorum fuerit reliquum à Chaldæorum strage; manifestè sequitur illos ab Esdra non fuisse ex sola memoria restitutos; sed tantùm illum, errata quæ in illos vitio scriptorum multa irrepserant, correxisse; alia quæ deerant, suppleuisse, totamque scripturam in rectum ordinem digessisse, & in lectiones, quas Hebræi *Peraioth* vocant, & successiuè in Synagogis legunt, diuisisse, atque ita illam pristinæ puritati & nitori restituisse; idque sciẽtia non tam acquisita, quàm cælitus infusa. Vnde Esdræ 8. vers. 8. Septuaginta aiunt Esdram legisse ea quæ in sacris libris scripta erant, *in scientia Domini*, id est per scientiam à Deo infusam. Testatur etiam Hieronymus, quòd cùm ad illud vsque tempus Hebræi illis vterentur caracteribus, siue litteris, quas cum Samaritanis habuere communes, post instauratum templum, alias nouas inuenerit Esdras, quæ ad nostram vsque peruenerunt ætatem, & quibus ipse quoque Hieronymus vsus est. Eo autem consilio docet Eusebius in Chronico ad annum mundi 4740. nouas Esdram excogitasse, & suis tradidisse litterarum formas, priscas vero Samaritanis reliquisse, vt Iudæi nullum cum eis, ne litterarum quidem haberent commerciũ.

At Nehemias, qui interpretatur latinè consolator Dominus, vel consolator à Domino, quemque libri secundi auctorem fecimus, fuit etiam Iudæus pincerna Regis Persarum, à quo potestatem accepit, vt muros Hierosolymæ reædi-

reædificaret, ac reliquam partem templi perficeret; ex Iosepho lib. 11. cap. 5. Vnde præclarũ in Ecclesiastico cap.49. testimonium habuit. *Et Nehemias in memoria multi temporis, qui erexit nobis muros euersos, & stare fecit portas & seras, qui erexit domos nostras.*

Quod pertinet iam tàm ad tempus, quam ad materiam historiæ horum librorum; conueniunt omnes Librum Esdræ continere ea, quæ finitis 70. annis captiuitatis, contigere circa Iudæorum è Babylone per Cyrum liberationem ab anno primo monarchiæ ipsius, vsque ad annum septimum Artaxerxis Longimani Regis, quo Esdras è Babylone cum alijs Sacerdotibus & leuitis rediijt in Hierusalem, vt patet cap.7.ver.7. quod est spatium 73. annorum; quare diuiditur hic liber in duas partes principales, quarum prima agitur de reductione populi Israelitici, sub Iesu filio Iosedec, vsque ad caput 7. inde ad finẽ vsque de instructione reducti populi per Esdram legis doctorem in antiqua religione & patrijs ceræmonijs, quæ longo exilio excidisse videbantur. Liber vero Nehemiæ reædificationem complectitur vrbis Hierosolymæ, ab anno 7. vsque ad annum 32. eiusdem Artaxerxis, vt patet cap.15.vers.6. quod est spatium 25. annorum. Hinc duo colliguntur, primum, vt notauimus supra, hos duos libros scriptos quidem fuisse Hebraico sermone, sed immixtis multis vocibus Chaldaicis. Hebræi enim in Babylone linguam Hebraicam corruperant, & cum Chaldæa commiscuerant. Deinde Epistolæ Regum Babylonis eadem lingua, qua ab eis scriptæ fuere, scilicet Chaldæa referuntur cap. 4. 5. 6. & 7. Qua etiam de causa Danielem quoque suum librum partim Hebraicè, partim Chaldaicè conscripsisse, infra suo loco videbimus. Alterum, quod sequitur est Esdram valde longæuum fuisse, & vitam prorogasse ad 132. annos. Vixit enim vsque ad annum septimum Artaxerxis vt patet cap.7.v.8. Nam cum pater eius Saraias occisus est anno vndecimo Sedeciæ, necesse est vt ipse eodem saltem anno iam fuerit natus, vel posthumus. Porro ab vndecimo Sedeciæ ad primum Cyri, fluxere 60. anni. His adde 3. annos Cyri; 6. Cambysis; 36. Darij Histaspis; 20. Xerxis; 7. Artaxersis, & habebis annos 132. quot necesse est vixisse Esdram, ac forte pluribus vixit. Nescimus enim quo vsque postea vitam prorogarit, nec etiam quoto anno ante mortem patris sit natus.

Cum igitur duplex fuerit captiuitas Hebræorum. Prior Israelis siue decem tribuum, quæ à Salmanasar abductæ sunt in Assyriam, fuitque perpetua, de qua 4. Reg.17. & Tobiæ 1. v.1. Altera, quæ priore fuit posterior annis 134. qua reliquæ duæ tribus Iuda & Beniamin, à Nabuchodonosor ductæ sunt in Babylonem 4. Reg. cap. vltimo; ad sensum litteralem vel historicum istorum librorum pertinet huius secundæ ex Babylone post 70. captiuitatis annos in Ierusalem reductio, à qua incepit veluti quinta Reipublicæ Iudaicæ forma, siue gubernatio populi Iudaici ministerio Pontificum & Ducum; Allegoricè significans institutionem Ecclesiæ nouæ, veteri Synagoga abolita; Tropologicè mysticæ Ecclesiæ, & templi in anima per peccatum violati & disiecti, per gratiam & pœnitentiam, omniumque virtutum officia, reparationem. Anagogicè constructionem nouæ illius & cælestis Ierusalem, quam viuis coloribus depingit S. Ioannes Apocalips. 15. de quibus vide Venerabilis Bedæ Expositionem Allegoricam, & Hugonis de S. Victore allegorias.

Superest iam vt aliquid de tertij & quarti libri Esdræ authoritate dicamus; quos Genebrardus in Chronologia canonicos appellat; sed immeritò, cùm ab Ecclesia in editione vulgata reponantur extra catalogum sacrorum librorum, inter apocryphos, id est occultæ authoritatis, quod Ecclesiæ certum non est, eos esse diuinos & partes S. Scripturæ: vnde etiam non extant in textu Hebræo, nec Græco Septuaginta. Quia tamen citant

eos

eos multi veterum, vel vt sacros, vel vt probos: in multis etiam Græcis codicibus liber tertius Esdræ ipse est primus Esdræ, quia liber hic tertius incipit à gestis Iosiæ regis qui Esdram antecessit: qui verò in Latinis biblijs vocantur Primus & Secundus Esdræ, hi Græcis nominantur secundus Esdræ: quomodo ab Origene homil. 9. in Iosue sub finem, Athanasio orat. 3. contra Arrianos, Clemente lib. 1. Stromatum pag. 64. Cypriano epist. ad Pomp. & alijs citantur: Insuper hic liber nihil habet de fabulis suspectum, imo narrat fusius eadem, quæ narrata sunt libro primo & secundo; ex omnibus istis capitibus sequitur hunc librum maioris esse authoritatis, quàm historiam Liuij, Salustij & aliorum scriptorum non agiographorum, tantamque habere, imo fortasse maiorem adhuc, quam vnus vel alter Ecclesiæ doctor aut Pater habeat. Nec refert quod cap. 1. vers. vlt. numerentur 77. anni seruitutis, cum tamen Ieremiæ cap. 25. tantum numerentur 70. hoc, inquam, non refert, vtrumque enim verum est. Nam 70. sunt vsque ad annum primum Cyri: 77. vero, si post Cyrum addantur anni regni Cambysis hostis Iudæorum vsque ad Darium Hystaspis, qui plenam, & stabilem eis libertatem cum templi reædificandi licentia concessit.

De quarto libro maior est difficultas, quem S. Hieronymus præfat. in Esdram ait continere somnia: Sixtus vero Senensis, Pererius in Danielem, Bellarminus & alij vocant illum fabulosum Talmudicorumque commentum; sed Cornelius à Lapide melius ab hac calumnia hunc librum excusat, tùm quia longè ætatem Talmudicorũ, qui S. Hieronymum secuti sunt, vt patet ex Genebrardi Chronologia, antecessit; imo ex capite 4. 28. & passim alibi constat illum longè ante Christum, scilicet in captiuitate Babylonica fuisse scriptum; tùm quia reuera nihil in eo reperitur, quod apertæ falsitatis conuinci possit, quodque non commodum & verum admittat sensum, si presse verba sumantur; multa verò habet documenta docta, pia, grauia & illustria; tum quia S. Ioannes in Apocalipsi sæpe ad hunc alludere videtur, vt patebit si conferatur caput 7. Apocalips. cum 2. huius libri; caput 6. cum 4. 12. cum 9. 18. cum 5. &c. Hisce, inquam, de causis, quodque Ecclesia illo vtatur in introitu missæ feria tertia Pentecostes: *Accipite*, inquit, *iucunditatem gloriæ vestræ, gratias agentes Deo, qui vos ad cælestia regna vocauit*. Et: *Modo coronantur & accipiunt palmam*; in officio Martyr. quæ habentur hic c. 2. Meritò sua etiam illi concedenda videtur authoritas; quam mirum non est hactenus latuisse, & etiamnum latere, an sacra sit. Id enim Deus permisit olim in omnibus libris deuterocanonicis; imò permisit multos libros Prophetarum intercidere qui citantur in libris Regum. Denique author huius libri 4. cap. 1. vers. 1. significat se eumdem esse cum Esdra Scriba, qui author fuit libri primi; nam vocat se filium Saraiæ Pontificis, eosdemque auos & atauos numerat, quos recensuit Esdras lib. 1. cap. 7. sed Esdras ibi quindecim dumtaxat auos refert, hic verò nouendecim. Vndè liquet aliquos ex eis ab Esdra omissos cap. 7. author ergò huius libri vel fuit Esdras, vel certè Esdræ personam assumit: semper enim in Esdræ persona loquitur.

CAPVT XXX.

De Libro Tobiæ.

FVere antiquioribus sæculis nõ pauci etiam Patres, qui hunc librum pro Canonico non habuerunt. Nam nec Melito Sardensis Epistola ad Onesimum, apud Eusebium lib. 4. historiæ Ecclesiasticæ, cap. 6. Nec Origenes apud eumdem lib. 6. cap. 18. Nec Eusebius ipse lib. 3. cap. 25. Nec Athanasius in Synopsi. Nec Hilarius præfat. in Psalm. Nec Epiphanius hæresi 8. Nec Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. Nec Nazianzenus in carmine de libris sacris;

Nec

Nec Hieronymus in prologo Galeato, & in epistola 103. ad Paulinum. Nec Ruffinus in expositione Symboli; hi, inquam, decem Patres, quorum Melito, Hilarius, Epiphanius scripserunt Canonem librorum veteris testamenti; Eusebius, noui; reliqui sex vtriusque, librum Tobiæ cum alijs canonicis non reponunt. Concilium quoque Laodicæum texens catalogum librorum veteris testamenti huius non meminit. Vndè etiã aliqui doctores Catholici Lyranus, Abulensis, Caietanus ad finem commentariorum Ester asserunt hunc librum non esse Canonicum. Vt omittam hęreticos nostri temporis tùm Lutheranos, tùm Caluinistas, qui non tàm studio veritatis, quàm se se opponendi sacris Ecclesiæ Catholicæ definitionibus, illum reijciunt; quamuis aliqui illorum citati à Dominico Grauina lib.4. de verbo Dei scripto dicant contemnendum non esse, legique posse ad morum ædificationem, cum bonam & vtilem doctrinam contineat.

Pro decisione huius controuersiæ, non tam ad librum Tobiæ pertinentis, quàm ad alios omnes, qui Deuterocanonici dicuntur, hoc est, de quibus nonnunquam à Catholicis est dubitatum, an infallibilis, ac diuinæ essent authoritatis, sed tamen non amplius dubitatur, nec vnquam ab vllo Catholico dubitabitur, quorum infra cap.75. catalogum referemus; Notandum est primò idem prorsus esse, librum aliquem esse Canonicum, & esse diuinæ, ac infallibilis authoritatis; vndè audienda non est aliquorum explicatio, qui præfatos libros opinantur à Patribus vocari canonicos, quia ad instructionem morum plurimũ faciunt, non tamen quòd sint ad confirmanda fidei dogmata infallibilis authoritatis; hęc, inquam, explicatio audienda non est; si quidem idem de omnibus alijs libris dici posset, scilicet ea sola de causa appellari Canonicos, quod certè est impium, & blasphemum: sic enim totum corpus scripturæ, nihil quicquã ad documentorum Ecclesiæ confirmationem faceret. Vanissima similiter est distinctio Kemnitij in exam. sess.4. Concil. Trident. qui libros quosdam canonicos dicit esse infallibilis veritatis, & quosdam non esse; nam vt ipsemet rectè deducit ex D. Augustino lib.11. contra Faustum cap.5. & lib.2. contra Crescõnium cap.32. dicuntur libri Canonici, quia sunt quasi norma, & regula, qua imperitiæ nostræ regatur infirmitas, & ex qua de omnibus alijs libris iudicetur. Quomodo igitur erunt norma, & regula libri illi, qui non sunt infallibilis veritatis?

Nec fauet quicquam prędictæ Kemnitij distinctioni; quod D. Augustinus lib.2. de doctr. Christ. cap.8. dicit, in libris Canonicis illud obseruandum, vt qui recipiuntur ab omnibus Ecclesijs, pręponantur illis qui non recipiuntur ab omnibus, & maioris authoritatis habeantur: sicut nec, quod D. Hieronymus in prologo Galeato ait, libros Canonicos diuidi in legem, prophetas, & agiographa; & ipse idem præfatione in Tobiam, & pręfatione in Iudith docet, hos libros inter Agiographa etiam à Iudæis numerari, & tamen non esse idoneos ad fidei dogmata confirmanda. Hęc, inquam, duo nihil fauent Kemnitio; ad primum enim Respondetur D. Augustino fuisse certissimum omnes libros Canonicos esse infallibilis veritatis: sed non fuisse æque certum de omnibus libris quos enumerauerat, an essent Canonici. Nam etsi ipse ita sentiret, tamen sciebat rem non fuisse adhuc ab Ecclesia definitam, & propterea cum subessent aliquæ rationes dubitandi, potuisse sine labe hęreseos quosdam libros ab alijs non admitti. Id igitur est, quod loco citato docet obseruandum esse in libris qui dicuntur Canonici, vt ij qui ab omnibus recipiuntur, pręferantur ijs, qui non ab omnibus recipiuntur; quia videlicet de prioribus maior tunc erat certitudo, quàm de posterioribus, quòd essent canonici: nunc autem quia Ecclesia rem totam definiuit, æquè certi sumus de authoritate omnium librorũ, nec

nec vnum alteri præponere debemus. Quod autem D. Augustinus re vera crediderit, omnes eos libros, quos ibi vocat Canonicos, esse infallibilis veritatis, patet tum ex Concilio Cartaginensi III. cui ipse subscripsit: tum etiam quia nullus proferri potest locus ex Augustino, vbi librum aliquem appellet canonicũ, & tamen de eius veritate dubitari posse dicat: contrà verò plures adduci possunt, vbi expresse dicit, omnes libros, qui canonici vocantur esse infallibilis veritatis. Epistola 19. ad Hieronymũ, Ego solis eis scripturarum libris, qui iã canonici appellantur, hunc timorem, & honorem didici deferre, vt nullum eorum authorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam. Eodem modo loquitur epist. 8. 9. 48. 112. lib. 2. de baptis. cap. 3. lib. 2. contra Cresconium, cap. 31. & 32. lib. 11. contra Faustum, cap. 5. & alibi passim.

Ad alterum D. Hieronymi locum, respondetur duo genera hagiographorum Iudæos habuisse, quædam intra arcam, & quædam extra arcam, vt docet Epiphan. lib. de mensf. & ponderibus. Quæ erant intra arcam hagiographa dicebantur, ad distinctionem historicorum, & propheticorum voluminum, & hæc canonica habebantur, & de his loquitur Hieronymus in prologo Galeato; quæ autem erant extra arcam, dicebantur hagiographa ad distinctionem canonicorum, & de his loquitur Hieronymus in præfatione Tobię, & Iudith; ex quo patet, nunquam canonicos dici à Hieronymo eos libros de quibus dubitari possit; sed vt notabamus librum esse canonicum, est esse infallibilis veritatis.

Notandum est secundo, Ecclesiam veterem dubitasse de his libris, qui postea in canonem relati sunt, dicunturque Deutero canonici, duobus modis intelligi posse: vno modo, quod ita fuerit dubia, vt nulli homines eius temporis essent, qui testari possent eos libros à Prophetis vel Apostolis editos, & hoc modo verum est sequentem Ecclesiam non posse decernere librum aliquẽ esse canonicum, sed de eo dubiam esse debere, si Ecclesia quæ fuit eo tempore, quo talis liber editus est, fuit etiam dubia de illius authoritate. Cum enim duplex sit via indagandi veritatem, an aliquis liber sit verè diuinus: vna ex testimonio alicuius, quem constat Prophetam, vel Apostolum esse, cui Deus mysteria reuelare soleat: altera vt Augustinus docet lib. 33. contra Faustum, cap. 6. per testimonia certa eorum, qui viuebant dum liber ederetur, qui testentur librum illum à Prophetis, vel Apostolis editum, & quorum testimonia per successionem hominum eo libro vtentiũ ad nos vsque deuenerint: si semel illæ duæ deficiant viæ, non est vnde possit Ecclesia talem librum declarare canonicum, ideoque, vt docet D. Augustinus lib. 18. de ciuitate Dei cap. 38. librum Enoch non recepit, quia nulla habuit testimonia eius temporis, quo liber scriptus erat, nec etiam temporum proximorum.

Altero modo potest intelligi, Ecclesiam dubitasse de alicuius libri authoritate, quia aliqui dubitabant, nec tamen ipsa Ecclesia tunc rem istam definire voluit; & quod hoc modo, de aliquo libro sacro dubia fuerit aliquandò prisca Ecclesia, non potest indè colligi, vt malè infert Kemnitius loco citato, quod necessario Ecclesia posterior dubia de illo etiam esse debeat; si semper fuerint aliqui fide digni, qui hunc librum canonicum esse putauerint, ad hoc enim vt sequens Ecclesia possit hoc decernere, sufficit si habeat aliqua testimonia hominum fide dignorum illius temporis, vel certè proximi, quales sunt omnes illi, qui tàm librum Tobiæ, quàm alios deuterocanonicos, verè diuinos esse crediderunt. Quod ad hominem contra præfatum hæreticum sic demonstrari potest. De libro Iudith fuit initio dubitatum, & tamen Nicæna Synodus eum librum in canonem recepit, teste D. Hieronymo præfat. in Iudith; quam Synodum vna cum alijs tribus primis hæretici recipiunt, & magni faciunt; non igitur co-

gitur

gitur semper dubitare Ecclesia posterior vt vult Kemnitius, etiamsi in priori aliquandò dubitatum sit. Insuper si libri isti, de quibus agimus, non possunt nūc certò pro canonicis recipi, quia de eis dubitauit prima Ecclesia: eadem ratione non poterunt certò pro canonicis recipi epistola Iacobi, & Iudæ, secunda Petri, secunda & tertia Ioannis, epistola ad Hebræos, & Apocalypsis, quia de his etiam dubitatum est in prima Ecclesia. At Caluinistæ recipiunt pro verè canonicis hos omnes libros, vt patet ex Caluini libris, in quibus passim citantur & ex confessione ministrorum Caluinistarum art. 3. quam Pissiaei obtulerunt anno 1561. Lutherani autem etiam si variè sentiant de his libris, tamen Magdeburgenses recipiunt Apocalypsim, vt verè Canonicam, Centur. 1. lib. 1. cap. 4. Igitur, &c.

Obseruandum est tertiò, non esse sufficientem rationem reijciendi aliquē librum sacrum, quia in Hebræorum canone non censetur; siuè quod idem est, necesse non esse, vt illi soli libri habeantur canonici apud nos, qui tales habiti sunt apud Iudæos. Ratio est primò, quia maior apud nos debet esse authoritas Ecclesiæ, quàm Iudæorum; vbi ergò est quæstio, an aliquis liber sit canonicus, nec ne; debemus potius adhærere Ecclesiæ, quæ agnoscit illum pro canonico, quàm opinioni Iudæorum, quæ illum pro tali non agnoscit, vel non recenset: vt rectè notat Augustin. lib. 18. de ciuitate Dei cap. 36. cum ait: *Machabæorum libros, non Iudæi, sed Ecclesia pro canonicis habet*; & Isidorus in lib. proœmiorum de libris veteris ac noui testamenti: *Hebræi*, inquit, *non recipiunt libros Tobiæ, Iudith, & Machabæorum, Ecclesia tamen eosdem inter canonicas scripturas ennumerat*. Et ibidem. *Sapientia & Ecclesiasticus parem cum reliquis Canonicis libris tenere noscuntur authoritatem*. Secundò, quia ex canone Hebræorum præcisè nihil certi probari potest. Non enim constat, an liber Esther in eo consignatus sit, nec ne. Si quidem reperitur in canone, qui extat apud Hieronymum, secus autem in illo, qui extat apud Melitonem, & Nazianzenum. Deindè incertum est, quis sit author illius canonis, & quo tempore conscriptus sit. Immò Genebrardus in Chronologia ad annum mundi 3638. 3920. & 3952. recenset diuersos canones editos ab Hebræis, quorum vnus fuit ab Esdra editus; cuius tempore cùm nondum extarent libri Machabæorum, quid mirum si in illum canonem relati non fuerint? quos tamen Iosephus libello de Machabæorum martyrio, pro sanctis & canonicis agnoscit.

Aduertendum est quartò Catholicos non dicere, vt Kemnitius impudentissimè calumniatur, Ecclesiam posse pro suo arbitratu sine vllis veterum testimonijs, facere librum canonicum de non canonico, & de canonico non canonicum; & quod si Papa vellet, scriptura diuina non plus haberet authoritatis, quam fabulæ Aesopi: ista enim non sunt Catholicorum asserta, sed hęreticorum calumniæ, & mendacia. Dicimus enim Ecclesiam nullo modo posse facere librum canonicum de non canonico, nec contra, sed tantùm quo ad nos declarare quis sit habendus canonicus, & hoc non temerè, nec pro arbitratu, sed ex veterum testimonijs, & similitudine librorum, de quibus dubitatur, cum illis de quibus non ambigitur, ac demum ex communi sensu, & quasi gustu populi Christiani; quomodo D. Hieronymus lib. de viris Illustribus in Iacobo dicit, epistolam eius paulatim, tempore procedente, meruisse auctoritatem. Quæ omnia tria cùm Ecclesia diligenter obseruarit Spiritu Sancto illi affulgente, vbi in canonem Scripturæ sacræ librum Tobiæ, & alios deuterocanonicos dictos referre debuit, vt de singulis suo loco dicemus, de illorum authoritate non amplius post Ecclesiæ definitionem citra hęresim licet dubitare.

His igitur positis dicendum est, tàm librum Tobiæ, quam alios qui Deuterocanonici vocantur, esse verè diuinos infal-

infallibilisque authoritatis. Hęc propositio est de fide post Concilium Tridentinum in quo sess. 4. hi libri vnà cum cęteris in canonem Scripturæ sacræ relati sunt: quem Patres illius Concilij acceperunt per traditionem ab Eugenio Papa IV. in Concilio Florentino. Rursum Eugenius illum accepit à Gelasio Papa in Concilio Romano, vt patet ex 2. tomo Concil. in decretis Gelasij circa finem. Iterum Gelasius ab Augustino libro 2. de doctrina Christ. cap. 8. Et Augustinus à Concilio Carthaginensi III. quod alij quintum, alij sextum appellant. Denique Patres huius Concilij ab Innocentio I. epistola 1. ad Exuperium cap. 7. Vixit autem Innocentius circa annum Christi 402. Igitur ab illo tempore primitiuæ Ecclesiæ ad nos vsque per continuatam traditionem perseuerat idem ille scripturæ Canon, quem nos hodie Catholici tenemus & amplectimur; quemque prefata Concilia & Pontifices primum concinnarunt ex vsu Ecclesiæ, quæ ab Apostolorum tempore, ijs libris in canonem ab illis relatis, tanquàm sacris & canonicis semper vsa est, vt ex diuinis officijs, ijsque antiquissimis, & ex citatione eorumdem librorum in scriptis veterum Patrum existétium manifestè patet. Certè quod attinet ad librum Tobiæ in particulari, de quo nunc agitur: S. Policarpus epistola ad Philipp. citat illud testimonium c. 4. quod *Eleemosyna à morte liberat*: Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromat. illud cap. 12. *Bona est oratio cum ieiunio*. Origenes epistola ad Iulium Africanum dicit quod *Tobia vtuntur Ecclesiæ*; & homil. 27. in Numer. recenset lectionem Tobiæ inter lectiones diuinorum voluminum; Dionysius quoque Alexandr. epist. ad Germanum; Athanasius in apologet. ad Imperatorem Constantium; Chrisostomus serm. de pœnitentia, huius libri tanquam canonici testimonijs vtuntur, sed omnium clarissimè Cyprianus tàm in sermone de eleemosyna, quã de oratione Dominica, vbi librum Tobiæ citans ait: *Loquitur in scripturis Spiritus Sanctus, & dicit, eleemosynis, & fide purgantur delicta: Et ideo scriptura diuina instruit dicens. Bona est oratio cum ieiunio & Eleemosyna.* Diuus etiam Ambrosius lib. de Tobia eundem librum Propheticum appellat dicens: *Lecto Prophetico libro, qui inscribitur Tobias*: Quę omnia veterum Patrum testimonia tàm constanter asserentium librum Tobię esse propheticum, scripturamque diuinam, accedente insuper tùm bonitate doctrinæ ad morum ędificationem pertinentis, in illo contentæ, quam hęretici ipsi, & pręsertim Kemnitius non negant; tum etiam cõmuni sensu, & quasi gustu populi Christiani; nam vt ait Hieronymus procemio in Ionam, *Liber Tobiæ licet non habeatur in canone*, (intellige Hebręorum, aut secundum illam quã antè Ecclesiæ definitionem tenebat sententiam Hieronymus) *tamen quia vsurpatur ab Ecclesiasticis, tale quid memorat, dicente Tobia ad filium suum cap. 14. Fili ecce senui*; hęc, inquam, tria diligenter ab Ecclesia diligenter obseruata, sufficiens illi motiuum esse potuerunt, vt Spiritu Sancto illi tandem affulgente, librum Tobiæ canonicum esse declararet, ac pro tali ab omnibus recipi iuberet.

Quod si aliter aliquot antiqui Patres superius citati censuerunt; aut non adeo constanter affirmarunt; ideo fuit quia non ità clarè fuerat eorum æuo ab Ecclesia definitum in aliquo Concilio Generali, vel prouinciali à Pontifice confirmato, aut ab ipsomet Pontifice seorsim ab illis. Vndè pręd ti Patres, quod est valde notandum, propriè loquendo non dissentiunt à nobis, nec fauent quicquam Lutheranis & Caluinistis. Vtrumque facile demonstratur. Ac primò, non dissentire à nobis, ex duplici principio colligi potest. Vnum est: quamdiu controuersia aliqua Ecclesiastica in vtramque partem ob rationes probabiles hinc inde allatas manet dubia, ita vt nihil adhuc certi in alteram partem ab Ecclesia definitum sit; tam diu liberum ac licitum est vnicuique

que sentire quod velit, siue hanc vel illam partē probabiliter amplecti. Quandò autem in alteram legitimè definita est, tunc illi parti absque vlla hęsitatione tenentur adhęrere omnes Catholici. Alterum principium est; qui ante definitionem Ecclesiæ, re adhuc dubia existente, vnam partem probabiliter sequuntur, non censentur propriè dissentire ab illis, qui post definitionem Ecclesiæ, alteri adhęrent. Nam sicut hi adhęrent definitioni Ecclesiæ; sic etiam alij fecissent, si res fuisset tunc definita. Et sicut alij ante definitionem Ecclesiæ, probabilem partem amplexi sunt; sic etiam hi facerent, si Ecclesia nihil decreuisset. Non ergo propriè hi illis contrarij sunt. Sic autem contingit in proposita difficultate. Nam antè Innocentium I. nondum erat certò ab Ecclesia definitum, qui libri essent Canonici, qui non essent, ac proinde patres superius adducti in principio huius capitis, alterutram partem probabiliter tenere poterant. At accedente Ecclesiæ definitione, quæ primum ab Innocentio facta est, & postea, vt vidimus, in varijs Concilijs confirmata, Augustinus & reliqui patres omnes, definitioni Ecclesiæ adhęserunt. Ergo propriè non existimantur dissensisse ab ijs, qui ante definitionem Ecclesiæ alterutram partē probabiliter amplexi sunt.

Prædictus discursus, generatim loquendo, cum per se clarus sit, indiget tantùm aliqua declaratione in particulari. Itaque ante definitionem Ecclesiæ, licet apud omnes certò constaret, quosdam libros, tàm veteris, quàm noui testamenti, canonicos esse, siue diuinos; de nonnullis tamen dubitabatur, præsertim de Tobia, Iudith, Esther, Sapientia, Ecclesiastico, Machabæis, epistola Pauli ad Hebræos, epistola Iacobi, & Iudæ, posteriore Petri, secunda & tertia Ioannis, Apocalipsi. Hoc patet ex authoribus citatis. Siquidem Origenes, Hilarius, Epiphanius, Cyrillus, Hieronymus, & Ruffinus admiserunt librum Esther in canone scripturæ sacræ; Melito & Nazianzenus excluserunt. Athanasius nihil certi determinauit. Rursum de Tobia, & Iudith, dubiè loquitur Hilarius: de Sapientia & Ecclesiastico, Epiphanius. Similiter, de epistola ad Hebręos, de posteriore Petri, de secunda & tertia Ioannis dubitatum est apud Origenem. Apocalipsis posita fuit in Canone ab Athanasio, Ruffino, Hieronymo, & Origene: omissa à Cyrillo & Nazianzeno: in dubium vocata ab Eusebio: At hęc omnis dubitatio per Innocentium I. sublata est, qui rogatus ab Exuperio Episcopo Tolosano, quid de his dubijs libris tenendum esset, Apostolica authoritate definiuit, in canonem scripturæ sacræ referendos esse. Quam definitionem postea secutus est Augustinus cum alijs Episcopis Africæ in Concilio Carthaginensi III. Exuperius cum Episcopis Galliæ: Gelasius in Concilio Romano; totus denique orbis Christianus vsque ad hęc nostra tempora.

Soli ferè Lutherani & Caluinistæ sine causa tergiuersantur, & à consensu tot Patrum, & Conciliorum ad paucos illos Patres, qui antè definitionem Innocentij scripserunt importunè prouocant. Sed frustra. Nam patres illi, quorum authoritate in sua se se obstinatione tueri conantur, nullo modo ipsis patrocinantur: Quod est secundum nobis probandum, facileque ex dictis ostendi potest. *Primò*, quia patres illi inter se, vt vidimus, non conueniunt de canone. Nec mirum; nam cùm res nondum esset ab Ecclesia determinata, alij hanc, alij illam partem probabiliter sequebantur. Non omnes ergo saltem possunt adduci pro Lutheranis & Caluinistis, nisi velint discrepantes eorum sententias amplecti. *Secundò*, nec Lutherani & Caluinistæ inter se conueniunt in Canone. Nam Caluinistæ recipiunt epistolam ad Hebręos, epistolam Iacobi, & Iudæ, & Apocalipsin Ioannis, quas reijciunt Lutherani. Igitur si qui Patres fauent Caluinistis, non fauent Lutheranis: & vicissim, si qui his fauent, illis non fauent. *Tertiò*, plerique ex illis Patribus

bus

bus ingenuè fatentur, de quibusdam libris dubium esse, an sint canonici, nec ne. At Lutherani & Caluinistæ non volunt esse dubium, sed certum; aliundè ergò, quàm ex præfatis Patribus, talem debent ostendere certitudinem, quod tamen non faciunt. Vnde manifestè sequitur, illos nihil præsidij pro se habere ex tota antiquitate: nullum Conciliū, nullos Patres allegari posse, qui per omnia probent ipsorum canonem. Nam Patres, qui scripserunt ante Innocentium I. in multis ab illis discrepant, vt iam ostensum est. Qui autem secuti sunt Innocentium, nostrum Canonem approbarunt, & amplexi sunt. A quo dum Lutherani & Caluinistæ, alij plures, alij pauciores libros expungunt pro suo arbitratu, certè in illos optimè quadrat, quod de Manichæis scripsit Augustinus in lib. de bono Perseuerantiæ cap. 11. *Scripturas*, inquit, *sic accipiunt, vt suo quodam priuilegio, immo sacrilegio, quod volunt sumant, quod nolunt reijciant*. Tantum pro diuina libri Tobiæ authoritate.

Quod pertinet iam ad illius authorem, nihil certi statui potest; aliqui enim censent aliquem illius æui scribam, ac forte Esdram, vt opinatur Sanctius, librum Tobiæ scripsisse; quia in codice Græco citatur Ieremias, quem ætate diu antecessit Tobias vterque; verum cum tam Ieremiæ verba, quàm nomen facile è margine in textum Græcum irrepere potuerint, tale argumentum nullam affert necessitatem credendi huius libri authorem fuisse alium ab vtroque Tobia, vel illis posteriorem; vnde existimant alij, vt Sixtus Senensis, & Serarius, Tobiam vtrumque librum hunc scripsisse; Patrem quidem, priorem partem vsque ad cap. 13. posteriorem verò filium; narrat enim ea, quæ post mortem Patris contigerunt, vsque ad versum 16. cap. 14. Quis autem sit ille tertius, qui duos vltimos libri versus addidit, compertum non est. De genere & patria Tobiæ nihil habemus in editione Vulgata, nisi quod ortus esset ex tribu, & ciuitate Nephtali, vt patet c. 1. vers. 1. At Septuaginta, si modo codices Græci, septuaginta sunt, longam texunt seriem generis Tobiæ, eiusque ciuitatem vocant Thisben, fortasse, quod Nephtali binominis esset. Porro Tobiam fuisse Prophetam liquet ex cap. 14. vers. 6. & seq. vbi prophetat instans Niniues excidium, ac Ierosolimæ felicitatem, quam post exilium, duramque vexationem aliquando erat habitura.

Maior difficultas est qua lingua primùm hic liber sit conscriptus? Paulus enim Fagius natione Germanus, Secta Lutheranus suum Lutherū secutus existimat, primùm fuisse Hebraicè scriptū, esseque illum, quem Constantinopoli ad se allatum asserit, quemque ipse ex Hebræo in Latinum vertit, & typis vulgauit: ex Hebræo deindè traductum fuisse in idioma Græcum, & ex Græco in Chaldæum, ex Chaldæo denique à S. Hieronymo translatum in Latinum. Verùm, vt rectè notauit Cornelius à Lapide, Hebræus ille primogenius Tobiæ textus, editus à Fagio supposititius videtur. Mirum enim est, eum non fuisse à S. Hieronymo visum, qui expresse testatur hic in præfatione, hunc librum non Hebræo, sed Chaldæo sermone cōscriptum. *Mirari*, inquit, *non desino exactionis vestræ instantiam: exigitis enim, vt librum Chaldæo sermone conscriptum ad latinum stylum traham, librum vtique Tobiæ &c.* & statim: *quia vicina est Chaldæorum lingua sermoni Hebraico, vtriusque linguæ peritissimum loquacem reperiens, vnius diei laborem arripui: & quicquid ille mihi Hebraicis verbis expressit, hoc ego, ascito notario sermonibus latinis exposui*. Vnde satis patet ex Chaldaico Hebraicè expressisse virum illum Hebræum, & ab Hebraico idiomate à Diuo Hieronymo expositum esse latine. Deindè phrasis textus Hebræi à Fagio editi, planè videtur esse alicuius mimi Rabbini, qui pueriliter ad verbum ex Græco Tobiam in Hebræum transtulerit. Græco enim ad verbum sæpe respondet: vndè ex eo traductus videtur,

resectis nonnullis, quæ Fagio, vel traductori displicebant. Addit etiam nonnulla ridicula, vt quod Tobias cùm curari non posset, iuerit in Germaniam, quod dederit tertias decimas pro restauranda domo, secundum legem Domini. Harum enim decimarum nulla fit in lege mentio.

Certum ergo maneat ex præfata D. Hieronymi authoritate, librum Tobiæ primitus sermone nō Hebręo sed Chaldæo fuisse conscriptum, ex quo deindè, ceu fonte emanarunt variæ translationes, tàm Grecæ, quàm Hebraicæ, & Syriacæ, quarū meminit Serarius hic Prolegom. 4. Hinc videtur liber hic in captiuitate Assyriaca conscriptus; vbi vsus erat linguæ Chaldaicæ, in Iudęa verò Hebraicæ. Addit Serarius loco statim citato, quod præter Hebręam, & Grecam illam, quæ nostræ huic Latinę versioni respondet, alia extat Hebręa, & Gręca paulo amplior, & fusior, in qua semper Tobias loquitur in prima persona, vndè opinantur aliqui, Tobiam bis eamdem historiam scripsisse, semel succinctè, quam in vulgata habemus: iterumque fusius, quæ Græce etiamnum extat apud S. Ambrosium & in Biblijs complutensibus. Porrò hæ versiones sæpè inter se dissentiunt, nobis ex decreto Concilij Tridentini sess. 4. præferenda est Latina vulgata, Hebrææ, & Græcæ cęterisque omnibus, vbi ab ea discordant, vt dicemus infra

Quantùm ad huius libri inscriptionem, non tàm ab authore, cum non omnino certum sit fuisse Tobiam, quàm ab argumento, vel historia quam continet, suum nomen habuisse dicendum est. Describit enim vitam, gesta, & mores Tobiæ vtriusque, patris scilicet, & filij, qui fuere speculum probitatis. Quam veram historiam fuisse, omnes orthodoxi docent: nam in ea nominantur tempora, personæ, anni, & acta, tam Tobiæ vtriusque, quam Angeli Raphaelis, Saræ &c. qui sunt caracteres veræ historiæ. Vndè cauendus est error præfati Pauli Fagij Heretici, qui in sua versione Latina Tobiæ ex textu Hebręo in præfatione asserit, librum hunc non esse historiam, sed comędiam comica ratione conscriptam, vt author boni patrisfamilias in eo typum ob oculos poneret, ideòque apte ei nomen Tobiæ dederit. Tobias enim bonitatem, & probitatem significat: vnde alius Tobias filius patri similis editur, & progignitur. Chronotaxis autem vitæ, siue historiæ vtriusque Tobiæ sic se habet; Tobias senior è Chaldęa captiuus ductus est in Assyriam, anno 6. Ezechię Regis Iuda, illo enim regnante Salmanasar, expugnata Samaria, destructoque regno Israelitico sub Osee, decem tribus adduxit in Assyriam: quo tempore Tobias agebat annum ætatis 39. vt ex textu Hebręo Serarius, & Salianus colligunt; vixitque in captiuitate annos 63. qui conficiunt vniuersim annos 102. Excęcatus enim fuit anno ætatis 56. vixit cæcus annos 4. visum recuperauit anno 60. deinde vixit adhuc annos 42. Vndè necessario sequitur eum natum esse anno 51. Osiæ Regis Iuda, (quo ferè tempore cępere Olympiades, ac nati sunt Remus & Romulus Romæ conditores) mortuum verò esse, anno 40. Manassis. Nam si à 51. anno Osiæ numerentur 102. anni, quos vixit Tobias, peruenietur ad annum 40. Manassis, ita Salianus, Serarius, Sanches & alij iuxta textum latinum vulgatæ editionis cap. 14. v. 1. quę nobis sequenda est. Nam iuxta textum Gręcum, Tobias venit in captiuitatem anno ętatis 37. vixit in ea annos 125. vnde mortuus est anno 158. Excęcatus est anno ętatis 58. vixit cęcus annos 8. visum recepit anno 66. deinde vixit adhuc annos 92. Tobias verò Iunior natus est anno 4. Ezechiæ regis Iuda, sub initia vrbis Romæ, cum enim esset duorum dumtaxat annorum, cum patre captiuus ductus est in Assyriam; mortuus autem est anno 16. Iosiæ regis Iuda, cū esset 99. annorum, tot enim annos ei dat vulgata editio Latina cap. 14. ver. 16. nam ab anno 4. Ezechiæ ad 16. Iosiæ fluxere 99. anni. At iuxta Gręcam editio-

tionem mortuus est anno ætatis 127. quare hoc computu, mortuus est initio regis Sedeciæ, vltimi regis Iuda; paulo ante excidium Ierusalem, & templi patratum à Chaldeis. Verum vt iam dixi nobis sequenda est latina vulgata editio, quæ sola ex decreto Concilij Tridentini authentica est, vt videbimus infra examinando singulas sacræ scripturæ editiones.

Facile igitur ex dictis colligitur, sensum huius libri litteralem, siue Historicum principaliter à Spiritu Sancto intentum, fuisse describere vitam & gesta vtriusque Tobiæ: ratione cuius secatur in duas partes principales, in quarum prima describitur vitæ ratio ipsius Tobiæ laudabilis & honesta à principio vsque ad cap. 4. in secunda verò consolationes diuinæ circa filij sui missionem in Rages ad Gabelum à cap. 4. vsque ad 10. reuersionem, & quæ sibi deinceps contigerint cap. 10. 11. & 12. & futurum Reipublicæ statum cap. 13. & 14. Tropologicè verò Tobias vitæ coniugalis speculum, maritum, coniugem, filium, sui quemque muneris admonet, & erudit. Vt Tobias perfectus sit œconomicus, ac longe superans œconomicos Aristotelis & Xenophontis. Ad hęc quomodo in exilio & aduersis retinenda sit pietas & charitas. Vnde D. August. lib. de quęst. vtriusque testamenti cap. 119. *Dei famulus*, inquit, *S. Tobias post legem exemplum nobis datus est, vt quæ legimus, quomodo fiant sciamus: & si tentationes aduenerint, à Dei timore non recedamus, neque auxilium aliundè, quam ab ipso speremus*. Tropologicè quoque scripsit S. Ambrosius librum de Tobia contra fœneratores & auaritiam. Rursum documenta ad bonos mores spectantia, ex hoc libro collegit Petrus Berchorius Pictauiensis lib. 17. moralitatum. Allegoricè etiam, ex S. Prospero 2. parte de prędict. cap. 39. *Mysticum actionis Tobiæ, quod ex iecinoribus piscis, quibus & dæmonem fugauit, & oculorum maculas abstulit, & pristinum visum reddidit, significat quod Christus piscis magnus ex sua passione liberauit hominem à diabolo, vnde & ille fugatus est, & homo illuminatus. Ichun namque Latinè piscem sacris litteris maiores nostri hoc interpretati sunt ex Sybillinis versibus colligentes, quod est Iesus Christus filius Dei Saluator piscis in sua passione decoctus, cuius ex interioribus remedijs quotidie illuminamur, & pascimur*. Allegoriam insuper in Tobiam tradidit Beda Tomo 4. & Hugo Victorinus tom. 1. Tandem ad sensum anagogicum trahi possunt, quæ cap. 13. à versu 12. ad finem vsque capitis pręedicuntur à Tobia de ea gloria, quam post exilium, duramque vexationem habitura esset aliquando Ierusalem. Sed hęc sufficiant, videamus iam quid hęretici cōtra diuinam huius libri authoritatem obijciant.

Obijcit primò Vvitacherus librum Tobiæ inter apochrypha scripta recensendum esse, quia non est scriptus Hebraicè, sed Chaldaicè, conformitatemque non habet cum alijs libris Canonicis. Respondetur hoc argumentum nullius esse roboris, si enim subsisteret pari ratione deberent excludi è librorum canonicorum numero libri Esdras & Daniel, qui Chaldaicè scripti sunt. Gratis etiam asseritur secundum morem hęreticæ licentiæ, quod ab alijs libris canonicis sit difformis; cum ipsimet hęretici, & pręsertim Kemnitius vt notauimus supra, non negent hunc librum esse bonum & sanctum, & dignum qui legatur; quamuis non sit talis, vt ex eo firma argumenta duci possint. Quo modo eludere conantur ea testimonia veterum Patrum, in quibus hic liber vocatur sacer, vel Ecclesiasticus, imo, vt vidimus, Propheticus, ipsaque sacra Scriptura.

Secundò videtur in hoc libro esse manifesta contradictio; nam cap. 3. dicitur Saram filiam Raguelis, habitasse in Rages ciuitate Medorum, & tamen quandò Tobias venit cum Angelo in domum Saræ cap. 9. vt eam in vxorem acciperet, dicitur eum misisse Angelum ad Gabelum in Rages ciuitatem Medorum:

rum: ergò vel falsum est Saram habitasse in Rages, vel si habitauerit, falsum erit Gabelum ibi habitasse. Respondet Michael Medina lib.6. de recta in Deũ fide, cap.14. mendum esse cap.3. & loco Rages legendum esse Ecbatanis, vt in Græca editione legitur, quam etiam sequitur Athanasius in Synopsi. Sed ista responsio stare non potest, nedum quia à vulgata editione, quæ ita legit, maioremque habet authoritatem, quàm Græca, non licet recedere, aut eam etiam leuiter immutare; verum etiam quia Salmanasar, & Sennacherib Reges, sub quibus Tobiam vixisse narrat Scriptura, fuerunt Diocle ætate superiores, à quo ciuitatem Ecbatanis ædificatam fuisse cõmemorauit Herodotus & Eusebius. Secundo igitur respondent alij, duas fuisse vrbes in Media habentes idem nomen Rages, in quarum vna morabatur Sara filia Raguelis, in altera verò Gabelus. Vel tertiò melius, dici Saram cap.3. habitasse in Rages, quia propè seu in confinibus illius habitabat: confines enim vrbium ab ijs, qui longè distant, nomine vrbis, cuius sunt venire solent: non tamen apud eos, qui propè morantur; sicut v.g. in Gallia aut Hispania, qui Tusculi habitat, Romæ habitare dicitur, & si in ipsa vrbe Roma non habitet; quod tamen ita propriè Romæ dici non potest. Cum igitur cap.3. procul distaret Tobias à ciuitate Rages, eius confines nomine ipsius vrbis vocati sunt: cùm verò prope esset, sola vrbs in qua morabatur Gabelus debitor, ita dicta est. Tandem faciendo vim in verbis textus, cap.3. non dicitur Saræ patriam, vel domicilium fuisse ciuitatem Rages, sed tãtum narratur, quod eo temporis articulo ibi manserit, vel fuerit, quo vna ex ancillis patris sui improperabat illi septem virorum interitum, potuit enim id contigisse, quando Raguel cum filia Sara fortè Rages tanquam amplam, & vicinam ciuitatem profectus esset. Cæterum tamẽn domicilium proximum ipsi Rages habuisse, in quo Tobiæ desponsata fuit Sara, non est inuerisimile, indeque Tobiam Iuniorẽ misisse Raphaelem in Rages, vt exigeret depositum à Gabelo, eumque inuitaret ad nuptias. Nec enim vicinitati repugnat, quod ibi dicatur Raphaelem assumptis camelis & seruis profectum fuisse ad Gabelum habitantem in Rages ciuitate Medorũ, quasi hęc circumlocutio significet non potuisse adeò propinquum esse locum, quod etiam seruorum comitatus, & camelorum apparatus ostendere videtur: hęc, inquam, duo non obstant, nam ex vicinis quoque ciuitatibus magno apparatu vocari solent cognati, aut familiares, qui ad nuptias inuitantur, vt Raguel socer, & Tobias gener dicuntur hic Gabelum inuitasse. Illa etiam particula *ciuitate Medorum*, ad nomen Rages non incongruè adiecta est, licet locus in quo Sara morabatur, illi vicinus esset. Sicut enim si quis ex aliqua parte Romani agri ad vrbem proficiscens interrogatus, quo tendat, rectè posset respõdere se tendere ad Vrbem Romanorum, ita in proposito discurrendum est.

Cap.5. vers.18. *Ego sum Azarias Ananiæ magni filius*; quæ sunt verba Angeli ad Tobiam; obijcit Vvitacherus lib.1. contra Edmundum Campianum Angelum mentitum fuisse; quod cum impossibile sit, dicendum est Spiritum Sanctum minimè fuisse istius libri authorem. Respondetur Angelũ Raphaëlem absque vlla penitus mendacij nota potuisse dicere se esse Azariam: primò, quia vt ait S. Athanasius in Synopsi, Raphael Tobiam comitatus assumpsit effigiem, & formam Azariæ, eiusque personam præ se ferebat: sic imaginem S.Petri per Metonomyam verè vocamus S. Petrum: sic in scriptura sępius Genes.31. Exod.20. Angelus præferens Dei similitudinem, aut loquens in persona illius, quasi illius legatus verè dicit *Ego sum Deus*; vt concedit Caluinus magister supradicti Vvitacheri. Secundò, cùm ex D. Gregorio homil.34. in Euangelia, Angeli in se non habeant nomina, sed ea sortiantur & assumant ratiône ministerij; quod apud homines obeunt,

Vndè *Michael* pugnans pro fidelibus cũ dracone superbo assumit nomen humilitatis, seque vocat Michael, id est, *quis vt Deus?* Apocalips. 12. *Gabriel* verò idem est, quod *fortitudo Dei*, quia præest prælijs Dei. *Raphaël* idem est, quod *curatio Dei*, quia ipse cæcitatem Tobiæ curauit. Idem hic rectè se vocat Azariam, id est, *auxilium Dei vel adiutoriũ Dei*, quia ipse æquè ac omnes Angeli sunt *administratorij spiritus*, vt ait Apostolus Hebræor. 1. hoc est ministri & adiutores Dei. Igitur tàm ratione formæ, siuè effigiei Azariæ, à Raphaele assumptæ, quam ratione significationis nominis Azariæ, verùm dixit, nam Azarias significat auxilium Dei, quod verè præstare venerat Tobiæ; se insuper vocat *Ananiæ magni filium*, eo quòd *Ananias* idem fit ac *donum* siue *gratia Dei* cuius filij sunt Angeli, ipseque Raphael, quia gratis ab eo acceperunt angelicam suam naturam, gratiam & gloriam.

Cap. 6. vers. 8. & 19. tanquàm fabulosum obijcit Vvitacherus, quod narretur cor, & iecur piscis habere virtutem expellendi dæmones. Omissis varijs responsionibus, de quibus hic videri potest Serarius & Cornelius à Lapide, dico vtramque partem tàm cordis, quam iecoris, nullam propriè loquendo virtutem habuisse fugandi dæmonem; siue naturalem, siue supernaturalem, sed potius id præstitisse vt signum quoddam, ad cuius positionem Raphael Angelus propter merita & orationem Tobiæ virtute propria fugauit Dæmonem. Vnde cap. 8. vers. 3. dicitur: *Protulit, Tobias, de cassidili suo partem iecoris, posuitque eam super carbones viuos: Tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deserto*: non tam igitur suffitus cordis ac iecoris piscis huius, quã ipse Raphael ad hoc signum ex condicto & promisso suo expulit dæmonem. Quod certe nihil fabulosum continet, vt ineptè Vvitacherus obijcit, qui in hac re debuisset credere Sebastiano Munstero in Meceleth seu opere Grammatico consummato in epistola dedicat. vbi sic habet: *Ne putes esse fabulam, quod de capto in Tigride pisce, atque exenterato, & inde sublata sterilitate, & sanata cæcitate in eo scribitur. Habes & in Matth. c. 17. talem ferè historiam, quandò Christus Simonem ire ad mare, mittere hamum, & tollere piscem, qui primus prodijsset, & aperto ore eius extrahere staterem, atque illum dare pro vectigali iubet.*

Cap. 12. v. 15. Idem Vvitacherus lib. contra Edmundum Campianum asserit non posse subsistere, quod ibi dicitur de septem Angelis, qui astant ante Dominum. Verùm cum Caluinistæ Apocalypsim recipiant, vbi quoque cap. 14. recensentur septem Spiritus Dei, qui sunt in conspectu Dei, quos & Theodorus Bæsa etiam ibidem vocat, diuinæ maiestatis stipatores, mirum est quod Caluinista Vvitacherus à suis discedat, vt scripturam oppugnet. Per septem igitur Spiritus, tàm hic quàm in Apocalypsi, cum de illis asseratur quod astent, discurrant &c. quod nonnisi personis conuenire potest, non debent intelligi vt quidam mysticè interpretantur septem Dei dona, sed Angeli quibus incumbit cura generis humani. Quod autem hic astare dicantur ante Dominum, multa significat, vt rectè aduertit Andreas Victorellus lib. de custodia Angelorum, & ex illo Cornelius à Lapide hic. Numerus verò Septenarius accipitur, vel pro indefinito numero, eoque non paruo, sed maximo, iuxta morem Scripturæ, vt aduertit S. Gregorius homil. in Euangel. vbi sæpius numerum septenarium pro vniuersitate explicat; vel, vt explicat Serarius in cap. 12. Tobiæ quęst. 6. & 7. quem sequitur Alcalar in Apocalypsim cap. 1. tali numero significatur quędam personarum astantiũ dignitas, sic enim lib. 1. Esdræ cap. 7. vers. 14. describuntur septem duces regis Persarum, qui semper illi aderant, & quorum consilio cuncta fiebant. Esther quoque cap. 1. idem dicitur. Quarè ad denotandam assistentium Angelorum dignitatem, per quamdam ad septem prædictos regis Persarum Consiliarios

& Cubicularios, numerus ille septenarius præ alijs adhiberi potuit: Attamen sicut numerus cubiculariorum, & consiliariorum regis Persarum nō erat præcisè ad septenarium coarctatus, sicuti nec apud Romanos numerus triumuirorum, vel decemuirorum, qui seruato eodem numeri nomine augeri poterat; ita & in proposito septenarij numeri Angelorum discurrere possumus. Verùm cùm hæc subtilitas potius, quam veritas sit, melius dicunt alij, specialem quorumdam Angelorum præcellentiam septenario quoque numero comprehēsam significari. Qui autem sint hi Angeli in particulari, quod eorum speciale officium, quæ nomina, rectè monet Grauina prudentius esse ignorare, quàm temere aliquid velle definire; ignorantia namque veniam meretur, temeritas pœnam habet.

CAPVT XXXI.

De Libro Iudith.

ISTum quoque librum è canone diuinæ Scripturæ reijciunt hæretici Lutherani, & Caluinistæ: Verùm pro diuina illius authoritate, præter communia libris omnibus deuterocanonicis testimonia Conciliorum & Patrum superiori capite adducta, egregium habetur testimonium à Concilio Nicæno primo, omnium Conciliorum generalium primo & celeberrimo, quod huic libro Canonicæ fidei pondus inesse docuit, vt testatur D. Hieronymus præfat. in Iudith. Vbi cum prius asseruisset sanctissimus doctor, apud Hebræos librum Iudith inter agiographa, sine sanctos libros legi, quorum tamen authoritas ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt minus idonea iudicatur: deindè huic Hebræorum sententiæ veluti opponens Nicænæ Synodi authoritatem, ait, *Sed quia hunc librum Synodus Nicæna in numero Sanctarum scripturarum legitur cōputasse, acquieui postulationi vestræ, imo exactioni: & sepositis occupationibus, quibus vehementer arctabar, huic vnam lucubratiunculam dedi, magis sensum è sensu, quam ex verbo verbum transferens.* Igitur teste D. Hieronymo, Nicæna Synodus librum Iudith ita retulit in numerum sacrorum librorum, vt eum non solùm sanctum esse iudicarit, quomodo Kemnitius eludere conatur eius testimonium, sed insuper idoneum, plenissimęque authoritatis ad fidei dogmata confirmanda, quod negabant Hebræi. Indeque etiam motus est idem Hieronymus ad huius libri translationem, nō solum quòd crederet illum tali labore suo non esse omnino indignum, vt respondent hæretici, sed quod insuper pro comperto haberet authoritate Concilij Nicæni fuisse in numerum sanctarum ac diuinarum scripturarum recensitum.

Nec refert si dicatur primò nihil hodie de tali decreto extare in Nicæna Synodo: neque eà de re ab alio quàm à D. Hieronymo quicquam audiri. Respondetur enim facile multa ibi decreta & ordinata fuisse, pro vt ex grauissimis authoribus ostēdit Baronius ad annum 325. quæ vel temporum iniuria, vel potius hæreticorum Arianorum malitia periere. Nam quæ hodie Gelasij nomine Græcè, & Latinè circumferuntur, collectanea quædam sunt, ex varijs partibus hinc inde consuta, non autem acta primæua, sicut à Sacrosancto Concilio edita fuêre. Vt igitur alia plurima ex eo Concilio perierunt, hodieque desiderantur, ex dicendis infra sect. 5. Sic etiam verisimile est illud de libro Iudith iudicium, quod Hieronymus citat, perijsse. Tanti autem doctoris testimonio non credere, aut deceptionem in re tàm graui tribuere, præsertim cum adeò vicinus fuerit Nicænæ Synodi temporibus, nonnisi insipientis est, aut eius, qui nimis in suo sibi iudicio placeat, & facilè contemnat alienū, cuiusmodi sunt Hæretici.

Si obijciatur secundò S. Athanasiū, qui Nicæno Concilio interfuit, nullam huius libri mentionem fecisse in Synopsi. Respondent aliqui primò non esse om-

omnino certum de Athanasio an sit author illius libri, deinde potuit fieri vt ante Synodum Nicænā fuerit scriptus. Sed esto Athanasius in Synopsi, Naziãzenus in carmine de libris sacris illum non numerarint, non propterea illum reiecerunt, illis enim forsan curæ fuit libros secundum supputationē Hebraicam tantùm numerare, non christianum canonem contexere; volentibus ostendere ex quibus libris firmissima vndequaque tela contra Iudæos desumi possent, ad hominem arguendo. Vndè idem Athanasius in disputatione contra Ariũ sub nomine Scripturæ citat testimoniũ, quod in hoc libro cap. 16. habetur: *Tibi seruiat omnis creatura, quoniam dixisti, & facta sunt, misisti spiritum tuum, & ædificauit*. Quod testimonium Athanasius non adducit, tanquàm ex Hebræa historia desumptum, sed tanquàm ex libro verè canonico & diuino, cum probaturus Spiritum Sanctum esse Deum, prius dixisset se id, *verbis legalibus*, ostēsurum; & mox profert citatum testimonium ex cap. 16. desumptum.

Plures etiam alij Patres, tàm antè quàm post Concilium Nicænũ, ex hoc libro, tanquàm ex Canonica fide, & scriptura sacra testimonia protulerunt, Clemens Romanus lib. 8. constit. Apostolic. cap. 2. S. Ignatius in epistola ad Philadel. Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromat. Origenes in lib. Iudicum homil. 9. & homil. 1. in Psalm. 37. Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 87. Chrisostomus homilia 10. Ambrosius lib. de viduis 2. de Virginibus 3. de officijs cap. 13. Hilarius in Psalm. 124. vbi tanquam legalia verba citat huius libri testimonium; *Discentes*, inquit, *hæc omnia à lege & Prophetis &c. & cantantes ex lege Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi*; qui locus habetur cap. 16. D. Augustinus lib. 2. de doctr. Christ. cap. 8. hunc librum inter canonicas scripturas recēset. S. quoque Auitus Alcimus Episcopus Viennensis in libro de vera Virginitatis laude ad sororem, numerans libros sacræ Scripturæ, Iudith etiam meminit; Aurelius Cassiodorus lib. 1. institut. cap. 13. cum alijs enumerat canonicis libris: Iunilius etiam Episcopus Africanus lib. 1. de partibus diuinæ legis, & tandem Isidorus, vt omittam plures alios, lib. 6. etymologiarum cap. 1. *Etsi enim*, inquit, *Hebræi inter apochrypha illum separent, Ecclesia tamen Christi inter diuinos libros, & honorat, & prædicat*. Merito igitur Ecclesia post tot Sanctorum, fideque dignorum Patrum testimonia, quibus Ecclesiastica veluti traditio de diuina libri Iudith authoritate continebatur potuit illum in sacræ Scripturæ canonem recipere, semper tamen supposita speciali Spiritus Sancti assistentia, quam in definiendis rebus ad fidem pertinentibus Christus sponsus infallibiliter Ecclesiæ promisit.

De authore huius libri nihil habemus certum, neque grauis est aliqua coniectura, quæ nobis aliquid lucis ad inuestigandam veritatem præferat. Censent enim Hebræi, & ex illis Sixtus Senensis, alijque plures auctorem fuisse Ioakim Sacerdotem, alias Eliacim; eo potissimum fundamento, quod tunc tēporis sacerdotio magno fungebatur, in quo præclarum hoc opus edidit Iudith. Verùm hoc argumentum non videtur omnino efficax: cum enim alij plurimi eodem tempore vixerint, qui non minori fide, ac studio rem illam gloriosam monumentis tradere potuerint; potuit quidem hoc præstare Ioakim, sed etiam, & fortasse melius Ozias, qui princeps erat ciuitatis, cuius consilio res administrabatur Bethulica; at sicut de vtrolibet negari, sic etiam affirmari nihil potest. Quare S. Isidorus lib. 6. Orig. c. 2. nil certi de huius libri authore asseuerari posse docet. Neque enim certam facit primam sententiam, quod ait Iosephus lib. 1. contra Apionem parùm à principio, scribendarum rerum curam Sacerdotibus ac Prophetis fuisse demādatam. Si quidem non indè certò efficitur ab illis fuisse scriptas, sed solùm ab illis curatum, vt alij illustres, & sacras scriberent historias. Fatendum tamen pro-

probabilius videri, quòd Ioakim Sacerdos, potiùs quàm quicumque alius historiam hanc composuerit. Quidam putant primum Hebraicè fuisse scriptam, & Hebraicos codices alicubi reperiri. Sed cùm neque codex ille Hebraicus vsquam appareat, neque si legitimus esset,& non ab alio pro genuino suppositus, tandiu latuisset, aut primis sæculis incognitus fuisset: videtur primitus Chaldæo sermone conscriptus, sicut & liber Tobiæ. Vndè S. Hieronymus præfat. in Iudith asserit se eum è Chaldæo transtulisse: *Multorum codicum*, inquit, *varietatem vitiosissimam amputaui, sola ea quæ intelligentia integra, quæ in verbis Chaldais inuenire potui, Latinis expressi.* Inuenitur etiam hic liber scriptus Græcè, sicut & Tobiæ,an ex translatione Septuaginta Interpretum incertum. Certè præfatus Hieronymus nec eius, nec illorum vllibi meminit. Nisi quis velit dicere, sub multorum codicum varietate, de quibus loquitur præfat.in Iudith, Græcos etiam codices comprehendisse. Salmeron enim tom. 16. in epistola quadam ad Stephanum Tuccium, approbatum putat à Nicæna Synodo Græcum codicem; an tamen fuerit Septuaginta seniorum,aut ille quem nunc habemus, dubitat. Vel melius, quem codicem probauerũt Nicæni Patres non constat, sed probarunt sine dubio, quem tunc habuere Chaldaicum videlicet, vel Græcum si fortè habuerunt: nam Latinum quem probarent, non videntur habuisse. Extare quoque nostro æuo hunc librum Idiomate Syriaco tradit Andreas Masius præfat. in lib. Iosue, cuius autem ætatis, vel authoritatis sit illa translatio non constat.

Inscribitur hic liber Iudith, quod eius argumentum sit Victoria Iudith de Holopherne, & Assyrijs; fuit ex tribu Simeon, vti ipsa asserit, cap. 9. vers. 2. habitauit tamen in Bethulia, quæ erat de tribu Zabulon. Vixit 105. annis, vt patet ex fine libri. Bellarminus censet eam cum occidit Holophernem fuisse 40. annorũ, Serarius 45. Torniellus 53. Salianus 33. Sed longè maior est difficultas de tempore huius historiæ; nam cap. 5. dicitur, contigisse post reuersionem populi à Babylonica captiuitate; & tamen dicitur cap. 1. eo tempore Nabuchodonosor Rex Assyriorum pugnasse contra Arphaxad Regem Medorum, qui ædificauerat Ecbatana: quæ nullo modo cohærere videntur. nam quo tẽpore populus rediјt à captiuitate euersa erat Monarchia Assyriorum,& non Nabuchodonosor, sed Cyrus, vel Darius Assyrijs & Persis ac Medis imperabat. Hac potissimum difficultate, velutique apparenti temporũ contradictione moti Nouatores putauerunt historiam istam fuisse omnino confictam, proptereaque reijciendam è canone sacræ Scripturæ, vt vidimus supra. Verùm cum post Ecclesiæ definitionem de huius libri authoritate non amplius citra hęresim liceat dubitare, doctores Catholici pro explicatione huius difficultatis in varias abiere sententias circa tempus quo hęc historia contigit. Inter has tamen duæ sunt præcipuè, quæ in plures alias deinde subdiuiduntur. Prima illorum qui arbitrantur eam contigisse diu ante captiuitatem Babylonicam, ac generalem ipsorum Iudæorum cladem, qua sub Nabuchodonosor, & ciuitas, & templũ euersa sunt, omnesque Iudæi in Babyloniã abducti; postquàm videlicet Manasses Rex Iuda, qui ante dictam captiuitatem generalem, fuit captiuus cum regni sui proceribus in Babylonia, liberatus est & in Hierusalem postliminio reuersus. Sic enim omnia, quæ in hac historia describuntur, optimè consentiunt. Alij ex aduerso putant historiam Iudith contigisse post reditum Iudæorum è captiuitate Babylonica, multasque, ac validas pro hac sententia afferunt rationes, de quibus videndi sunt interpretes Serarius, Cornelius à Lapide, Sanctius, & alij plures ab illis citati. Solùm vt hæreticorũ obiectionibus breuiter satisfaciamus, notandum est primò, in re obscura, & perdifficili temporum supputatione, vbi tanta sententiarum

rum diuersitas est, non esse expectandam perspicuam, certam, & constantem semper solutionem, sed sufficere probabilem, verosimilem, minimeque absurdam. Quacumque enim via, & responsione probabili occurrimus hostibus Ecclesiæ, etiam si non demonstremus. Ipsi potius contra certissimam, & irrefragabilem scripturę historiam, authoritate Ecclesiæ approbatam, vt probarent aliquid, euidentissimas, si fieri posset, luceque meridiana clariores demonstrationes afferre deberent. Secundò cùm in hoc etiam difficultas aliqua sita sit, quod à Scriptoribus Ethnicis sub alijs nominibus Regum, gesta huius historiæ enarrentur, quam quod in scripturis sacris referantur. Ad hoc dissoluendum satis est dicere Scriptores sacros vt potè in eminentissima authoritate constitutos, maiorem mereri fidem Scriptoribus Ethnicis, qui consequenter si in specie contradicere videantur, vel quia non meminerint, vel sub alijs nominibus rem explicuerint, non sibi debent Scriptores sacros subijcere, sed ipsi potius per scripturas nostras corrigi, vel exponi debent. Quæ duo cum ipsimet hæretici affirmare teneantur, in multis alijs scripturæ sacræ libris & locis, de quorum veritate minimè dubitant, non est cur ad infirmandam huius libri authoritatem rationabiliter illa negare possint.

Sensus itaque litteralis, siue historicus huius libri fuit narrare fortissimum matronæ constantissimæ factum, quo illa populum Israel ab impij Holophernis crudelissimi Tyranni persecutionibus miraculosè liberauit. Cui proinde Patres passim tot eximia, præclaraque dant elogia. Tropologicè verò per victoriã Iudith repræsentatur triumphus animæ fidelis de carne & vitijs, ait Rabanus; vel etiam in illa habetur viduarum typus; quæ vt ait Ambrosius de Viduis, nec cibo maculata, nec adulterio, non minus seruatæ continentiæ ex hostibus reuexit trophæum, quàm patriæ liberatæ: & ex sobrietate casta, manu quidem solùm Holophernem vicit, sed consilio omnium aliorum ebriorum, eius strauit exercitum. Allegoricè ex D. Prospero 2. parte de prædict. cap. 38. *Etiam ipsa figuram sanctæ Ecclesiæ, personamque suscepit*. In sensu etiam saltem accommodatitio, per victoriam Iudith allegoricè significatur victoria B. Virginis de diabolo, ait ex Fulberto Carnotensi Canisius lib. 1. Marialis c. 1. quo etiam argumento aliqui scripserunt commentaria in hunc librum.

Contra diuinam huius libri authoritatem obijciunt primò, quod mox dicebamus, videlicet cap. 5. haberi historiam hanc contigisse post reuersionem populi à Babylonica captiuitate; & tamen dici cap. 1. eo tempore Nabuchodonosor Regem Assyriorum pugnasse contra Arphaxad Regem Medorum, qui ædificauerat Ecbatana: quæ duo videntur inter se pugnare. Respondetur hæc quidem duo inter se cohęrere non posse, si quod dicitur capite quinto, hanc videlicet historiam contigisse post reuersionem populi, deberet intelligi de reuersione à captiuitate Babylonica, qua sub rege Nabuchodonosor, & ciuitas & templum euersa sunt, omnesque Iudæi in Babyloniam abducti; quando enim illa soluta est, populusque redijt, certum est tunc euersam fuisse Monarchiam Assyriorum, & non Nabuchodonosor, sed Cyrum, vel Darium Assyrijs, Persis ac Medis imperasse. Verùm quia, quæ præfato capite dicuntur, necessariò non sunt intelligenda de illa captiuitate, nam si de illa sermo esset, non dicerentur Iudæi exterminati à multis nationibus, sed ab vna dumtaxat id est Chaldæorum: nec dicerentur plurimi abducti captiui sed omnes, generalis siquidem fuit captiuitas Babylonica, paucissimique remanserunt relicti à Nabuchodonosor, & illi ipsi paulo post fugerunt in Aegyptum lib. 4. Reg. cap. 25. adeo dispersio, ac desolatio plenissima fuit. Insuper c. 4. vers. 2. huius libri non fieret mentio Hierusalem & templi Domini adhuc extantium, & nunquam antea destructorum, dum dicitur, Tremor & horror inuasit

uasit sensus eorum, filiorum videlicet Israel, ne hoc faceret Hierusalem & tẽplo Domini, quod fecerat cæteris ciuitatibus & templis earum. Cum nulla, inquam, sit necessitas interpretandi præfatum caput de præfata etiam captiuitate Babylonica, vt supponitur in obiectione, sed potius intelligendum sit de varijs afflictionibus, quas varijs temporibus populus Iudæorum ab alijs nationibus passus est, & præcipuè de illa vltima, quæ acciderat, cum captiuus in Babylonem ductus est Manasses rex Iuda, omnia quæ in hac historia describuntur, optimè consentiunt.

Tunc enim, quandò, vel postquam Manasses cum suis Iudæis è carcere Babylonio dimissus in Ierusalem & regnũ redijt, quo tempore iuxta primam sententiam superius allatã probabilius contigit historia Iudith; tunc, inquam, regnabat apud Medos Diocles, qui Ecbatana ædificauit, teste Eusebio in Chronico, atque hunc scriptura nostra Arphaxad appellat. Item eo tempore regnabant Assyriorum Reges in Niniue, vt constat ex lib. 4. Reg. 19. & ex Tobia cap. 1. Credibile autem est eum, qui hic vocatur Nabuchodonosor, alio nomine dictum esse Merodach Baladan, qui fuit etiam rex Babylonis. Nam post Sennacherib regnauit sub finem regni Ezechię patris Manasses, Asar Addon, lib. 4. Reg. cap. 19. post Asar Addon regnauit Merodach Baladan, cuius fit mentio 4. Reg. 20. & Hierem. 50. nec non Isaiæ 39. qui quidem rex Babylonis erat, sed transtulit ad se etiam regnum Assyriorum, & propterea nulla deinceps in scripturis fit mentio regum Assyriorum, sed tantum Babylonis, post debellatum à Merodacho Asar Addonem. Cœpit autem Merodachus regnare tertio anno Manasses, ex Bellarmino, quo circa annus eius decimus tertius, quo lib. Iudith cap. 1. vers. 5. dicitur bellum mouisse contra Iudæos duce Holopherne, incidit in annum 16. Manasses, quem paulo antè ipse, vel eius principes captiuum ceperant, & vinctum catenis atque compedibus duxerant Babylonem, lib. 2. Paralip. cap. 33. vers. 11.

Extabant etiam tunc Hierusalem, & templum Domini, nec dum erant euersa, vt supra notauimus ex cap. 4. quemadmodum postea fuerũt sub altero Nabuchodonosor, successore, vel vt vult Serarius nepote illius, cuius hic fit mentio, quique Manassen ceperat. Vndè quod in textu Græco additur, etiam templum fuisse solo æquatum, quando sub Manasse dispersi sunt Iudæi, omnino suppositititium est, quandoquidem S. Hieronymus, qui fidelissimè transtulit hunc librum ex Chaldæo sermone in latinum, nihil de tali euersione templi in sua editione posuit; imo oppositum colligitur ex cap. 4. Et fortasse ista additio Græci textus in causa fuit, cur tot grauissimi doctores antiqui hanc historiam post captiuitatem Babylonicam sub Sedekia collocarunt, cum reuera tunc temporis solùm templum Hierosolymitanum fuerit destructum. Quamuis etiam si quis in hac parte velit incorruptionem Græci textus defendere, possit referri ad vastationem & prophanationem illam quam olim fecerat Manasses, de qua lib. 4. Reg. 21. & 2. Paralip. 33. vide Grauina lib. 4. de verbo Dei scripto.

Eliachim quoque, qui alio nomine vocatur Ioachim, de quo fit mentio c. 4. vers. 5. & cap. 15. vers. 9. huius libri, tunc viuebat, eratque Sacerdos Magnus, vt patet ex Chronologia Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani, qui tripart. Chron. p. 2. cap. 16. enumerans Pontifices Iudæorum, inter Sobnam qui fuit Pontifex tempore Ezechiæ, & Helciam qui fuit tempore Iosiæ, collocat Eliachim; constat autem inter Ezechiã & Iosiam intercessisse Manassen filium Ezechiæ; conuenit etiam cũ lib. 4. Reg. cap. 18. vers. 18. vbi Eliachim nominatur inter præcipuos Sacerdotes; & magis adhuc cum Prophetia Isaiæ cap. 22. vers. 20. vbi prædicitur depositio Sobnæ impuri ac libidinosi Pontificis tempore Ezechiæ, & exaltatio Eliachim filij Helciæ

ciæ in locum eius: *Vocabo*, inquit Propheta Sobnam alloquens, *seruum meum Eliachim filium Helciæ, & induam illum tunica tuã, & cingulo tuo confortabo eũ, & potestatem tuã dabo in manu eius, & erit quasi pater habitantibus in Ierusalem, & domui Iuda.* Quod verò in vtroque loco dicatur Eliachim filius Helciæ, satis patet intelligi non posse de illo Helcia, qui in catalogo Pontificum proximè Saraiã antecedit: hic enim Helcias regnante Iosia pontifex erat: ille autem Eliachim sub Ezechia claruit, fuitque præpositus domus, siue vt habent 70. Oeconomus; deinde iuxta prophetiam Isaiæ in locũ Sobnæ sub Manasse rege ad summum Sacerdotium euectus est. Quod autem illi, nulla facta mentione prædicti regis, licet eius tempore contigerit hæc historia, negotium hoc totum præparationis ad bellum, quæ narratur in hoc libro, tribuatur? Respondent aliqui ita se habere, quod fortasse bellum hoc inciderit in ipsam captiuitatem Manasses, illoque nondum reuerso, sed tantum Iudæis, ex ijs locis ad quæ fugiẽdo peruenerant, cum rex Assyriæ vastaret regionem ipsorum, & idcirco rege absente per Pontificem negotia regni procurata fuisse. Verùm etsi id non sit improbabile, quia tamen probabilius videtur, Manasse iam reuerso bellum hoc gestum esse; dicendum est, hoc non obstante, summa negotia & periculosa tractata fuisse per summum Sacerdotem, vel quod tunc Manasses nouissimè reuersus, studijs pœnitentiæ & pietatis totus incumberet; vel quod Eliachim summæ apud Iudæos authoritatis esset, qui iam tempore Ezechiæ, licet nondũ esset summus Pontifex, nomine Regis multa faciebat vt patet ex lib. 4. Reg. cap. 18. & Isaias prædixerat cap. 22. statim citato, fore, vt Eliachim esset quasi pater omnium habitantium in Ierusalẽ, & domus Iuda.

Tandem hac ratione facile inuenitur tempus illud longissimæ pacis, quod ab occiso Holopherne durasse dicitur in Iudæa toto tempore vitæ Iudith, & deinceps multis annis cap. vltimo vers. 30. nam vsque ad tempus Ioachan Regis Iuda, sub quo cœperunt Assyrij Iudæos iterum diuexare multi anni effluxerunt, quos etsi non indicet scriptura, facile tamen colligitur fuisse 72. Nam Manasses regnauit annos 55. è quibus accipiendi sunt 39. post captiuitatem eius. constat enim initio regni eam captiuitatem accidisse, vt etiam Iosephus annotauit lib. 10. Antiquitatum cap. 5. & vt diximus paulò ante, annus 13. Regis Assyriorum & Babyloniorum incidit in annum 16. Manasses. Annis 39. addendi sunt duo anni, quibus post Manassen regnauit Ammon filius eius 4. Reg. 21. ita erunt 41. his addantur anni 31. quibus post Ammon regnauit Iosias 4. Reg. 22. & efficientur 72. Iam autem hoc idẽ tempus fuisse post mortem Holophernis vsque ad finem vitæ Iudith, & deinceps, sic ostendit Cardinalis Bellarminus, & alij post ipsum. Iudith vixit vsque ad annũ 105. sic enim intelligi debet quod habetur de numero annorum illius capite vltimo vers. 28. *Mansit* (Græce consenuit) *autem in domo viri sui annos centum quinque*. id est vsque ad annos ætatis suæ centum & quinque. Ex quibus anni detrahendi sunt illi, quos vixit antè occisionem Holophernis, quos præfatus Bellarminus ponit fuisse quadraginta. Nam etsi tempus certum definiri non possit, cùm nullus author hoc tradat potuit tamen ita esse. Ea enim ætate adhuc potuit esse pulcherrima, & iudicari ab Assyrijs puella propter incredibilẽ pulchritudinem, præsertim quia vt habetur cap. 10. Dominus ei contulerat, non sine nouo miraculo, quemdam eximium splendorem, vt incomparabili pulchritudine omnium oculis appareret. Iam igitur si ex annis 105. detrahantur 40. supererũt 65. anni continuæ pacis vsque ad mortem Iudith; quibus addendi sunt alij septem, vt illud etiam verum sit, quod additur in libro Iudith, post mortem eius multis annis non fuisse qui perturbaret Israël. Sic igitur habentur anni 72.

qui

qui quæruntur. Tantùm pro solutione difficultatis, iuxta primam quam secuti sumus sententiam.

At qui secundam amplectuntur sententiam, & ex aduerso putant historiam Iudith contigisse post reditum Iudæorum è captiuitate Babylonica, deque illa intelligendum esse; volunt per Regem Nabuchodonosor, de quo fit mentio in hoc libro, intelligi Xerxem Regem Persarum, qui dictus fuit Nabuchodonosor ob similem illi superbiam & fastum; de quo vide Sanctium in prologom. ad librum Iudith, Cornelium à Lapide & Henricum Philippum in quæstionibus Chronologicis ad eumdem librum, & alios ab illis citatos, qui prædicto tempori omnia etiam accommodant, quæ supra retulimus, & alia quæ ad hanc historiam pertinent.

Obijcitur secundo eodem cap.5. dici plurimos abductos fuisse: at 2. Paralip.cap.33. nullus alius præter Manassen abductum esse perhibetur, & solus Manasses pœnitens ibidem describitur; igitur iuxta interpretationem datam, primamque sententiam quā secuti sumus, non potest hoc intelligi de illa captiuitate sub Manasse, sed de illa generali sub Nabuchodonosor. Insuper si Manassis temporibus & post eiusdem reditum ista contigissent, legatos Regis Babylonij populus Iudæorum non tam contumeliosè tractasset, ignominioseque dimisisset, vt narratur cap.1. Nam Iudæi Babyloniorum potentiam iam experti fuerant, & clementiam eorumdem. Respondetur has obiectiones pugnare potius contra nostram explicationem, quàm absolutè contra textum; nihilominus vt illius veritatem iuxta illā propugnemus, quæ vt communior, ita probabilior videtur: dico ad primam satis in sacra Scriptura innui aliorum cum Manasse captiuitatem, nunquam enim rex absque comitatu aliorum Ducum, vel principum, & militum, aut etiam populi à victoribus abduci solet, & rationabiliter captiuitas Regis cum populo facta fuit, quorum par fuit impietas, dicente scriptura. *Locutusque est Dominus ad eum* (Manassen) *& ad populum eius, & attendere noluerunt*, & mox subditur loco citato Paralip. *Idcirco superinduxit eis principes Exercitus Regis Assyriorum.* Nec quia solius regis pœnitentia refertur, ideò populus pœnitentiam non egit; satis enim insinuatum est populum etiam pœnitentiam egisse Rege pœnitente, cum eadem vexatione regis erudiri, & ad normam sui principis cōponi potuerit. Ad secundam instantiam respondeo, mirum non esse, si legati Regis Babylonis ignominiosè à Iudæis habiti narrentur, quibus excutiendi iugi tyrannici spes affulgebat, duplici basi innixa, diuino scilicet præsidio, & viribus bellatorum, quos cernebant ad aduersariorum insultus propulsandos satis valentes, & efficaces.

Obijcitur tertiò à Salibrando Caluinista lib.1. de princip. Christian. dogmatum, non posse subsistere, quod cap.8. vers.18. Iudith in sua oratione precatur: *Quoniam non sumus secuti peccata patrū nostrorum, qui dereliquerunt Deum suum, & adorauerunt Deos alienos, pro quo scelere dati sunt in gladium, & in rapinam, & in confusionem inimicis suis.* Si quidem tempore Manassis omnia plena erant idololatria, sordibus, & immunditijs, vt traditur lib.4. Reg. Quod etiā verum est post reditum eius, quia populus adhuc immolabat in excelsis 2. Paralip.33. Respondetur primò Iudith locutam fuisse de sua ciuitate Bethulia, quæ alijs deficientibus, in vera religione perseuerauit; quæ etiam in religione perseuerantia, motiuum erat illi & ciuibus spem firmam de diuino auxilio concipiendi. Vel si hoc extendatur ad vniuersam Hebræorum gentem, loquebatur Iudith de tempore reuersionis Manassis è captiuitate, in quo nedum in tribu Iuda, sed etiam apud Israelitas, licet alienigenæ in Samaria degentes, ad meliorem mentem non sint reuersi, passim religio cepit reflorere, multique exemplo Manassis permoti ad Deum se conuerterunt, vt meritò propter hanc potio-

potiorem partem in vero Dei cultu permanentem oratio Iudith in sensu accõmodo veritatem habere potuerit. Quod enim populus adhuc post reditum Manassis sacrificaret in excelsis, non erat peccatum idolatriæ; sed ad summum aliud peccati genus contra determinatum locum sacrificij à Deo præscriptũ. Iudith autem in sua oratione loquitur præcisè de scelere idolatriæ, à qua immunes suos conciues Bethulienses, & communiter Iudæos prædicat.

Obijcitur quartò, cap. 9. multa alia falsa contineri in eiusdem Iudith oratione: nàm primò videtur asserere se esse de tribu Simeon dicens: *Deus patris mei Simeon*; & tamen cap. 8. antecedenti dicitur fuisse de tribu Ruben, vltimo enim eius genealogiæ sic habetur, *filij Salathiel, filij Simeon, filij Ruben*. Probat insuper factum Simeonis, & Leui contra Sichimitas, quæ tamen Spiritus Sanctus vituperat Genes. 34. & 49. Respondetur orationem Iudith præfato cap. 9. nihil falsi penitus, aut absurdi continere. Ad primum enim dicunt aliqui Iudith prognatam fuisse ex tribu Simeon, quod patere putant ex ipsis eius verbis cap. 9. quare cap. 8. dicunt esse mendum Scriptorum, & loco *filij Ruben*, legendum esse *fratris Ruben*. Verùm quia Codices Romæ correcti, cæterique constanter habent *filij Ruben*, ad saluandam omnimodam vulgatæ editionis incorruptionem, vt suo loco dicemus infra, respondent alij Ruben hoc loco sumi pro ipsomet Iacob, quem etiam cognomine vel nomine dictum Ruben volunt, eo quod significatio huius nominis, apprimè illi conuenire videtur. Ruben enim, inquit Serarius, nihil aliud est, quàm filius videntis, vel videns filius, hæc autem significatio conuenit Iacob, qui luctatus est cum Angelo, & habuit visionem illam terribilem de sanctitate loci, in quo lapidem in altare erexit, & inunxit: ideoque secundam istam sententiã, fuit Iudith de tribu Simeon filij Iacob Patriarchæ appellati hoc loco Ruben, ob rationem assignatam. Tamen quia inauditum est Israel seu Iacob vnquam vocatum esse Ruben: Cornelius à Lapide hic putat hunc Ruben non esse Patriarcham & primogenitum Iacob, sed esse virum Illustrem ex Tribu Simeon, ad quem proinde genus Iudithæ producitur, in eoque terminatur, non progrediendo ad eius patres, & auos vsque ad Simeonem Patriarcham, & secundum Iacobi filium. Quæ responsio valdè probabilis ac verisimilis ex eo videtur, quod sedecim dumtaxat generationes, & totidem aui Iudith hic recensentur, cùm tamen à Iacob communi Iudæorum Patriarcha vsque ad captiuitatem Babylonicam, quæ non tanto post æuum Iudith tempore secuta est, numerentur 26. generationes Matth. 1. Inde enim alterutrum dicendum est, scilicet vel auos & proauos Iudith in senio generasse filios, vel non omnes Iudith annos recenseri, vti nec recensentur Elcanæ 1. Reg. cap. 1. v. 1. nec Saulis ibidem cap. 9. v. 1. sufficit enim sacram Scripturam genealogiam alicuius ad virum aliquem illustrem, v. g. in Saule ad Iemini, hic in Iudith ad Ruben perducere. Non minus probabiliter respondent alij eum Hugone Cardinali Iudith non fuisse de tribu Simeonis, sed de tribu Ruben, qui fuit pater alterius Simeonis, de quo fit hic mentio; etsi enim Genes. 46. 9. & 1. Paralip. cap. 5. v. 3. nullus inter filios Ruben recenseatur, qui vocatus sit Simeon; nihil obest, nec enim omnes filij in genealogijs attexendis solent in Scriptura semper numerari. Ideo autem Iudith cap. 9. Simeonem Patriarcham appellauit suum patrem, *Domine Deus patris mei Simeon*, quia fuit vnus de Patriarchis, & primis patribus populi, cuius ibi factum imitatura erat. Per quod patet, Iudith specialiter vsam non fuisse vocabulo *patris mei*, quasi denotaret proprium, & propriæ tribus progenitorem; sed ad simile eius factum absoluendum, vt sicut Simeon de Sichimitis gladio eos occidens victoriam reportauit in pœnam stupri Dinæ à Sichem principe eorum commissi: ita & ipsa vidua

dua contra Holophernem, eius pudicitiam tentaturum fortiter Simeonis exẽplo insurgeret. Vbi tamen notandum est, laudasse quidem Iudith zelum Simeonis in vindicando stupro Dinæ, sed non laudasse modum vindicandi; de quo vide Cornelium à Lapide hic & in Genes. cap. 34. vndè manet soluta secunda obiectio; Deus enim dedit fortitudinẽ Simeoni ad vindicandum Dinæ stuprũ, sed non tali modo peragendum, quo ipsi vsi sunt.

Quinto obijcitur capite vndecimo multa in oratione Iudith ad Holophernem haberi mendacia parum eius pietati conuenientia, quæ proinde huius libri authoritatem videntur eneruare: Respondent aliqui primò, quod Iudith quantumuis pia ad Holophernem facilius decipiendum aliqua dixerit mendacia, nihil obesse veritati & authoritati huius libri illa referentis, vt contingit in pluribus alijs scripturæ libris. Sed alij melius excusant eam à mendacijs duplici titulo & modo. Prior est, quod ipsa loquitur veluti conditionatè, & secundum causas naturales, communemque illarum cursum, quo Iudæis ad extrema redactis, & in offensa, itaque Dei constitutis, necessariò erat pereundum, nisi Deus supernaturali, vel extraordinario quodammodo eis succurreret. Cuius multa sunt in Scripturis exempla. Posterior modus excusandi Iudith à mendacio est, dicendo, quod ipsa ambiguis verbis vsa sit, quæ sibi Holophernes attribuebat, cum ea Iudith sibi & Iudæis ascriberet. Vndè S. Augustinus serm. 229. de tempore, qui est de Iudith, ait: *Non decuit pudicam mentiri, non intelligentibus dixit, perfecit actibus, quod promisit Regi.* Dicunt etiam aliqui Iudith propheticè locutam fuisse prædicendo ibi Iudæorum captiuitatem propter eorũ peccata; de quo lege S. Thomam 22. q. 110. artic. 3. ad 3.

CAPVT XXXII.

De Libro Esther.

IN secundo quoque ordine librorum Canonicorum numeratur hic liber, quem prioribus Ecclesiæ temporibus tres grauissimi Scriptores extra Canonem posuerunt. Melito Episcopus Sardensis apud Eusebium lib. 4. histor. cap. 26. Athanasius in Synopsi, & Gregorius Nazianzenus in eo carmine, quod scripsit de genuinis scripturis. Quod ideo fecisse videntur, quia huic libro quædam apochrypha intermixta esse iudicabant, vt potè ea quæ ab his verbis capitis 10. habentur, *Dixitque Mardochæus*, vsque ad finem totius libri. Vnde etiam plures alij sunt, qui cum Librum Esther ad caput vsque decimum inter canonicos libros numerandum censuerint, postrema tamen septem capita, quæ non reperiuntur in Hebraico codice, tanquam adulterina, ab interprete aliquo addita, ex albo scripturæ deleuerunt. Inter quos videtur princeps fuisse B. Hieronymus, vt ex ipsius in hunc librũ præfatione colligitur; quem ex Catholicis ante Concilium Tridentinũ secuti sunt Nicolaus Lyranus, Dionysius Carthusianus, Hugo Cardinalis, Caietanus in commentarijs huius libri, & post illud Sixtus Senensis lib. 1. & 8. Bibliothecæ Sanctæ. Ex hereticis verò Ioannes Brentius in Apologia confess. Vvitembergicæ, Vvitacherus, & alij.

Verum de fide est tàm priora capita, quæ etiam in suum canonem admiserunt Hebræi, quàm extrema, quæ in vulgata veteri editione leguntur, canonicæ scripturæ pondus habere; nec à quoquam absque piaculo posse nunc ex catalogo diuinorum librorum expungi, post decretum Cõcilij Tridentini sess. 4. vbi postquam libros omnes sacros enumerauit, & inter illos librum Esther, ait: *Si quis libros ipsos integros cum omnibus suis partibus pro vt in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata* edi-

editione habentur, pro Sacris, & canonicis non susceperit, & traditiones prædictas sciens, & prudens contempserit, anathema sit. Quod enim ait Sixtus lib. 1. de veris librorum partibus Concilium loqui, nõ de additamentis, qualia sunt postrema capita libri Esther, optime refutatur à Bellarmino lib. 1. de verbo Dei cap. 7.

4 Præter hoc, & omnia illa Pontificũ & Conciliorum decreta, nec non tàm multa veterum Patrum Græcorum, & Latinorum testimonia, quæ supra capite trigesimo retulimus, quæque omnibus libris Deuterocanonicis sunt communia; singulariter pro diuina huius libri authoritate secundũ omnes suas partes, facit primò approbatio Cõcilij Laodiceni cap. 59. Secundò ex veteribus Patribus Græcis, Clemens Alexandrinus lib. 3. pedag. cap. 2. & lib. 4. Stromat. Origenes in Psalm. 1. & epistola ad Iulium Africanum, Eusebius lib. 3. Histor. cap. 27. Chrisostomus homil. 3. ad populum Antiochenum; Epiphanius lib. de ponderibus & mens. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 4. Damascenus lib. 4. de fide Orthod. cap. 16. Ex latinis verò Hilarius in Psal. 1. Ambrosius in Psal. 36. Augustinus lib. 2. de doctr. Christiana cap. 8. & epistola 199. & lib. de gratia & libero arbitrio cap. 21. S. Prosper de promiss. & prædict. p. 2. cap. 38. omnes, inquam, præfati Patres, & alij plures, non solùm librum ipsum Esther inter sacros & canonicos numerant, partemque eius extremam nullo modo excipiunt, sed insuper ex illa, tanquam diuina, & infallibilis authoritatis, plura desumunt argumenta & testimonia, ad probanda fidei nostræ dogmata. Quàm sanè constantem, & affirmatiuam tot veterum Patrum authoritatem negatiuæ paucorum meritò prætulit Ecclesia, indeque specialiter assistente Spiritus Sancti gratia decernere potuit librum hunc esse Canonicum.

Quis author illius fuerit, satis incertum: nam S. Augustinus 18. de ciuitate Dei cap. 16. Eusebius in Chronico anno mundi 4734. Isidor. lib. 6. origin. cap. 2. censent Esdram fuisse; Philo Aunianus Ioachim Pontificem filium Iesu; R. Dauid viros Synagogæ, ad quam à Mardochæo datæ dicuntur litteræ cap. 9. vers. 20. & 29. Verisimilius Lyranus, Dionysius Carthusianus, Bellarminus, Sixtus Senensis, Serarius, Sanches, Cornelius à Lapide & alij opinantur auctorem esse Mardochęum vna cum Esther; idque videtur non obscurè significari c. 9. vers. 20. *Scripsit itaque Mardochæus omnia hæc, & litteris comprehensa misit ad Iudæos*. & vers. 29. *Scripseruntque Esther Regina filia Abigail, & Mardochæus Iudæus etiam secundam epistolam*. Dubitari enim non potest in his litteris historiam totam fuisse contentã, quo magis ad beneficium illud quotannis celebrandum excitarentur animi. Primitus hic liber scriptus fuit Hebraica lingua, ex qua S. Hieronymus, vt ipse fatetur in præfat. eum transtulit in idioma Latinum, Septuaginta in Græcum. Porro S. Hieronymus ea quæ non reperit in Hebræo, separauit à cæteris, & ad calcem libri collocauit, quæ antea suis locis in veteri vulgata latina ordine temporis & historiæ erant inserta. Eadem eodem ordine extant Græcè apud Septuaginta, ex quibus ea in Latinum transtulit S. Hieronymus, sed in finem libri reiecit, quasi lacinias textus Hebraici, ex quo ipse cætera in latinum traduxerat; vt sciremus quidnam haberetur in Hebræo, & quid non. Quæ autem causa mouerat Hieronymum ita transferendo se gerere, eadem mouit Ecclesiam, vt hanc Hieronymi translationem, & distributionem non mutaret.

Inscribitur Hebraicè *Magillath*, & antiquitus *Megella*, id est *volumen*; latinè autem liber Esther, propterea quod historiam de Esther complectitur, quomodo scilicet per nobilissimam hanc fęminam Deus vniuersam Iudęorum gentem iamiam perituram seruauerit, & Aman, qui excidium illius insidiosè machinabatur, percusserit. Circa cuius historiæ tempus, siue quis fuerit Assuerus Esther maritus, septem diuersas refert sen-

sententias Serarius commentario in librum Esther; de quibus videri potest etiam Sanches, & Cornelius à Lapide. Quod magis certum videtur in tanta sententiarum diuersitate, rerumque caligine, est, historiam illam contigisse, post Chaldæos & Medos redactos in potestatem, & Monarchiam Persarum, antequam tamen templum, & Hierusalem post solutam captiuitatem Babylonicam reædificarentur. Nam cum Mardochęus, & Esther ad omnes Iudæos, qui in centum viginti septem Prouincijs morabantur, scripserint, vt in gratiarum actionem eorum, quæ Assueri regis tempore facta erant, dies fortium obseruarent. Nulla autem in eorum litteris fiat de Hierusalem, & templo illius mentio, quæ probabiliter non omisissent, si fuissent reædificata, valde verisimile est historiam hanc ante reædificationem templi, & Hierusalem contigisse. Quonam tamen præcisè tempore, siue, quod idem est, sub quo determinatè Persarũ rege, certò definiri non potest, cum scriptura istud non definiat, & prophani authores, à quibus aliqui suam opinionem mutuantur, inter se multum varient, & pluribus fabulis scateant, ita vt fidem vllam non faciant. Ex hac tamen indeterminatione, nihil contra Canonicam libri authoritatem sequitur: si quidem ignoratur similiter, quandonam historia Iob contigerit, & tamen apud Hæreticos canonica esse non desinit.

Sensus ergò siue causa litteralis huius libri, cum sit præfata Esther historia; moraliter in ea per Vasthi, & Aman significatur superborum humiliatio, per Mardochęum autem & Estheram præcipuas huius historiæ personas, humilium exaltatio. Moraliter etiam Esther vxoris castæ, modestæ, religiosæ & sapientis ergà infidelem maritum & regem, piæ verò & industriæ in suos ciues, omnes numeros explet. Allegoricè, *Esther*, ait S. Hieronymus in prologo Galeato, *in Ecclesiæ typo, populum liberat de periculo, & interfecto Aman, qui interpretatur iniquitas, partes conuiuij, & diem celebrem mittit in posteros*. Vel etiam Allegoricè, Assuerus designat Christũ, Esther B. Virginem & Ecclesiam, Mardocheus animam fidelẽ & piam; Aman & Vasthi dæmonem, carnem, & mundum repræsentant. Verum tàm de huius historiæ Tropologia, quàm Allegoria consuli possunt, Hugo Victorinus tom. 1. Franciscus Feuardentius, Haymonis Halberstatensis liber, Laurentius Cuperus, Nicolaus Serarius, Cornelius à Lapide, Gaspar Sanctius, Leander de Murcia, Didacus Baesa de Christo figurato, vbi de Mardocheo Christi figura; Didacus Celada comment. in Iudith, præsertim in duplici tractatu appendice; altero de Esthere figurata, in quo Virginis Deiparæ laudes in Esthere adumbratæ prædicantur; altero de Assueri conuiuio Mystico, id est Eucharistico. Videamus iam quid ab aduersarijs potissimum obijciatur contra huius libri veritatem.

Primò obijciunt, cum liber Esther Hebraico sermone scriptus sit, septem ista capita, quę apud Hebræos non habentur, censeri debere supposititia; pręsertim cum superioribus non cohęreant. Nam cap. 2. narrantur insidiæ duorum Eunuchorum, & detectio earumdem industria Mardochei. Deinde rursum eædem narrantur cap. 11. & 12. sed priori loco dicuntur insidiæ factæ fuisse anno 7. Assueri; & capite 6. additur, nihil omnino mercedis accepisse Mardocheũ qui eas patefecerat: in loco autem posteriore dicuntur factę anno secundo Assueri, & additur; *datis ei pro delatione muneribus*. Respondetur ad hanc obiectionem primò, valdè probabile esse aliquandò prædicta septem vltima capita in textu Hebraico fuisse, deindè casu aliquo excidisse; cum non tantum de partibus libri, verùm etiam de integris libris, id sit manifestum, & ab ipsismet hæreticis concessum; mirum enim & incredibile non est d uinos libros, ob eorum tunc raritatem & paucitatem, iniuria temporis, vel etiam Iudæorum quorumdam

rumdam malitia, & scriptorum oscitantia, iacturæ, corruptioni, & obliterationi obnoxios esse potuisse. Certè Origenes loco superius notato epistolę ad Iulium Africanum id apertè testatur multa huius generis alia exempla adducens; sed quod maius est, ipsemet Iosephus lib. 11. Antiquit. cap. 6. tractans hanc historiam Esther refert duas epistolas Assueri, & orationem Mardochæi, quæ his posterioribus capitibus continentur. Quod autem respondet Hunnius, Iosephum ex quibusuis authoribus, non modo sacris, sed etiam prophanis, & suspectæ fidei libros suos collegisse. Cōtra est primò, quia idem Iosephus lib. 10. cap. 12. ita de se loquitur: *In ipso historia mea principio, propter eos qui quæstionem faciunt, aut in aliquo culpare nituntur, astruxi dicens translaturum me libros Hebraicos in eloquium Græcum, & hos volentibus aperire, neque adijcere me aliquid seorsum, neque subtrahere me promittens.* Sed demus Iosephum in aliquibus mentitum fuisse, aut ad gentis suæ splendorem amplificandum aliqua interdum fabulosa in historiam suam congessisse; id certè in nostro casu verisimili aliqua ratione dici non potest, sed potius contrarium; cum enim istæ partes in antiquissimis Bibliorum exemplaribus, tam Græcis Septuaginta, & aliorum, quàm Latinis veteris editionis vulgatę habitæ fuerint, vt patet ex Origene, & Hieronymo in pręfat. portio verò aliqua, siue fragmentum earumdem reperiatur in Ioseph; certum videtur ex eo fonte, quo exemplaria ista ad notitiam veteris Ecclesiæ peruenerunt, ex eodem pariter deuenisse ad notitiam Ioseph, nempè ex sacris codicibus Hebraicis.

Secundò responderi potest verisimile esse hanc historiam æquè ac Tobiæ bis Hebraicè fuisse conscriptam, semel breuius, vti iam extat, & ad nos peruenit, secundo fusius, ex qua quod deerat editioni breui, suppleuerunt Septuaginta interpretes in sua translatione, indeque vetus editio vulgata Latina, cum librum hunc fusius scriptum prę manibus haberent; quo fit, vt textus Græcus & Latinus illius historiæ, quem nunc habemus, non fuerit translatus ex Hebræa editione, quæ nunc extat, sed ex alia quæ omnino excidit; nisi velimus dicere exemplar illius esse, illud quod asseruatur Bononiæ apud Patres Augustinienses, Hebraicè in corio scriptum, & conuolutum, vt testatur Reuerendissimus P.F. Angelus Rocca Sacrarij Summi Pontificis pręfectus, & Episcopus Tagastensis in commentario de Bibliotheca Vaticana; cum in illo reperiantur omnia capita quæ hic controuertuntur. De quâ etiam historia fusius scripta, & vt volunt aliqui, in Epistolis ad Hebręos missis, debet intelligi, quod cap. 11. dicitur: *Anno quarto regnantibus Ptolomæo & Cleopatra, attulerunt Dositheus, qui se Sacerdotem & Leuitici generis ferebat, & Ptolemæus filius eius hanc Epistolam Phurim*, id est Sortium à Mardocheo primùm Hebraicè scriptam; *quam dixerunt interpretatum esse Lysimachum Ptolomæi filium, in Ierusalem*. Quem tamen versum notandum est, non esse Mardochei, nec additum à Septuaginta, hi enim vixerunt sub Ptolomæo Philadelpho, antè Ptolomæum Philometorem, de quo fit hic mentio, quique Iudęis impensè fauit; sed ab aliquo posteriore Scriba-hagiographo historię causa interiectus fuit ad designandum tempus, quo epistola illa Mardochei, scripta anno 2. Artaxercis, à Dositheo & Ptolomæo patre Lysimachi delata est, & à Lysimacho translata ex Hebræo in Gręcum.

Hinc aliqui putant ortam esse tantam varietatem inter textum Græcū & Hebręum, quod textus Græcus, quem nunc habemus, non fuerit traductus ex Hebræa editione breuiori, quæ nunc extat, sed ex alia fusiori, quæ ad nos non peruenit. Vnde etiam inter Græcos, & Latinos in huius libri distributione non leue pariter discrimen reperitur. Latini enim sedecim statuunt capita, Græci decem; neque tamen ideo minus habent Græci, quam Latini codices. Nam quæ alieno separatoque loco posuit Hieronymus,

nymus, nempe in fine suæ editionis, vt sciremus quid huius libri esset, & quid etiam non esset in codicibus Hebræis à se repertis, è quibus illum transtulerat; siue quod idem est, vt quæ Græcè tantùm inuenerat ab Hebręis distingueret & confusa secerneret, illa Græci suo loco seruato rerum gestarum ordine collocarunt: & ita septem illa capita libri Esther, quæ sunt postrema in editione Latina vulgata, ob statim adductam rationem, quę etiam mouit Ecclesiam, vt hanc Hieronymi translationem, & distributionem non mutaret, re vera postrema non sunt, sed quædam eorum pertinent ad initium libri, vt cap. 11. & 12. quędam ad medium, vt cap. 13. 14. 15. quæ pertinent ad cap. 3. 4. & 5. & per illa sunt distribuenda; caput autem 16. pertinet ad finem libri. Quæ omnia diligenter sunt obseruanda, cùm non parum ad rationem temporum conferant, ordinemque doctrinę; fusiusque de illis consuli possunt interpretes huius libri, qui optimè ostendunt nullam penitus in eo contradictionem reperiri, præsertim in septem illis capitibus, quorum, vt vidimus veritatem impugnant Hæretici.

Narratio enim insidiarum quæ habetur cap. 12. in Latinis Biblijs, ad initium libri pertinet, vt statim diximus, atque ibi narrantur per prolepsin, siue anticipationem insidiæ; quæ rursum narrantur postea suo loco cap. 2. factæ sunt autem anno 7. vt habetur ibidem, non autem anno 2. vt videtur colligi ex cap. 11. nam illa verba quę in eo habentur, *Anno secundo, regnante Artaxerce Maximo, &c.* non debent extendi vsque ad narrationem insidiarum, quæ habetur cap. 12. sed solum ad ea, quæ dicuntur in ipso 11. id est, ad somnium, quod Mardochæus vidit antequam Esther Assuero coniungeretur. Quod pariter obijciebatur de mercede delationis, non habet difficultatem. Nam etsi non habuerat Mardochęus mercedem pro delatione, quando rex iussit relegi sibi annales, vt dicitur cap. 6. vers. 3. tamen habuit postea amplissimam mercedem, quę describitur in eodem 6. capite, & ea significatur per prolepsin cap. 12. quod vt vidimus pertinet ad initium libri, & vna cum 11. efficit caput primum, per illa verba vers. 5. *Datis pro delatione muneribus*; licet enim aliqui id intelligant de exiguis & parui momenti muneribus, tempore delationis primùm Mardocheo concessis, quæ cum tanto illius beneficio imparia essent, propterea cap. 6. vers. 3. iuxta communem loquendi modum, dicitur nihil omnino mercedis accepisse; vel etiam comparatiuè ad maiora dona, quæ postea in eodem sexto capite illi data fuisse referuntur; Melius tamen alij dicunt prædicta verba, esse prolepsin, siue anticipationem: munera enim hæc data videntur Mardocheo nō statim à delatione, sed diu post, cùm scilicet rex legens annales intelligeret, nihil mercedis Mardocheo pro delatione datum fuisse, vti narratur cap. 6. v. 13. Verum quoquomodo res intelligatur, satis patet non pugnare ista capita postremo loco posita cum alijs partibus huius libri.

CAPVT XXXIII.

De libro Iob.

PRo diuina huius libri authoritate primùm habetur traditio tàm Synagogæ antiquę illum inter Agiographa reponentis, quàm Ecclesię Catholicę in multis Concilijs Prouincialibus, & Generalibus eumdem pro sacra & canonica scriptura approbantis; Vndè semper hic liber inter Protocanonicos numeratus est, illos videlicet de quibus à Catholicis nunquam hactenus fuit dubitatum, sed nec vnquam dubitabitur. Secundò in libris tàm veteris, quàm noui testamenti liber Iob tanquàm diuinitus inspiratus consignatur Ezechiel. 14. Tobię 2. 1. Corinth. 3. 1. Timoth. 6. Iacobi 5. & alibi sępius, vt videre est apud Sixtum Senensem. Tertio tandem ab Apostolorum temporibus omnes etiam Sancti Patres hunc librū tanquam diuinum

num agnouerunt commentarijs illum illustrando, multaque ex illo testimonia proferendo, tàm ad morum informationem, quàm ad fidei confirmationem. Quod autem Iosephus nullam huius libri, vel historiæ mentionem faciat, nihil obest eius veritati; præter quàm quod enim Iosepho principalis cura fuit gentis suæ monumenta referre, vnde facile Iob vt pote virum gentilem negligere potuit, multa insuper in ipsamet historia gentis suæ prætermisit, quæ tamen ad sacram Scripturam pertinent; quare nullum argumentum duci potest ex hac authoritate negatiua ad infirmãdam libri, vel historiæ Iob veritatem.

Etsi autem nullus vnquam, pro vt testatur Genebrardus lib. 2. Chronologiæ, aut saltem valdè pauci dubitauerint de diuina libri Iob authoritate; non defuerunt tamen plures, tàm ex antiquis, quàm ex modernis hæreticis, quibus visum est, huius libri argumentum, non esse veram historiam, siue quod idem est, quod iste Iob non fuerit aliquid in rerum natura, sed quod fuerit quædam parabola conficta; vt esset quoddam thema ad prouidentiæ disputationem, sicut frequẽter homines confingunt aliqua facta ad disputandum de eis. Videturque colligi, tum ex narrandi stylo, non enim dicitur, *fuit*, sed *erat vir*: tùm ex Concilio Angelorum, quod proponitur cap. 1. & præsidente Deo habitum est, cum allocutionibus, & responsionibus personarum; tùm ex eo quod carmine scriptus est hic liber, vt solẽt scribi comediæ, & tragædiæ; tùm quia personæ comicæ, & scenicæ videntur esse, quarum nomina suas habent significationes.

His non obstantibus certa fide tenendum est librum Iob veram continere historiam; quamuis enim libenter admittamus cum D. Thoma in præfatione expositionis huius libri, ad intentionem illius non multum referre, vtrum sic, vel aliter fuerit; refert tamen quantùm ad ipsam veritatem. Opposita enim sententia videtur manifestè auctoritati sacræ Scripturæ contradicere; Tobiæ 2. vbi exemplum patientiæ Tobiæ, *sicut & Sancti Iob* statuitur. Ezechielis 14. vbi ex persona Domini dicitur; *Et si fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, Daniel, & Iob: ipsi iustitia sua liberabunt animas suas*: Manifestum est autem, Noe, & Daniel homines in rerum natura fuisse: igitur nec de tertio eis connumerato, scilicet de Iob, in dubium debet venire. Iacobi etiam cap. 5. cum dicitur: *Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt: sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis*. tanquàm de verissima re loquitur, cuius tandem finis & exitus videri potuit, multosque habuit testes. Pro veritate huius historiæ, auctoritati scripturæ accedit secundò communis Sanctorum Patrum consensus, in efferendo ex illa, & encomijs celebrando singularem S. Iob sanctitatem, innocentiam & patientiam: *Insignis* enim *continentiæ & fidei virum* illum appellat Clemẽs Alexandr. lib. 4. Stromat. cap. 2. *Constantiæ, ac tolerantiæ vehementium dolorum fulgentem fuisse* dicit Origen. in Iob: *Beatissimum* vocat Eusebius lib. 1. demonst. Euang. cap. 6. *verum hominem inculpabilem, iustum, pium, magnum*, Athanasius in apolog. de fuga sua: *gloriosum & beatum victorem*, Hilarius in Psalm. 118. *præclarum patientiæ, gloriosumque documentum*, Cassiodorus lib. 1. diuin. instit. cap. 6. Quæ omnia & alia similia Sanctorum Patrum dicta, satis patet intelligi non posse, nisi de vera historia, veroque homine. Ad quod tertiò faciunt nomina propria personarum, terrarum, siue ciuitatum, & aliarum rerum, quarum in hoc libro fit mentio; nam vt Chrisostomus ait homil. de diuite: *Parabolæ illæ sunt vbi ponuntur exempla, & tacentur nomina*. Vndè etiam Tertullianus, lib. de resurrect. carnis, Lazari historiam ex nomine confirmat; *Quid illic*, inquit, *Lazari nomen, si non in veritate res est?*

Ad ea igitur quæ in contrarium objiciebãtur, sic respondendum est. Ad primum, in originali voce haberi היה, id est *fuit vir*; quod tamen iuxta Hebreum

breum & Grecum vertendum videbatur, *fuit*, quo etiam modo legerunt Septuaginta, interpres noster præterito imperfecto reddidit. Vel quia Hebræū præteritum valet vtrumque; vel quia hic liber potius vitam Iobi, quàm mortem describit; quare non tàm illum pręterijsse, quàm eam, in qua tunc erat vitæ conditione, cùm in hostem, & latronem incidit, significare voluit; Imperfectum namque præteritum seruire solet exprimendo continuum aliquod viuendi institutum, aut indefinentem vitæ cursum: Vel etiam quia ea loquendi ratione denotatur securum quoddam vitæ genus, constans, tranquillum, caeterus nunquam abruptum: de quo vide Ioannem Pineda in Iob cap. 1.

Ad secundum de concilio Angelorum triplex est sententia. Prima negans hęc secundum historiam debere intelligi; sed tantum fictione quadam poetica, aut figurata scriptione rem nobis proponi putat: non tamen falsò & inutiliter, sed vt vtilia multa, atque verissima nobis significarentur: Secunda sententia concilium hoc imaginario repręsentatum esse docet: Tertia verò tradit rem ita contigisse, vt narratur; non quidem corporea ratione, sed ea quæ verissimè inter spiritus potest intercedere. Quæ omnes sententiæ sunt satis probabiles, nullumque ex illis videtur sequi absurdū: quod enim iuxta primā sententiam in vna scriptura quędam particula non accipiatur litteraliter; vel vt sonat, non arguit omnia alia accipienda esse allegoricè, vt videbatur inferri in secunda obiectione.

Ad tertium, quod tangit scriptionis genus, de quo infra, respondetur nihil officere veritati huius historiæ, si carmine conscriptam fuisse dicatur, imo potius in laudem sacrorum scriptorum cadere videtur, quod ab ipsis prima poësis effluxerit. Similiter in quarto argumento falsum assumitur, quod propterea comicæ, siue scenicæ sint huius libri personæ, quia earum nomina arcanas habent significationes; hoc enim modo vniuersa ferme scriptura scenicis, & non veris personis esset referta; cum nullum fere sit illarum nomen, quod mysticam non habeat interpretationem, atque hinc sumi exquisitæ Hebręorum sapiētiæ firmum argumentum, ostendit Eusebius de pręparat. Euangel. cap. 3. Cyprianus de montibus Sinai, & Sion aduersus Iudęos, Chrisostomus homil. 51. in cap. 6. Genes. & in Epistola ad Romanos cap. 16. homil. 15. Vt autem in particulari necti possint inter se significationes omnes nominum propriorum libri Iob, ad efficiendam morum instructionem, & allegoriam, videndus Gregorius Magnus, Philippus Presbyter, Venerabilis Beda.

Iam quis huius libri auctor fuerit? varia sunt doctorum placita, nec aliquid vnquam certum fuit. Vnde quod Iacobus Billius in annotationibus ad Greg. Nazianzenum orat. ad Iulianum tributorum exequatorem, prius docuerat de auctore huius libri nunquam fuisse dubitatum, postea in secunda editione illud deleuit & expunxit. Prima igitur sententia, quam refert catenæ auctor, illorum est, qui amicos Iob auctores libri statuebant. Secunda, apud Isidorum lib. 6. Etymolog. cap. 2. tribuit alicui ex Prophetis. Tertia facit Salomonem auctorem. Quarta, eaque frequentior, Moysem. Probabilior tamen sententia est, ipsummet Iob ærumnarum suarum, historiam, & felicem exitum, quæ in hoc libro continentur conscripsisse, & quidem Syriacè, maiorique ex parte carmine, vt probat Pineda. Nec mouere nos debet, quod de se Iob, tanquàm de aliena persona loquatur, nimirum, dicit Iob, vel hęc, atque illa pertulit Iob; nam vt S. Gregorius docet pręfat. in Iob cap. 1. id proprium est sacrorum Scriptorum; vt se non indicarent auctores suorum librorum, sed Spiritum Sanctum, qui illorū linguis, ceu calamo velociter scriberet. Hunc autem librum è Syriaca lingua postea in Hebręam à Moyse trāslatum fuisse dicitur, propter leniendum populum in deserto tunc peregrinantē; à quo

à quo etiam addi potuere, quæ de Iobi morte vltimo loco narrantur: tum ex Hebręo in Gręcum per Septuaginta Interpretes, teste Origene conuersus est; & in Latinum per Hieronymum, vt ipse testatur, primùm ex Gręco Septuaginta, deinde ex Hebræo.

Notandum est tamen librum Iob, qui apud Græcos habetur, multis partibus copiosiorem esse, quàm in editione vulgata Latina; pręsertim cap. 2. vbi describitur vxoris colloquium cum Iob, pluribus quàm apud nos; & cap. vltimo, cui additur appendix Genealogiæ Iobi, quæ etiam apud nos desideratur. De quo idem censendum puto, quod in vniuersum de authoritate editionis Septuaginta dicetur infra, videlicet, sicut nihil sacræ authoritatis hactenus est, nisi quod in editione Vulgata latina habemus; ità sane incertum esse, an ea quæ nunc in Septuaginta leguntur, in latino desiderata, vera sint, & à sacro Scriptore tradita. Liber autem Iob in Septuag. Complutensibus, qui & Hebręo, & Vulgatæ editioni respondet, minus purus, minusque emendatus est, quàm qui illis, quas diximus, additionibus auctior habetur, & à Sixto V. pro vera & pura Septuaginta lectione Ecclesiæ propositus fuit. Licet D. Hieronymus proœmio in Iob, non tàm aliqua addita, quà omissa côqueratur in eo codice Septuaginta, quem ipse habuit. *Audiant*, inquit, *mei canes, idcirco me in hoc volumine laborasse, non vt interpretationem antiquam reprehenderem, sed vt ea, quæ in illa aut obscura sunt, aut omissa, aut Scriptorum vitio deprauata, manifestiora nostra interpretatione fierent.*

Hic liber non solùm inscribitur Iob à suo authore, sed etiam quia eius historiam complectitur; quid perpessus sit, tentatus à Diabolo, & quomodo vicerit, ac piè illatas plagas tolerauerit; rursùs omnia duplicata receperit, illustriorque, quam fuerat antea, factus iterum decem liberos adeptus sit. Cùm autem circa Iobi tempus, patriam, genus, aliaque similia diuersæ sint doctorum sententiæ, probabilius tamen est natum esse in ciuitate Bosra, non Moabitica, sed Idumeæ, vel Traconitidis regionis, circa tempus egressionis filiorum Israel de Aegypto. Habitauit in terra Hus, intra quam erat, vel cum illa coniuncta, & Arabiæ proxima præfata ciuitas Bosra: fuit Sacerdos, Propheta, Rex de filijs Esau; quintus ab Abrahā, quartus ab Esau; & quod magis, *vir simplex, & rectus, ac timens Deum & recedens à malo*, dicitur in sacro textu; quodque non peccauerit labijs suis, nec inter tot aduersa quidquam stultè contra Deū loquutus fuerit. Vnde lamentationes illæ, & querelæ, quibus cap. 3. calamitosum suæ vitæ tempus, miseramque rerum afflictarum conditionem persequitur, affectum dumtaxat sensitiuæ partis ostendunt; tantumque abest, vt eum arguant peccati reum, vt potius maximam eius virtutem demonstrent: nam vt bene dixit Didymus: *Neque enim qui iustus est, sensum omnem exuisse humanitatis necesse est; quamuis constanter casus ferat aduersos; nam acerbarum rerum sensu suscepto, cùm quis in cruciatu propter Deum exclamat, ea demum virtus est.* Sed de his satis, de quibus fusius consuli possunt huius libri interpretes.

Quod pertinet iam ad huius libri sensus, & fines, litteraliter ex Iobi ærumnis & patientia, diuinæ prouidentiæ æquitas, & ratio primùm statuitur; tum peculiaris ipsiusmet Iob laus, ac meritorum cumulus, nec solùm, sed commune insuper Ecclesiæ solatium & commodū, quale est tàm insigne patientis Iob exēplum. Allegoricè Iob non tantùm perfectissima Christi patientis fuit figura, sed etiam vniuersa ferè eius gesta adūbrauit; in quo etiam abditissimum illud mysterium conuersionis gentium ad veram Christi fidem præfiguratum fuit, & quomodo gentes sub lege naturę viuentes, habentes viuam fidem in mediatorem Christum Iesum saluari potuerint, vt docet D. Augustinus lib. 18. de ciuitate Dei cap. 47. & D. Prosper de prædictionibus; *Iam*, inquit, *per iustum vi-*

rum transitura Christi vestigia in gentes signabantur: de quibus Dauid in persona eius dicit, in Idumaeam extendam calceamentum meum, mihi alinigenae amici facti sunt. Quid plura D.Hieronymus in epistola ad Paulinum docet, *singula in hoc libro verba plena esse sensibus*; Cassiodorus verò *librum continentem suauia sacramenta verborum appellat*, Ruffinus in Symb.Apost. *Mysticis eloquijs redūdantē*.

Obijciunt tamen primò aliqui hæretici impossibile esse, neque ita vt scribitur cap. 2. geri potuisse: vt quòd septem diebus & noctibus immoti assederint Iobo tres illius amici, sine cibo & potu. Respondetur ad hoc argumentum, Diuum quidem Gregorium, quem Hugo & Dionysius Carthus. sequuntur, decernere noluisse, an his integris diebus septem amici Iobo semper adfuerint. At Origenes ait in aduentu amicorum Iobum ex sterquilinio in suam ciuitatem & domum rediisse, vt illos digno hospitio exciperet: & ibi septē integros dies, sine cibo aut potu transegisse, virtute illos diuina confortante. Verum cum neutrum horum verosimile videatur, licet absolutè impossibile non sit; melius respondetur continuitatem illam septē dierum, & noctium physicè accipiendam non esse, sed moraliter; *Nec enim scriptura*, inquit Olimpiodorus in hunc locum, *à sermone familiari discedit*, iuxta quem plerumque solemus dicere, aliquem in aliquo loco mansisse continuè, quandò maiorem temporis partem in eo mansit, licet ad alia peragenda breuiter aliò diuerterit: non aliter Iacob Genes. 31. dicit; *Die noctèque æstu vrebar & gelu; fugiebatque somnus ab oculis meis*; & Dauid Psal.87. *tota die* expandi ad te manus meas; ad significandam istam moralem continuitatē, quæ physicè intelligi non potest, quasi Iacob nūquam subierit tectum, neque vllam toto illo tempore quietis partem captauerit; Dauid verò non vacauerit alijs negotijs regni, & necessitatibus, de quibus dicebat: *De necessitatibus meis erue me*, Psal. 24.

Obijcitur secundò videri etiam impossibile, quod cap. 19. vers. 17. dicit Iob, *Et orabam filios vteri mei*, quomodo enim poterat filios orare, quādò omnes perierant, vt dicitur cap. 1. Relictis nouem diuersis huius loci expositionibus, de quibus vide Pineda, respondetur facilè cum illo, *filios vteri sui* dici à Iob, quos suscepisset ex concubinis seu ancillis; vt apertè colligitur ex Septuaginta interpretibus legentibus: *In uocabam in blanditijs filios concubinarum mearum*: Qui, cùm alijs filijs matris familias minimè conuiuarentur; & ad communem vitæ rationem neque vocarentur, neque admitterentur, facilè superstites esse potuerūt, primarijs filijs acerbissima nece sublatis.

Obijcitur tertiò, & est argumentum Mopsuesteni in v. Synodo act.4. fabulosa quoque in hoc libro narrari; nam cap.21.vers.31. fit mentio de fluuio Cocyto, quem finxit antiquitas inferorum fluuium esse. Capite etiam 42.vers.14. filiarum Iob nomina videntur fabulosa; prima enim vocatur Dies, secunda Cassia, tertia Cornustibia, quod nomen Græci verterunt, cornu Amaltheæ: Respondetur nihil penitus fabulosi contineri in libro Iob; vbi enim loco citato Cocyti nomen habetur; notandum est in Hebræo legi, quod non solùm significat torrentem, sed etiam vallem per quam torrentes defluere solent: Vndè vulgatus interpres posuit speciem pro genere, vertendo videlicet *Cocytum*, pro eo quod in Hebræo est, *torrente* aut *fluuio*, quemadmodum etiam Septuaginta legerunt: nec tantùm, sed vt rem, de qua ibi agitur, clarius exprimeret, fabulosi fluuij Cocyti nomine vti voluit. Vide Ioannem Pineda. Similiter negatur fabulosa esse trium filiarum Iobi nomina, quæ D. Gregorius docet à virtutibus sumpta esse, ac præ se ferre mirabilem pulchritudinem & gratiam tùm internam, tùm externam virginum illarum. Quod si deindè Poetæ Gentiles tàm ista quàm alia plurima nomina, & historias è diuina Scriptura suffurati sunt, &

ad fabulas cōuerterunt, nihil indè sequitur absurdi, sed potius vt iam notauimus cap. 4. huius sectionis, arguit illius antiquitatem; sicut etiam, ex statim dictis, nullum est inconueniens, quod aliquando interpretes sacri, ad aliquid melius exprimendū fabulosis vtantur nominibus; vt enim sapienter obseruauit Nicetas, cum id præstant, *tantùm vtilitatem illis fabulis significatam, non verò falsitatem vllam nobis propinant*. Quare Græci interpretes, rectè pro *Cornustibÿ*, quod est nomen tertiæ filię Iob, vertere potuerunt, *Cornu Amalthaa*, cùm enim *Cornu Amalthaa*, prouerbio significet optimum, & beatum statum; vel beatam rerum omnium affluentiam ex pace & cultu pietatis, atque virtutibus prouenientem, ità opportunè significari potuit, vel opulentus, & beatus status Iobi restituti, vel pulchritudo eximia tertię virginis non minus elegans, & iucunda cōspectu, quam esset os illius cornucopię, cui, siue fuerit caprinum, siue Taurinum, siue Amalthæa fuerit Nympha, siue nutrix Iouis, siue capra, cuius lacte & beneficio enutritus fuerit, dicunt gratitudinis ergò inditam fuisse mirificam facultatem, vt quidquid optari posset boni, ac pulchri largiter ex illo proflueret.

CAPVT XXXIV.

De libro Psalmorum.

CVm sacrificiorum, quibus Sancti Patres in veteri vtebantur testamento, duo pręcipua fuerint genera: Vnum, quo populi quotidiana expiabantur peccata: alterum quod in laude versabatur diuina. Postquam de primi generis sacrificijs, & ritibus in his obseruatis, in præcedentibus libris Moysis, pręsertim in Leuitico actum est, deinde verò de historiarum exemplis, quibus multifarie illustrati fuere, & approbati huiusmodi ritus, nunc in libro Psalmorum sequuntur appositè laudis sacrificia. Etsi enim non vna tantùm sit Deum recte laudandi forma, celeberrima tamen semper ea fuit, quę in sacrorum Psalmorum consistit decantatione.

Etsi autem plures hæretici tàm antiqui, quàm moderni, de quibus videri potest Lorinus præfat. in Psalm. cap. 1. diuinam libri Psalmorum authoritatem negauerint, asserentes Dauid non fuisse verum Prophetam, sed potius humanæ cantionis, ac sæcularis rei conscriptorē; nihilominus tamen pro illa primùm stat constans, ac perpetua Ecclesiæ traditio deindè vnanimis omnium Sanctorum Patrum consensus; tertio quod Christus ipse Matth. 22. 43. Apostolique omnes, dum citant aliquos ex Psalmis, Auctorem in spiritu locutum dicunt, vel Spiritum Sanctum per os eius; nullusque est veteris testamenti liber, ex quo tot in nouo proferantur testimonia, quot ex illo Psalmorum Dauidicorum. Sicut etiam nullus est, quem tot veteres Patres suis illustrarint commentarijs. Ex Græcis Origenes, Asterius, Athanasius, Basilius, Didymus, Eusebius, Theodoretus, Chrysostomus, Theodorus Heracleotis, Theodorus Antiochenus, Cyryllus, Hesychius, Hypathius, Nazianzenus, Apollinaris, Damascenus, Diodorus, Iustinus, Seuerus, Nyssenus, Euthymius. Ex Latinis Hilarius, Ambrosius, Hieronymus; Augustinus, Ruffinus, Cassiodorus, Remigius, & alij plures; de quibus vide Lorinum præfat. in Psalm. cap. 16. vbi quale de nonnullis iudicium sit ferendum, liberè, sed modestè aperit.

Circa huius libri authorem, cùm ante Origenem omnes Hebræi crederēt singulos Psalmos Dauidis esse, posteà quàm tamen Origenes cæpit ostendere, quæcumque in Psalmis continentur, ad Christum iam natum pertinere, multum inde irritati aliqui Hebræi id negare cæperunt, asserentes ipsum Dauid, nouem dumtaxat Psalmos fecisse, vel ad summum eos, qui ipsius nomine præscribūtur. Cuius etiam rei duæ sunt veterum Patrum sententiæ: nam Sanctus Athanasius in Synopsi, S. Hilarius in prologo Psal-

Psalmorum, S. Hieronymus in epistola ad Sophronium de ordine Psalmorum; & in Epistola ad Cyprianum de expositione Psalmi 89. varios esse censent authores Psalmorum; in quibus etiam assignandis multum variant huius sententiæ sectatores, vt videre est apud Sixtum Senensem lib. 1. Biblioth. & Ludouicum Tena lib. 2. Isagoge sacræ Scripturæ difficultate 6. sect. 3. Contra verò Origenes S. Ioannes Chrysostomus, Theodoretus, Euthymius, & Cassiodorus in præfat. comment. in Psalmos, S. Augustinus lib. 17. de ciuitate Dei cap. 14. Psalmorum omnium vnum Dauidem auctorem agnoscunt; quamuis D. Augustinus in hac re sibi contradicere videatur: nam vbi agit de titulo Psalmi primi: Non omnes Psalmi, inquit, à Dauid editi sunt. Ipse enim Dauid ex omni populo quatuor Principes Spiritu Sancto mundatos elegit, quorum nomina sunt Asaph, Eman, Ethan, & Idithum: vt in quemcumque diuinus spiritus intrasset, hymnum Deo caneret. Dauid ergo solus nouem Psalmos ore proprio cecinit: reliqui autem, ab illis 4. principibus, iuxta titulorum inscriptionem sunt dicti; sed huius discrepantiæ tam Augustini secum, quàm aliorum Patrum inter se conciliationem statim adducemus: si prius quæ in hac difficultate sunt magis certa statuerimus.

Primùm est, auctorem primarium omnium Psalmorum esse Spiritum Sanctum, à quo tota illorum cum pendeat authoritas diuina; parum refert, inquit Theodoretus argum. in Psalm. *Siue Dauid omnes Psalmi, siue aliorum aliqui sint.* Secundò certum videtur, maximam partem Psalmorum esse Dauidis: nam in fine Psalmi 71. legitur. *Defecerunt laudes Dauid filij Iesse*: item lib. 2. Reg. cap. 29. dicitur, Dauid egregius Psaltes Israel: tandem in lib. 2. Paralipom. cap. 5. habetur, cantores ordinatos fuisse, vt canerent Psalmos, quos fecit Dauid. Tertiò certum etiam videtur eos Psalmos, qui carent titulo, esse Dauidis, vt etiam omnes illos, qui nomen Dauid in titulo præferunt, siue sit in genitiuo, siue sit in datiuo, vt rectè notauit Sixtus Senensis, & ex illo Ioannes Lorinus præfat. in Psalm. cap. 3. Ratio primæ partis huius dicti, est, quia Psalmus 2. caret titulo, & tamen Actor. 4. Apostoli affirmant, eum Psalmum à Dauide fuisse compositum: similiter Psalmus 94. caret titulo apud Hebræos: & Paulus Apostolus Epistola ad Hebræos tribuit eũ Dauidi. Deindè Psalmi, qui in Hebræo codice carent titulo, in Græco textu adscribuntur Dauidi: vndè credibile est; excidisse titulos ex codice Hebræo, qui in eo erant, quando Septuaginta interpretes Scripturas Hebraicas in Græcum transtulerunt. Denique regula Hebræorum, qui affirmant Psalmum titulo carentem, esse illius auctoris, qui scripsit præcedentem, falsa esse conuincitur. Si quidem secundum eam regulam primus & secundus Psalmus nullius essent, cum vterque careat titulo: præterea Psal. 89. attribuitur Moysi, proindèque decem Psalmi consequentes, qui titulo carent, eidem Moysi adscribi deberent. At id fieri non potest, nam in Psalmo 98. fit mentio Samuelis, qui longo post obitum Moysis temporis interuallo vixit. Quo ad alteram verò partem, quod non solum illi Psalmi Dauidis sint, qui habent in titulo nomen Dauid in genitiuo, sed etiam in datiuo, colligitur manifestè nostrum assertum ex Psalm. 109. qui habet pro titulo, *ipsi Dauid*; & tamen Christus Dominus Matthæi 24. facit expresse Dauidem illius authorem dicendo, *Quomodo Dauid vocat eum Dominum dicens, Dixit Dominus Domino meo*.

Tria prædicta de authore Psalmorum cùm sint magis certa: de reliquis Psalmis, qui titulum præferunt Moysis, aut Salomonis, aut Asaph, aut Idithum aliorumue similium, dubitatur cuius sint authoris; multique probabilem existimant sententiam S. Athanasij, Hilarij, Hieronymi, & aliorum, qui vt vidimus supra, censent prædictos Psalmos ab ijs omnibus fuisse conscriptos, qui nominantur

nantur in titulis: ſed probabilior videtur ſecunda ſentētia docens omnes prorſus Pſalmos à Dauide fuiſſe editos; primò quia eſt communior, & fuit etiam communior ante annos mille, vt teſtantur Theodoretus in præfat. Pſalmor. & D. Auguſt. lib. 17. de ciuitate Dei cap. 14. vbi multa pro hac ſententia adducit Ioānes Ludouicus Vines: ſecundò quia Aſaph. Idithun, Ethan, & alij qui nominantur in titulis Pſalmorū, cantores potius fuere, quam Prophetæ, vndè videtur ſequi Pſalmos illis tribui in titulo, quia dabantur illis ad canendum, non quod ipſi eos compoſuiſſent: quod ex eo intelligi poteſt, quod in eodem titulo aliquando ponitur nomen Dauid, & Idithun, ſiue alterius, vt patet in titulo Pſalmi *38. 61. 64. 136.* 137. & *138.* Tertiò quia Lucæ 20. cum Dominus ait, *Dixit Dauid in libro Pſalmorum*, viſus eſt totū librum Pſalmorum Dauidi tribuere. Quartò tandem quia Concilium Tridentinum ſeſſ. 4. licet non definiat auctorem Pſalterij eſſe Dauidem (aliàs eſſet res de fide, & non ſub opinione) attamen videtur id ſupponere, vt certum, vel ad minus, vt certius oppoſito, nempè omnes Pſalmos eſſe editos à Dauide, quia recenſens, vt canonicum, Pſalteriū centum quinquaginta Pſalmorum, vocat illud *Pſalterium Dauid*, ergò ſupponit, illum eſſe auctorem dicti Pſalterij, & conſequenter omnium centum quinquaginta Pſalmorum, quibus componitur. Sicut dum dicimus, liber de anima, V. g. decem capitum, eſt Ariſtotelis: omnes intelligimus, omnia illa capita eſſe Ariſtotelis, & non aliorum auctorum. Neque etiam Eccleſia tota, inquit Caſſiodorus, citando Pſalmos, alium nominat authorem, quam Dauid; Quia tamen omnes illos non cecinit, ſed alijs pluribus canendos tradidit, vel etiam vt concentum, & modulationem componerent; indè S. Auguſtinus loco ſuperiùs citato docuit, non omnes Pſalmos fuiſſe à Dauid editos; quomodo etiam prima, & ſecunda Sanctorum Patrum ſententia facilè poſſunt inter ſe ad concordiam reuocari.

Vt autem aliquid de Dauide dicamus, licet libenter admittamus illum non fuiſſe Prophetam, habita ratione diuiſionis librorum ſacrorum inter Hebræos receptæ, in *thorab*, legem, & *neuym* Prophetas, & *chetinim* ſcripturas cæteras, quas Græci vocant Agiographa; vel etiam Prophetam ſumendo pro illo, qui ad vaticinandi munus per ſe vocatus ſit, miſſuſque ad regem populumue cum publica Prędicatoris, ac veluti Legati dignitate, ex officio; etſi, inquam, his attentis Dauid Prophetæ nomen non habuerit, ſed ſoli ſexdecim, quatuor maiores, duodecim minores, de quibus infra: attamen quia Propheta etiam dicitur, quiſquis afflatus diuino ſpiritu, & reuelatione ſcribit, nemini dubium eſſe poteſt, niſi viris hęreticis, quin Dauid fuerit Propheta excellentiſſimus, per quem 2. Reg. 23. Spiritus Domini locutus eſt, ac ſermo eius per linguam ſuam, cui Deus incerta, & occulta ſapientiæ ſuæ manifeſtauit, Pſal. 50. quem Chriſtus Matth. 22. aſſeruit in ſpiritu ſcripſiſſe; Mathęus cap. 27. & Petrus 2. 3. appellarunt Prophetam: Ioannes cap. 19. ait Scripturam illius impletam in Chriſto: Lucas cap. vltimo refert, Chriſtum dixiſſe, neceſſe eſſe impleri, quæ ſcripta erant in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de ipſo: Petrus dixit Actor. 2. impleri oportere Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os Dauid; & ibidem cap. 4. omnes Apoſtoli, Deum Spiritu Sancto per os Dauid dixiſſe: denique ijdem Apoſtoli paſſim in epiſtolis, exemplo Chriſti, teſtimonia Dauid adhibent in probationem dogmatum, atque myſteriorum religionis noſtræ, quorum omnium diuinum præ cæteris prænuntiatorē fuiſſe docet Ambroſius ſerm. 16. D. Auguſtinus lib. 17. de ciuitate Dei cap. 14. & ſequentibus; quare idem Auguſtinus lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 8. & alibi non dubitat Pſalmos in Prophetalium librorum claſſe collocare, tametſi hoc nomen ſoleat magis propriè dici de libris illorum, qui cognomen Prophetarum gerunt in titulis ſuis. Nec ſolùm

lùm Dauid tàm excellēti Prophetiæ dono, sed insuper etiam insigni sanctitate præditum fuisse, docent omnes Patres, & Scriptura ipsa sacra, dignumque censuit Ecclesia quem in Sanctorum Catalogo reponeret. Quod tamen non puduit Nicolaum Machiauellum, in suo illo quem finxit Principe, negare, scribendo, eum nihil ferè moribus à Philippo Macedone pessimo Rege dissimilem extitisse.

Etsi autem, quod pertinet ad scriptionis genus, Hebræi negent carmen in Psalmis, concedantque rithmum solùm in fine periodorum, vel membrorū, metricè tamen, strictaue oratione compositos fuisse Psalmos, communis est Sanctorum Patrum opinio, licet quo carmine se nescire fateantur. *Quibus numeris consistant versus Dauidici, non scripsi* inquit Augustinus epist. 131. ad Memorium, *quia nescio. Neque enim ex Hebræa lingua, quam ignoro, potuit etiam numeros Interpres exprimere, ne metri necessitate ab interpretandi veritate amplius, quam ratio sententiarum sinebat, digredi cogeretur: certis tamen eos constare numeris, credo illis notum, qui eam linguam probè callent. Amauit enim ille vir Sanctus musicam piam, & in ea studia nos magis ipse, quam vllus alius auctor accendit.* Causas verò cur poëseos vsum in suis litteris Deus esse voluerit, omnes ferè Psalmorum expositores præfantur, traduntque ex Patribus sic Deū magis amari, colique, scilicet non prosa tantum, sed ligata numeris oratione: hoc pacto nos doceri, vt nobismet ipsis consoni, non à nobis diffidentes simus, optima cogitando, pessima faciendo: sed & vt concordemus cum Deo: præterea vt hoc velut illice ad studium virtutis prouocemur: vt denique omnis homo intelligat se tanquam paruum mundum ad magni similitudinē ex quadam armonia constitutū esse. Vide Athanasium tract. de interpret. Psalm. ad Marcellin. Gregor. Nissenum tract. 1. in Psalm. 3. Basil. in explicat. 1. Psalmi, Chrisostomū in Psal. 42. & homil. 6. de pœnitentia, aliosque plures.

Quantum ad huius libri titulum, siue inscriptionem, possumus loqui de illa, vel respectu totius operis, vel respectu vniuscuiusque Psalmi in particulari. Primo modo inscribitur Hebraicè *Sepher thehillim*, Latinè *Liber Psalmorum*, vel *Hymnorum*: Hymnus autem, sicut & Psalmus in sua ampla significatione hoc loco complectitur carmen omne sacrum, & laudem Dei metricè scriptam, siue solo ore, siue instrumento decantatam. Dixi in sua ampla significatione, quia si hæc omnia strictè sumantur, Ode, seu canticum, Psalmus, hymnus, confessio, oratio, canticum Psalmi, Psalmus cantici suas habent proprias differētias; quod Ode siue Canticum est vox cantantis hominis solo ore prolata, seu absque organi modulatione; Psalmus est sonus organi solius, sine vlla voce hominis cantantis; Canticum autem Psalmi dicitur, quando musicè per organicum instrumentum prius disponitur, & deindè consequitur vox ore emissa, quæ secundum occupat locum: Psalmus verò Cantici, quando eius quod nunc diximus fit contrarium, Cantico videlicet præcinente, organi deinde sonus subsequitur. Hymnus est diuinæ gloriæ extensior, atque amplior quædam laus metricè scripta: sicut confessio, amplum quoddam testimonium est, & fides, qua aut bona quæ recipimus fatetur, aut mala quæ commisimus: oratio tandem significat preces, votum, promissionem, omniaque ad Deum pertinent: Psalterium quoque apud nostros inscribitur liber Psalmorum, vel à Psalmis quibus componitur, pro vt Psalmus secundum latiorem vsum ac notionem complectitur, vt statim notauimus, carmen omne sacrum, & laudem Dei metricè scriptam, siue solo ore, siue instrumento decantatam: vel ab instrumento musico Psalterio nūcupato, quo Dauid egregiè vtebatur, primùm quidem ad demulcendos tantum greges, vt opinatur Euthymius, sed illo postea sapientiùs coaptato, eius vsū ad Deum transtulit, cantoresque instituit 1. Paralip. cap. 15. Quale autem instru-

ſtrumentum fuerit Pſalterium, & alia pluta de quibus potiſsimum fit mentio in Pſalmis, videndus eſt Marinus Merſennius Ordinis Minimorum in egregio, quod de muſica ſcripſit opere; nec non Athanaſius Kirkerius in ſua Mouſourgia.

Quod pertinet ad Pſalmorum titulos, res eſt adeò difficilis, & obſcura, vt multi cenſuerint illos eſſe obliterandos. Meritò tamen retenti ſunt, cum Sancti Patres omnes tanti eos faciant, ac in ijs exponendis adeò laborent. Theodoretus præfat. in Pſalm. temeritatis arguit inuertere inſcriptiones Pſalmorum, *quæ in prima*, inquit, *origine vſque ad Ptolomæi tempora delatæ ſunt; & ab Interpretibus LXX. in Græcam linguam translatæ*; quamuis aliqui alij putent, vt D. Thomas in præfat. Pſalm. ab Eſdra confectas fuiſſe, quod earum auctoritatem Canonicam nihil refert, quæ ab auctore primario, qui eſt Spiritus Sanctus, principaliter pendet: à quo Chryſoſtomus lib. 2. de compunct. cordis disertè docet dictatas eſſe. Hieronymus Procem. in Pſalm. huiuſmodi titulos vocat claues Pſalmorum, Auguſtinus autem in Pſal. 58. docet, Titulum Pſalmi, eſſe frontem ſublimitate Sacramenti decoratam, vt ſciamus qui intraturi ſumus, cùm tanquam ſuper poſtem, quid intus agatur, legerimus, vel cuius domus ſit, vel quiſnam ſit illius prædij poſſeſsor. Aduertendum eſt tamen non eſſe eiuſdem rationis omnes Pſalmorum titulos: in aliquibus enim exprimitur nomen propriũ virorum, *Dauid, Aſaph, Idithun, Salomonis, Moſis, Emon, Ethan, Ieremiæ, Aggæi, Zachariæ, filiorum Chore, filiorum Ionadab*. Vbi Contapratenſis aſſerit lib. 4 Hypotipoſeon prædictos Pſalmos v. g. nonageſimum tribui Moyſi legiſlatori, non quoniam illum ſcripſerit, ſed quia agit de baptiſmo, cuius figuram Moyſes in nomine geſtabat, ſiquidem ſignificat, aſsumptum ex aquis: qua ratione etiam putat reliquos Pſalmos tribui Salomoni, quia in eis agitur de pace Chriſti per illum ſignificata. Verius tamen puto cũ Chriſoſtomo & alijs, præfata nomina neque eſse Moyſis legiſlatoris, neque Regis Salomonis, aut aliorum Prophetarum Dauide poſteriorum, quorum nomina fuerint illi reuelata, vt aliquid quod eorum perſonę conueniret, Propheticè cantaretur, vt docet D. Auguſtin. lib. 17. de ciuitate Dei cap. 14. ſed potius eſse nomina cantorum, quibus illi Pſalmi fuere ad canendum traditi.

Prẹter nomina propria, nonnullis etiam Pſalmis quippiam aliud annectitur, quod ad argumentum vel materiam illorum videtur pertinere. Nonnulli inſuper tituli denotant genus, vel modum, qui ſeruari debebat in recitando, ſeu per vocis, ſeu per inſtrumenti muſici modulationem, ſeu vtraque ſimul ratione. Alij deſignant diem, qua propriè recitandi forent certi Pſalmi, vt primam diem Sabbathi, ſecundam, quartam, quintam ante Sabbathum, diem ipſum Sabbathi. Habent aliqui *Haleluyah*; quidam cognomen *Graduum*: nonnulli *orationis, laudationis, intellectus, cantici, cantici Pſalmi, verborum cantici, Pſalmi cantici, laudis cantici Hymnorum: in finem, pro torcularibus: pro Amaleth: pro Mahelet: pro arcanis: ne diſperdas*, vel, *ne corrumpas: pro ijs qui immutabuntur*, vel, *commutabuntur: pro extaſi; pro ſuſceptione matutina: pro octaua: pro occultis: in rememoratione: in confeſsione: in carminibus: in conſummatione tabernaculi: in dedicatione reſurrectionis*. Denique quidam Pſalmi ſunt alphabetarij: nonnulli anepigraphi, abſque titulo, & inſcriptione: quorum omnium rationes afferunt, Niſſenus in tractatu ſeparato, Euthymius in præfat. ac Athanaſius in Synopſi, Hilarius in prolog. ſatiſq; diligenter Agellius; & communiter interpretes, pro vt ſe ſe offert occaſio: quas ſi plerumque exactè explicare nequeunt, non eſt mirandum: fatetur enim Auguſtinus in Pſalm. 105. arcana omnium titulorum, qui ſunt in Pſalmis, & ordines eorumdem Pſalmorum, & magna eſse ſe credere, & nondum, ſicut voluit, penetrare potuiſse.

Quantum ad huius libri materiam, & argu-

argumentum, communiter docent Patres, Hilarius prologo in Psalm. Basilius & Augustinus ibidem, Psalmos per modum Laudis comprehendere, quidquid in Sacra Scriptura continetur, quodque vsui sit omnibus; futura enim præsertim de Christo certissimis præcinunt oraculis: adeò vt Hilarius doceat, totum illud quod in Psalmis est, ad vnigeniti Dei filij in corpore, & gignendi, & patiendi, & moriendi, & resurgendi, & in æternum conglorificatis sibi, qui in eum crediderint regnandi, & cæteros iudicandi, Sacramenta referri. Hanc etiam ait esse *clauem David*, de qua in Apocalypsi cap. 3. agitur, nempè quod Christus aduentu suo, implendo quæ de ipso prædicta erant, Psalmos reserauerit, atque ita idem, qui *radix David* dicitur Apocalyps. 5. soluerit signacula libri ipsius. Rupertus quoque in cap. 3. Apocalyps. *clauem David*, exponit de Psalmis eius, qui dici possunt *clauis scientiæ*, quod instar aliorum omnium Prophetarum censeantur. Sed & omnes penè Psalmi, vt docent Tertullianus, Hieronymus, Hilarius, Theodoretus, Augustinus, in persona Christi loquuntur, siue personam Christi sustinent, filium ad patrem, id est, Christum ad Deum verba facientem repræsentando. Inde Venerabilis Beda meminit de alio Psalmorum titulo, vt appellentur *Liber Soliloquiorum de Christo*. In Psalmis quoque leges sanciuntur vitæ sanctius instituendæ, cuique agenda præscribendo; vt tradit D. Basilius in procem. & Nissenus tract. 1. in Psal. cap. 4. & sequentibus, vbi prolatis Psalmorum locis demonstrat scopum illorum esse virtuté, & viam ad fælicitatem quæ consistit in Deo. Historicam etiam continent totius veteris testamenti narrationē. Adeò verum est Psalmorum librum, ex Augustino, thesaurum esse, ex Basilio, promptuarium omnis bonę doctrinæ, ex glossa consummationem totius theologicæ paginæ; cùm partim moralem, partim dogmaticam, aliquando historialem, interdum propheticam contineat materiam; ratione quarum ad omnes scripturæ partes facile reduci possunt; licet Hebræi illos conijciant in hagiographa, quæ veluti de sanctis rebus à sanctis viris prodita sunt. Quid præter dicta veluti ad litteralem Psalmorum sensum pertinentia, iuxta anagogen sensum moralem, & allegoricum significent Psalmus, canticum, ode, Psalterium, & alia plura ad hunc librum spectantia, vide Euthymium in præfat. Psalm. Basilium in Psal. 29. Augustinum in Psalmum 42. Item de mystico 150. Psalmorum numero Petrum Bongum.

Vt de numero, ordine, ac diuisione Psalmorum breuiter aliquid dicamus; circa primùm notandum est Septuaginta interpretes vnum addere Psalmum supra centesimum quinquagesimum, quando Dauid monomachiam inijt cũ Goliath, cuius præter Athanasium in Synopsi nemo meminit, & incipit: *Paruus eram in fratribus meis &c.* verum dicendum est carere auctoritate canonica, cum in editione vulgata Latina, quæ sola authentica est, iuxta decretum Cõcilij Tridentini, constet liber Psalmorum ex centum & quinquaginta dumtaxat; in quo etiam numero concordant Hebræi, licet dissideant in aliquorum distinctione, qui ab alijs non distinguntur, & coniunctione, quos non coniungunt alij. Qua de re legendus est Genebrardus in Psal. 9. ad vers. 23. Quod pertinet ad ordinem, in his non videtur quærendus magis anxiè, quàm in alijs sacræ Scripturæ libris. Nam epistolæ D. Pauli non habent dispositionem tẽporis, non quæ Catholicæ dicuntur, nõ Euangelia: Historia etiam Iob statuitur post pentatheucum, & alios plures libros, cum tamen res contineat antiquiores. Circa tertium autem duo sunt considerand, primũ spectat ad totius operis, siue Psalmorũ omnium diuisionẽ, secundum ad singulorum Psalmorum partitionem in specie. Quantum ad primum, diuiserunt aliqui Psalmos in quinque libros, primum, à principio vsque ad Psalmum 40. Secundum, à 40. vsque ad 71.

ad 71. tertium, à 71. vſque ad 88. quartum, ab 88. vſque ad 105. quintum, à 105. vſque ad 150. Cuius diuiſionis meminerunt Hilarius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Niſſenus, Epiphanius, duoque vltimi in illam propendent, & indè colligunt, quia toties reperiatur in Pſalmis hæc clauſula *fiat fiat*, pro qua in Hebræo legitur, *Amen Amen*. Quæ tamen coniectura parum efficit pro quinque libris, cùm illud *Amen*, inquit Hieronymus epiſtol. 134. non occupet ſemper finem, ſed aliquando in principio ſermonis collocetur, vel in medio libri; vndè cum communiori ſententia dicendum eſt vnicum eſſe Pſalmorum librum, cui fauet tùm Hebræa, & Latina inſcriptio *Sepher Thehillim, liber Pſalmorum*; tùm receptus ab Eccleſia numerus viginti duorum librorum tantùm veteris teſtamenti, iuxta numerum litterarum Alphabeti Hebraici, vt meminit Hieronymus loco ſtatim citato; tùm denique, quia Lucæ 20. 42. & Actor. 1. & 7. citatur numero ſingulari *liber Pſalmorum*. *Sed nos*, inquit Hilarius in prol. Pſalm. *ſecundum Apoſtolicam authoritatem, librum Pſalmorum & nuncupamus & ſcribimus. Ita enim in Actis Apoſtolorum dictum meminimus: ſcriptũ eſt enim in libro Pſalmorum: fiat domus eius deſerta, & epiſcopatum eius accipiat alter. Ergo neque ſecundum quoſdam Hebræos, quinque libri, neque ſecundum plurimorũ ſimplicitatem, Pſalmi Dauid dicendi ſunt: ſed ſecundum Apoſtolicam authoritatem, liber Pſalmorum eſſe noſcendus eſt.*

Idem docet S. Hieronymus in Epiſtola ad Sophronium: *Scio quoſdam putare*, ait, *Pſalterium in quinque libros eſſe diuiſum, vt vbicumque apud Septuaginta Interpretes ſcriptum eſt, fiat fiat, finis librorũ ſit, pro quo in Hebræo legitur, Amen Amen. Nos autem Hebræorum authoritatem ſecuti, & maximè Apoſtolorum, qui ſemper in nouo teſtamento, Pſalmorum librum nominant, vnum aſſerimus Pſalmorum volumen.* Quæ ſententia ipſa etiam probatur ab Auguſtino in Pſalm. 150. Hoc tamen non impedit, quin admitti poſſit per modum ſubdiuiſionis prædicta in libros quinque ſectio, ſicut & aliæ, quas afferunt SS. Patres & ſacri interpretes pro diuerſo ſtatu hominum, vel affectibus animi, vel ſcripturæ vtilitatibus, vel diuerſitate materiæ, de quibus vide Agellium, nec non de minutiori in decem veluti chordas Pſalmorum diuiſione.

Quantùm iam ad ſingulorum Pſalmorum partitionem in ſpecie, quidquid ſit de ea aliorum librorum Sanctorum diuiſione in capita, & verſiculos, de qua agemus infra cap. 89. poſito, Pſalmos carmine compoſitos fuiſſe, non poteſt ambigi, ex verſibus quoque conſtare. Quia tamen intercidit nobis ratio Poëtica, quam adhibuerunt ſacri Scriptores, nec ſi metiamur verſiculos vt nunc extant, eadem vel quantitas, vel numerus in omnibus deprehenditur, nihil de hoc certi ſtatui poteſt: imo videmus, aliam ſectionem eſſe in textu Bibliorum appoſitis notis numerorum, aliam in Eccleſiaſtico officio, aliam in tranſlatione Hieronymi, aliam in Pſalterio, quo vtimur, aliam in Romano, vel Ambroſiano: de quibus vide Lorinum præfatione in Pſalmos cap. 8. & 13.

Supereſt vt breuiter agamus de editione Pſalmorum Latina; circa quam D. Hieronymus quater laborauit. Tranſtulit enim primùm Pſalmos, petente Sophronio, immediatè ex Hebraico puro fonte; item ex pura, & Græca editione Septuaginta, vt habebatur in Exaplis Origenis: denique bis emendauit antiquam editionem Latinam, quæ facta iam fuerat ab antiquo Interprete, ex editione Græca communi & vulgata S. Luciani Martyris. Quas editiones, cùm diuerſæ poſtea receperint Eccleſiæ, vt notat Ludouicus de Tena lib. 1. Iſagoge S. Script. difficult. 6. indè etiam pro illarum diuerſitate Romani, Gallici, Gottici, vel Hiſpanici Pſalterij nomina prouenerunt. Licet autem aliqui putent, Bannes 1. p. queſt. 1. artic. 8. Pſalterium Vulgatæ editionis Latinæ eſſe idem cũ eo, quod apud Septuaginta habetur, ſiue

quod

quod ex Græco Septuaginta transtulit Hieronymus; longe tamen probabilius est ab illo differre, esseque illud Latinum antiquum, quod iam tempore Diui Hieronymi extabat, traductum ex Græca editione Luciani Martyris, quodque postea emendauit Hieronymus; & esse diuersum ab eo, quod ex Græco Septuaginta transtulit, affirmat Epistola ad Suniam, & Fretellam, dicens: *Sciatis aliam esse editionem, quam Origenes, & Cæsariensis Eusebius, omnesque Græci tractatores communem appellant atque Vulgatam, aliam Septuaginta Interpretum, scilicet, à me versam in Latinum sermonem.* Sed de hoc redibit sermo infra cap. 86. nunc videndum esset, quid in Editione Vulgata Latina reprehendant Hæretici, tanquam corruptum, & deprauatum; verùm quia diligenter hoc idem præstiterunt Guillelmus Lindanus in libris de optimo genere interpretandi; Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 13. Dominicus Grauina lib. 4. de sacrorum Bibliorum versione, ad illos remittimus lectorem, cum nimis longum esset hic velle singula loca prosequi, & examinare.

CAPVT XXXV.

De Libro Prouerbiorum.

CVm in alium ferè finem, neque lex ipsa Dei populo tùm seuerè præcepta, neque historiæ sacræ exempla ita diligenter inculcata, neque etiã diuinæ laudes adeò copiosè, tantaque cum maiestate decantandæ fuerint, propositæ, quàm vt ex illis generalia quędam benè beatèque viuendi colligerentur quasi præcepta, & regulæ, quæ dictorum factorumque omnium diuinas continent rationes, quas legum animam dicere possumus; postquam in superioribus Bibliorum libris de legum veluti corpore actum est, recto ordine de earundem anima tractatur, scilicet rationes, quam diuina præscribit Philosophia, in sequentibus Prouerbiorum, Ecclesiastes, Cantici Canticorum, Sapientiæ & Ecclesiastici libris contenta, quorum præcepta pertinent ad Philosophiã Moralem, naturalem & Theoricam siue contemplatiuam, ad iudicia instruenda, populique vniuersi institutioné: vt proinde Maiores nostri rectè hos libros Sapientiales appellauerint. Quia tamen qui sapientiam comparare desiderat, eum ab eruditione morali incipere oportet, & intelligere illud quod scriptum est; Concupisti Sapientiam? serua mandata, & Dominus eam dabit tibi. Ob hoc, inquit Origen. in prolog. ad Cantic. Magister hic, qui primus homines diuinam Philosophiam docet, operis sui exordium Prouerbiorum posuit libellum, in quo moralis traditur locus.

Quantùm ad huius libri authoritatem; præter quosdam hæreticos apud Iacobum Christopolitanum præfat. comment. in Cantica, omnes Salomonis libros eo titulo explodentes, quod eorum author Salomon propter impurum alienigenarum amorem, & idolatriam afflatu Spiritus Sancti caruerit; Prouerbiorum librum in specie primus oppugnasse videtur Theodorus Mopsuestenus Episcopus, qui solitaria ac monastica vita relicta, cùm lapsus deinde in cænum luxuriæ esset, ex quo frustra eũ extrahere fategit S. Chrisostomus epist. ad Theodorum lapsum; nec ferre posset graues Salomonis sententias, & correptiones, præsertim Luxuriæ, quas c. 6. 7. & deinceps sæpius interserit, dicere non est veritus; Salomonem cum Prouerbia & Ecclesiasten scriberet, Prophetiæ gratiam non accepisse, sed tantùm prudentia humana ea dictasse, vti refertur & damnatur in Synodo V. Constantinop. act. 4. Nihilominus tamen hunc librum dictatum fuisse à Spiritu Sancto, ac consequenter illum continere veritatem diuinam, atque obtinere canonicam S. Scripturæ authoritatem, apud omnes tùm Hebræos, quàm Græcos & Latinos orthodoxos in confesso est, tùm ex traditione Ecclesiæ illum consignante, tùm quia in nouo Testamento plura eius citantur

tantur testimonia & loca; quibus etiam vsi sunt Patres omnes, illisque explicandis, & illustrandis commentarios ediderunt, tanquam sacris, ac diuinitus inspiratis; de quibus vide Iustinianum in Indice Vniuersali, & Cornelium à Lapide in prolegomenis ad hunc librum.

Circa authorem huius libri, Lyranus, Vatablus & alij nonnulli putant, eius quidem sententias à Salomone dictas, vel dictatas fuisse, sed vario & promiscuo ordine: quo circa eas ab alio quopiam in vnum hac serie, & ordine, quo iam in hoc libro extant esse congestas, & digestas. Nihilominus tamen dicendum est primò longè probabilius esse, quod non tantum Salomon immediatè prouerbia scripserit, vel certè scribæ ea excipienti dictauerit, vt ipsemet disertè asserit Ecclesiastes cap. 12. vers. 9. docentque communiter Patres, sed quod insuper illa hoc ordine, quo nunc extant digesserit; id enim rerum & sententiarum inter se connexio, & quasi contesseratio exigere videtur, saltem ab initio libri vsque ad caput 10. post quod non cernitur ille nexus & ordo. Vnde secundò dico prouerbia siue parabolas Salomonis ita fuisse ab eo primum scriptas, vel eo dictante ab aliquo suo amanuensi exceptas, vt tamen quædam illarum non à Salomone, sed à posteris fuerint huc traductæ, suoque ordine dispositæ: vt cõstat ex titulo cap. 25. & seq. vbi dicitur: *Ita quoque parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ regis Iuda*. Illa enim particula *quoque* refertur ad ipsas parabolas, non ad earum ordinem, quasi quæ etiam cap. 25. antecedunt, non à Salomone, sed ab alijs fuerint collectæ, & suo ordine dispositæ, vt volebat prima sententia; prædicta, inquam, particula melius refertur ad ipsas parabolas, q. d. huc vsque fuere parabolæ Salomonis, quæ sequuntur eiusdem sunt; at non ab ipso Salomone, sed à viris Ezechiæ huc ordine eo, quem cernis, traductæ & translatæ.

Communis namque interpretum sententia est, sequentes Parabolas ante Ezechiam non fuisse copulatas præcedentibus, sed in alia membrana, & fortè in varijs membranis & schedis fuisse conscriptas. Si quidem Hebræi non scribebant in folijs diuersis, quæ deindè in vnum volumen compinguntur, vti fit in libris modernis; sed codicem totum scribebant in vna membrana, ex vna vel multis (si liber esset longus) pellibus compaginata, quam deindè in orbem circa cylindrum conuoluebant, reuoluebant autem & explicabant cùm eam legere vellent, vti Christus reuoluit & explicuit codicem Isaiæ Lucæ 4. v. 17. Igitur cũ sequentes Parabolæ ante Ezechiam essent separatæ à præcedentibus, & in alijs schedis, vel membranis conscriptæ, curauit Ezechias vt prioribus in eadem membrana & codice, siue volumine annecterentur; vt nomen & authoritatem *Salomonis* & sacræ Scripturæ æquè ac cęteræ obtinerent. Vndè Hebręū *hetiku*, quod noster interpres vertit *transtulerunt*, verti potest, *antiquarunt*, id est antiquitate donarunt, non nouas sed antiquas genuinasque Salomonis parabolas esse testati sunt, vel *confirmarunt*, vel *adauxerunt*, *multiplicarunt*, *locupletarunt*, vel denique *roborarunt*, & *fortificarunt*, *imponendo eas*, inquit Lyranus, *in libro authentico*. Itaque antè Ezechiam liber Prouerbiorum Salomonis finiebatur in cap. 24. Ezechias verò addidit cap. 25. & sequentia. Vndè liquet hunc versiculum, siue hanc epigraphen capitis 25. non esse Salomonis, sed additam à Sobna, virisque ab Ezechia ad colligendas hasce parabolas deputatis: Habet tamen hęc Epigraphe auctoritatem canonicam, sicut & cętera à prędictis viris transcripta, & suo quęque loco, & ordine digesta; ad hoc enim sufficit, quod ea, quæ immediata reuelatione descripsit prius Salomon instinctu Spiritus Sancti, fuerint ab illis in vnum congesta; etiam si ordo scribendorum de nouo reuelatus non sit, sed solummodo astiterit Spiritus Sanctus ne errarent vnum pro alio supponendo &c.

Putant aliqui prouerbia, nec non Ecclesiasten & Cantica à Salomone Hebræo carmine & metro esse conscripta, vt mente retineri, & ore concini possent; carmina enim memoriæ facilè mandantur, quia certis numeris astringuntur. Ita censet Gregor. Nazianz. carmine 33. de germanis script. libris, dum ita canit:

Quinque metris constant; Iob, Dauid, tres Salomonis;
Concio, & insignes cantus, prouerbia sacra.

Concio, est Ecclesiastes. Quam eamdem sententiam eisdem ferè verbis repetit Amphilochius suo carmine Iambico de script. libris legendis. Et Ioannes Damascenus lib. 4. de fide cap. 18. dicens: *Tertius sacrorum librorum quinternio versibus constat, nempè Iob, Psalterium, prouerbia Salomonis, eiusdem Ecclesiastes & Canticum Canticorum.* Verùm vt capite sequenti ostendam, probabilius est hęc omnia non carmine, sed oratione soluta fuisse conscripta. Pręsertim cùm S. Hieronymus epist. ad Paulam Vrbicam censeat vltimā dumtaxat Prouerbiorum partem, scilicet cap. 31. vers. 10. vsque ad finem carmine esse conscriptam. *Prouerbia Salomonis*, inquit, *extremum claudit alphabetum, quod Tetrametro Iambico supputatur ab eo loco in quo ait; Mulierem fortem quis inueniet?*

Quia autem controuersia est inter doctores de salute & reprobatione Salomonis; item vtrum antè, vel post suum in grauissima luxuriæ & idololatriæ peccata lapsum suos composuerit libros. Etsi hoc parum referat ad sacram & Canonicam illorum authoritatem; cum Spiritus Sanctus sit verus & pręcipuus sacræ Scripturæ author, & gratia scribendi sicut & prophetandi, loquendi varijs linguis, & interpretandi, inter species gratiæ gratis datæ, & non gratum facientis annumeretur: Vndè Sanctus Augustinus varijs in locis, lib. 17. de ciuitate Dei cap. 20. lib. 3. de doctrina Christiana cap. 21. & lib. 22. contra Faustum cap. 88. in Salomonis reprobationem propendens, argumento inde facto contra librorum eius veritatem sic occurrit in Psal. 126. *Salomon erat tempore suo filius Dauid, magnus ille per quem sancta præcepta & salubria monita Spiritus Sanctus in diuinis litteris operatus est. Nam ipse Salomon mulierum amator fuit, & reprobatus est à Deo &c. Sed si illo cadente, quæ per illum dicta sunt delerentur, iudicaretur quia ipse dixerat, non quia per illum dicta erant. Optimè igitur etiam hoc egit misericordia Dei, & Spiritus eius, vt quicquid boni per Salomonem dictum est, Deo tribueretur, peccatum autem hominis homini.* Quia tamen dictatio illa, aut assistentia Spiritus Sancti, est quid occultum, & ipsis legentibus incognitum, ideoque vt scriptura apud homines facilius, & cum maiori obedientia, atque reuerentia reciperetur, conuenientissimum fuit Scriptores eius esse viros probos & sanctos, si non toto vitæ suæ tempore, aut etiam in fine illius, saltem pro tempore quo scribebant, quicquid sit de finali impœnitentia Salomonis, probabilius est imò ferè certum, ipsum priusquam caderet, amoreque mulierū captiuus teneretur, suos libros composuisse, vt colligitur ex libro 3. Reg. c. 4. & 11. & Ecclesiastici cap. 47. vbi prius de doctrina eius, quam de amoribus tractatur.

Inscribitur hic liber Hebraicè משלישלמה *Misle Salomonis*, à verbo *Masal*; Septuaginta verterunt Paroimiai Salomontos; Aquila parabolai; vti etiam Latinus noster interpres Gręca voce vsus; qui licet in textu *Parabolas* pręscribat, in titulo tamen *prouerbia* pręfigit. Tigurina vertit *sententia*. Vatablus *Apophthegmata & Gnoma*. Sed hęc omnia vnum idemque significant, vt fusius dicemus lib. 6. huius operis; quamuis tamen plures illorum sint modi, ac species, quæ omnes huic operi rectè accōmodantur, vt hic ostendunt Salasar, & Cornelius à Lapide. Quod in titulo nomen *Salomonis* addatur, non solum significat hunc librum ab eo fuisse conscriptum, aut dictatum, sed suum in-

super habet mysterium; pro quo sciendum est Regem Salomonem tria habuisse nomina; primum fuit *Salomon*, id est pacificus; quod illi mater imposuit 2. Reg. 12. *Quæ genuit filium, & vocauit nomen eius Salomon, & Dominus dilexit eum* Secundum *Iedidiah*, vulgò *Idida*, id est *amabilis Domino*; quod indidit Natham Propheta: Subdit enim: *Misitque in manu Nathan Propheta; & vocauit nomen eius Iedidiah*. Tertium est *Cohelet*, idest Ecclesiastes, quod sibi ipsi conscituit in principio libri; qui de illius nomine *Cohelet*, id est, Ecclesiastes nuncupatur. Communiter igitur Patres præmissa tria nomina; cum tribus libris à Salomone editis conuenire, ac illis veluti notari dicunt. Ita vt nomen *Salomon* Prouerbijs, *Cohelet* Ecclesiasti; *Idida* Canticis respondeat. Quorum congruentias vide apud Hieronymum in epistola ad Paulinum, & plenius in Ecclesiastes priora verba; item apud Salazar cap. 1. commentar. in Prouerbia, & Cornelium à Lapide præfat. in eumdem librum.

Quod pertinet ad huius libri materiam, & argumentum, vel vt alij dicunt scopum & finem, satis constat ex cap. 1. vers. 2. scriptum fuisse; *ad sciendam sapientiam, & disciplinam: ad intelligenda verba prudentiæ; & suscipiendam eruditionem doctrinæ, iustitiam, & iudicium, & æquitatem*. Vbi sapientia, non speculatiua sed practica intelligenda est, quæ est cognitio Dei, & vltimi finis, ac mediorum eò ducentium, puta legum diuinarum, earumdemque desiderium, pius affectus, & amor. Ita vt hic liber sit quædam summa perfectissima, numerisque omnibus absoluta Philosophiæ moralis, de singulis virtutibus, nulla prætermissa, exactè disserens, ideòque tradens non solùm Ethicam propriè dictā, sed & Oeconomicam, ac Politicam, quæ sunt Ethices genericè sumptæ tres partes & species. Instruit enim hic Salomon non tantùm priuatum, qua ratione seipsum; sed & patrem familias, qua ratione familiam; ac principem, qua ratione remp. gerere regereque debeat. Vndè vix alius inter sacræ Scripturæ libros est isto ad dicendum, ad concionandum, ad persuadendum, ad mores hominum formandos, reformandosque aptior: qua de causa eius sententijs crebro vtuntur Patres, vocaturque ab illis *Sapientia Salomonis*. Quod de alijs etiam eius libris docet Pamelius in annotationibus ad caput 16. lib. 3. S. Cypriani ad Quirinum. Quocirca Ecclesia, cùm in Missa vel officio Ecclesiastico, quidquam ex hisce libris recitat, ex libro Sapientiæ id se depromere affirmat. Adeò verùm est Salomonem in illis omnem suam sapientiam expromisse; præ qua omnis alia Gentilium, & Philosophorum sapientia vilis ac triobolaris est, vt illam appellat Chrisostomus homil. 21. in epistol. ad Ephes. propter tres illius partes, Rationalem scilicet, Naturalem, & Metaphysicam: quasi quælibet obolum tantùm valeat. Salomon enim vti ætate, & antiquitate, sic & sapientia, sententiarumque dignitate, maiestate & vtilitate longè superauit septem Græciæ sapientes, cæterosque omnes. Vndè falluntur illi, qui censent Salomonem nonnulla sua dogmata hausisse à Gentilium philosophis & sapientibus: aut ad Gentilium ritus, dicta & facta alludere; cum potius Gentiles sua à Salomone & Hebræis hauserint, vti docent Eusebius passim de præparat. Euang. S. Augustinus de ciuitate Dei, Theodorus & alij.

Ita autem secundum litteram, & eius sensum, *Prouerbiorum liber*, vt Basilij verbis vtar in principio prouerbiorum; *instructio morum est quædam, nec non animi perturbationum correctio: denique vitæ in vniuersum documentum frequentes, ac breues eorum, quæ sunt agenda, continens præceptiones*. Vndè Salomon illum scripsit non tàm Prophetico, quàm ethico & suasorio stylo; quare vt notauit Zamora lib. 1. Grammat. cap. 4. Prouerbia olim in Synagoga decantabantur voce ad suadendum composita; ita, inquā, ex prædictis secundum litteralem sensum proprium est huius libri, verùm quæ in moribus est, sapientiam docere; vt

vt tamen in eo contineantur plura ad omnes alios sensus mysticos pertinentia, Allegoricum præsertim; nam vt notat Augustinus lib. 18. de ciuitate Dei cap. 19. vbi in prouerbijs legitur viros impios dixisse. *Abscondamus in terra virum iustum iniustè &c. possessionem eius pretiosam apprehendamus*, *non ita obscurum est, vt de Christo, & possessione eius Ecclesia sine laboriosa disputatione non possit intelligi, cum in parabola Euangelica simile quid Christus dixerit. Hic est hæres, venite occidamus eum.* Quod iterum dicitur in eodem libro: *Sapientia ædificauit sibi domum, &c.* ibidem de Christo intelligi debere ostendit idem Augustinus, & in Psalm. 126. *per Salomonem salubria monita, & diuina Sacramenta Spiritum Sanctum in diuinis litteris operatum asserit*. Isidorus etiam lib. de vita & morte Sanctorum cap. 34. *Salomon*, inquit, *Sacramenta Ecclesiæ reuelauit*. Quare passim Sancti Patres Salomonem appellant Prophetam; nec solum communi aliorum prophetarum appellatione, sed præ cæteris excellenti illum dignatur Ambrosius lib. de Salomone, siue in fragmento enarrationis cap. 30. Prouerbiorum.

Circa diuisionem, vel partitionem huius libri, Lyranus diuidit in tres partes: primam, à principio vsque ad caput 10. secundam à capite 10. vsque ad cap. 25. tertiam à capite 25. vsque in finem non quod tres sint libri, sed quod tria hic inueniantur principia, & præfationes, vnum cap. 1. alterum in cap. 10. postremum in cap. 25. Secundum alios duæ sunt primariæ huius libri partes. Prior à cap. 1. vsque ad 9. continet parænesin ad sapientiam. Posterior à cap. 9. ad finem libri continet ipsa dogmata, & præcepta sapientiæ. Nam cap. 9. Sapientia instituit sacrificium, indéque sacrum epulum, quod rectè conuiuium sapientiæ nuncupatur; ac mox inducit Salomonem sapientissimum velut in hoc conuiuio præsidem, sapientiæ dogmata per varias, graues, acutas & elegantes gnomas edisserentem, & ritu conuiuiali omnibus hominibus ad hoc conuiuium inuitatis enuntiantem. Vndè hoc sapientiæ & Salomonis conuiuium imitatus est Plato in conuiuio, Plutarchus in Sympos. vbi septem Græciæ sapientes super mensam sapienter interloquentes inducit: Athenæus in Cænis sapientum, & alij passim. Quo circa Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum affirmat Platonem ex Prouerbijs, & Ecclesiaste Salomonis plura mutuatum vel suffuratum esse. De quo vide Ferdinandum Quirinum de Salazar in Isagoge comm. Prou. & Cornelium à Lapide cap. 9.

Posterior autem hæc pars in duas, vel tres alias subdiuidi potest. *Prima* enim eius pars est, à cap. 9. vsque ad 25. vbi interruptè loquitur, suaque prouerbia quasi oracula promit Salomon, vt Spiritus eloqui dabat illi sine ordine, vti fit in distichis Catonis, P. Syri, aliorumque veterum Gnomologorum. Vnde Hugo ad cap. 10. *Hoc caput*, inquit, *æquè ac sequentia, vsque ad 25. tot habet partes quot parabolas*; quare hic connexio non est quærenda, nec capita in certas sectiones diuidi queunt. *Secunda* pars est à cap. 25. vsque ad 30. vbi ponuntur Parabolæ prius quidem à Salomone scriptæ, vel ab ore eius in membranis & schedulis per amanuenses exceptæ, sed longo dumtaxat tempore post, Regis Ezechiæ iussu, à viris eius congestæ & digestæ, vt iam notauimus supra. Tertia à cap. 30. ad finem elegantissima, & pulcherrima, æquè ac difficillima & obscurissima complectitur ænigmata, & gryphos insignes *Congregantis filij Vomentis* hoc est, vt habetur in Hebræo, Agur filij Iake, ac Lamuelis regis. Quocirca Salazar loco superius citato putat, Salomonem in hoc sapientiæ conuiuio, tres induxisse interlocutores, nimirum ipsum Salomonem, Agur, & Lamuelem, ideoque in versione Septuaginta, vt statim notabimus, verba Agur, & Lamuelis poni post cap. 4. quasi hi interloquātur, eisque suas loquendi vices det Salomon: quibus absolutis ipse suas resumat, sermonemque prosequatur vsque ad finem libri. Verum Cornelius à Lapide omnia quæ hoc libro continentur

etiam

etiam verba Lamuelis cap. 31. vult esse ipsius Salomonis, etsi ibidem, vti & alias subinde, matrem loquentem, & se puerum docentem inducat. De solo cap. 30. cum magis dubitari posset an sit Agur, an Salomonis; docet etiam nec Agurem ibidem vt interlocutorem, velut in dialogo, sed vt celebrem illo æuo sapientiæ per ænigmata doctorem introduci. Denique in Aguris persona loqui ipsum Salomonem. Hinc sequitur non solùm in singulis huiusce libri sententijs frustra quæri ordinem, aut connexionem aliquam, vt iam notauimus, sed etiam in toto illarum cumulo; nisi quod omnes simul sumptæ, & conglobatæ cunctas moralis doctrinæ partes absolutissimè tradunt, vt dictum est supra.

Vltimo loco notandum est circa huius libri versionem, vertisse quidem illum ex Hebræo S. Hieronymum eiusque versionem esse eam, quam habemus in Latina vulgata. Verum quia tunc vsitata, & toto orbe recepta erat versio Septuaginta interpretum; hinc ne eam prorsus mutare velle videretur S. Hieronymus, in eamdem, etsi ab Hebræo discrepantem, sæpè declinat; qua de causa nostra versio non per omnia exactè & ad amussim respondet Hebręo, sed ab eo subindè in Græcum deflectit: in quo Septuaginta subinde nonnulla addiderunt, quæ modò non sunt in Hebræo, siue quia illorum ętate ea extabant in Hebræo, siue quod ipsi explicationis gratia nonnulla addiderint, vti addiderunt illud cap. 5. vers. 2. *Ne attendas fallaciæ mulieris*; hoc enim tacitè in sequentibus intelligitur; siue quod ipsi non tantum interpretes fuerint, sed & paraphrastæ, scriptoresque hagiographi Dei spiritu acti, & afflati, vt docet S. Augustinus lib. 4. de doctrina Christ. cap. 7. & lib. 1. de consensu Euang. cap. 66. vndè potuerunt eius instinctu dictare sententias nõnullas, quę licet in Hebręo non reperiantur, auctoritatem nihilominus habent Scripturæ Canonicæ, atque vt tales eas recepit, & probauit Ecclesia. Siuè tandem quod sententię nonnullæ ex vno loco in alium translatæ sint, vel ab ipsis Septuaginta, vel ab eorumdem collectoribus. Hanc autem diuersitatem, siue quę sententię extent in Hebręo, quæ non, facilè est discernere in editione vulgata pręsertim à cap. 10. vsque ad finem Prouerbiorum; illæ enim quibus sigillatim numerus in margine, ad indicandum ordinem versus, præponitur, extant in Hebræo; illæ vero quibus proprius non præfigitur aut præponitur numerus, sed numero versus præcedentis ascribuntur non extant in Hebræo, sed in Græco, vt cap. 10. versus annexus versui 4. *Qui nititur mendacijs, hic pascit ventos*, non extat in Hebræo, quia caret numero, & sic deinceps. Vndè satis patet versionem vulgatam S. Hieronymi non esse puram putam ex Hebræo, sed nonnulla ex Gręcis addita, & descripta, ne quid minus ijs haberemus, siue ab ipso S. Hieronymo, siue aliquo alio. Videamus iam quid contra illam obijciant Hæretici.

Cap. 3. vers. 32. vbi vulgata habet, *Et cum simplicibus sermocinatio eius*; dicunt clarius verti potuisse ex Hebræo, *& cum simplicibus secretum eius*. Hebraicè enim *Sodo* propriè significat secretum arcanum, ibique sapiens vult denotare Deum non tantùm loqui, sed sua etiam secreta manifestare simplicibus, hoc est humilibus iuxta illud Matth. 11. *Et reuelasti ea paruulis*. Respondetur primò, concesso quod ita melius verti potuerit, vt intendit obiectio; non tamen indè sequi, quòd vulgata Latina malè aut falsò verterit vt dicemus infra cap. 89. Secundò dico vtramque lectionem eumdem facere sensum.

Cap. 13. vers. 22. in vulgata legitur: *Qui parcit virgæ odit filium suum: qui autem diligit illum instanter erudit*: cum possit ex Hebræo significantius verti, *eum manè*, id est ab infantia sua erudit. Respõdetur pariter vtroque modo, ęquè bene exprimi verum, ac legitimum scripturæ sensum, docentis, quod qui verè & cordatè diligit filium, hic eum manè, id est à pueritia, vel instanter, quasi statim à prima ætate erudit.

Cap. 16. vers. 11. reprehendit Hunnius multis annis in Vulgata lectum fuisse;

Et

Et opera eius omnes lapides sæculi; cùm legendum esset, *lapides sacculi*, iuxta Hebræum. Respondetur, errore quidem Scribarum, in aliquibus Vulgatæ editionis codicibus aliquando lectum fuisse, *lapides sæculi*; sed iam ille locus à mendis restitutus est ex correctione Sixti V. & Clementis VIII. legiturque, *lapides sacculi*, id est, pondera, antiqui enim designabant pondera lapillis, ideoque lapides pro pondere accipiuntur; additur sacculi, quia solebant asseruari in sacculis.

Cap. 18. vers. 19. in Latina vulgata dicitur: *Frater qui adiuuatur à fatre, quasi ciuitas firma*: cum tamen ex Hebræo contrario modo legi deberet: nam pro *qui adiuuatur* hebraicè habetur *Nipsca* id est præuaricans, deficiens, rebellans, offensus, læsus: Relictis varijs responsionibus, de quibus videri possunt interpretes; Respondetur eũdem esse vtriusque lectionis sensum: etsi enim Aquila & R. Leui legentes *nipsca* per *schin* verterint, *offensus læsus*, tamen ad sensum nostræ vulgatæ sic suam versionem accommodant: *Licet frater fratris defectione petitus, & offensus sit, est tamen illi vtilior, quam vrbs munita, opportuno necessitatis tempore opem ferens, fratremque seruans: neque verò, tunc illi defectionis crimen obijciet, cum eadem corporis concretione, vterque constet*. Vel etiam idem sensus exprimitur, quatenus in Vulgata ostenditur inexpugnabilitas fraterna, quasi ciuitas firma; in hebræo autem inexpugnabilitas fratris rebellis, vel offensi in fratrem ex pertinacia, vt faciliùs sit ciuitatem fortem flecti, quam animum fratris rebellis, & offensi.

Ratio huius diuersę lectionis videtur esse, quia noster Interpres legit non *nipsca* per schin, vt fortè in Hebræo corruptè legitur propter litterarum affinitatem, sic enim idem est quod *rebellans*; sed *nipsa* per *sin*, id est incedens, inambulans, q. d. frater cum fratre fraterne incedens, & inambulans (ideoque eum adiuuans, & protegens) est ei loco ciuitatis firmæ. Quomodo non temere legisse, & vertisse nostrum patet ex Syro, qui pari modo legit & vertit, *frater qui adiuuatur à fratre suo, est quasi vrbs firma*; & ex Septuaginta: *frater à fratre adiutus, quasi vrbs munita & excelsa*. & S. Cypriano epist. 14. *frater fratrem adiuuans exaltabitur sicut ciuitas magna*: cuius causam subdit: *quòd munimentum animæ dimicanti fraterna compassio ferat, varijsque mentis afflictæ pulsibus quasi murus obsistat*.

Cap. 26. vers. 4. legitur: *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis*: statim verò sibi contradicit versu sequenti: *Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur*. Respondetur has duas sententias sibi in speciem contrarias faciłè conciliari, & explicari posse. Prima enim vetat responsionem iuxta stultitiam, nimirùm ne respondeas stultè, sicut ipse stultus, ne efficiaris ei similis. Secunda autem iubet respondere iuxta stultitiam nimirum, vt mereatur eius stultitia: vnde Græcus vertit: cata ton, & pros ton aprosinin. Siue quod idem est, significatur, tempus esse quando non oportet stulto respondere iuxta stultitiam suam, cum scilicet, si ei loquenti stulta, stulta respõdeas, eum eo stultescere videberis, vel stultitię notam apud prudentes incurres. Est rursum tempus quando oportet stulto respondere iuxta stultitiam suam, cum scilicet ille insolescit, & sibi videtur prę alijs sapere: tunc enim retundenda est stulta hæc eius præsumptio, ne sibi & audientibus noceat, idque faciendum respondendo ei *iuxta stultitiam suam*, id est stultitiam eius stultitiâ castigando. Ita Cornelius à Lapide, qui alias plures huius sententiæ adducit explicationes, & conciliationes.

CAPVT XXXVI.

De Libro Ecclesiastes.

Exceptis pauculis hæreticis, quos sine nomine recenset Philast. her. 132. & Iacobus Christopolitanus præfat. in

in Cantic. vt superiori capite iam notauimus; pro diuina & canonica huius libri authoritate habemus vnanimem Hebræorum, æquè ac Græcorum, & Latinorum consensum; nec vnquam de hac re dubitatum est: vnde semper recensitus est inter libros protocanonicos tanquam Canonicus primæ classis. Id patet ex Canon. Apostol. can. vltimo, ex Concilio Laodiceno, Carthaginensi III. Florentino, & Tridentino sess. 4. S. Athanasio, S. Augustino, S. Hieronymo in prologo Galeato, Innocentio I. Gelasio, & cęteris, qui catalogum librorum Canonicorum texuere: vt omittam interpretes, qui in hunc librum commentati sūt, tam veteres, quam Neotericos; quos ad sexaginta numerat Fabianus Iustinianus in calce indicis sui vniuersalis: & ex ipso Pineda, & Cornelius à lapide præfat. in hunc librum.

Cum indubitata fide certum sit Salomonem fuisse libri huius *Auctorem*; id est earum sententiarum, quæ hoc libro continentur, primum ac proximum pronuntiatorem, & declamatorem ad populum, sicut & prouerbiorum, atque Cantici inuentorem, compositorem, & enarratorem, vt pluribus ostendit Pineda præfat. in Ecclesiast. cap. 1. De *Scriptore*, tamen, aut *Collectore* dubium est, an idem fuerit, qui *Author*, id est an Salomon suam ipse concionem non solùm pronuntiauerit, sed etiam conscripserit. Plurimorum enim sententia est negantium, quamuis non eadem ratione. Nihilominus multò probabilius est Salomonis Ecclesiasten non ab alio, quàm ab ipso Salomone proximè fuisse aut dictatum, aut certè conscriptum, suoque ordine compositum atque dispositum; adeò vt tam viua voce, quàm scripto docuerit populum; perinde vt Dauid pater eius Psalmos, & ore cecinit, & calamo conscripsit, ac posteritati consignauit. Ita censent passim Doctores, & interpretes: videturque colligi primo ex ipso libri initio: *Verba Ecclesiastæ, filij Dauid, Regis Hierusalem*; quod non esse titulum, sed primam ipsius capitis sententiam, communiter docent Interpretes. Secundò ex cap. 12. vbi de se Salomon loquens in tertia persona ait: *Ecclesiastes, cum esset sapientissimus, docuit populum, & enarrauit quæ fecerat; quæsiuit verba vtilia, & conscripsit sermones rectissimos*, quod de ipso eodem libro Ecclesiastæ satis patet intelligi debere. Tertiò, quia passim Salomon hic de se loquitur in prima persona, dicens: *Ego Ecclesiastes fui rex; vidi, consideraui, locutus sum, reputaui*, &c.

Putant nonnulli moderni, Hebræorum traditionem secuti, inter quos Pineda tàm in Salomone præuio lib. 8. cap. 1. quam in præfat. Eccles. cap. 3. Salomonem hunc librum scripsisse pœnitentem, cum scilicet de luxuria, & idololatria sua pænituit, adeoque ex hoc libro probant eum pęnitentiam egisse. Nihilominus Bellarminus, Cornelius à Lapide, aliijque plures probabilius censent Salomonem ante lapsum tres Prouerbiorum, Ecclesiastes, Cantici Canticorum libros scripsisse. Tum, quia ipse nullam in ijs lapsus sui facit mentionem, imo potius contrarium asserit, dum cap. 2. dicit, vsque ad eam ætatem secum perseuerasse sapientiam. *Et supergressus sum opibus*, inquit, *omnes qui ante me fuerunt in Hierusalem, Sapientia quoque perseuerauit mecum*. Tum etiam quia nullum prorsus idololatrię aut pœnitentiæ suæ dat indicium: quod enim per *Vanitas vanitatum*, non intelligat idola, & idololatriam, patet ex sequentibus totoque libro, vbi vanitatem hanc genericam per species explicans, ostendit eam sitam in opibus, delitijs, honoribus, cantibus, poculis, &c. Nec idoli, aut idololatriæ vspiam meminit; quod tamen facere debuisset, si de ea verè pœnituisset, vt eius scandalum, & prauum exemplum quod subditis dederat, aboleret. Quo tamen precisè ante lapsū tēpore suos scripserit libros Salomon nihil certi statui potest.

Circa stylum huius libri, iam superiori capite notauimus, aliquos docuisse, Ecclesiasten, æquè ac Prouerbia, & Cantica, Hebræo carmine, & metro fuisse conscripta. Verùm cum in Ecclesiaste

Salo-

Salomon agat concionatorem, melius alij censent non metro, sed oratione soluta eum scripsisse. Quia tamen subinde plures immiscet sententias acutas & argutas æquè ac breues & concinnas, qualia solent esse carmina, & metra, hinc præ alijs omnibus Scripturæ libris, generali quadam acceptione, tam Prouerbia, quã Ecclesiastes poeticum opus nuncupari posse videntur. Vel etiam quia hi libri referti sunt elegantibus parabolis, similitudinibus, ænigmatibus, & alijs huiusmodi, quæ quid vatidicum & diuinum resonant, ac plus significant, quam prima fronte ostentant. De methodo autem, siue ratione compositionis huius libri, idem iudicium ferendum puto, ac de libro Prouerbiorum, quo ad ordinem siue nexum sententiarum, videlicet minus exquisitum esse; pro vt re vera postulat ipse concionandi ardor, & in concionatore impetus dicendi vehementior, cuius in hoc libro partes agit Salomon.

Cum prima huius libri sententia sit, *Verba Ecclesiastæ, filij David*, &c. indè etiam desumptus est illius titulus, & nomenclatura, vt Hebraicè vocetur *Cohelet* indeque Latinè *Ecclesiastes*; quod nomen stolidè improbat Lutherus in Colloq. conuiu. contendens omninò rectius hunc librum *Politica*, vel *Oeconomica* Salomonis, quam *Ecclesiasten* appellari debere, hac enim in re toti Ecclesiæ, patribusque omnibus, qui eum Ecclesiasten vocauere, manifestè contradicit. Cur autem Salomon hic Hebr. vocetur *Cohelet*, Grecè indeque Latinè *Ecclesiastes*, id est congregator & concionator, plures ad hunc locum rationes adducunt interpretes, quarũ magis genuina ex S. Athanasio in Synopsi, Salon. S. Gregor. lib. 4. dialog. cap. 4. Bonauent. & alijs videtur esse, quod populi cętum conuocans, ad illum concionatus sit de vanitate rerum mundanarum, deque veritate virtutis & timoris Dei, quodque eandem concionem scriptis mandans ad vniuersam Ecclesiam sæculorum omnium transmiserit. Similiter cur hoc nomen *Cohelet*, cum sit masculinum, vt optimè probat Cornelius à Lapide, habeat tamen puncta, formam, & terminationem fæmininam, puta Benoni, siue participij fæmimini in *Cal* variæ à varijs afferuntur causę, quæ apud præfatum authorem, & alios interpretes videri possunt.

Circa huius libri materiam, vel argumentum duo sunt diuersa doctorum placita, aliqui enim cum veteribus tres Salomonis libros ita materia, & argumento distinguunt, vt in prouerbijs existiment tractari *Ethicam*, in Ecclesiaste *Physicam*, in Canticis *Theologiam*, vel vt loquitur Olympiodorus initio Catenæ in Prouerb. *Hyperphisicam*. Alij volunt librum hunc Ethicum esse. Sed istę duæ sententię facilè possunt ad concordiam reuocari, si dicatur, & Physicum, & Ethicum, siue moralem esse; Physicum, quatenus, etsi alij Salomonis libri multis rerum physicarum proprietatibus, ex quibus Parabolæ ducuntur, referti sint, nullus tamen præcipuarum mundi partium Cæli, Solis, Elementorum, terræ, maris, aeris naturas & mutationes, tam presse, & tam clarè docuit: vt meritò dixerit Eusebius 11. de præparat. cap. 5. ipso libri initio ostendisse Ecclesiasten, *fluentem corporum substantiam*, quod quidem est scientiæ Physicę subiectum, videlicet corpus generabile, corruptibile, naturale, atque mutationi obnoxium; Ethicus autem, vel moralis dicendus est ratione finis; Physica enim tangit in ordine ad Ethicam, dum ex rerum naturalium motu, mutatione, interitu ostendit earum vanitatem; ac consequenter vanos pariter esse homines, qui illis inhiant, secus quam ipsa recta ratio dictet. Vt propterea iuxta secundam sententiam, præcipuum huius libri argumentum, præcipuusque finis rectè dici possit institutio hominis in ordine ad vltimum finem, summumque bonum, in quo sita est hominis fælicitas.

Iacobus Episcopus Christopolitanus Procœmio in Cantic. velle videtur, hunc librum, atque adeò cęteros omnes Salomonis esse Parabolicos: quippe aliud sonent voces, aliud re vera significe-

ficetur. Sed in hac re cùm certum sit tùm alios sacros Prophetarum libros, tùm pręcipuè omnes Salomonicos plenos esse pulcherrimis similitudinibus, artificiosissimis parabolis, Aenigmatibus difficillimis; tamen non esse totum Ecclesiastes librum parabolicum, quale est Canticum Canticorũ sub perpetua quadam Allegoria, perindè certum est; resque ipsa apertè demonstrat: Ecclesiasticæ enim & popularis concionis ratio omnino postulabat, vt multa simplici, & aperta oratione dicerentur. Cùm autem superiori capite dixerimus Salomonem verè Prophetam fuisse, difficultas est, an etiam in Ecclesiaste prophetarit, siue quod idem est, an liber hic sit Propheticus, negant enim aliqui, quasi solus huius libri scopus ac finis sit, docere veram sapientiam; scilicet qua secernamus vanitatem à veritate vltimi finis; sed Augustinus lib. 17. de ciuitate Dei cap.20. disertè docet, *Salomonem in tribus suis libris prophetasse*. Sic cap.2.v.24. cum ait: *Nonne melius est comedere & bibere &c.* volunt aliqui id propheticè de Eucharistia dictum fuisse: & cap. 10. cum dicitur; *Væ tibi terra cuius rex puer est &c. & beata terra cuius rex nobilis est. Id prophetauit*, inquit Augustinus, *quod pertinet ad ciuitates duas; vnam diaboli, & alteram Christi, & earum reges diabolum & Christum*. Capite 12. de extremo Iudicio, cum ait: *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium*. & de Sanctorum Beatitudine; *Quid amplius habet homo sub Sole?* quod ideo dictum vult Augustinus lib.20.de ciuitate Dei cap.3. *Vt desideraremus vitam illam, quæ vanitatem non habet sub Sole, sed veritatem sub illo, qui est supra Solem*.

Quantùm iam ad ordinem temporis & editionis huius libri ad alios Salomonis, tot sunt, quot esse potuerunt, variantes sententiæ. Volunt enim aliqui Ecclesiasten vltimum fuisse librorum Salomonis, quando ad vitæ exitum pœnitentiam egit. Alij verò, vt Pineda præfat. in Eccles.cap.4. docent Salomonem post pœnitentiam, vt eam testaretur, primò scripsisse Ecclesiasten, deinde Prouerbia, ac vltimo loco Canticum Canticorum. Sed probabilior est tertia sententia, quæ hunc temporis ordinem petit, ex ipsa horum librorum materia: etsi enim ordo materiæ non sit necessario nexus cum ordine temporis, variæ si quidem circumstantiæ, atque rerum opportunitates variam etiam scribendi materiam subministrare possunt, vbi tamen nihil habetur in contrarium, verosimilius est scriptorem eumdem omnino in scribendo ordinem seruasse, quem argumenta & materiæ necessariò habent inter se. Cum igitur ordo materiæ librorum Salomonis hic sit, vt in Prouerbijs instituat puerũ, eumque doceat prima & communia Ethices, morumque honestiorum rudimenta. In Ecclesiaste informet iuuenem proficientem, eumque à terrena vanitate ad cælestem veritatem traducat. In Canticis doceat virum perfectum vnire se Deo, vt illi totus per amorem & contemplationem inhęreat: in eoque conquiescat, ex cõmuni Patrum Gręcorum atque Latinorum sententia, hinc primum locum dant Prouerbijs, secundum Ecclesiastæ, tertium Cantico.

Quænam huius libri sit partitio, quæ & quot partes, non eadem est omnium sententia. Primò enim Hugo Victorinus, & post eum Richardus lib.3. super Apocalipsin p.2.cap.7. ex diuisione *Vanitatis*, de qua agitur, totius libri diuisionem in tres partes constituunt: nam in ijs, quæ facta sunt propter hominem, inest *Vanitas mutabilitatis*; in ipso autem homine, *Vanitas mortalitatis*; In ijs quę fiunt ab homine, *Vanitas curiositatis*. Secundò Lyranus, & ex illo Georgius Ederus in sua Bibliorum Oeconomia minutius hunc librũ sic diuidit per singula capita, vt in illo totidem ferè vanitates recenseantur, nimirum in cap. 1. immoderatum sciendi studium: in 2. appetitus delitiarum: in 3. vitæ longioris desiderium: in 4. & 5. ambitio authoritatis, præeminentiæ atque dominij: in parte cap.5. & in 6. per totum cupiditas diui-

diuitiarum: in 7. ars diuinandi, seu futurorum præscientia: in 8. venatio laudis & famæ: in 9. fortunæ consectatio: in parte noni & in 10. toto corporis robur: in vndecimo & 12. specimen ætatis floridæ. Aliam adhuc diuisionem in particulas nonaginta nouem longè minutiorem tradit quidam Dauid de Pomis citatus à Pineda præfat. in Eccles. cap.12. quanquam sine ordine, & methodo, vnde præfatus auctor illam methodice ordinauit per 56. capita. Breuius ab alijs diuiditur hic liber in duas primarias partes. Prior est à cap. 1. vsque ad 7. qua ostenditur omnes res mũdi sublunaris, quas homines vani magnas æstimant, inanes esse & vanas, ac proindè vanam esse felicitatem, quæ in ijs collocatur. Posterior à cap.7. porrigitur vsque ad finem, qua depulsa vanitate, demonstratur veritatem, veramque felicitatem sitam esse in virtute, ac Dei timore & cultu. Sed de his satis, quæ tanti momenti non sunt.

Huius autem libri cum variæ sint lectiones & translationes, de quibus videri potest Pineda loco iam citato c.13. solùm hic notabo S. Hieronymum bis transtulisse Ecclesiasten, Prouerbia, & Cantica. Primò corrigendo veterem & antiquam vulgatam editionem Latinam iuxta versionem Septuaginta, à qua manauerat. Secundò immediatè illa ex Hebræo transferendo in Latinum; vt docet ipse S. Hieronymus hic in proœmio, & lib.2. contra Ruffinum vbi sic habet: *Salomonis etiam libros, quos olim iuxta Septuag. additis obelis & asteriscis in Latinum verteram, ex Hebræo transferens, & dedicans S. Episcopis Chromatio & Heliodoro, hæc in præfatiuncula mea fine subscripsi: si cui sanè Septuag. interpretum magis editio placet, habet iam à nobis emẽdatam*. Prior ergò versio S.Hieronymi facta est ex Græco, posterior ex Hebræo iussu Damasi Pontif. quam proinde recepit Ecclesia; estque vulgata nostra editio Latina. Vtraque extat in commentario S. Hieronymi, in quo tamen non posteriorem suam interpretatur, vel modestiæ causa, vel quia noua erat; sed priorem Septuaginta vt pote veterem, & vulgatam tunc editionem, quæ à posteriori, puta à vulgata moderna satis discrepat. In qua S.Hieronymus accommodat se Septuaginta, vbi ab Hebræo nihil vel parum distant: alias sequitur Aquilam, Symmachum, & Theodotionem; sed præ omnibus Hebraicam veritatem, cuius sensum verum & genuinum, vt clarè repræsentet, subindè non verbum verbo, sed sententiam sententia quasi paraphrastice exprimit: hoc enim est munus fidelis interpretis, vt suo loco infra videbimus: superest iam vt hæreticorum obiectionibus satisfaciamus.

Obijciunt, quod videatur Ecclesiastes criminari & damnare vanitatis omnes creaturas, cap.1. v.2. vbi ait: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*: item docere æternitatem mundi, vel Pythagoricam sæculorum reuolutionem, cum ait vers.4. *terra in æternum stat*: & vers. 10. *Nihil sub Sole nouum*. Respondetur in his duobus locis longe aliam fuisse Salomonis mentem; primo enim, licet creaturæ in se veræ quidem & bonæ sint, quia tamen cum Deo creatore cõparatæ, infinitis partibus ab illo superãtur; sicut vmbram suam in immensum superat Sol, ideo vanæ & vmbraticæ rectè vocari possunt; vel etiam vanæ dicuntur creaturæ, à vanis hominum studijs, dum in ijs plus æquò desudant, nec eas ad debitum finem referunt, sed vltimum potius suum finem, omneque bonum & felicitatem Deo posthabito sibi statuunt. Secundò pariter loco neque mundi æternitatem, neque Pythagoricã reuolutionem introduxit Salomon; dùm enim ait *terra in æternum stat*; vel significat, terram non moueri, sed firmam & immotã consistere contra veteres quosdam Philosophos; vel magis genuine terram à sui creatione semper durasse, durare, & duraturam in æternum, cum generationes hominum, animalium, rerumque omnium non durent, sed vna prætereunte altera & altera continuò succedat. Hæc enim est antithesis inter gene-

generationes, de quibus dixerat: *Generatio præterit, generatio aduenit*, & terrã, quod hęc perduret, illæ verò abeant, & in terram redeant. tandem nihil sęculorum reuolutioni fauet, quod dicitur, *nihil sub Sole nouum*; non enim, vt ait Augustinus lib. 12. de ciuit. Dei cap. 13. quem sequitur S. Thomas lib. 4. contra Gentes cap. 82. eędem numero generationes, vel res genitæ redeunt, sed sibi similes aliæ in specie: omnium enim rerum genera, vel species, quæ oriuntur, vere fuerunt ante nos, nempè homines, animantia, arbusta, & hęc noua non sunt. Cornelius etiam à Lapide pręfata verba non solum refert ad opera ordinaria quæ fiunt à natura, sed etiam ab arte, intelligendo de artibus vitæ humanæ necessarijs, quibus scilicet indiget natura, quales sunt fabrilis, agricultura, mercatura, vestiaria, pistoria &c.

Cap. 2. vers. 24. vbi dicitur: *Nonne melius est comedere & bibere de laboribus suis, & ostendere animæ suæ bona*; videtur esse planè Epicureum, & voluptuarium. Respondent aliqui primo hęc & sequentia verba, dici ex sententia stultorum, qui pecuinam vitam agebant. Sed melius docent alij, dici ex mente eiusdem Salomonis, id enim nexus orationis postulat, q. d. Ego videns veritatem & stultitiam auarorum, qui corrogant opes hęredi incerto, non sibi, dico satius esse comedere & moderate vti suis bonis, nec fraudare genium suum, sed ostendere id est exhibere animæ suæ bona, id est commoda & iucunda, vt honestè genio indulgeat; hocque esse insigne Dei donũ, significatur per sequentia verba: *Et hoc de manu Dei est*: manus enim quia donationis & largitionis est instrumentum, hinc pro ipsa donatione & largitione sumitur Metonymicè.

Cap. 3. vers. 19. animam rationalem mortalem facere videtur dicendo: *Vnus interitus est hominis, & iumentorum, & æqua vtriusque conditio &c.* Nonnulli pariter censent Salomonem hic loqui non ex sua, sed insipientium persona, qui negant animæ immortalitatem; quod si loquatur ex sua mente & sensu, vt probabilius volunt alij; prædicta verba facile intelligi possunt de interitus similitudine, cum alijs animantibus, quantum ad corpus, non quantùm ad animam vt optimè demonstrat D. Thomas 1. par. quęst. 75. artic. 6. ad 1.

Cap. 9. vers. 1. vbi in editione Vulgata habetur: *Sunt iusti atque Sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo, vtrum amore an odio dignus sit.* Kemnitius & Vvitacherus volunt hunc locum esse deprauatum, vt indè probetur, inquiunt, dubitatio fidei de remissione peccatorum; nam sic habet textus Hebraicus, *& amorem & odium non est sciens homo*; Gręcus quoque, *& insuper neque amicitias, neque inimicitias scit homo.*: vnde quod hi legunt actiuè, passiuè redditum est ab interprete Vulgato. Quod verò sequitur in Vulgata: *Sed omnia in futurum seruantur incerta*; in Hebræo legitur, *omnia antè faciem eorum*; vbi videtur, quod Vulgatus hoc loco, nec enumerarit, nec expenderit verba. Respondetur Interpretem nostrum optimè vertisse non quidem numerando verba Hebraica, sed ea expendendo, & sensum eorum exprimendo, non actiuè sed passiuè.: agitur enim de amore & odio non hominum, nec creaturarum, sed Dei; si quidem de eo proximè dixit: *Opera eorum in manu Dei*: q. d. Opera nostra sunt in manu Dei; & tamen nescit homo an amore Dei, an odio sit dignus, quia scilicet Deus opera nostra manu sua certò quidem seruat, sed clausa & secreta tenet, nec qualia illa sint homini ostendit: verùm in futurum iudicium patefacienda ea reseruat: quare vsque ad illud *hominibus sunt incerta & incognita*; vel vt habet textus: *omnia in futurum seruantur incerta*; hoc enim significat, quod in Hebræo legitur: *Et omne*, vel *omnia ante eos*, vel *antè faciem eorum*; omnia videlicet opera longè antecedere hominis oculos, id est conspectum, & cognitionem, vt ea perspicere nequeat: quia scilicet in cælo, in mente

te & præscientia Dei seruantur remota & recondita. Sic Psaltes ait Psal. 138. *Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est & non potero ad eam; Intellexisti cogitationes meas de longe &c. Et omnes vias meas præuidisti*: Vide Cornelium à Lapide in hunc locum, ex quo etiam probat incertitudinem gratię cõtra hęreticos, scilicet homines iustos, de quibus solum est sermo, sciunt enim impij, se dignos odio, certò statuere non posse, dum hic viuunt, iusti ne sint, an non: ex quo sequitur, vt ignorent, vtrum odio & amore digni sint.

CAPVT XXXVII.

De libro Cantici Canticorum.

HVius quoque libri Canonicam authoritatem, etsi negarint aliqui tàm Iudæi, quàm hæretici, ex Philastrio, & Iacobo Christopolitano locis superiori capite notatis, existimantes illum non spiritu Dei veri, sed cupidinis afflatu scriptum esse, nihilque aliud eo comprehendi, quam sermones amatorios Salomonis regis, & vxoris eius, filiæ Pharaonis, vel etiam amicæ cuiusdam suæ nomine Abisag Sulamitis, id est Hierosolymitanæ, à Salem, quæ tandem Hierosolyma. De fide tamen est, hunc librum esse Canonicam scripturam Spiritu non Cupidinis, sed charitatis à Deo dictatam; vndè hic liber tàm ab Hebræis in veteri testamento, quà à Christianis in nouo semper habitus est nedum Sacer, & Canonicus, sed & Propheticus, vt patet ex Concil. Trident. Florent. Carthag. & cęteris Scriptoribus antiquis, qui catalogum librorum Canonicorum texuerunt; similiter ex Patrum doctrina, Græcorum, & Latinorũ, qui suos in hunc librum commentarios ediderunt, de quibus vide Fabianum Iustinianum in indice Vniuersali, & Cornelium à Lapide præfat. in Cantica. Notat autem Hieronymus lib. de Scriptor. Eccles. apud antiquos Hebræos in tanta veneratione, hunc librum fuisse, vt ab eis non legeretur, nisi post trigesimum ætatis annum.

Certum etiam est huius libri authorem esse Salomonem. Vnde Hebraicè titulus libri est: *Canticum Canticorum quod est Salomonis*; Et quamuis æquè certum non sit, an ante vel post lapsum illum scripserit, ob diuersas in hac re doctorum sententias; probabilior tamen est illa, qua asseritur Salomonem librum hunc effecisse antequam deprauatum esset cor eius, non quidem primo loco, vt vult Ghislerius pręfat. in Cant. cap. 2. cum purus adhuc esset adolescens; sed vltimo, & in prouectiori iam ætate, vt superiori capite notatum fuit. Porro quod Salomon in hoc libro conscribendo vt Poëtam se gesserit: quodue librũ ipsum totum carmine, atque metro exarauerit, communis est Sanctorum Patrum consensus, vt probat B. Hieronymus Prologo in lib. Iob. Attamen quodnam carminum, & quale metri genus id sit, affirmari nihil certò potest, cum nec apud peritissimos Hebręorum id constet, ratioque metrica illorum exciderit; quæ enim oratio hodie inter Hebręos coërceri pedibus dicitur, recens est, & ab alijs linguis ducta. Vnde illud tantum exploratum vnicuique esse debet, qualicumque liber iste conscriptus sit metri genere, dramaticè eum fuisse à Salomone compositum vt egregium, atque perpulchrũ drama, ex Gregor. Nazianz. orat. in dictum Euangel. Basil. super illud Isaiæ 5. *Cantabo dilecto meo canticũ dilecti mei*; Origen. homil. 1. ex duabus in Cantica, & prologo, item homil. 1. & 4. quorum sententiæ fauere videtur & ipsa Ecclesia: dùm in officio B. Mariæ, & in officio cuiuslibet alterius Sanctæ Virginis eam canit Antiphonã: *Ante thorum huius Virginis frequentate nobis dulcia cantica dramatis*; excitans fideles quosque, vt in honorem B. Virginis, quæ iam ad nuptiarum thalamum peruenit, ea frequenter concinant cantica, quæ Salomon iam multis antea sęculis in modum dramatis canẽda proposuit.

No-

Notandum est autem, drama esse vocem Græcam tantumdem significantem, atque apud Latinos, & actio, & repræsentari, à verbo dram, quod est ago, seu repræsento; vndè & Comœdiæ, & Tragœdiæ, quæ in plures actus distinctæ sunt, sicut & plures habent personas, quæ loquuntur, Dramata vocantur. Vel etiam. Drama dicitur multarũ personarum cantilena, vt in scenis agi fabula solet, vbi diuersæ introducuntur personæ, & alijs accedentibus, alijs etiã discedentibus, à diuersis, & ad diuersos textus narrationis expletur. Quia igitur in hoc Cantico inducitur Sponsa, nunc vt virgò pascens oues, nunc vt vineas colens, quæ pastori suæ sortis desponsata, eum casto amore amat, cum eoque per modum dialogi colloquitur; nec solum, sed insuper fit sermo ab ipsa spõsa, nec non etiam sponso, ad sodales vtriusque; indè rectè Drama vocari potest, non tantùm sponsale, seu nuptiale, vbi phrasi vtitur epithalamijs, & carminibus nuptialibus accommoda; verum etiam Bucolicum, & Georgicum, vbi agitur de ijsdem vt de pastore & grege, de agricola & vinea; pastoralesque sunt, quibus, vtuntur, similitudines, pastoralia & colloquia, vt pote de pascuis, de gregibus, de fontibus, de hortis atque vineis. Tantum de stylo & forma, siue modo quo liber iste à Salomone compositus est.

Iam quod attinet ad eius argumentum, siue quis fuerit Salomonis scopus aut finis in hoc opere conscribendo; relictis hæreticis asserentibus, scopum Salomonis hic esse describere dumtaxat amores suos & amicæ cuiusdam suæ nomine Abisag Sulamitis, vel etiam filiæ Pharaonis, quam ardentissimè adamauit; aut colloquium quoddam inter se, ac Rempublicam Iudæorum, ipsum inuitantem ad regnandum super se; quibus adnumeranda est cuiusdam Leonis Hebræi Dialogo 3. de amore sententia, qua vult, vt primus, ac præcipuus Salomonis scopus fuerit, suum designare colloquium, quod tanquàm sapientissimus cum sapientia habuit, quam præ omnibus adamauit. Relictis, inquam, his & alijs similibus hæreticorum sententijs, quarum fundamentum omnino friuolum est; quod ex decem nominibus Dei, quæ passim occurrunt in diuinis libris testamenti veteris, nullum in hoc libro reperiatur, vt videbimus infra in obiectionum solutionibus. Inter Catholicos, qui librum istum sacrum, Canonicum atque Propheticũ agnoscunt, duæ sunt præcipuæ sententiæ, vna docens primum quidem Salomonis scopũ iuxta Spiritualem & Allegoricum sensum fuisse, vt in hoc libro caneret Epithalamium Christi & Ecclesiæ; attamẽ, iuxta sensum historicum & litteralem, ad scopum illum tetendisse descriptione amorum suorum erga dilectissimam coniugem suam filiam Pharaonis; vt sicut complura, quæ Salomoni acciderunt eorum extiterunt typus, quæ euenere: ita & eiusdem coniugium cum filia Pharaonis figura fuerit coniugij itẽ Christi, & Ecclesiæ. Vndè, cùm ex dicendis infra triplex fit modus intelligẽdarum scripturarum. Primus, per quem quędam accipiuntur Historicè, propriaque oratione sepositis Aenigmaticis, vel Allegoricis figuris, vt legis Decalogus. Alter non tantum historiam fidemque rerum gestarum, sed figuram etiam spiritualium sensum complectens. Tertius, qui tantùm per Allegoriam & secundum spiritum sumitur: Iuxta præfatam sententiam Canticum Canticorum duplicem habet sensum verum & proprium, vnum historicum, & litteralem, alterum Mysticum & Spiritualem; quatenus Pharaonis filiæ cum Salomone coniugium, sic in illo ad litteram describitur, vt mysticè referat perpetuò magnum Sacramentũ coniunctionis Christi & Ecclesiæ. Quam sententiam existimant multi esse temerariam & erroneam, sed illam ab hac nota & censura nouissimè defendit Paulus Sherlogus Antiloq. 1. in Cantica sect. 2. vbi illam sequitur.

Altera igitur sententia probabilius, & ad

& ad Sanctorum Patrum mentem conformius docet vnicum huius libri scopum, vel argumentum esse Epithalamiũ Christi & Ecclesiæ, quatenus in illo sub continua quadam figurata locutione Sponsi & Sponsæ, siue nubentium in communi, nullius autem in particulari, aut in indiuiduo, vt prima asserit sententia, delineatur spirituale Christi cum Ecclesia connubium per mysterium incarnationis, modo statim explicando; vndè etiam proprius ac verus huius libri sensus, vnicus est, nimirum Allegoricus, qui larga tantùm significatione spiritualis aut mysticus dicitur, simpliciter autem litteralis. Cum enim duplex sit allegoriæ genus, vt explicabimus infra, vnum rerum, alterum verborum; quorum primum pertinet ad sensum spiritualem, secundum autem ad litteralem, Salomon hic vtitur isto tantùm secundo genere, dum ad exprimendum amores, gratias, & beneficia à Deo per Christum in Ecclesiam collata, egregiam assumit duorum coniugum parabolam, qui de mutuis, iisque ardentissimis suis colloquantur amoribus. Quæ sane parabola frequentissima est, & apud alios quoque Prophetas, vt apud Dauid Psal. 44. apud Isaiam cap. 54. v. 4. & cap. 62. v. 5. apud Ieremiam cap. 3. vers. 1. & 4. apud Ezechielem cap. 16. v. 8. Et apud Oseam cap. 2. v. 19. Quare etiam totus hic liber est Propheticus, cum nihil sit aliud quam continua prophetia de Christo & Ecclesia, ideoque obscura, ænigmatica, & symbolica.

Hinc sequitur, sicut in parabolis, metaphoris, & allegorijs, sic & in hoc cantico duplicem quasi esse sensum litteralem, vnum Grammaticalem, quem præ se fert ipse cortex, ipsaque superficies litteræ, puta verba: alterum realem & profundum, qui est de rebus per verba metaphorica significatis: vt cum ait S. Ioannes Apocalyps. 5. *Vicit Leo de tribu Iuda*; Leo Grammaticè, siue secundum sonum litteræ significat animal robustum & inuictum quod dicitur Leo, realiter verò significat Christum, cuius fortitudinem repræsentat Leo. Sic in cantico hoc, sponsa grammaticè describitur, vt virgo pastoritia, sponsus vt pastor, interdum etiam vt vinitor, & ruricola; sed realiter per illos intelligitur Ecclesia & Christus, Ecclesia sunt fideles, qui Christo velut sponso per fidem & dilectionem copulantur, sponsi sodales sunt Apostoli, virique perfecti, præsertim qui animas Christo lucrantur & despondent, qualis erat S. Paulus dicẽs: *Despondi vos vni viro virginem castã exhibere Christo. 2. Corinth.* 11. Sociæ sponsæ, siue adolescentulæ eius comites sunt animæ in fide, virtute & amore adhuc imperfectæ, adeo vt needũ sponsæ Christi appellari queant, sed sociæ sponsæ duntaxat, quasi præparantes se & viam virtutis inchoantes, vt ad nuptias Christi sensim prouehantur. Hi tamen duo sensus ita se habent, vt se mutuo respiciant, sibique subordinentur, vti verborum sonus & sensus, vti cortex & nucleus, vmbra & corpus, superficies & medulla, corpus & anima, vestis & homo: vndè à nonnullis hisce nominibus appellari solent.

Ratio autem cur non licet alium spõsum præter Christum, aliamque sponsam præter Ecclesiam in dicto sensu hic fingere: sed omnino credendum est Salomonem, cum hęc scriberet, multò altius spectasse, ac nullius puellæ externæ respectu, sponsæ & sponsi parabolam more suo atque stylo, vt historia libri Regum indicat, Spiritus Sancti afflatu vsurpasse, sicque condidisse, *dulcia carmina diuinorum amorum*, vt S. Dionysius Ecclesiast. Hierarch. cap. 3. Canticum Canticorum vocat; vel *mysticum Canticorum librum*, ex Theod. lib. 5. de Prouidentia. Ratio, inquam, nostræ assertionis, ex eo potissimum desumitur, quod talia de illa sponsa scribũtur, quæ nulli vni mulieri aptari possunt: vt optime notauit Cardinalis Bellarminus libro 1. de verbo Dei cap. 5. vbi eadem ratione factum esse credit, vt cum sponsæ forma commendatur, & quasi coloribus suis depingitur, ea dicantur, quæ aptis-

aptissimè quidem in Ecclesiam conueniunt, fœminam verò aliquam dedecorare potius quam ornare possint. Quæ namque esset species eius mulieris, cuius caput esset vastum vt carmelus; nasus vt turris; oculi vt piscinæ; dentes vt greges ouium detonsarum; ipsa verò tota nigra, vt tabernacula cedar. Nonnulli tamen, etiam ex ijs qui nostram amplectuntur sententiam, vt Ghislerius, & Cornelius à Lapide præfat. in Cantica, libenter admittunt Salomonem occasione nuptiarum cum filia Pharaonis scripsisse hoc Canticū; atque adeò quibusdam in locis, tàm ad eam quàm ad se grammaticè allusisse; vt cum eam vocat filiam principis, & cap. 1. vers. 9. ait: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilari te amica mea*. Hinc & à Salomone vocatur etiam Sulamitis q. d. Salomonia, siue Salomonis vxor. Olim enim vxores à viris nomen accipiebant, vt Caij vxor vocaretur Caia, Cornelij Cornelia, Dionysij Dionysia, æquè ac hic Salomonis sponsa ab eo vocatur Sulamitis. Salomonem etiam grammatico sensu, siue secundum litteræ sonum hic intelligi; vel quod idem est, illum proprio vsū esse nomine, ad immensum erga homines Dei amorem explicandum, cùm diuinitus edoctus optimè nosset, persona ipsa sua, atque suo etiam Salomonis nomine sustineri personam, nomenque Christi, patet ex illo cap. 3. vers. 7. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiūt*: & vers. 9. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani*. & vers. 11. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate*, &c. Quocirca nonnulli etiam Patres docuerunt sensum litteralem esse de filia Pharaonis, allegoricum de Ecclesia, vbi per sensum litteralem intelligunt grammaticū, vnde nihil fauent primæ sententiæ, per allegoricum verò, figuratum & metaphoricum, qui vt iam notauimus in parabolis est litteralis.

Cur autē Salomon parabolā humani amoris, pudici tamen & coniugalis inter cęteras delegerit, variæ sunt causę, prima quia amor coniugum est arctissimus, & coniunctissimus, secūda vt seruaret morē scripturarum veteris testamenti, in quibus etiam hæc parabola frequentissima est, vt vidimus supra; tertia quia Christus erat incarnandus, & quasi maritandus cum humana carne: quarta quoniam legitima maris & fœminæ coniunctio præfigurat Christi & Ecclesiæ copulationē, vt D. Paulus disseruit ad Ephes. 5. *Sacramentum enim hoc magnum est, in Christo inquam & Ecclesia*. Nam vt inter coniuges coniugatio est secundum consensum animorum, & secundum commixtionem corporum, quorum ratione duo in carnem vnam coalescere dicuntur, osque vnius fieri ex alterius ossibus, & caro ex carne: ita Ecclesiæ Christus conciliatus est, sociatusque spiritualiter & corporaliter: nempè dilectionis, & naturæ necessitudine, dum egrediens è sinu Patris adhæsit vxori suæ, factusque est idem carne, cum Ecclesia quam diligebat. Hāc etiam singularem vnionem societatemque indiuiduam tropis, & figuris pastoralibus, illustrauit Salomon, assumens amica Bucolicorum, & Georgicorum versuum verba; *tùm* quia pastorum, vel ruricolarum opus, & vita est antiquissima, simplicissima, & innocentissima: *tùm* quia pastores repræsentant Christum; qui rure, puta in præsepio Bethleemitico inter pastores natus, primò pastores gregum per Angelum ad se euocauit; *tùm* denique quia Christus ipse est pastor pastorum. Vnde Ioann. 10. de se ait: *Ego sum Pastor bonus: bonus Pastor animam ponit pro ouibus suis*.

Tandem, cum Christus in Incarnatione quasi duplex inierit connubium: primum Physicum cum Humanitate sua quam physicè & realiter sibi vniuit: secundum Ethicum, cum Ecclesia, totaque natura humana, quam sibi per humanitatem à se assumptam coniunxit: hinc etiam notandum est Christum Dominū sub diuersis respectibus posse habere rationem Sponsi, & Sponsæ. In priori enim coniugio Sponsus est Christus, vel potius verbum, sponsa verò humanitas ab illo assumpta, cui proindè primò, &

propriè adaptari possunt quasi omnia, quæ in Canticis de Sponsa dicuntur. Vt enim hoc prius coniugium longè nobilius est secundo, ita & prior Sponsa, Sacrosancta videlicet humanitas Christi, longe nobilior est posteriore, quæ est Ecclesia, singulæque animæ sanctæ: vnde quęcumque hic dicuntur tam de spōsa Ecclesia, quam de sponsa anima, ac inter illas de Sponsa Deipara, præ omnibus attribui possunt humanitati Christi Domini, quę prima est sponsa Verbi, quæ animas Sanctas, ac Deiparam sponsas efficit, Deoque despondet. In posteriori autem connubio sponsus est Christus, sponsa Ecclesia, & animæ Sanctę. Christus enim nō tantum qua Deus, sed & qua homo, Ecclesiam, animas fideles & Deiparam sibi vt sponso despōdet, vti docet Apost. Ephes. 5. & 2. Corinth. 11. *Despondi*, inquit, *vos vni viro virginem castam exhibere Christo*. Sic ergò prima Christi sponsa est eius sacratissima humanitas, secunda est Ecclesia, tertia beatissima Virgo, quarta anima sancta, & fidelis.

Per quod facilè intelligi, vel etiam concordari possunt diuersa doctorum placita circa litteralem huius libri sensum, vel argumentum. Ita enim totalis, & adæquatus sensus eius est de connubio siue coniunctione Christi & Ecclesiæ per fidem & amorem, in qua etiam præsupponitur & includitur, veluti in fine medium, aut in effectu causa, primum connubium, verbi scilicet cum humanitate per incarnationem; vt partialis sit de coniunctione Christi cum anima sancta, pręsertim quæ studet perfectioni: cum enim singuli fideles, & maximè iusti sint partes & membra Ecclesiæ, hinc de ijs singulis Canticum accipi potest in sensu non tam mystico, quam litterali, sed inadęquato & partiali; vnde de anima iusti ad litteram illud explicant S. Iustus Orgelitanus, Ioannes à Iesu Maria, & alij. Sensus autem partialis principalis, est de Christo & B. Virgine, non solùm quia est præcipua pars, præcipuūque membrum Ecclesiæ, & inter iustos eminet, sicut luna inter stellas, verùm etiam quia Verbi incarnatio, atque adeò desponsatio Ecclesiæ in ipsa, & per ipsam perfecta est, caroque Christi assumpta à verbo fuit caro B. Virginis: quare cum carnem sibi despondit Christus, quasi B. Virginem sibi despondit. Vnde de B. Virgine totum hoc Canticum intelligunt Rupertus, Guilelmus, Honorius Augustodonensis, alijque plures. Per Ecclesiam verò sponsam hic accipi debet cætus fidelium credentium in Christum; tum ex gentibus, tum ex Hebræis congregatorū, quæ cœpit ab Abel, & Adam, propagata est per Abraham, formata per Mosen, ac perfecta per Christum. Omnes enim veteres Patriarchę & Sancti, qui in lege tam naturæ, quàm Mosaica Deo sanctè seruierunt, crediderunt in Christum venturum; ac per hanc fidem iustificati, & saluati sunt. Hinc perperam aliqui Canticum hoc arctant ad Christianos post Christum natos; alij ad Iudæos natos ante Christum, vti Chaldęus R. Salomon & Aben Ezra illud arctant ad Synagogam, quasi hic describatur desponsatio Synagogæ cum Christo, quæ facta est per Mosen. Tantum de argumento, & sensu huius libri, pro rei grauitate fusius, nunc de inscriptione.

Inscribunt hunc librum Hebræi *Scir Hascirim Hascer lisalomo*, quod idem significat, ac Canticum Canticorum, quod est Salomoni, seu secūdum Salomonem; Græci eodem modo: Latini *Canticum Canticorum Salomonis*. Rectè Canticum dicitur, siue sumatur Cāticum, pro quocumque illo quod canitur, vel voce, vel instrumento, provt Salomon istud canere potuit: siue Canticum ad vitam contemplatiuam attineat, vt docet Iacob Chrysopolitanus in illud Psalmi 106. *Paratum cor meum Deus*, &c. quandoquidem cum Prouerbia, & Ecclesiastes spectent ad incipientes, & proficientes, hic liber coniungit animam verbi amplexibus, & ad Sacrę contemplationis beatas delicias rapit: siue Canticum idem sit, ac amoris Ode, de huius enim libri nominibus celebre est, quod ab amore datum est, vt ex quadam excellentia amoris

ris carmen vocetur à Patribus; siue tandem Canticū rigidè idem sit quod carmen, metroque astricta oratio, cum ex dictis supra constet hic liber carmine, cuius tamen ratio excidit, vt & Psalmorum, Iobi, Prouerbiorum. Quod Canticum dicatur Canticorum, Hebraicè idem est, quod Canticum præstantissimum, sicut vsitatum est dicere in Scriptura Regem Regum pro Rege potentissimo, Locustam Locustarū in Sophonia pro locusta copiosissima, Sanctum Sanctorū pro Sanctissimo, & apud Theologos Veteres, vt Dionysium perfectio perfectionum de sacra Eucharistia, Nazianzenum festum festorum de festo Paschatis, imò verò & apud prophanos, vt Sopoclem misera miserorum. Cùm igitur conueniant omnes interpretes Canticum dici Canticorum ob singularem illius eminentiam, atque eo quod reliqua etiam Bibliorum Cantica non leui superet interuallo, iam à quibus fontibus hic petendus excessus videndum est. Primò ob antiquitatem, cum primum carmen sit, non quidem absolutè, quando Moyses & Dauid præcesserunt, sed quo connubiorum gaudia celebrantur, cuius postea normam sumpserunt Theocrytus in Idyllijs, Virgilius in Bucolicis, alijque plures, ex Origene homil. 1. Philippo Abbate procem. 2. in Cantica, & alijs. Secundò ob vaticinij excellentiam, mysteriorumque in eo contentorum fæcunditatem. Tertiò propter inaccessam eorumdem profunditatem, vt nihil tam frequens sit Patribus, quam Sancto Sanctorum, & intimo templi loco comparare, cum declarant, quamobrem Canticum Canticorum appellatum fuerit. Cuius etiam non leue est argumentū, quod olim Hebræi Synagogæ rectores nulli Canticum hoc legere permittebant, ante annum ætatis trigesimum, quæ erat ætas Sacerdotalis, teste Origene hic, & Sancto Hieronymo præfat. in Ezechielem; quodque in nouo testamento tot nactus est eosque præstantissimos maxima ex parte commentatores, & explanatores, vt nullus omnino sacris in litteris liber sit, quem plures enodare studiosè laborarint, quam libellum istum. De quibus omnibus, vide ad copiam Paulum Sherlogum Anteloquio 9. in Cantica.

Etsi autem sint multi, etiam ex antiquis Patribus, qui pluraliter *Cantica Canticorum* appellent: vera tamen atque legitima inscriptio est, quæ singulari verbo pronuntiat, *Canticum Canticorum*: Si quidem illam habent omnes translationes, aut saltem correctissimæ, Hebræa, Græca, Latina vulgata, quam etsi non haberent illæ omnes, sola authoritas vulgatæ editionis, saltem post illius animaduersionem sufficeret: nam ad hanc attendendum, ante vniuersas translationes, & eius sequenda regula, vt dicemus infra. Quamuis si attendamus ad sensum magis, quam ad vocabula, rectè vocari possunt in plurali Cantica Canticorum: nam ita dicentes volunt solum intelligi, plura esse particularia Cantica; quod nullus negare potest: Vnde Iacobus de Valentia Epis. Christopol. in prologo suo, cui ad sensit Titelmanus ante expositionem vers. 1. cap. 1. Canticorū, notat quod ad rem attinet, parum referre, vtro numero dicatur, cum liber iste vnum sit canticum, & multa: vnum quidem totum & integrum, ex multis constans partialibus Canticis. Porrò quod nomen Salomonis, quod in huius libri inscriptione Latinus Interpres genitiuo expressit, à Septuaginta Interpretibus editionis Complutensis & Regiæ ponatur in datiuo, vt diximus; nullum aliud mysterium continere puto, nisi quod Hebræi, vt Græci sæpè datiuo vtuntur pro genitiuo, præsertim cum rem alicuius propriam esse significant: vndè dicunt domus, quæ est mihi, id est, quę est mea; liber qui est illi, id est, qui est illius; sic in titulis Psalmorum, pro *Psalmus Dauidis* Septuaginta vertunt Dauidi, id est, *Dauidi* in datiuo, quia Dauidi inspirati & dictati sunt Psalmi à Deo, ęquè ac Canticum Salomoni. Vnde dum dicitur, *Canticum Canticorum, quod est Salomoni*, ostendit, inquit, Origenes. *hoc opus tantùm esse Salomonis.*

Quod vltimo loco pertinet ad huius libri partitionem: Venerabilis Beda diuidit

uidit illum in 40. sectiones siue capita: D. Thomas in tres status Synagogæ, puta Israelis, siue Iudæorum, primo credentis Christo in Apostolis & primis Christianis, qui fuere Iudæi à cap. 1. vsque ad cap. 3. vers. 7. inde autem incipere agi de Iudæis excæcatis & persequentibus Christianos vsque ad cap. 6. vers. 10. inde vsque ad finem libri agi de Iudæis credituris Christo in fine mundi. Georgius Ederus in sua Biblior. Oeconomia Canticum hoc in decem drammata diuidit, quæ tamen omnia cum non Ecclesiæ, sed Synagogæ Mosis & Iudæorum attribuat, minus probanda est talis diuisio. Vnde illa omissa, pluribusque alijs, de quibus videri potest Cornelius à Lapide præfat. in Cant. cap. 4. planius hoc canticum diuiditur in quinque partes, quibus quinque Ecclesiæ ætates, & status, veluti per quinque drammata, siue actus in scena repræsentantur; videlicet Infantia, ab ortu & prædicatione Christi vsque ad Pentecosten: Adolescentia à Pentecoste vsque ad Constantinum Imperat. Virilis ętas tempore Constantini: Senium siue declinatio Ecclesiæ, cum videlicet per pacem ipsi datam à Constantino, nonnulli eius præsules & fideles dederunt se otio, gulæ, desidiæ: qua occasione Arriani, Nestoriani, Eutichiani alijque hæretici grassari cœperunt: deinde renouatio fieri cœpta sæculo Patrum, quo scilicet, floruere doctores Græci, S. Athanasius, Basilius, Nazianzenus, Chrisostomus, Cyrillus, & Latini S. Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Gregorius, eorumque successores deinceps, qui Ecclesiæ fidem & sanctitatem contra hęreticos, Iudæos, Turcas, Schismaticos, & quoslibet persecutores huc vsque propugnarunt, & vsque ad finem mundi propugnabunt, quandò tandem in die iudicij fiet plena Ecclesię renouatio, consummatio, & glorificatio. Soluamus iam aliqua hæreticorum argumenta, contra huius libri veritatem, & authoritatem.

Obijciunt primò nusquam in hoc libro reperiri nomen Dei Tetragrammaton, aut aliud ex eius nominibus, quæ passim occurrunt in diuinis libris veteris testamenti. Vnde signum videtur apertissimum, non habitum esse à suo authore diuinum, putante non miscenda esse sacra prophanis. Respondetur prędicta quidem nomina in hoc libro non reperiri; reperiri tamen alia consona allegoriæ sumptæ Eclogæ pastoralis, & nuptialis, veluti Pastoris, Sponsi Dilecti, Amici, fratris, Pacifici; atque similium, quibus etiam in volumine sacro sępius nuncupatur. Cuius ratio est, quia in alijs libris veteris testamenti Deus agit cum Synagoga quasi cum ancilla, ideoque se Deum Dominum fortem, Vindicem, Omnipotentem appellat. In Canticis verò agit cum Ecclesia, quasi cum sponsa dilectissima, vnde merito ea nomina prætermittit, quæ ad incutiendum timorem accommodata sunt, illisque vtitur, quę ad amorem excitandum, fouendum, acuendum & augendum pertinent.

Obijciunt secundò, nihil aliud toto hoc libro comprehendi, quam sermones amatorios ad mundanum coniugũ amorem pertinentes. Respondetur Salomonem huius Carminis Scriptorem, cum in illo Diuini erga homines amoris reserare voluerit arcana, enisum esse ex naturali amore, pudico tamen, & coniugali, vniuersis animis longè notissimo, illius diuini vires exprimere, vt indè disceremus ex nostri amoris affectibus, in illius quasi augustissima adyta penetrare: vt docent communiter Patres, Dionysius in epist. 6. ad Titum, Basilius de Vera Virginitate, Gregorius Nyssenus homil. 7. in Cantica, Gregorius Magnus præfat. in Cantica, alijque plures de quibus videri possũt Interpretes, præsertim Ludouicus de Sotomaior prologom. in Cantica; qui etiam rectè ostendunt omnes similitudines, quarum in hoc libro est vsus; mirificè castos Christi & Ecclesiæ, animarumque sanctarum amores depingere, & exprimere. *Nihil de carnali amore dicitur, quem cupidinem finxit Gentilitas,* ait Aponius in Cant. *Insanus enim potius, quàm verus amor dici potest, sed*

totum

totum spirituale, totum Deo dignum, & omnino salutare.

Cap. 1. verſ. 1. habetur in vulgata: *Oſculetur me oſculo oris ſui* cum tamen ex Hebræo potius verti debuiſſet, *ab oſculis oris ſui*. Reſpondetur eumdem eſſe vtriuſque lectionis ſenſum: Nam certè idemmet per vtramque Incarnationis myſterium ab Eccleſia antiquorum Patrum expoſcitur. Verum quod iuxta lectionem vulgatam in ſingulari, vnica tantum per vnicum æterni Patris oſculum petitur Incarnatio, vnicumque, ac ſummum per verbi Incarnationem amoris ſignum: id ipſum iuxta Hebraicam lectionem in plurali expoſcitur, quatenus in illo ſublimi, ac ineffabili oſculo, quo per ſuam nos oſculaturus erat Deus incarnationem, complura ſimul inſunt oſcula, quibus vna cum illo præcipuo oſculari exoptat Eccleſia: Ea verò illa ſunt vniuerſa, quę in cęlis, quæue in terris exiſtunt: quod prǽclarè indicat Apoſtolus, cùm de diuinę incarnationis myſterio loquens, Roman. cap. 8. de ęterno Patre ait: *Qui etiam proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?*

Ibidem verſ. 3. cum in Hebręo tantum habeatur: *Trahe me poſt te, curremus*. In vulgata additur, *In odorem vnguentorum tuorum*. Reſpondetur hęc verba à Septuaginta Interpretibus, paraphraſtica licentia vſis, hoc eſt ſenſum, potius quam verba venando, primum addita fuiſſe, quæ poſtea rectè à noſtro etiam Interprete retenta fuere, vt potè quæ antecedentibus mirificè congruerent; nam cum ſuperius dictum fuiſſet: fragrantia vnguentis optimis, oleum effuſum nomen tuum: propterea Adoleſcentulæ dilexerunt te: Cauſalis aſſeritur cur ſponſæ illum dilexerint, ex fragrantia nimirum ſponſi: vndè meritò ſubiungitur, *curremus in odorem vnguentorum tuorum*: prædictaque verba nihil habent Hebraicæ veritati repugnans, ſed eam potius magis explicant, & exornant præſertim cum amantes odoribus oblectentur, & alliciantur: Sponſaque ſępius hic comparetur columbæ, quæ odoribus maximè delectatur, & poſt odoramenta currit; vt egregiè adnotauit Baſilius epiſt. ad Iul. quæ eſt numero 175.

CAPVT XXXVIII.

De Libro Sapientiæ.

Etſi de Canonica huius libri authoritate dubitatum olim fuerit, etiam inter doctores Catholicos, iam tamen de fide eſt diuinam eſſe ſcripturam, poſt Eccleſiæ definitionem in Concilio Carthag. III. cap. 47. Florentino in vnione Armenorum, Tridentino ſeſſ. 4. & alijs. Cuius etiam certum ſemper fuit argumentum, quod Chriſtus Dominus, & Apoſtoli ex libro Sapientiæ teſtimonia, ęquè ac ex alijs libris Canonicis mutuati ſunt. Nam Chriſtus ex Sap. 3. verſ. 7. *Fulgebunt iuſti*, citat illud Matth. 13. 43. *Tunc iuſti fulgebunt ſicut Sol in regno patris eorum*. Rurſum Matthæus cap. 27. 43. refert id, quod habetur Sap. 2. v. 13. *Filium Dei ſe nominat*, & verſ. 18. *Si enim verus eſt filius Dei, ſuſcipiet illum, & liberabit de manibus contrariorum*. D. quoque Paulus ad Rom. 11. verſ. 34. profert illud Sap. 9. 13. *Quis enim hominum poterit ſcire conſilium Dei, aut quis poterit cogitare quid velit Deus?* Et ad Epheſ. 6. 13. & 17. deſumit id, quod habetur Sap. 5. 18. & 19. *Accipiet armaturam zelus illius & induet pro thorace iuſtitiam, & accipiet pro galea iudicium certum, ſumet ſcutum inexpugnabile æquitatem*. Idem Hebræorum 1. verſ. 7. & 11. & alibi alludit ad dicta Sap. cap. 4. 6. 7. & 9. Hoc ipſum fecerunt omnes ferè Patres Græci, & Latini, qui Sapientiam citant, vt diuinam ſcripturam; quorum loca, quia facile videri poſſunt apud Lorinum, Cornelinm à Lapide, Gonſaluum Ceruantes & alios interpretes in huius libri præfationibus; nunc ſufficiat vnius S. Auguſtini ſententia, ac teſtimonium: qui lib. 2. de ſymbolo cap. 4. & lib. 2. de prædeſt. Sanctorum cap. 14. ita ſcribit: *Non debuit repudiari*

diari sententia libri Sapientiæ, qui meruit in Ecclesia Christi de gradu Lectorum Ecclesiæ Christi tam longa annositate recitari, & ab omnibus Christianis Episcopis vsque ad extremos Laicos fideles. Et infra: *Sed qui sententijs tractatorum instrui volunt, oportet vt istum librum Sapientiæ, vbi legitur, raptus est ne malitia immutaret cor eius, omnibus tractatoribus anteponant: quem sibi anteposuerunt etiam temporibus proximi Apostolorum egregij tractatores, qui cum testem adhibentes, nihil se adhibere, nisi diuinum testimonium crediderunt.* Illud idem docet lib. 2. de doctr. Christ. cap.8. *Illi duo libri, vnus qui sapientia; & alius, qui Ecclesiasticus inscribitur, quoniam in authoritatem recipi meruerunt, inter Prophetas numerandi sunt.*

Quocirca impudentiæ Kemnitius est intolerandæ, cum in Exam. Concil. Trident. sess.4. vult Augustino librum istũ non esse diuinum, nec infallibilis veritatis: non alia ratione, nisi quia dum liber hic commendat castitatem, opera bona, martyria, merita & pręmia, contrarijs Nouatorum hęresibus aduersatur. Sicut etiam S. Isidorus lib.1. Offic. cap.12. refert ex cuiusdã Sapientis Hebræi, aut ex Hebręo Christiani, quem non nominat, sententia, hunc librum olim ab Hebręis receptum fuisse inter Canonicas scripturas: sed postquam comprehendentes Christum interfecerunt, memorantes in eodem libro, nempe cap. 2. tam euidentia de Christo testimonia, collatione facta, ne Christiani eis pro tam aperto sacrilegio derogarẽt, à Propheticis voluminibus rescidisse, legendumque suis prohibuisse.

Quis sit author libri Sapientiæ, diuersæ sunt doctorum sententiæ, aliqui enim putant esse Salomonem; quòd hic liber in Gręcis Biblijs inscribitur *Sapientia Salomonis*, multique Patres eum illi tribuant; & insuper ipse author lib. c. 9. v. 7. vocet se Regem & ædificatorem templi, qui alius esse nequit, quàm Salomon. Longè tamen probabilius est ipsum non conscripsisse hunc librum: primò quia ita censent plures & grauissimi authores tàm antiqui, quàm moderni, qui tres tantum numerant Salomonis libros. Secundò quia cum in hoc libro sępius alludatur ad fabulas Poetarum, qui omnes Salomone longè fuere posteriores, satis patet illius authorem esse non potuisse. Tertio dicit auctor cap.15. v.14. hostes populi Dei, puta Aegyptios, imperare illi. Tempore autem Salomonis nemo imperabat Israeli nisi Salomon, qui & gentibus vicinis vel dominabatur, vel amicitiæ fœdere deuinctus erat. Scriptus est ergo hic liber post Salomonem, sub tempus Ptolomæi Lagi: hic enim Iudæam oppressit. Quod autem hic liber in Gręcis Biblijs inscribatur *Sapientia Salomonis*, parum interest. Respondet enim S. Hieronymus in prologo talem inscriptionem esse falsam; vndè in Vulgata Latina simpliciter habetur *Liber Sapientiæ*. Vel secundo dico Grecis in codicibus hunc librũ nomine Salomonis insigniri potuisse ijsdem de causis, quibus Patres illum, & Ecclesiasticum etiam tribuunt Salomoni, ac pręsertim quod auctor huius libri eum scripserit nomine Salomonis, eiusque personam induat, ac illum loquentem & docentem inducat. Sicut Plato suos dialogos inscribit nomine Socratis, Gorgiæ, Timæi, & aliorum, quia eos loquentes inducit: & Cicero librum de claris oratoribus inscribit Brutum, qui inter oratores excelluit. Vel etiam quod auctor Sapientiæ imitatus sit Salomonem, eiusque sensa, forte etiam sententias, & verba in libris Hebr. illius æui sparsim repertas collegerit, ordinarit, Gręcaque phrasi & stylo expresserit. Vtrumque diserte docent Eusebius libro 11. de præp. cap.5. D. Augustinus lib.2. de doctr. Christ. cap. 8. & lib. 17. de Ciuit. cap. 20. Vndè licet hic liber scriptus sit ab alio quidem, quia tamen in persona Salomonis; ac ex multis Salomonis sententijs, non mirum si auctor loco citato cap.9. vocet se regem & ædificatorem templi: *Tu, inquit, elegisti me regem populo tuo &c. & dixisti me ædificare templum in monte Sancto tuo:*

Secun-

Secunda sententia est S. Augustini lib. 2. de doctr. Christ. cap. 8. & lib. 17. de Ciuit. Dei cap. 20. docentis auctorem libri Sapientiæ, æque ac Ecclesiastici, esse Iesum filium Sirach, quam tamen postea sententiam retractauit lib. 2. retract. cap. 4. *De authore libri*, inquit, *quē plures vocant Sapientiam Salomonis, quod etiam ipsum, sicut Ecclesiasticum, Iesus filius Sirach scripserit, non ita constare sicut à me dictum est postea didici, & omnino probabilius comperi non esse eius libri auctorem.* Tertia denique sententia tribuit hunc librum Philoni Hebræo, cuius tamen authores sunt inter se diuisi, dùm alij volunt Philonem hunc esse illum, qui paulo post Christum vixit sub Caio Caligula Imper. ad eumque legationem obijt pro Iudæis; alij verò Philonem alterum vetustiorem, qui vixit 160. annis antè Christum sub Onia prisco Pontifice. Sed vtrumque probis rationibus, reijcit Cornelius à Lapide præfat. in librum Sapientiæ; incertum putans quis fuerit secundarius auctor libri Sapientiæ, scilicet Hebræus scriba & Rabbinus, qui dictante Spiritu Sancto auctore primario eum conscripserit. Quia tamen, hic liber primitus & originariè videtur Græcè scriptus ab Hebræo quopiam: nam stylus & facundia Græcam magis eloquentiam, quàm Hebræam simplicitatem redolet, vt rectè aduertit S. Hieronymus in prologo: inde satis verisimiliter ex præfato auctore conijci potest, eumdem scriptum esse, paulo post regnum Alexandri Magni, qui Salomone sexcentis & amplius annis fuit posterior, sub tempore Ptolemæi Philadelphi, ab aliquo è 72. interpretibus, quos è Iudæa euocauerat, vt Biblia Hebræa in Græcum Idioma traducerent, vel alio simili Rabbino, fortè in gratiam eiusdē Ptolemæi, toto enim hoc libro Rex instruitur, quomodo sapienter & iuste debeat administrare Rempublicam. Cùm enim Alexander cum imperio linguam Græcam inuexisset in Iudæam tunc primùm nobiliores Iudæi illam discere, ac Græcè libros scribere cœperunt: vndè & Iesus Sirach nepos, librum Ecclesiastici ab auo Hebraicè conscriptum traduxit in linguam Græcam, vt ipse fatetur in Prologo Ecclesiastici. Quæ Chronologia siue ratio temporis est valde notanda, quippe facem huius libri argumento præferens, eumque mirifice illustrans, vt mox dicemus.

Quod pertinet igitur ad huius libri materiam, vel argumentum, satis illud prodit nomine suo: vocatur enim Sapiētia absolutè, & per excellentiam: quod hìc sublimius ac diuinius quàm in alijs libris Sapientialibus pertractetur de vera Sapientia in genere, eiusque origine, moribus, operibus, effectibus & præmijs: & cùm alibi tradantur præcepta Sapientiæ Ethica, quæ quemuis dumtaxat priuatum de moribus & virtutibus instruunt: hic liber Sapiētiæ tradit præcepta politica, quibus reges, & magistratus ad bene regendam rempublicam informat: summa enim Sapientia, *& ars artium est regimen animarum*, ait S. Gregor. initio sui Pastoralis. Igitur author huius libri, quem notauimus floruisse paulo post Alexandrum Magnum, sub tempora Ptolemæi Philadelphi, videns Iudæorum afflictionem, siquidem Ptolemæus Lagi filius, Philadelphi pater Hierosolymam dolo inuadens cœperat, ac ex Iudæa in Aegyptum abduxerat, centum viginti captiuorum millia; præfatus, inquam, author videns Iudæorum afflictionem, quam patiebantur à Ptolemæis, adeò vt nonnulli illorum in Aegypto à Iudaismo ad gentilismum, & idola Aegyptiorum deficerent, scripsit hunc librum, quo reges instituit, quomodo sapienter, id est rectè pieque, ex metu cultuque veri Dei, subditos regere debeant, ac iniustis & tyrannis minatur Dei, qui Rex est regum, horrenda supplicia; atque hac de causa, tùm etiam ad consolationem & confirmationem Iudæorum, ne à Deo rectaque fide ad idola Aegyptiorum declinarent, maximè celebrat opera sapientiæ diuinæ, in tutandis protegendisque bonis & fidelibus Hebræis, ac perdendis impijs infi-

infidelibus, Deoque rebellibus, Chananæis & Aegyptijs, Pharaonis asseclis, cuius cap. 16. & seq. vsque ad finem per quatuor integra capita, historiam plagas, & exitium commemorat; Iudęorum verò liberationem, victoriam & miracula.

Ex dictis patet quam rectè inscribatur hic liber Sapientiæ: tùm etiam quia prophetat de filio Dei, eiusque aduentu, & passione, cui Sapientiæ nomen ex vi originis est proprium: Hinc S. Athanasius in Synopsi S. Scripturæ bonam huius libri partem applicat Christo Domino; hinc & liber hic à Patribus inter prophetales refertur: quare etiam Ecclesia in diuino officio vsurpat libentissimè, ac sæpissimè librum istum, vt eum adaptet Christo. Et quamuis Robertus Olcot. Lect. 1. in hunc librum putet hoc potius fieri per quamdam congruentiā modalem, quàm denominationem litteralem; non desunt tamen plures Patres qui Sapientiæ nomen huic libro appropriatum esse velint, ac doceant, quod etiam ad litteram agat de Sapientia increata, tum essentiali, quæ communis est toti SS. Trinitati, tum genita & notionali, id est Verbo æterno; ac de eiusdem incarnatione, & passione prophetet.

Diuiditur autem totus hic liber in tres partes, siue Sectiones. Prima elogium Sapientiæ continet, & parænesin, siue adhortationem ad eius amorem, studium & zelum, à cap. 1. vsque ad 7. Pręmittit introductionem ad sapientiā generalem cap. 1. enumerat ea, quæ à stultis & insipientibus contra sapientiæ studium obijciuntur, cap. 2. quibus respondet in cap. 3. recenset laudes Sapiētiæ, cap. 4. ab eius emolumentis, quibus è regione opponit insipientiæ incommoda, cap. 5. Pręmissa omnia veluti per epilogum repetit, & in vnum colligit aceruum cap. 6. Secunda pars agit de origine Sapientiæ à fine 6. capitis vsque ad 10. Ostendit sapientiam rem esse inestimabilem, & ob id nec auro, nec argento comparandam cap. 7. Requirit in Sapientiæ studioso feruorem atque perseuerantiam, cap. 8. Docet, opus esse sapientiæ studioso deuota precatione ad Deum, à quo vt bona omnia, sic etiam ipsa venit sapientia, cap. 9. Vbi etiam forma continetur precationis. Tertia tandem pars demonstrat sapientię commoda & effectus primum exemplo personarum priuatarum, scilicet Adę, Noę, Abrahę, Loth, Iacob, Ioseph, Moysis, in quibus mirabiles claruisse cum iustitiæ tum sapientiæ effectus, declaratur toto cap. 10. Deinde totius populi Israelitici, cui in memoriam reuocat plura sapientię in eum collata beneficia vsque ad cap. 19. & vltimum. Qua de causa breuiter hic multę Geneseos, Exodi & Numerorum historię perstringuntur, ac subindè nonnulla, quę ibi tacentur supplet, vt de origine & auctore idololatrię, cap. 14. v. 15. de vespis, quæ missæ à Deo debilitarunt Chananęos ante aduentum filiorum Israel cap. 12. v. 8. de manna iustis omnem saporis suauitatē, varietatemque quam desiderabant, exhibente cap. 16. 20. de laruis spectrisque, ac igne sibilisque serpentum & bestiarum percellentibus Aegyptios in nona plaga Aegypti, quæ fuit densissimarum tenebrarum cap. 17. v. 5. 6. 9. de visionibus terrificis primogenitorum, cùm occiderentur transeunte Angelo cap. 18. vers. 19.

Quantùm ad huius libri versionem, quæ in nostra Vulgatā Bibliorum editione habetur, S. Hieronymus non videtur fuisse eius auctor, vndè nec prologum ei pręfigit, vti in cęteris libris à se traductis facere solet; imo passim aliter sapientiam citat, quàm habeat nostra Vulgata, vt patet ex Comment. eius in cap. 55. Isaiæ & in Zachariæ cap. 8. & 12. alibique sępius: E cóntra verò à S. Dionysio Areopagita, Cypriano, & alijs S. Hieronymo antiquioribus citantur sententiæ è libro Sapientię eodem plane modo, quo nunc reperiuntur in Vulgata Latina: illa igitur ante S. Hieronymum extiterit oportet. Quarè plane verisimile est in Sapientia & Eccle-

siastico retentam fuisse ab Ecclesia priscam versionem, qua ipsa vsa fuit ante S.Hieronymus, de qua agemus infra suo loco. Cum autem Græca hic, æque ac in Ecclesiastico sæpe incerta sint & varient, consulenda est editio Græca Romana correcta à Cardinale Caraffa, & probata à Sixto V. ac multo magis Latina Vulgata; quæ hic purior est, quam sit Græca, ideoque Græcæ præferenda, ac habenda S. Scriptura authentica, ex decreto Concil. Trident. sess. 4.

Superesset iam diluere hæreticorum obiectiones, sed quia nihil est, cui non possit sufficienter satisfieri tàm ex dictis hic, quam supra cap. 30. agendo de libro Tobiæ; solùm aduertendum est Caluinum lib. 1. Institut. cap. 11. §. 8. obiicere, se in libro Sapientiæ inuenisse mendacium, scilicet de inuentore Idololatriæ, qui cap. 14. vers. 15. dicitur fuisse pater lugens filium sibi morte ereptum: cùm tamen prius fuerint idola, quæ Genes. cap. 31. dicitur furata esse Rachel: Cui respondetur nihil in hoc falsi continere librum Sapientiæ; verum quia grauis est hæc & obscura quæstio de origine idolorum & idolatriæ, à quo scilicet, quando & quomodo inceperint, remitto lectorem ad interpretes huius loci, & ad ea quæ dicemus infra lib. 4. sect. 4. vbi de hac materia ex professo agemus.

CAPVT XXXIX.

De Libro Ecclesiastici.

NOnnulli olim dubitarunt hunc etiã librum esse Canonicum; aperteque negant hæretici moderni Lutherus & Caluinus eorumque sequaces. Sed nunc de fide est Ecclesiasticum esse librum sacrum, diuinitusque inspiratum, post expressam Ecclesiæ definitionem in Concil. Trident. sess. 4. Florent. in instruct. Armenor. Carthag. III. Can. 47. Vnde etiam Concilia, & Patres tàm Græci, quam Latini, summique Pontifices hunc semper librum vt diuinum venerati sunt, eiusque testimonia passim ad confirmanda fidei dogmata protulerũt; quorum loca videri possunt in Cornelio à Lapide prolegom. in Eccles. cap. 1. & Dominicum Grauinam lib. 4. de Verbo Dei scripto. Quia tamen defectu propositionis Ecclesiæ, non ab omnibus necessitate fidei receptus est, sed de eius authoritate dubitatum fuit inter aliquos etiam Orthodoxos, hinc deuterocanonicus, siue secundi Canonis vocatur: Quatenus cùm prius Apostolica traditio de huius libri & aliquorum aliorum authoritate nõ ita explorata esset, progressu tantùm temporis Spiritu Sancto Ecclesiæ suæ affulgente, ab eadem relatus est in S. Scripturæ canonem.

Aliqui etiam censuerunt Ecclesiastici authorem esse Salomonem, eo quod multi veterum illum citent nomine Salomonis. Verùm certum est illum non esse, sed Iesum filium Syrach. Primò quia sic inscribitur tàm in Vulgata Latina, quàm in omnibus codicibus Græcis. Secundò quia in præfatione Eccles. quã aliqui putant habere authoritatem sacræ Scripturæ, alij ad eam proximè accedere, diserte ait Iesus, Syracides iunior, Ecclesiasticum esse compositum ab auo suo Iesu filio Sirach, à se verò esse traductum. Tertiò quia in ipsomet textu cap. 50. vers. 29. expressè dicitur: *Doctrinam Sapientiæ & disciplinæ scripsit in codice isto Iesus, filius Sirach, Ierosolymita, qui renouauit sapientiam de corde suo*: & cap. 51. titulus est: *Oratio Iesu filij Sirach.* Tandem cum in fine Ecclesiastici recenseantur elogia Salomonis, Roboam, Ezechiæ, Iosiæ, Isaiæ, Ieremiæ & cæterorum prophetarum, qui diu post Salomonem vixerunt, satis patet illius authorem esse non potuisse Salomonem: Varijs tamen de causis citatur à veteribus Patribus nomine illius. Prima ex Athanas. in Synopsi quia Ecclesiasticus imitatur Salomonem: habet enim similes morales sententias. Secunda ex Vvaldensi lib. 2. doct. fid. art. 2. cap. 20. quia nonnulla deprompsit ex Salomone partim edita, partim non edita. Tertia, ex Augusti-

no lib. 2. de doct. Christ. cap.8. & Rabano lib. 5. de vniuerso cap. 3. propter similitudinem argumenti, styli & phrasis. Quarta, quod fortasse Iesus titulum Salomonis suomet libro præfixerit, vt quem Salomonis nomine faciebat, vti fecit Plato, qui nomine Socratis & aliorum, dialogos scripsit. Quinta, quia Ecclesiasticus, vt pote Sapientialis, & moralis solet annecti libris Salomonis, nempe Prouerbijs, Ecclesiastæ, & Canticis, nec non Sapientiæ. Vnde hi quinque libri censentur vnus tomus S. Scripturæ, puta Sapientia, siue sacra Ethica. Quia ergò trium priorum auctor est Salomon, hinc & quintus sicut & quartus ei attributus est, omnesque nuncupati sunt Sapientia, siue libri Sapientiales Salomonis, à præcipuo & potissimo authore. Vt colligitur ex Epist. Innocent. I. ad Exuperium cap. 7. vbi enumerat sacræ Scripturæ libros.

Porro hic Iesus, auctor Ecclesiastici, fuit ciuis Hierosolymitanus, vt patet cap.50.v.29. eiusque prosapia sic se habet: Sirach genuit Iesum seniorem, qui composuit Ecclesiasticum: Iesus senior genuit Sirach iuniorem, cui moriens Ecclesiasticum consignauit: Sirach iunior genuit Iesum iuniorem, qui Ecclesiasticum ab auo compositum ex Hebræo in Græcum idioma traduxit. Iesus autem senior, vt docet Cornelius à Lapide ex Eusebio & alijs, scripsit Ecclesiasticum sub idem tempus, quo 72. cuderunt suam versionem sub Ptolemæo Philadelpho, quod fuit Olympiadis 124 anno 3. post Alexandri Magni mortem anno 43. qui fuit Græcorum, siue Seleucidarum annus 31. 250. circiter annis ante natiuitatem Christi: Iesus verò iunior Ecclesiasticum in Græcum transtulit sub Ptolemæo Euergete, fratre Philadelphi. Quare deceptus est Isidorus lib. 1. de diuin. offic. cap. 12. qui Iesum iuniorem facit auctorem Ecclesiastici, quasi ille ex aui scriptis eum composuerit, cum ille tantùm libri ab auo compositi fuerit interpres. Fefellit autem Isidorum, quod corruptè in Prologo Ecclesiastici legerit: *Volui & ipse scribere aliquid horum.* cum legendum sit: *Voluit & ipse*, scilicet, auus meus, *aliquid scribere.*

Quantùm ad huius libri scopum, vel argumentum, Siracides in eo omnem moralem Philosophiam per breues sententias, quasi gnomas & axiomata, tradit & complectitur, æque ac Salomon in Prouerbijs; quo circa, teste D. Hieron. præfat. in lib. Salom. titulus etiam Ecclesiastici fuit apud Hebræos, *Misle*, id est, Parabolæ, seu prouerbia. A Græcis autem vocatur panaretos, id est, omnimirtuosus, vel omni virtutis genere refertus. Cunctas enim moralis doctrinæ partes absolutissimè tradit, Ethicam, Oeconomicam, Politicam. Latinis verò dicitur Ecclesiasticus, id est concionatorius, tùm ad imitationem simul & distinctionem libri Salomonis, qui Ecclesiastes dicitur, id est, concionator, vel conuocator; vt enim ab eo distinguatur, Ecclesiasticus vocatur, non Ecclesiastes, esto etymon, & significatum sit idem, vel penè idem: tùm maximè quia in Ecclesia legi solebat, & solet, vt plebem per omnia, quæ officij & virtutis sunt, ad normam diuinæ legis erudiat. Hinc S. Apostoli in Can. vlt. Apost. dicunt & edicunt: *Inquiritur à vobis, vt adolescentes vestri addiscant etiam Sapientiam eruditi Sirach.* Quod nonnullos etiam Præsules fecisse testatur Cornelius à Lapide præfat. in Ecclesf. cap. 4. qui proinde hunc librum, quocumque proficiscebantur, secum, quasi domesticum viæ & vitæ ducem, circumferentes, de eo suis dicebant illud, quod S. Cyprianus assidue lectitans Tertullianum, eum poscens dicebat: *Da Magistrum:* Hoc est, quod ait Rabanus lib. 5. de Vniuerso, cap. 3. *Ecclesiasticus morum penè omnium disciplinam, & sanctæ religionis conuersationem affatim, & copiosè descripsit.*

In hoc etiam libro, præter hoc quod author fungitur officio præceptoris, vberius virtutes singulas pertractans, & de singulis quasi integras exhibens conciones, Idem quoque fuit Propheta. Qua

de causa S. Augustinus lib. 2. de doctr. Christiana cap. 8. & lib. 17. de Ciuitate Dei cap. 20. Ecclesiasticum numerat inter libros propheticos. Sic & S. Prosper lib. de prædict. & promiss. par. 2. cap. 35. alijque plures veteres Patres. Et patet: quia Ecclesiasticus prophetat de Elia, & Enoch, venturis in fine mundi cap. 44. 16. & cap. 48. 10. item de Christi descẽsu ad inferos cap. 24. 45. *Penetrabo*, ait, *omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino*. Insuper ex Augustino loco statim citato de Ciuit. Dei, fides gentium prædicitur futura cap. 36. 1. *Misereri nostri Deus omnium, & respice nos, & ostende nobis lucem miserationum tuarum. Et immitte timorem tuum super gentes quæ non exquisierunt te, vt cognoscant quia non est Deus nisi tu, & enarrent magnalia tua.*

Tres principales huius libri sũt partes. Prima cap. 1. continet encomium Sapientiæ, siue sacræ Ethices, quamuis alijs etiam capitibus simile quid sparsim insertum reperiatur. Deinde à cap. 2. vsque ad 24. subiunguntur pręcepta, & dogmata eiusdem sapientiæ de quibuslibet virtutibus iuxta seriem Decalogi. Incipiunt enim à timore & cultu Dei: inde cap. 3. progreditur auctor ad honorem parentibus debitum: ac deinceps officia cęteris, vel ex charitate, vel ex iustitia pręstanda prosequitur. Secunda à cap. 24. ipsam Sapientiam se, suaque prędicantem inducit, ac deinde ethica eius documenta prosequitur vsque ad cap. 42. vers. 15. Tertia ab isto capite vsque ad finem complectitur harum virtutum & documentorum exempla, siue quod idem est Ecclesiasticus in illa nos ad sapientiæ virtutumque omnium studium allicere conatur exemplis Sanctorum Patrum veteris testamenti. Quorum omni ferè tempore aliqui hi: virtutibus ornati fuerunt, vt ante legem, Enoch, Noe, Abraham, Isaac, Iacob, & duodecim Patriarchæ, de quibus agitur in cap. 44. Sub lege, Moyses, Aaron, Phinees, de quibus cap. 45. Post legem tempore scilicet Iudicum, Iosue, Caleb, Samuel & cęteri Iudices, de quibus cap. 46. tempore Regum Nathan, Dauid, Salomon, de quibus cap. 47. vbi etiam fit mentio de Roboam & Hieroboam qui diuiserunt legem, Helia, Elisæo, Ezechia, & Isaia cap. 48. tandem de Iosia, Ieremia, Ezechiele, & duodecim Prophetis agitur in cap. 49. vsque ad finem. Post Reges Zorobabel, Iesus Sacerdos Magnus, Nehemias, & Simon Iustus filius Oniæ, frater Eleazari qui misit 70. Interpretes ad Ptolemæum Philadelphum: circa finem cap. 49. vsque ad finem, cap. 50. vbi pro Epilogo libri seipsum tandem introducit auctor scribentem doctrinam sapientiæ, in fine cap. 50. orantem in principio cap. 51. laborantem pro sapientia acquirenda, circa medium, & inuitantem ad sapientiam vsque in finem.

Circa versiones huius libri, cum primum scriptus esset à Iesu seniore idiomate Hebræo, non quidem puro, sed corrupto, quali vtebantur Iudæi post reditum è Babylone, quod alij Syriacũ appellant, à nepote eius Iesu iuniore in Græcum traductus est, vt ait S. Epiphanius lib. de Ponder. imo ipse Iesus iunior in Prologo: *Deficiunt*, inquit, *verba Hebraica, quando fuerint translata ad alteram linguam*. S. Hieronymus Hebræum se vidisse testatur prologo in libros Salomonis. imo suspicantur nonnulli, Hebræum originale esse illud ipsum, quod ab Hebręis colitur nomine ben sira; sed hoc esse falsum rectè ostẽdunt Serarius, Gretserus, & ex illis Cornelius à Lapide prolegom. in Eccles. c. 3. Iam verò sicut certum est Iesum nepotem aui librum, ex Hebræo in Gręcum transtulisse: ita incertum est, quis eum ex Græco, vel Hebræo in Latinum conuerterit: quisque sit auctor vulgatæ versionis Latinæ Ecclesiastici: Certũ enim est, non esse S. Hieronymi: licet enim ipse sit auctor versionis Vulgatæ; ab ea tamen excipiendi sunt Psalmi: secundo nouum testamentum: hoc enim non vertit, sed prius versũ emendauit S. Hieron.

Tertio

Tertio Sapientia, Ecclesiasticus,& vterque Machabæorum: hos enim nos non habere ex versione S.Hieronymi, sed ex antiqua translatione, cuius Auctor ignoratur, iam suis locis notauimus,& fusius probabimus infra, agendo de Latina editione vulgata. Videamus iam quid infideles, & hęretici contra huius libri veritatem opponant.

Primò dicunt aliquos Sanctos Patres texentes Catalogum sacrarum Scripturarum, mittere Ecclesiasticum; alios vero dubitare, imò negare esse librum Canonicum. Sed iam huic argumento plenè satisfecimus supra c.30.vbi ostendimus minimè Patres Canonicæ huius libri, & aliorum Deuterocanonicorum auctoritati contradicere.

Obijciunt secundò, auctorem in translatione ex Hebręa in Græcam linguam, veniam à legentibus in prologo petere, si quibusdam in locis in verborum compositione deficiat. Vbi satis indicat se nec Prophetam esse, nec spiritu prophetico pręditum. Respondetur talem non auctoris, sed interpretis excusationem, nihil diuinæ huius libri auctoritati præiudicare, quæ etiam salua esse potest si non adeo sit elegans interpretatio. Imò talis imperitia potest stare cum ipsomet Propheta,& auctore Canonico, qui dirigitur à Deo, vt vera scribat, non vt cum elegantia scribat; alioquin oporteret Hieremiam à Vatum numero expungere, quod se ineloquentem professus sit, dicens *A, a, a, Domine Deus ecce nescio loqui, quia puer ego sum*, & humili stylo scripserit.

Cap.5. vbi dicitur: *Omnis misericordia faciet locum vnicuique secundum meritum operum suorum*; conqueritur idem Kemnitius, nos addidisse nomen meriti, quod non est in Græco,& sic deprauasse hunc locum ad merita bonorum operum ostendenda, sicut antea conquestus erat Caluinus Institut.lib.3.cap.10.§.52. Respondetur quidem in textu Gręco non haberi nomen meriti, quia hoc nomen est Latinum, & ille textus est Gręcus, tamen esse aliquid, quod idem significet, & rectissimè per meriti vocabulum exprimatur. Est enim cata erga, nullus autem, qui Græcæ linguæ vel mediocriter sit peritus, negare potest, quin cata erga significet Latinè pro meritis,vel secundum merita operum.Sed non est mirum Hæreticos Ecclesiasticum odisse, quod ex eo multa fidei dogmata,quę ipsi negant, confirmentur.

Cap. 47. vers. 23. quod dicitur de Samuele excitato à Pythonissa, difficultatem habet inter doctores; An verus fuerit Samuel, qui apparuit Sauli, an phantasticus; siue an verè apparuerit anima Samuelis, an eius larua per illusionem dæmonis. Aliqui enim censent fuisse Samuelem phantasticum, ac laruam illusionemque diaboli, puta dęmonem in specie & forma Samuelis. Contrarium tamen longè verius asserunt alij scilicet apparuisse verè ipsam animam Samuelis in corpore aëreo assumpto, quale assumunt Angeli dum hominibus apparent.

CAPVT XL.

De libris Prophetarum.

IN præcedentibus Sacrę Scripturę libris, cùm de lege, & rebus ad illam pertinentibus actum sit, nunc sequuntur libri Prophetarum, quos rectè legis Interpretes, veritatisque doctores appellare possumus,vt potè à Deo missos,qui arcana eius consilia hominibus enunciarent, quique Ecclesiam Dei à Synagoga Satanę secernerent, & dono prophetię quasi certissimo verę Ecclesię indicio,& signo, interdistinguerent, totique mundo ostenderent. Horum autem,quorum monumenta ex veteri testamento ad nos vsque peruenerunt, de quibus tantùm agimus in pręsenti, quatuor dicuntur Maiores, videlicet, Isaias, Ieremias (apud quem Baruch etiam ponitur,cum veteres eum in prophetia non existimarint ab eodem Ieremia diuersum) Ezechiel, Daniel, & duodecim Minores,videlicet Oseas; Ioel, Amos, Abdias, Ionas,

nas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, & Malachias. Qui non ideò minores dicuntur, quia tempore maioribus posteriores sint, aut sententiarum grauitate, verborum maiestate, vllaque re alia illis inferiores, sed vt ait D. Augusti. lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 29. *Quia sermones eorum sunt breues in eorum comparatione, qui maiores ideo vocantur, quia prolixa volumina condiderũt.* Vndè apud Hebreos eorum vnusquisq; suum habet librum, quem minores non habent, vno solo, ob sui breuitatem contenti. Ob quam etiam rationem prius in Canone collocantur, quatuor Maiores, deinde duodecim Minores Prophetæ. Si enim ratio temporis attendatur: Primus tempore, & ætate fuit Osee 2. Ioel. 3. Amos. 4. Isaias 5. Abdias 6. Ionas 7. Micheas 8. Nahum 9. Habacuc. 10. Sophonias 11. Ieremias 12. Baruch. 13. Ezechiel. 14. Daniel. 15. Aggeus 16. Zacharias 17. Malachias.

Quia autem temporum inuestigationem ad intelligenda Prophetarum oracula non vtilem tantùm, sed etiam necessariam docet Hieronymus his verbis: *Proindè qui nescit tempora eorum quæ dicta sunt, quæ ve euenerunt, qui poterit homini contentioso demõstrare Prophetiæ certitudinem.* Notandum est Prophetas omnes spatio trecentorum annorum vixisse, & floruisse ab Ozia, vel Azaria rege Iuda vsque ad Darij tempora. Sic primus Osee ait se prophetasse sub Osia, mox sub eodem rege secutus est Ioel, Amos, & Isaias, qui ad tempora Manassis peruenit. Deindè sub Ioathan filio Osiæ prophetarunt Abdias, Ionas, & Michæas. Quo circa Osee, Ioel, Amos, Isaias, Abdias, & Michæas contemporanei fuerunt, ait S. Hieron. in Osee cap. 1. Consequenter sub Ezechia floruit Nahum, & sub Manasse Abacuc. Deinde sub Iosia Sophonias, mox Ieremias, qui paulo ante captiuitatem, & in ipsa captiuitate, quæ contigit sub Sedecia prophetauit. Post eum in ipsa captiuitate anno transmigrationis Ioakim quinto Ezechiel: deindè post vrbem Ierusalem à Chaldæis euersam anno quinto Baruch; anno octauo Daniel. Demum post reditum è captiuitate anno 18. prophetarũt Aggæus, Zacharias, & vltimus Malachias. Ex quibus satis patet Prophetas alios fuisse ante captiuitatem, alios imminente captiuitate, alios in ipsa captiuitate, alios tandem post captiuitatem. Quorum omnium notitia nusquã certius colligi potest, quàm ex ipso prophetiæ cuiusque Prophetæ initio; ibi enim indicare solent reges sub quibus prophetarũt. Quod si aliqui omittunt, vel breuitatis causa, æquè ac obscuritatis, vt videantur esse Prophetæ non historici, vel etiam quia generales sunt eorum Prophetiæ, & ad omnia spectant tempora: quales sunt Abdiæ, Ioelis, Nahum, Malachiæ, Ionæ; docent Hieronymus initio Osee, & Ruffinus in cap. 1. Ioelis, medios Prophetas, qui tempus non præferunt in titulo, prophetasse sub illis regibus (saltem sub extremo illorum) sub quibus prophetauit præcedens Propheta, qui temporis titulum præfert, excepto fortasse Ioele, qui non sub Osia, Ioatham, Achas, & Ezechia vti Osee, qui Ioelem præcedit, sed sub Manasse ab Hebræis prophetasse perhibetur: & Habacue, qui pariter sub Manasse prophetauit, non sub Ioatham, Achas, & Ezechia, vti Michæas & Nahum, qui Habacuc immediatè præcedunt: id magis patebit agendo de singulis Prophetis.

Cum tempus, & ordo sic se habeant cuiusque Prophetæ, librorumque Propheticorum, quod pertinet iam ad eorumdem argumentum, & materiam, dicendi methodum modumque, in communi; Epiphanius in lib. de mens. & ponder. libros Prophetarum à priscis testatur partitos fuisse secundum materiam subiectam in nouem speculationes, seu potius locos communes, nempe in doctrinas, speculationes, exhortationes, minas, luctus, consolationes, preces, historias, prædictiones quarum potissimum quatuor sunt differentiæ. Primò aliæ sunt de reiectione legis secundum carnem, & nouo testamento legi succes-

suro.

furo. Secundò aliæ iterum sunt de depositione prioris populi, & vocatione gentium: Tertiò aliæ de promissionibus ad Patres factis, Christo peculiariter & Ecclesiæ: Quartò nonnullæ sunt contra prouincias & certas personas, omnesque in vniuersum impios. Ex quibus etiam colligitur tria maximè fuisse munia, & officia Prophetarum. Primum, docere populum tum credenda, tum agenda; tum res fidei, tum viam virtutis & salutis. Secundum concionari, hinc eorum scripta videntur esse perennes & perpetuæ conciones, eæque ardentes & efficaces. Tertium, illudque magis proprium vaticinari, & prædicere futura. Quantum verò ad stylum, quo vsi sunt prophetæ; omnes quidem, sed præcipuè duodecim minores, abundant parabolis, symbolis, Aenigmatibus; indeque tanta prouenit eorumdem obscuritas & profunditas, cui superandæ tamen non mediocriter conferunt plures Sanctorum Patrum regulæ & canones, quos in vnum collegit Cornelius à Lapide præfat. in Prophetas Maiores, & Minores.

CAPVT XLI.

De Prophetia Isaiæ.

Sequendo ordinem, non quo editi, sed in Scripturę canone positi sunt Prophetarum libri: Primus ex quatuor maioribus occurrit Isaias, cuius Prophetiam fuisse diuinitus inspiratam habemus ex traditione, & authoritate Ecclesiæ eam consignante: deindè quod in nouo testamento sexaginta sex eius loca citentur: tertiò ex vnanimi Sanctorum Patrum consensu; Quibus accedit quarto, tàm in Isaia, quàm in alijs Prophetarum libris plura prædici futura, circa Christi Incarnationem, natiuitatem, vitam, passionem, mortem, crucem, redemptionem, totamque eius Oeconomiam, ac præsertim Synagogæ Iudæorum reprobationem, ac Ecclesiæ Christi successionem, & gentium vocationē, aliaque similia, quæ cum humanam effugiant cognitionem, fuerintque postea ad amussim impleta, ita vt nihil aliud sint Prophetarum libri; quam Euangelium signatum; nihil aliud verò Euangelium; nisi eorum prophetię resignatæ & completę per Christum; vel vt loquitur D. Augustinus lib. de catechizand. rudib. cap. 4. *In veteri testamento est occultatio noui, in nouo testamento est manifestatio veteris*. Indè satis patet, euidensque habetur argumentum vnum eumdemque Spiritum veritatis per singulorum ora esse locutum.

Porrò Isaias, quem Hebręi vocant *Iesahiau*, hoc est, Domini salus, fuit filius Amos vt patet cap. 1. vers. 1. non Amos minoris Prophetę, vt falsò putarunt aliqui, sed alterius è regio sanguine, quem Hebręi credunt fuisse fratrem Amasię regis Iuda, qui fuit pater Azarię, & Ozię regis, sub quo cœpit prophetare Isaias; vndè in stylo eius tanta est vrbanitas, nitor, decor, & gratia, vt vel ex eo solo ipsū in aula regijs moribus educatum fuisse colligere liceat. Non desunt qui addant Isaiam fuisse etiam Socerum, idest, prosocerum, siue patrem Soceri Manassis, nam erat tunc 126. annorum, vt statim dicetur. Hinc patet Isaiam cępisse prophetare ferè eodem tempore, quo Osee, & Ioel, anno 17. Osiæ inquit Eusebius: Osias autem regnare cœpit anno mundi 3137. quod fuit ante initium Olympiadum, hæ enim numeri cœperunt, sub annum 40. Oziæ ideoque ante conditam Romam: hæc enim iuxta Chronologiam, quam sequimur cum Cornelio à Lapide condita est circiter anno vndecimo Ioathan: Olympiades autem Romam antecesserunt viginti tribus annis: Isaiam fuisse coniugatum, habuisseque vxorem, & filiūm nomine Iasub, patet cap. 7. vers. 7. Diuus autem Hieronymus in prologo Isaiæ docet ipsum prophetasse in Hierusalem, & Iudęa, hoc est, tribubus Beniamin, & Iudę; idque per spatium 96. annorum, videlicet sub Ozia, qui 52. annis regnauit; sub Ioatham, qui sedecim; sub Achas qui 16. sub Ezechia, qui 29. Ponendo

do enim illum cœpisse prophetare anno 17. Oziæ, vt statim diximus ex Eusebio restabunt ex regno Oziæ anni 36. quibus si addantur 16. Ioatham, 16. Achas & 29. Ezechiæ, fient anni 96. quibus prophetauit Isaias. Deindè si dicamus eum instar Christi, & Ioannis Baptistæ, ex more Hebræorum non cœpisse prophetare ante annum ætatis trigesimum hinc sequetur eum ad decrepitam ætatem vixisse, vsque ad annum ætatis 126. & vlterius: occubuit enim sub impijssimo Rege Manasse, iussu eius in duas partes diffectus; idque non statim initio regni (cœpit enim ipse regnare puer anno duodecimo ætatis) sed cum iam grandior, & nequitior esset effectus.

Potissimus huius prophetiæ scopus, quo scilicet vniuersa referuntur, fuit agere de admirabili Christi regno, ad superborum deiectionem, humiliumque exaltationem ordinato. *De vtroque agit regno*, inquit Hieronymus in prologo ad Isaiam, *id est* 10. *tribuum Israel, & duarum Iuda, & Beniamin. Et cum interdum ad præsentem respiciat historiam, & post Babyloniæ captiuitatem, reditum populi significet in Iudæam: tamen omnis eius cura de vocatione gentium, de aduentu Christi est.* Idem docet D. Augustinus lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 29. *Isaias*, inquit, *inter illa, quæ iniqua arguit, & iusta præcepit, & peccatori populo mala futura prædixit, etiam de Christo, & Ecclesia, hoc est de Rege, & ea, quam condidit ciuitate multò plura, quàm cæteri, prophetauit vt à quibusdam Euangelista, quàm Propheta potius diceretur.* Quare duæ prophetiæ huius sunt partes principales, prima continens exprobationes & comminationes, quibus Isaias præcipuè populum Iudaicum perstringit, & à peccandi libidine nititur abstrahere; alias hæc pars oraculum triste dicitur, & flebile, diuiditurque in quinque sectiones à cap. 1. vsque ad 40. Prima sectio est à cap. 1. ad 7. qua Iudæorum scelera arguit, eisque minatur cladem tum Assyriacam per Sennacherib, tum Babylonicam per Nabuchodonosor, tum Romanam per Titum, ac deniquc cap. 6. eorum excæcationem, & reprobationem tempore Christi. Secunda, quæ à cap. 7. ad 13. porrigitur, Emmanuelis ex Virgine ortum, victoriam, nomina, imperium, gratiam, prædicationem, conuersionem Gentium, crucem, sepulchrum gloriosum, Sacramentorum efficaciam, & gratiarum diffusionem per epinicion graphicè depingit. Tertia sectio à c. 13. ad 24. complectitur decem onera, siue prophetias de excidio Babylonis, Philistinorum, Moab, Damasci, Aethyopiæ, Aegypti, Idumeæ, Arabiæ, Iudææ, & Tyri per Nabuchodonosor. Quarta à cap. 24. ad 28. continet onus, id est prophetiam, de excidio orbis ob impietatem hominum in fine mundi; de gehenna reproborum, de gloria paucorum saluandorum, eorumque Canticis & hymnis Eucharisticis, deque vindicta & excidio regni Leuiatham, id est diaboli. Quinta à cap. 28. ad 40. redit ad onera temporis præsentis, eaque varia mixtim pertractat, puta de excidio decem tribuum deinde duorum, mox Sennacherib, mox totius orbis, mox infidelitatis & impietatis per aduentum Christi vsque ad cap. 36. ibi enim vsque ad cap. 40. à prophetia transit ad historiam Sennacherib, deindè Ezechiæ, introducens eum ad Deũ clamantem, & Dominum illum eripientem; infirmum conualescentem; postea vanè gloriantem, ostendẽdo Babylonijs diuitias suas; Vndè Isaias comminando concludit, captiuitatem futuram, & omnia deportanda in Babylonem.

Altera pars Isaiæ principalis, oraculum suaue, siue lætum de Christo & Ecclesia nuntium appellata, constat adhortationibus, consolationibus, promissis; licet enim hæc pars cum priore commisceatur; quatenus in ea sæpè fit transitus à typo ad antypum, à Iudæis ad Christum, & Christianos; hic enim est mos & raptus Prophetarum, maximè Isaiæ; qua etiam de causa ipse obscurior est; propriè tamen incipit à cap. 40. & extenditur vsque ad finem libri. Cum igitur populus Iudaicus in afflictionibus suis

suis à regibus suis esset derelictus introducit Propheta personam Christi, populi sui miserentis, ac ita pro consolatione afflictarum mentium, agit in summa de liberatione populi, siue potius generis humani per Christum à peccato, & captiuitate dæmonum; cum allusione tamen ad redemptionem & liberationem Iudęorum è Babylone per Cyrum. Illa enim huius, perinde vt Cyrus Christi, fuit typus. Vndè hanc partem ad litteram historicè debemus accipere de Iudæis per Cyrum liberatis, allegoricè autem de soluta captiuitate generis humani per Christum; vel melius, ad litteram de Christo, eiusque redemptione, cum allusione ad prędictam Iudęorum liberationem è Babylone per Cyrum. Tanta enim claritate in ea agitur de Aduentu, Vita, Passione, Morte, Resurrectione alijsque Christi & Ecclesiæ Mysterijs, vt Isaias non futura prædicere, sed potius præterita enarrare, & Euangelistæ, quàm Prophetæ partes implere videatur. Totius libri narratio prosa est, numeris omnibus absoluta, exceptis fortasse tribus Canticis, Vineæ, scilicet, Vrbis Sion, & Ezechiæ Regis, quæ vna cum oratione Isaiæ Hexametris, & Pentametris versibus incedere Isidorus testatur. Tantùm de Prophetiæ Isaiæ authoritate, tempore, stylo, & argumento, nunc ad Hęreticorum obiectiones veniamus.

Objiciunt cap. 6. vers. 10. excęcationem Deo tribui, dùm dicitur, *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua*; quod est facere Deum authorem peccati: Respondetur talia verba minime hunc sensum facere; de quibus videndi sunt Interpretes, cum longiorem exigant disquisitionem, quam præsentis instituti ratio postulet.

Ibidem vers. 1. quod dixerit Propheta, *Vidi Dominum sedentem*, obijcit Adimantus, hoc repugnare Apostolicis dictis, Ioannis 1. *Deum nemo vidit vnquam*; & 1. ad Timoth. cap. 1. *Regi sæculorum Immortali, & Inuisibili*. Respōdetur prędictos scripturæ textus minime inter se pugnare, vt rectè ostendit S. Augustinus lib. contra eumdem Adimantum cap. 28. *Cùm*, inquit, *triplex sit visio, corporalis, imaginaria, intellectualis, quem corporaliter inuisibilem non nouit, spiritualiter intellexit*. Vel etiam dici potest Isaiam non vidisse diuinam essentiam, sic enim Ioannis 1. dicitur, *Deum nemo vidit vnquam*, & ab Apostolo pro pręsenti statu, inuisibilis vocatur: sed tantùm vidisse Deum, per speciem aliquam & imaginem, siue corpoream, siue imaginariam, siue quod probabilius est, intellectualem; de quo vide Cornelium à Lapide in hunc locum.

Cap. 16. vers. 1. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ de Petra deserti*: Cum hęc verba à Sancto Hieronymo, multisque alijs ad litteram intelligantur de Christo Domino, videntur esse falsa, si quidem de Nazareth, & Bethleem venit, non verò de Petra originem duxit. Respondetur Christū à Propheta emissum dici, de Petra Deserti, siue Moab, non in se, sed in sua Auia Ruth, quæ nata est in vrbe Petra, indeque à Deo quasi emissa venit in Sion. Sicut nepotes Iudæ Gen. 46. dicuntur ex Chanaan egressi, & ingressi in Aegyptum, non in se, sed in suo parente Iacob, nam ipsi nati sunt post ingressum parentis in Aegyptum. Prædicta autem vrbs dicta est Petra, quia in circuitu rupibus & præcipitijs est murata, inquit Strabo lib. 16. & ab ea tota regio dicta est Arabia Petræa. Hanc vrbem auxit Balduinus Rex post bellum sacrum. Deinde Soldanus eam receptam totius Aegypti ac Arabiæ gazophylacium constituit, vt testatur Adrichomius.

Cap. 23. v. 17. *Et erit post septuaginta annos: visitabit Dominus Tyrum, & reducet eam ad mercedes suas*: Quibus verbis cum Tyri calamitas 70. annis definiatur, deindeque reædificandam iri, vti factum esse patet 2. Esdræ cap. 13. v. 16. & ex eo quod postea Alexāder Magnus rursum Tyrum expugnarit. Objiciunt aliqui hoc non cohęrere cum eò quod de eadem vrbe prædixit Ezechiel c. 26.

14. *Non ædificaberis vltra*. Respondetur istam particulam *vltra*, idem esse ac ad longum tempus, scilicet 70. annos, quibus Tyrus mansit vastata & desolata. Quem in sensum Philisthæi *non vltra* in terminos Israel venisse dicuntur 1. Reg. cap. 7. vers. 13. & Deus ait se non daturum *vltra Hebræos opprobrium in gentibus* Ioel. 2. vers. 19. Vnde præfato Ezech. loco Hebræa lectio habet, *Od*, id est, *amplius*, quod communiter significat tempus Iubilæi nimirum spatium quinquaginta annorum, atque adeò à fortiori significare potest illud 70. annorum, quibus in obliuione Tyrus futura prædicitur Isaiæ 23. vers. 15. Secundò respondet D. Hieronymus in Ezech. cap. 26. Tyrum quidem reædificatam, ac restitutam fuisse in pristinam ciuitatem, non tamen in regnum; nam deinceps subfuit Chaldæis, Græcis ac Romanis; vndè iuxta hanc explicationem, quod ait Propheta, *non ædificaberis vltra*, non significat absolutè Tyrum non esse amplius reædificandam, sed solùm in tali & tanta gloria, qualem, & quantam antè habuit, vt scilicet imperaret. Idem dicendum est de alio textu eiusdem Prophetiæ Ezechielis eodem ipso citato cap. 26. *Requisita non reperieris vltra in sempiternum*.

CAPVT XLII.

De Prophetia Ieremiæ.

SVpposita sacra & Canonica huius prophetiæ authoritate, quam satis probant omnia argumenta superiori capite allata. Aduertendum est primo illam quidem dictasse Ieremiam afflatum spiritu Dei: scripsisse verò eo dictante Baruch eius scribam, vt patet cap. 36. 4. qui & prophetias Ieremiæ diuerso tempore editas, in hoc quod habemus volumen collegit, neglecto tamen ordine; vnde sæpe præponit prophetiā quæ posterius contigit, & è contrario priorem postponit: qua de causa hic in Ieremia sæpe præposterus, & perturbatus est ordo. Hinc etiam vltimum caput additum est à Baruch ex capite vltimo lib. 4. Reg. Ob eamdem similiter causam Septuaginta interpretes subindè ordinem capitum, qui est in Hebræa & Latina editione, commutarunt, vt caput 29. nostrum sit 36. apud Septuaginta cap. 30. nostrū sit 37. apud Septuaginta; cap. 48. nostrum sit 31. apud Septuaginta &c.

Porro Ieremias, Hebraicè Irmeiahu (hoc est excelsus Dei atque extollens Deum) anno secundum supputationem Cornelij & aliorum, mundi 3318. qui fuit antè Christi natiuitatem 632. Iosiæ regis 13. ætatis suæ 14. aut 15. cœpit prophetare; post Isaiam anno 165. ante Ezechielem 34. & Danielem 54. Prophetauit autem sub quinque regibus, scilicet sub Iosia annos 19. sub Ioachas filio Iosiæ tres menses; sub Ioachim fratre Ioachas, & filio Iosiæ ann. 11. sub Ioachin filio Ioakim tres menses: sub Sedecia fratre Ioachas & filio Iosiæ annis 11. vsque ad mensem quintum anni illius vndecimi, quo capta est à Chaldæis Ierusalem, in qua & Ieremias captus est, sed liberaliter habitus à Nabuchodonosor: quia eius victoriam contra Iudæos prædixerat, eisque suaserat, vt ei se dederent cap. 39. v. 11. Prophetauit ergò annis 41. in Iudæa: in qua per Chaldæos euersa remansit, vt reliquijs populi esset solatio; verùm ex Iudæa paulo post Iudæis Chaldæos fugientibus, ab eis contra iussum Domini in Aegyptum abductus est; ibique in Taphnis prophetauit vt patet cap. 43. 44. per annos quatuor, scilicet vsque ad annum quartum captiuitatis & excidij Ierusalem, qui erat Nabuchodonosoris 23. quo cum prædixisset Ieremias Pharaonem, qui dictus est Ephree, vel Vaphre, regem Aegypti à Nabuchodonosore vincendum & occidendum, vt contigit anno sequenti, à suismet Hebræis lapidibus obrutus ibidem Martyr occubuit. Ex quo sequitur vniuersim prophetasse Ieremiam annis 45. nimirum in Iudæa ann. 41. in Taphnis vero 4. cumque cæperit puer 15. circiter annorum eum occisum esse sexagena-

genarium, anno mundi 3363.

Quis autẽ & qualis fuerit Ieremias, satis patet ex cap. 1. vers. 1. vbi dicitur filius Helciæ de Sacerdotibus, qui fuerunt in Anathoth, quæ erat vrbs in tribu Beniamin, tribus milliaribus distans à Ierusalem, eratque Sacerdotibus attributa, vt patet Iosue 21. 18. Difficultas tamen est inter doctores an Helcias hic Ieremiæ pater fuerit celebris ille Summus Pontifex, qui anno 18. Iosiæ (qui erat sextus ab eo tempore, quo prophetare cœpit Ieremias) inuenit in arca librum Deuteronomij 4. Reg. 22. 8. Affirmant enim aliqui, sed verius negant alij; nam si Helcias fuisset Summus Pontifex, sanè hoc non tacuisset scriptura hic: quia hoc faciebat ad magnam Ieremiæ tùm notitiam tum dignitatem: Secundò quod dicitur fuisse *de Sacerdotibus*, planè significat eum vulgarem fuisse Sacerdotem, non Pontificem. Tertio Pontifices habitabant Hierosolymæ iuxta templum, teste Iosepho lib. 20. Antiquit. cap. 18. hic autem Helcias habitabat in Anathoth, vndè tempore vicis suæ veniebat Hierosolymam, vt Sacerdotio fungeretur. Ita Chaldęus addit eum fuisse vnũ ex viginti quatuor prępositis templi. Ieremiam quoque in vtero matris fuisse sanctificatum, & cõsecratum Prophetam, colligitur ex eodem cap. 1. vers. 5. Hinc tota vita mansit virgo, vt plures arguunt ex cap. 16. vers. 2. quamuis Chaldęus interpres cap. 37. 12. eum filios habuisse putet. Quocirca D. Hieronymus prologo in Ieremiam de eo sic ait: *Virginitate sua Euãgelicum virum Christi Ecclesiæ dedicans*. Quot autem & quibus in rebus, Ieremias fuerit typus, aut Propheta Christi, vide Cornel. in Prolegom. Ierem.

Quantum ad huius Prophetiæ argumentum: primò partim prædicit futura, maximè Nabuchodonosoris aduentum, vrbis excidium, & aliarum gentium: partim hortatur ad virtutes, vitæque emendationem: partim increpat peccata, maximè idololatriam. Secundò cõsolatur suos, prædicitque post 70. annos liberationem è captiuitate. Tertiò, gesta sui temporis, tum regum, tum populi, tùm sua dicta & facta sigillatim enarrat. Quartò vaticinatur de Christi Ecclesia, vocatione gentium, gratia & felicitate noui testamenti. Quia tamen ordo capitum & oraculorum in Ieremia valde perturbatus est, siue quia vt ait Hieronymus in cap. 25. Ierem. *Prophetis cura non erat tempora conseruare, quæ historiæ leges desiderant, sed scribere vtcunque audientibus, atque lecturis vtile norant*. Siue quia vt notauimus supra, prophetiæ aliquæ diuerso tempore dictæ, & diuersis schedis à Prophetis cõscriptæ, postea ab aliquo alio in ordinem quem iam habemus, compilatæ fuere, & digestæ, ordine tamen neglecto; hinc claritatis gratia, sacri interpretes, Chronotaxin oraculorũ, siue ordinem capitum & gestorum Hieremiæ quatuor in partes distribuere solent. Prima complectitur ea, quæ prophetauit sub Iosia Rege, quibus carpit idololatriam & vitia populi, minaturque excidium per Chaldęos. Secunda est eorum, quæ prophetauit sub Ioakim filio Iosię, & Ioachin siue Iechonia filio Ioakin, mortuo Iosia, & amoto Ioachas filio eius. Tertia continet oracula dicta sub Sedecia, qui Iechoniæ successit, vsque ad excidium vrbis inclusiuè. Quarta denique complectitur oracula & gesta post excidium Hierosolymæ. Quod ad stylum, quo vtitur; quantùm in maiestate sensuum profundissimus est Ieremias, tantùm in verbis simplex videtur & facilis: more tamen Hebræo, per varias similitudines & parabolas res ob oculos ponit, vti & Christus. Hebręum eius idioma purum est, nec Chaldæo permixtum. Scripsit enim Hieremias ante captiuitatem Babylonicam, atque adeò ante corruptionem linguæ Hebraicæ, quæ facta est in Babylone: ibi enim cùm Chaldęis chaldaizare cœperũt Iudæi captiui. Soluamus iam aliqua infidelium, & hęreticorum argumenta.

Obijciunt cap. 7. vers. 22. quod dicitur: *Non sum locutus cum patribus ve-*

ſtris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Aegypti, de verbo holocautomatum & victimarum. Hoc videtur manifeſtè falſum, ſi quidem primis Leuitici capitibus, de nulla re agitur, quàm de victimis & ſacrificijs. Reſpondetur ex D. Hieronymo, Deum prius in Exodo dediſſe Iudęis decalogum in tabulis lapideis, quaſi potiſſimum ſui cultum, & puram religionem: Deindè poſt offenſam idololatriæ adoratumque vitulum Exod. 32. pręcepit, vt magis ſibi, quam dæmoni & vitulo ſacrificarent, certaſque ouium, boum & hircorum victimas immolarent. Licet enim Exod. 20. iubeat Deus fieri altare, nullas tamen determinat aut pręſcribit victimas in eo offerendas, illas enim poſtea tantùm pręſcripſit in Leuitico, vndè iubet ſolum, vt victimas, quas ſponte offerre volunt, in altari terreo offerant. Rurſum Exod. 29. pręſcripſit quidem victimas offerendas in conſecratione Sacerdotum; verum cùm illæ Sacerdotes tangant potius quàm populum: nec pro populo, ſed pro conſecratione Sacerdotum iubeantur offerri; verè dixit Ieremias, Deum non pręcepiſſe Iudęis in die, qua eduxit eos de terra Aegypti, de verbo holocautomatũ, & victimarũ.

Cap. 23. verſ. 6. vbi eſt ſermo de Chriſto, legitur in Vulgata Latina: *Et hoc eſt nomen quod vocabũt eum Dominus iuſtus noſter:* Obijciunt Vvitacherus, Iunius & alij legendum eſſe ex Hebræo, *ÿcreo*, id eſt, *vocabit eum Dominus hoc nomine, ſcilicet iuſtus noſter.* Reſpondetur modernos quidem Iudæos ita legere, ad impugnandam Chriſti diuinitatem, qua in re ipſis fauere non horrent pręfati hęretici; ſed veteres Hebræi, quos hic citat à Caſtro, & omnes Latini ac Græci docent, nomen Meſſiæ, quo ſui fideles eum vocabunt, fore hoc: *Dominus iuſtus noſter:* vnde patet Chriſtum proprię eſſe Deum; Hebraicè enim eſt *Iehoua*, proprium Dei nomen.

Cap. 30. verſ. 8. quod dicitur de Iudæis: *Et non dominabuntur eis amplius alieni;* videtur falſum, cum ex lib. 2. Eſdræ cap. 9. conſtet Perſarum reges illis dominatos fuiſſe poſt reductam captiuitatem. Reſpondetur ex Hieronymo, hęc verba ad litteram non intelligi de liberatione per Cyrum facta, ſed de ea quã dedit Dominus Ieſus Chriſtus ſuis, vt nulli amplius ſeruirent niſi Deo & Dauidi, id eſt Chriſto filio Dauidis, tùm in hac vita, tùm maximè in cælo. Vndè quod Prophetis familiare eſt, miſcet Ieremias typum cum antitypo, & adnolat à Cyro ad Chriſtum, de quo etiã litteraliter, & non allegoricè hęc intelligi docet Cornelius à Lapide.

Cap. 36. verſ. 30. legitur: *Non erit ex eo*, ſcilicet rege Ioakim, *qui ſedeat ſuper ſolium Dauid:* Et tamen contrariũ habetur 4. Reg. 24. *Dormiuit Ioachim cũ Patribus ſuis, & regnauit Ioachim filius eius pro eo.* Reſpondetur filium quidem Ioachim ſolium regium poſt patrem aſcendiſſe, ſed quia tribus tantum menſibus regnauit, nec adhuc pacificè, nàm abductus dein fuit in Babylonem cum tota eius aula, ideo æſtimatur à Propheta, ac ſi non regnaſſet. Poſteri autem eius non fuerunt reges, ſed duces, & quidem tributarij Perſarum regibus. Machabæi aliqui fuerunt reges, ſed hi ex tribu Leuitica, non autem Iudæa originem ducebant: ac conſequenter non fuerunt ex ſtirpe Ioakim.

Cap. 50. verſ. 39. loquens Propheta de Babylone ait: *Non habitabitur vltra in ſempiternum;* quam tamen poſt Nabuchodonoſorem etiam ſub tempora Alexandri Magni conſtat opibus inclytam fuiſſe, & vnum è ſeptem ſpectaculis & miraculis mundi. Reſpondet Cornelius & alij hanc prophetiã non ſimul, ſed ſenſim & ſucceſſiuè impletam eſſe.

CAPVT XLIII.

De Threnis, ſiue Lamentationibus Ieremiæ Prophetæ.

Alter Ieremiæ liber eſt Threnorũ, id eſt Lamentationum, qui Hebraicè duplici inſcriptione notatur, vna à prin-

à principio libri, more solito, nempe *Echa*, id est, *quomodo*; altera ab eiusdem libri materia, quàm potissimum Rabbini vsurpant in suis commentarijs, scil. Kinoth, siue Kinothin, Græcè Θρῆνοι, id est planctus, vel lamentationes. In textu autem Hebræo, cum nulla præfatio, siue titulus Threnorum habeatur, in Græcis tamen & Latinis Biblijs etiam Romanis, illis veluti pro argumento, à prisco aliquo scriba, vel Septuaginta Interpretibus sequens adiectus fuit: *Et factum est, postquam in captiuitatem reductus est Israel, & Ierusalem deserta est, sedit Ieremias Propheta flens, & planxit lamentatione hac in Ierusalē, & amaro animo suspirans, & eiulans dixit.* Vnde clarè liquet auctorem Threnorum esse Ieremiam, eosque fuisse compositos ab ipso, non ante excidium Hierosolymæ, vti aliqui censuerunt, sed post illud; etsi enim secundum opinionem magis probabilem, quam Cornelius & alij defendunt, præfatus titulus non sit scriptura canonica, & eiusdem authoritatis cuius sunt Threni, est tamen quid illis intraneum, quia scilicet intra contextum Bibliorum ab immemorabili tempore repositus, & Ecclesiæ approbatione firmatus; vndè non potest non facere certum & indubitatum argumentum.

Quantum ad huius libri materiam, vel argumentum, & si aliqua de illo sit inter doctores discordia, verius tamen est plangere hìc Ieremiam vrbis & templi excidium, & euersionem factam à Chaldæis, atque Regis Sedeciæ totiusque populi captiuitatem, huic enim aptè omnes Threnorum sententiæ conueniunt, eamque præsupponunt vel significant. Vndè colligitur Ieremiam scripsisse hos Threnos anno vndecimo Sedeciæ, qui fuit 19. Nabuchodonosoris: illo enim anno ipse cepit & vastauit Hierosolymam. Quia autem excidium Hierosolymæ per Nabuchonosorem & Chaldæos fuit veluti typus excidij eiusdem per Titum, & Romanos, imò quod inchoatum est per Nabuchonosorem, hoc perfectum, & consummatum est per Titum, rectè ex D. Hieronymo, Theodoreto & alijs docet Cornelius à Lapide c.4.v.10. & 20. hos Threnos cōsummatè accipi posse de excidio Iudęorū per Romanos. Tropologicè autem luget hìc Ieremias captiuitatem animæ sub peccato, quæ in Babylone, id est peccatorum confusione vincta tenetur. Allegoricè verò Threni sunt planctus de Ecclesia militante, cum ipsa ob peccata suorum fidelium vexatur à persecutoribus. hęc enim est allegorica Ierusalem vastata. Vel etiam Christo patienti adaptari possunt; symbolicè enim in hisce Threnis Christi patientis affectus, ac dolorum acerbitatem, ita in se graphicè depingit ac exprimit Ieremias, vt Christus hic in cruce gemens, loquens, lamentans audiri videatur. Quare Ecclesia mater nostra hos Threnos, hebdomada maiori, ipsoque die Veneris Sancto vsurpat, & publicè decantat, vt Christum patientē repræsentet, omnesque ad compassionē moueat. Sunt etiam, qui explicent Threnos de B. Virgine plangente Christi tormenta & crucem. Verum hic sensus non est proprius, sed tantùm accōmodatitius.

Quod pertinet ad huius libri stylum, genusque orationis, communis est doctorum sententia scriptum fuisse metris, siue versibus, non certis quidem numeris temporum ac pedum, vt Latini & Græci solent, sed vt Hebræi, certò ferè numero syllabarum; & initio cuiusque versus litteræ Hebraicæ ordine alphabeti præfiguntur, quod idem fecit Dauid in Psalm. 118. ita vt primus versus incipiat à prima littera Aleph, secundus à Beth, tertius à Ghimel, & sic de cæteris. Quare acrostichi sunt hi versus. Atque vt hoc ipsum in Græca & Latina versione significetur, hac de causa hæ litteræ Aleph, Beth, Ghimel &c. singulis versibus integræ ad marginem ascribuntur, quod non fit in textu Hebræo: quia ibi singuli versus à singulis litteris, siue à dictionibus, quæ à singulis litteris incipiunt, suo ordine inchoantur. Qua in re putant multi aliquid mysterij, quod nos lateat, contineri, negant tamen

tamen alij? Sunt autem quatuor Alphabeta iuxta quatuor huius libri capita. In primo Alphabeto cap. 1. sub singulis litteris, terni dodecasyllabi versus concluduntur. In secũdo alphabeto c. 2. terni quoque versus sub vna eademque littera continentur: quorum primus sexdecim, reliqui duo sunt duodecim syllabarum. In tertio cap. 3. terni versus non solum sub vna littera ponuntur, sed ab eadem etiam singuli inchoantur: quorũ vnus non seruato ordine 14. alij 12. syllabarum esse solent. Quartum cap. 4. sub vna littera comprehendit binos versus. Hic ergò sunt dimetri, in cæteris trimetri. Quamobrem S. Hieronymus in epistola 155. ad Paulam Vrbicam, ait eos quasi sapphico metro esse conscriptos, hoc est trimetro. Nam alioqui pedes ac numeros Sapphici carminis non habent; atque numerus & mensura eorum iam ignoratur. Vetus enim Hebræorum poesis interijt, vt iam multoties notanimus.

Diuiditur hic liber in duas partes, videlicet in quatuor planctus siue lamẽtationes, & totidem capita, quibus Propheta quadruplici, vt diximus alphabeto plangit destructionem ciuitatis Hierusalem, totiusque regni; deindè in orationem eiusdem ad Deum, qua eius implorat auxilium, & misericordiam, vt afflictis opituletur. Singula rursus capita totidem constant versibus, quot sunt litteræ apud Hebræos quæ, vt dictum est singulæ singulis præponuntur versibus.

CAPVT XLIV.

De Prophetia Baruch.

DE Canonica huius libri authoritate olim quidem dubitatum fuit; tum, quia non est in Hebræorum canone, nec Hebraicè extat; tum quia S. Gregorius Nazianzenus in Carmine, S. Hieronymus in prologo Galeato, Damascenus lib. 4. de fide cap. 18. vbi recensent libros canonicos, omittunt Baruch. Verùm iam de fide est hunc librum esse canonicum, in eoque consentiunt omnes Orthodoxi. Ita definiunt Concil. Florent. & Tridentinum in decreto de libris Canon. Idem patet ex S. Patribus, qui pro maiori parte eum citant quasi canonicũ, apud Bellarminum lib. 1. de Verbo Dei cap. 8. Vndè ad 1. rationem dubitandi respondetur, multos libros esse in Canone Christianorum, qui non fuerunt in canone Hebræorum, de quo vide superius dicta cap. 30. Baruch autem olim extitisse Hebraicè, eaque lingua scriptum esse, non est dubium; nostra enim editio hebraizat, vndè videtur translata ex Hebræo, non ex Græco, nam textus Grecus vberior subindè est, quam noster, & noster à Græcis sæpè discrepat. Ad 2. dicitur, veteres qui omittunt Baruch, eũ comprehendere nomine Ieremiæ, cuius fuit Scriba: vndè passim Patres citant, & vocant hunc librum Ieremiæ; quorum authoritates videri possunt apud Maldonat. in Proœm. & Christoph. à Castro in cap. 1. vers. 1. multique putant inscribi nomine Baruch, non tàm quod sit eius author, quàm quod Baruch eum scripserit, vti testatur ipse cap. 1. vers. 1. dictante scilicet Ieremia.

Cum enim Ieremias persuasisset Iechoniæ regi, vt Deo obediens se cum suis traderet Nabuchodonosori, & transmigraret in Babylonem, composuit hunc librum parænetictim & consolatorium, quem verbo tradidit Baruch, qui post obitum Ieremiæ ad exulum consolationem, & spem eorum erigendam, Babylone illum scripsit, & publicauit. Nam vastata Ierusalem, Baruch cum Ieremia à Iudęis fugientibus abductus est in Aegyptum, teste Iosepho; imò teste Ieremia cap. 44. cumque ibi à Iudæis lapidatus esset Ieremias, & mox Nabuchodonosor Aegyptum esset vastaturus; Baruch indè secessit in Babylonem, vt Iudæos consolaretur, ibique anno 5. à vastata Ierusalem, qui fuit 23. Nabuchodonosor, scripsit hunc librum, vt patet cap. 1. vers. 2. eodem ferè tempore, vt ex eius historia colligitur, quo libro

liber Tobiæ conscriptus est: vndè ab aliquibus post illum collocatur. Porrò Baruch, fuit nobilis familię, fratrem enim habuit Saraiam principem: nam vterque fuit filius Netię, filij Maasię, vt patet cap.51. Ieremię vers.59. collato cum c.1. vers.1. Baruch. Rursum fuit discipulus assecla & Scriba Ieremię, eiusque laborum, & tribulationum particeps ac socius.

Quantum ad huius libri argumentum multa in eo prophetantur de inuocatione nominis Domini, & spe futura liberationis Ierusalem, iam per Chaldęos destructę: prędicitur quoque apertissimè incarnatio, & apparitio Verbi Dei in carne humana. Diuiditur liber in duas partes principales; quarum prima continet prophetiã ipsius Baruch, vel quod Baruch fuerit illius author, vt volunt aliqui, vel potius compilator, vt docent alij, quatenus, vt statim notauimus, sententias huius libri primum quidem à Ieremia auditas, postea in Babylone collegit, & in vnum volumen digessit. Altera pars, est epistola Ieremię, siue missa à Ieremia, scripta verò à Baruch: vndè in Gręca editione Sixtina, siue Caraffę, hęc epistola ponitur immediatè post Threnos Ieremię. Quia tamen missa est ad Iudęos cum iam abducerentur in Babylonem, vt moneret eos Ieremias, quomodo se ibi circa idola gerere deberent, quod argumentum etiam idem Baruch cap.5. tractabat, ideo suo operi illam addere potuit; quando illud in Babylone scripsit.

Obijciunt hęretici falsum videri; quod habetur cap.1. vers.10. post templi videlicet ac altaris vastationem, Hierosolymis holocausta oblata esse, & festa celebrata. Respondetur nihil in hoc falsi contineri, licet enim à Chaldęis iam exustum esset templum, & altare euersum, tamen Iudei in ruinis templi erexerunt altare leui & imposito opere, vt aliquod suæ religionis exercitium haberent, vt satis colligitur ex Ieremia c.41. vers.5. perindè ac habuerunt altare antequàm ędificatum esset templum, & tabernaculum, in quo sacrificabant, vt dicitur Exodi 24.4. Quod ergò dicitur Daniel.3. vers.48. *Non est in tempore hoc &c. holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque locus primitiarum*, intelligi debet publicus, & solemnis, qualis erat in templo. Sed dices 1. Esdræ cap.3. vers.3. legitur Esdram post reditum è Babylone ædificasse Ierosolymis altare: ergò nullum antea omnino erat. Respondetur negando consequentiam: nam antea erat altare, sed vile, subitaneum, & nullius pretij. Esdras verò potestate à Rege Persarum accepta, conuocatis vndique Iudęis amplius & splendidius magna cum solemnitate erexit.

CAPVT XLV.

De Prophetia Ezechielis.

DE Canonica huius Prophetiæ authoritate nullum vnquam inter Catholicos dubium extitit; cuius auctor fuit Ezechiel, Hebræis Iechazkel, hoc est robur Dei, siue Imperium Dei, Sacerdos, oriundus ex tribu Leui, filius Busi, patria Sararites, vt ait Epiphanius in eius vita; quem perperam nonnulli Pythagoram Philosophum fuisse crediderunt, vt pluribus demonstrat Cornelius à Lapide Prologom. in Ezechielem. Hic è Hierusalem abductus fuit à Nabuchodonosor in Babylonem anno post Danielem octauo, puta anno vndecimo & vltimo Ioakim Patris, scilicet postquã à Chaldæis occisus est Ioakim, eique in regno successit filius Ioachim, siue Iechonias per tres menses; & eo deinde pariter abducto, Sedecias, qui erat frater Ioakim. Cœpit autem Ezechiel, vt patet ex cap. 1. vers. 2. vaticinari anno quinto transmigrationis Ioakim, siue Iechoniæ, qui pariter fuit annus quintus regni Sedeciæ; cùm enim Ioachin, siue Iechonias, filius Ioackim, regnasset mensibus tribus, post quos captus à Nabuchodonosor transmigrauit in Babylonem, succedente sibi Sedecia patruo, ijdem omnino sunt anni transmigrationis Iechoniæ, à qua incipiũt 70. anni captiuitatis

uitatis Babylonicę, & anni regni Sedecię.

Cœpit igitur Ezechiel prophetare anno mundi 3317. qui fuit ante Christũ 632. in hunc enim annum incidit annus quintus transmigrationis Ioakin siue Iechonię, vt dicetur infra cap. 63. post Isaiam ann. 199. post Ieremiam ann. 34. Ieremias enim cœpit anno 13. Iosiæ, vt patet ex eius cap. 1. vers. 2. à quo 13. anno vsque ad quintum Sedeciæ sunt 34. anni. Ante Danielem verò Ezechiel prophetare cœpit annis viginti duobus: si excipiatur historia Susannæ, quam Daniel spiritu prophetico à morte liberauit antequã inciperet prophetare Ezechiel. Perrexit tamen prophetare, ac post eum Daniel Iudæis in Babylone, eodem tempore, quo Ieremias pergebat Iudæis prophetare in Ierusalem; Causam dat S. Hieronymus, tum vt Ezechiel Ieremiæ oracula confirmaret; tùm vt captiuos in Babylone solaretur. Cum enim aliquos eorum pœniteret deditionis suæ quam fecerant Chaldæis, eò quod viderent Ierusalem subsistere, nec euerti, vt minatus fuerat Ieremias, quem proinde falsitatis arguebant aliqui Pseudoprophetæ, vaticinantes Iudæis pacem & prospera omnia, ac eos qui in Babylonem abducti fuerant, breui in patriam redituros: hisce Ezechiel prædicit, post quinque annos certo euertendam Ierusalem, omnesque ciues abducendos in Babylonem, ac proinde eos gaudere debere, quòd hoc excidium non sunt visuri, sed pacificè degant in Babylone. Atque hac de causa, tanta est inter Ieremiã & Ezechielem affinitas & consensio, vt vterque non tantùm idem prædicat, sed & ijsdem sæpè verbis, ac sententijs vtatur. Nisi quod Ezechiel obscurè & per Symbola, Ieremias autem magis apertè & planè loquitur. Porrò Ezechiel prophetauit annis viginti duobus. Cœpit enim anno quinto transmigrationis Ioakim, vti diximus, desijt autem anno 27. vt patet cap. 27. vers. 17. An vlterius prophetarit ex scriptis eius non liquet. Quique plures annos prophetandi illi tribuunt, putant ipsum cœpisse anno quinto Ioakim patris, non Ioachim filij; sed falsò, contrarium enim disertè tradit Iosephus lib. 10. Antiquit. cap. 8. & S. Hieronymus sub initium cap. 1. Ezech. imò ipse Ezechiel, qui toto hoc libro prophetias suas consignat per annos transmigrationis Ioachim, non Ioakim (hic enim non transmigrauit, sed occisus est) quia nimirum ipse eodem anno quo Ioachim, & vt videtur, cum ipso Ioachim abductus est à Nabuchodonosor, in Babylonem. Vbi tandem occisus est à Iudæis, & duce populi sui, eò quod eos de cultu idolorum argueret, anno ætatis suę 52. Sanctus enim Hieronymus, Origenes, Gregorius & Hebręi censent, ipsum cæpisse prædicare, & prophetare anno ætatis 30. cui si addantur 22. quibus prophetauit, colligetur eum vixisse 52. annis. Verum hoc incertum est, nam puer abductus est, si credimus Iosepho, & mox anno quinto transmigrationis cœpit prophetate: atque de Ieremia constat eum puerum cæpisse prædicare, Ierem. 1. 6.

Quantùm ad huius prophetiæ argumentnm, patet ex dictis idem esse, quod Ieremiæ, sed figuris & ænigmatibus magnis inuolutum & obscurum. Vndè sicut Ieremias primis 27. capitibus excidium Iudæorum, & captiuitatem Babyloniceam impijs Iudæis minatur ac prædicit: ita idem facit Ezechiel per prima 24. capita recensendo multitudinem peccatorum vrbis Ierusalem, atque totius populi Iudaici, quibus tot tantaque supplicia commeruere, quæ innuit sub parabolis Vitis cap. 15. sponsæ deformis, cap. 16. aquilæ grandis cap. 17. Vvæ acerbæ, & agrestis cap. 18. Leænæ & Leonis ca. 19. Saltus & nemoris comburendi, cap. 20. Gladij elimati, cap. 21. Scoriæ Stanni, ferri & æris cap. 22. Duarum vnius fæminæ filiarum cap. 23. Ollæ æneæ, & pinguis animalis cap. 24. Secundò sicut Ieremias à cap. 27. ad 51. alijs gentibus, vt Ammon, Moab, Edom, Phylistæis, Tyro, Aegypto, idem Chaldęorum excidium intentat; ita facit & Ezechiel à cap. 25. ad 34. Denique vltimis quatuordecim capitibus prophetat futuram consolationem, & populi captiui ab exi-

lio

lio reuocationem, Christi regnum pastorale, baptismum, vocationem gentium, resurrectionem, interitum Gog & Magog. Vnde cap. 40. & sequentibus ad finem vsque prędicit vrbem incensam, & templum cum suis, quas minutim describit partibus, & dimensionibus, esse reædificanda, scilicet non tam litteraliter, quàm mysticè in Christo, & Ecclesia. Quod idem ex parte præstat Ieremias à cap. 30. ad 34.

Etsi autem idem ferè sit vtriusque Prophetæ argumentum, longe tamen diuersus est stylus, scribendique modus; nam quod Ieremias planè & apertè, id Ezechiel symbolicè & obscurè significauit. Hinc S. Gregorius Nazianzenus orat. 23. *Ezechiel*, inquit, *omnium Prophetarum maximus est, & Excelsus.* S. Hieronymus in cap. 47. & alibi. *Ezechiel Scripturarum est Oceanus, & mysteriorum Dei Labyrinthus.* Hebręi etiam tradunt duas esse in scriptura leges, alteram scriptam de rerum creatione: alteram secretam traditam Moysi de diuinitatis specie: illam vocatam *berescit*, istam *mercaba*: illam contineri Genesi, istam in Ezechielis curru; illam vulgatam esse omnibus, hanc solis sapientibus detectam. Quo circa D. Hieronymus in proęmio lib. 1. comment. in Ezechielem, apud Hebręos vetitum asserit, ne quis Ezechielis principium & finem, Cantica Canticorum, & initium Geneseos, legeret ante ætatem Sacerdotalem, id est ante annum trigesimum. Huius autem obscuritatis in Ezechiele duplicem causam possumus assignare. Prior est, materiæ & rerum sublimitas, vti c. 1. Deum, Deique & Angelorum attributa, per currum Cherubim, per rotas oculatas, per quaternas animalium facies, per firmamentum, per Chrystallum, per electrum adumbrat, & explicat. Posterior est, modus dicendi & sermo, in se quidem facilis & simplex, sed qui figuratus sit; vt quæ Ieremias clarè & aperto sermone Iudæis in Ierusalem, eadem ijsdem in Babylone per symbola Ezechiel repræsentaret, vt Babylonij ea intelligere, ita que Iudęos irridere & subsannare nequirent, sed soli Iudęi quibus ea explicabat Ezechiel.

Obijcitur cap. 12. verſ. 12. negari Sedeciam Babylonem visurum: cum tamen Ieremias cap. 21. 7. prædixisset illum in Babylonem abducendum. Respondetur vtrumque fuisse verum, prout docuit euentus. Nam à Chaldęis excęcatus Sedecias in Reblata 4. Reg. 24. ductus est in Babylonem, itaque eò iuit: sed quia cæcus, eam non vidit, & vtrumque loco citato prædixit Ezechiel. Vnde frustra antilogia hæc prætexitur incredulitati Iudęorum. Quos Iosephus lib. 10. antiquit. cap. 10. & 11. scribit nec Ezechielis, nec Ieremiæ oraculis credidisse, eò quod contraria vaticinari viderentur.

Cap. 3. verſ. 14. habetur in vulgata: *Faciam iudicia in Alexandria*; id est, acriter puniam Alexandriam, cum tamen Ezechielis tempore adhuc non esset, quę vix ducentos, & triginta post annos extructa fuit. Respondetur Alexandriam tempore Ezechielis vocatam fuisse *No*, vt habetur in textu Gręco, eratque vrbs magna & potens, adeo vt Nahum 3. v. 8. dicatur non cedere amplitudine ipsi maximę Niniuę, quę vt ait Diodorus Siculus lib. 3. cap. 1. in circuitu murorum constabat stadijs 480. id est 60. miliaribus quæ faciunt leucas 20. Septuaginta vocauerunt illam diospolin, id est Iouis vrbem. Hanc vastauit Nabuchodonosor, sed postea restaurauit Alexander, eamque amplissimis muris cinxit, & à se vocauit Alexandriam. Per prolepsim igitur, siue anticipationem non sibi, sed Ezechieli vocat eam Alexandriam, quæ tum *No* dicebatur. Sic Virgilius de Aenea dixit

Lauinaque venit
Littora.

Non quod eo tempore quo Aeneas in Latium venit, Lauinia dicerentur, sed quæ postea Lauinia nuncupata sunt, ait D. Hieronymus.

CAPVT XLVI.

De Prophetia Danielis.

SEmper hic liber apud Hebræos & Catholicos habitus eſt Canonicus, exceptis tamen aliquibus illius partibus, ſcilicet oratione Azariæ, & hymno triũ puerorum, qui habetur cap. 3. hiſtoria Suſannæ quæ habetur cap. 13. Hiſtoria draconis quem Daniel interfecit, & aſportationis Habacuch, quæ habetur c. 14. Hęc enim omnia Iudæi, & ex Paganis Porphyrius teſte B. Hieronymo pręfatione in Danielem, tanquam fabuloſa reiecerunt, quorum errorem ſecuti ſunt Hęretici huius temporis, Lutherus, Brentius, Kemnitius, & ex Caluinianis Vuitacherus, Danæus, Iunius, Faius, alijque plures. Nec ſolum Iudæi, Pagani & Hęretici, ſed etiam ex Chriſtianis Catholicis, olim Iulius Africanus, teſte Euſebio lib. 6. Hiſt. cap. 23. hiſtoriam Suſannæ tanquàm adulterinam & neotericam repudiauit: ex recentioribus autem Ioannes Driedo lib. 1. de ſcripturis & dogmat. Eccleſiaſticis cap. vltimo.

At nihilominus certum eſt prędictas omnes Danielis partes verè eſſe Canonicas, ſiue quod idem eſt omnia Danielis capitula, quæ habentur in editione Latina Vulgata, fuiſſe diuinitus inſpirata. Quod probatur primò auctoritate Conciliorum Laodiceni, & Carthaginẽſis III. dùm enim Danielis prophetiam in numerum Sanctarum Scripturarum retulerunt, de ea locuti ſunt, quæ in Græcis vulgatis codicibus habebatur. In Græcis autẽ vulgatis codicibus, omnes pręfatæ partes ſine dubio habebantur, vt ex Synopſi Athanaſij, & commentario Theodoreti apertè colligitur, nec non ex præfatione D. Hieronymi in Danielem, vbi teſtatur Eccleſiam antè ipſum in Biblijs vſam fuiſſe verſione Septuaginta, excepto Daniele: ibi enim vſa eſt verſione non Septuaginta, ſed Theodotionis, in qua hęc omnia habebantur; vndè etiam idem Hieronymus, verſa ex Hebræo textu in Latinum Danielis prophetia, prædicta quæ in illo non reperit, ex Græco Theodotionis ſuppleuit, ac tranſtulit, pro vt nunc habentur in Editione Latina vulgata: Optima igitur conſequentia, à continentia dictarum partium in Græcis Theodotionis codicibus, quibus olim vt Canonicis vtebatur Eccleſia, & de quibus cõſequenter locuta ſunt prædicta concilia, cum Danielem in numerum Sanctarum ſcripturarum retulerunt, deducitur à nobis enumeratio earumdem partium cum cæteris libris diuinis.

Inſuper in Concilio Nicæno II. act. 6. Toletano 4. cap. 13. Valentino cap. 2. Lateranenſi I. conſultat. 4. omniũ prædictarum partium fit mentio; nouiſſimèque Concilium Tridentinum ſeſſ. 4. iubet recipi libros ſacros cum omnibus ſuis partibus, pro vt in Eccleſia Catholica legi conſueuerunt. Hymnus autem trium puerorum legitur cùm in miſſa in Sabbatho quatuor temporum, tùm omnibus diebus feſtis in precibus officij matutini: Hiſtoria Suſannę legitur tota in Miſſa, Sabbatho ante Dominicam quartam quadrageſimæ, denique hiſtoria draconis interfecti legitur in Miſſa feriæ tertiæ poſt Dominicam quintam quadrageſimæ. Neque ſolum hoc tempore, ſed etiam ante annos 1200. legebantur in Eccleſia iſtæ omnes partes Danielis, vt Ruffinus teſtatur lib. 2. aduerſus Hieronymum; non alia certè ratione, niſi quia etiam Canonicæ ſcripturæ partes, iam tùnc habebantur.

Secundò probatur communi Sanctorum Patrum tàm Græcorum, quàm Latinorum conſenſu, qui paſſim in ſuis operibus hęc omnia capita citant; quorum teſtimonia, & authoritates videri poſſunt apud Magiſtrum Grauina lib. 4. Cathol. præſcript. controuerſ. de verbo Dei ſcripto; quas etſi Nouatores eludere conentur dicentes, non citari partes iſtas controuerſas à Patribus tanquã Canonicas, ſed vt hiſtorias, & quidem tanquam humanas hiſtorias; facile tamen huiuſmodi ſolutio falſitatis arguitur,

tur,

tur, si dicta Patrum testimonia diligenter expendantur, in illis enim semper ferè vt scriptura, eaque etiam diuina, citatum reperitur, quod ex his capitibus desumitur: Scriptura autem antonomasticè, vel scriptura diuina, proculdubio canonica est, infallibilisque auctoritatis.

Tertio probatur, quia olim etiam dicta capita in Hebræo extitisse videtur apertè colligi ex versione Septuag. Aquilæ & Theodotionis. Vnde enim ipsi ea in Græcum, nisi ex Hebræo textu, qui tunc integer extabat, transtulerunt. Quod verò iam in illo non reperiantur, nec tempore S. Hieronymi fuerint, aliorumque antiquiorum Patrum, tribuit Origenes malitiæ Iudęorum, præsertim vbi est sermo de Historia Susannæ, cum enim viderent talem historiam, in presbyterorum ac Iudicum dedecus redundare: Mirum non est, inquit Origenes epistola ad Africanum, *Si veram historiam Susannæ, cui parauerunt insidias impudici Seniores, ij qui non longe aberant ab instituto presbyterorum illorum suffurati sunt, & subtraxerunt à scripturis.* In quibus olim extasse idem testatur ibidem, & Iulium Africanum oppositum sentientem pluribus rationibus conuincit; quamuis aliqui putent præfatum Iulium, non tam id assertiuè, quam dubitanter, & inquisitiue dixisse, vt ab Origene instrueretur.

Porrò Daniel huius libri author, qui *Iudicium Dei* interpretatur, aut vt S. Hieronymus vertit, *Iudicauit me Deus*; multiplicia enim Dei iudicia, præsertim circa varios reges, & regna hoc libro describit, vt dicetur infra, Propheta fuit sapientissimus ortus ex tribu Iuda, vt patet cap. 1. v. 3. patriam illi assignant Bethoron superiorem, Dorotheus & Epiphanius, quæ erat in sorte Ephraim iuxta Emaus, distabatque nouem milliaribus à Hierosolyma. Cum esset decem annorum secundum aliquos, vel quod verius est, viginti secundum alios captus est anno tertio regni Ioakim, qui fuit annus primus regni Nabuchodonosoris, atque ab eodem ductus est in Babylonem, vbi nomen vnà cum conditione illi mutatum est, siue à Rege Nabuchodonosore, vt Iosephus indicat lib. 10. Antiquit. cap. 11. siue ab Asphenes Eunuchorum principe, vt Danielis 1. v. 7. dictusque est Balthassar. Vnde sequitur natum esse Danielem sub annum 15. regni Iosiæ regis Iuda, qui fuit annus mũdi 3320. ante Christum annus 630. quo etiam tempore floruerunt Ieremias & Ezechiel. Danielem autem cœpisse prophetare iuuenem, cum scilicet esset 24. circiter annorum patet ex eius iudicio cap. 13. vers. 45. in quo senes conuicit, & Susannam pudicam à morte liberauit: hoc enim non primo, sed quarto, vel quinto anno ex quo Daniel venit in Babylonem, contigisse videtur, puta sub annum regni Ioakim patris septimum, qui fuit Nabuchodonosoris annus quartus. Vnde si quandò captiuus in Babylonem abductus est, 20. circiter annorum erat, manifestè sequitur eum anno ætatis suæ 24. Susannam spiritu Prophetico à morte liberasse, antequam inciperet prophetare Ezechiel, qui tantùm cœpit anno 13. Nabuchodonosoris, perrexitque deinceps, vsque ad annum regni eiusdem 35. qui fuit Monarchiæ 1. transmigrationis verò Ioachim 27. vt patet Ezechielis cap. 29. vers. 17. & c. 30. vers. 3.

Quo tempore cũ Ezechiel prophetare desijsset, rursus Daniel prophetico plenus spiritu paulo post interpretatus est somnium regis Nabuchodonosor, tam primum cap. 2. quam secundum cap. 4. annum agens 57. Visionem cap. 7. habuit anno ætatis 63. Visionem verò cap. 8. vidit annum agens 65. Scripturã manus in pariete scribentis annum natus 96. explanauit. Anno 97. qui primus fuit Darij Regis Medorum, tempus Messiæ aduentus & mortis 70. illis hebdomadis cap. 9. comprehensum diuinitus illi patefactum est. Visiones quæ memorantur in decimo & vndecimo capite contigerunt anno 3. Cyri, id est anno Danielis 101. Quo secundum opinionem magis probabilem mortuus est in

in Babylone: noluit enim redire in Iudæam cum Esdra & alijs, quibus reditum à Cyro impetrauerat: tùm vt Iudæorum salutem & negotia apud Cyrū promoueret: tùm vt Iudæorum, qui in Babylone plurimi remanebant, director & protector esset, ex Theodoreto in cap. 10. Danielis.

Quod pertinet ad huius libri materiam, vel argumentum: partim in eo Daniel historiam sui temporis contexit: scribit enim gesta ab anno tertio Ioakim regis Iuda vsque ad tertium annum Cyri. Partim etiam vaticinatur de successione quatuor monarchiarum mundi, scilicet Babyloniorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum: item de glorioso, atque æterno Christi regno nullum Prophetarum tàm apertè dixisse docet Hieronymus. Non enim solum scribit eum esse venturum, quod est cōmune cum cæteris, sed etiam quo tempore venturus sit, docet, & reges per ordinem digerit, & annos enumerat, ac manifestissima signa prænuntiat. Imò historiæ regum Babylonis, Medorum, & Persarum, quæ primis sex capitibus præponuntur, & reliqua quæ cap. 7. 8. & 11. de quatuor regnorum vicissitudine dicuntur, eo pertinent, vt omnia alia regna peritura, solum Christi regnum perpetuum fore intelligamus. Ipsum etiam Danielem, vti & cęteros Prophetas, fuisse typum & imaginem Christi, pluribus ostendit Cornelius à Lapide Prolegom. in Danielem.

Circa libri diuisionem duæ sunt eius partes, vna quæ dicitur protocanonica, altera deuterocanonica prima duodecim primis capitibus continetur, in quorum sex primis res gestæ Danielis enarrantur; in alijs vero sex de regno Christi & Antichristi agitur, de vno regno Dei, & multis regnis mundi, alijs in alia transferendis. Secundæ partis sunt, hymnus trium puerorum, historia Susannæ, Belis & Draconis, de quibus agitur in cap. 3. 13. & 14. Scriptus est hic liber initio, scilicet à cap. 2. vers. 4. vsque ad finem cap. 7. Chaldaicè; recenset enim Chaldæorum gesta & dicta. Deinceps scriptus est Hebraicè, idque ab ipso Daniele vt patet cap. 8. 1. & cap. 9. 2. & cap. 10. vers. 2. nec non Matthæi 24. 15. Cui non obstat, quod Daniel subindè de se loquatur in tertia persona: nam Hebræis id est familiare, vt patet Isaiæ 1. v. 1. Ieremiæ 1. v. 1. & alibi. Soluamus iam hęreticorum argumenta, quibus huius libri veritatem oppugnant.

Obijciunt primò B. Hieronymi sententiam, qui tàm in pręfat. Danielis, à se in Latinum conuersi, quam in pręfat. commentar. in Danielem, satis indicat, ista capita non esse alicuius authoritatis; qui etiam vocat fabulas, historiam Susannæ, & draconis. Respondetur B. Hieronymum pręfatis locis, se non quid sentiret explicuisse, sed tantùm quid Iudæi dicerent indicasse, vt satis patet ex eius apologia secunda contra Ruffinum: *Quod autem refero, inquit, quid aduersum Susannæ historiam, & hymnum trium puerorum, & Belis draconisque fabulas, quæ in volumine Hebraico non habentur, Hebræi solent dicere: qui me criminatur stultum, se Sycophantam probat. Non enim quid ipse sentirem, sed quid illi contra nos dicere soleant, explicaui.* Hactenus Hieronymus, qui cùm dicit fabulas, vult dicere historias, quas Iudæi fabulas vocant. Quamuis etiam interdum veteres nomine fabularum, non semper res fictas, sed veras adhuc narrationes appellarint. Quomodo Lucæ vltimo dicitur: *Et factum est dum fabularentur, & secum quærerent &c.*

Obijciunt secundò contra Historiam Susannæ, Danielem introduci in ea tanquam puerum, cap. 13. v. 45. *Suscitauit Dominus Spiritum Sanctum pueri Iunioris, cuius nomen Daniel.* At hoc non potest esse verum, nam in primis vers. 50. infra dicunt ei senes. *Quia tibi Deus dedit honorem senectutis.* deindè cap. 6. dicitur Daniel fuisse vnus ex primis Satrapis regni Darij Medi, quo tempore certè non erat puer; quomodo ergo postea cap. 13. dicitur esse puer. Obijciunt insuper historiam Susannæ videri omni-

no

no confictam ab aliquo Græco, ex hoc quod vbi nos habemus: *Dic sub qua arbore videris eos colloquentes sibi; qui ait; sub schino. Dixit autem Daniel: rectè mentitus es in caput tuum, ecce enim Angelus Domini scindet te medium.* In Græco allusio quędam est elegantissima ab arbore Schino ad actionem scindendi; nam σχῖνος est arbor, σχίζειν est scindere: & cum alter dixerit se vidisse eos sub prino, allusit Daniel ab arbore prino ad actionem secandi; nam πρῖνος est arbor, πρίζειν est secare. At in Hebræo nulla talis allusio fieri potest. Qua etiam admissa, falsitatem eius exitus comprobauit, cum lapidibus vterque obrutus fuerit.

Respondetur præfatas, aliasque similes obiectiones nihil præiudicare veritati historiæ Susannæ. Ad primam enim dicitur Danielem verè fuisse puerum, id est iuuenem, cum Susannam liberauit; agebat enim tunc annum 24. vt notauimus supra. Dicitur tamen rectè ipsi datum fuisse à Deo senectutis honorem, ob dignitatem iudicandi, quæ senibus propriè cōuenit. In eis enim est vt plurimum, prudentia, experientia & apathia. quæ tria ad sincerum iudicium requiruntur. Quod additur cap.6. dici Danielem fuisse vnum ex primis Satrapis regni Darij Medi &c. nullius est momenti; nam scriptura non ordine semper narrat omnia, sed prius quæ postea facta sunt; & propterea in codicibus Græcorum, & apud S.Athanasium in Synopsi, & in versione Arabica, vbi ordo seruatur, ab historia Susannæ totus liber Danielis incipit, quia contigit in Babylone, Daniele existente puero v.45. Vbi etiam notandum est, quod dicitur in fine cap.13. post historiam Susannæ: *Et Astyages appositus est ad patres suos, & suscepit Cyrus Perses regnum eius:* non referri ad historiam Susannæ proximè narratam, sed esse initium alterius historiæ quæ contigit sub Cyro. Vnde etiam in Gręcis codicibus, vbi vt diximus historia Susannæ est 1.caput totius libri, prædicta verba: *Et Rex Astyages &c.* ponuntur in principio vltimi capitis, vbi narratur historia Belis destructi, & Draconis interfecti. Reiecta est autem in editione Latina vulgata historia Susannæ ad extremum libri, vel vt intelligeremus eā non haberi apud Hebręos, vel vt docet Cornelius à Lapide in c.13. vers.1. eam non fuisse ab ipso Daniele, saltem in hoc eius opere, conscriptam, sed ex Chronicis illius temporis translatam in librum Danielis, eique additam quasi appendicem, quia à Daniele gesta & peracta est; vbi etiam notat, nec non cap.14. vers.32. historiam Belis Septuaginta ascripsisse Habacuc Prophetæ.

Ad secundam obiectionem respondetur primò in Hebræo vel Chaldæo tunc temporis potuisse esse similem paronomasiam in ijsdem arboribus qualis iam est in Græco. Tunc enim plures erant voces Hebrææ, quam iam sint, quę significabant scindere vel secare. Exemplum esse potest cum Christus Dominus Petrum instituens in suum vicariū dixit: *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:* cum enim Syriacè locutus sit, vocans illum Petram, eadem tamen allusio tàm in Græca, quā in Latina lingua seruatur. In nostro autem proposito desideratur probatio talis allusionis, quia ex Hebræo, vel Chaldæo aliquo codice ostendi nequit. Secundò, esto non fuerint in Hebræo hæ allusiones, vti nec sunt in editione Latina? potuit tamen Grecus Interpres fideliter & ad verbum vertens talem paranomasiam siue allusionem in Græco inuenire, qualis non erat in Hebræo. Idem sępè fieri videmus in alijs translationibus, dum historia vel res ex vna lingua in aliam transfertur.

Ad tertiam dicitur, quod lapidibus obruti fuerint senes, nihil repugnare sententiæ Danielis; secti enim sunt non gladio, sed separatione animæ à corpore, vt dicit Lyranus: Vel etiam dici potest Danielem illis minatum fuisse sectionem ab Angelo, ni Deus impediret, aut populus eos lapidando pręueniret, vti de facto pręuenit: Angelum enim inten-

intentasse eis mortem patet ver. 59. Tertiò respondet Origenes, hoc prędici nō in pręsenti sęculo, quod alter scindatur, alter secetur, sed in futuro Dei iudicio, post eorum discessum. Cui etiam non repugnat quod Ieremiæ cap. 29. vers. 22. dicatur Regem Babylonis hos senes frixisse in igne; probabilius enim est fuisse diuersos ab illis senibus Danielis; vel si fuerint ijdem, vt plures docent interpretes, inter Ieremiam & Danielem, nullam esse contradictionem satis patet ex eo quod, vt tradit S. Augustinus lib. quęst. in Iosue quęst. 7. quęlibet mortis pœna, aliquandò significatur nomine ignis: vnde Deuter. 4. & Ios. 7. Lapidatio ipsa vocatur combustio. *Et quicumque ille ipse hoc crimine fuerit deprehensus, comburatur igni cum omni substantia sua*. & postea dicitur, *Lapidauitque eum omnis Israel, & cuncta, quæ ipsius erant, igni consumpta sunt*. Nisi velimus dicere cum Lyrano, quod pręfati senes primò vt adulteri lapidibus fuerint obruti, vt innuit Daniel: deindè, vt ait Ieremias, igne sint combusti: quia erant falsi prophetæ; vt accidit Achan Iosue 7. v. 15. & 25. Verum cum nihil tale habeat Daniel in longa & particulari rei gestę narratione, quæ etiam ab illa Ieremiæ valde dissonat; quia senes Ieremiæ fuerunt Prophetæ, illi Danielis fuerunt Iudices. Rursum hos Ieremiæ Nabuchodonosor: illos Danielis, populus occidit; probabilius cum alijs tenendum est hos Prophetas Ieremiæ alios fuisse ab illis senibus Danielis.

Quod autem ad eneruandam huius historiæ veritatem, rursum instat Faius, verisimile non esse, quod Iudæi in Babylone, in qua captiui erant, iudicium in causa sanguinis exercuerint; nullius est momenti: cum enim Iudæi essent in ingenti numero, etsi subiecti, non incredibile est, ex Origene, illis concessum fuisse, vt suis vterentur legibus, & iudicijs, atque secundum eorum pręscripta reos punirent: vndè & Iudęis permissum quoque fuit à Pilato, vt Christum condemnarent: *Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate eum*.

Obijciunt tertiò fabulosum videri, quod dicitur cap. 14. de Bele, & Dracone; verùm sicut hoc gratis dicitur, ita etiam negari debet; consulique possunt interpretes ad prędictum caput.

Quartò, quæ dicuntur ibidem de Daniele misso in lacum leonum ob draconem interfectum, videntur pugnare cum ijs, quæ dicuntur cap. 6. Nam c. 6. dicitur fuisse tantùm vna nocte in lacu leonum; cap. 14. sex diebus. Respondetur ista minimè inter se pugnare; bis enim Daniel missus est in lacum leonū; Semel à Dario Medo, quoniam precatus erat Deum contra præceptum Regis, & tunc fuit tantum vna nocte; & hoc narratur cap. 6. Iterum autem missus est, non à Cyro, vti volunt aliqui, nec ab Astyage, vti volunt alij, sed ab Euilmerodach, siue Balsasar, vti rectè docet Cornelius, propter interfectum draconem, & tunc fuit sex diebus, vt dicitur cap. 14. eique tulit Habacuc prandium in sublimè vnà cum illo elatus è Iudæa in Chaldæam; in quo nihil est mirandum, si Dei virtutem, & Angelis datam facultatem supra corporalem naturam quantùm ad motum localem perpendamus: quam aduertens Ambrosius enarrat. 1. in Genes. ad Horatianum dixit. *Accipe etiam, quod supra hominis substantiam Moyses in imo ambulauit mari; in summo Apostoli, Habacuc sine pennis volauit &c.* An autem Habacuc hic fuerit vnus è Prophetis minoribus, affirmant aliqui, negant alij apud Cornelium.

CAPVT XLVII.

De Prophetia Osee.

Oseas huius prophetiæ author, Hebraicè *Hoseah*, hoc est faciens salutē, Græcè interpretatus zozon, hoc est Saluator, fuit filius Beeri ex tribu Issachar, teste Epiphanio, Dorotheo, Isidoro, & alijs; non autem Beera, vt censent Arias & Guadalupensis, qui fuit princeps tribus Ruben, ac à Teglathphala-

phalasar captus ductus est in Assyriam lib. 1. Paralip. 5. cap. 6. Si quidem obstat ratio temporum; nam Oseas & pater eius Beeri diu præcesserunt Teglath phalasar: Oseas enim cœpit prophetare initio regni Oziæ, vt mox dicemus: Teglath phalasar verò inuasit Samariam, ex eaque captiuos abduxit anno Oziæ 52. vt patet 4. Reg. 15. vers. 27. & 29.

Oseas ergo, qui fuit primus omnium Prophetarum vt colligitur ex cap. 1. v. 2. sub initia regni Oziæ circa annum mundi 3136. ante Christum 814. prophetare cœpit, iussuque Dei duxit vxorem fornicariam, & ex ea procreauit duos filios & vnam filiam. Quod verè & realiter peractum esse satis suadet simplex narratio præcepti diuini & facti, puta obedientiæ prophetæ; & non tantùm per visionem imaginariam, vt volunt aliqui cum Rabbinis; quia res, inquiunt, turpis & indigna fuisset, si vir sanctus & propheta duxisset scortum: ad hoc enim facilè respondetur, Dei iussionem & authoritatem abstersisse ab hoc Prophetæ connubio omnem infamiæ & turpitudinis maculam, præsertim quia, vt statim dicemus, assumebatur ad prophetiam, & rei futuræ Sacramentum. Adde, non esse turpe, sed sanctum & honestum fornicariam ducere hoc fine, vt ipsa vitam turpem cum honesta, fornicationem cum matrimonio commutet. Ita S. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 80. respódet Manichęis impugnantibus vetus testamentum, & obijcientibus illi, quod in eo fornicatio Prophetæ sit imperata. Respondet enim S. Augustinus: Non imperata est fornicatio, sed meretrix relicta fornicatione in castum & sãctum coniugium assumpta est. Idem Gentilibus respondet hic S. Hieronymus eisque similia Gentilium exempla opponit, de quo vide plura apud interpretes.

Post Oziam perrexit Oseas prophetare sub Ioathan, Achas & Ezechia, vt ipse ait cap. 1. ver. 1. Sed quid pręcisè sub hoc vel illo rege prophetarit, ignoratur: quin ipse vt & alij Minores Prophetæ, sua oracula per annos regum sigillatim non consignant, vti consignant Ieremias Ezechiel, Daniel, & subindè Isaias. Porrò sub hisce regibus Osee prædixit Christum deuicta morte, & inferno, die tertia resurrecturum; Synagogam Iudæorum, tanquam adulteram, à Deo repudiandam; Ecclesiam verò ex gentibus, Christo per fidem sponsandam in sempiternum; denique Synagogam diebus multis fore sine rege, & lege, sine Sacerdotio & sacrificio, expectantem Messiam, ad quem in fine mundi conuertetur.

Porrò Osee tàm ad Iuda, quam ad Israel siue decem tribus prophetat: vndè præter reges Iuda, nominat etiam Ieroboam regem Israel; quem ideo solum nominat, omittens Zachariam, Sellum, Manahem, Phacee, Phaceam, & Osee, qui in Israel regnarunt eo tempore, quo in Iuda regnabant Ozias, Ioathan, Achas, & Ezechias, vt indicaret se non extremo, nec medio tempore regni Oziæ vel Azariæ, vt potè qui 52. annos regnauit, sed eius initio prophetare cępisse. Nam anno Ieroboam regis Israel 27. cæpit in Iuda regnare Ozias; Ieroboam autem regnauit 41. annis: vndè sequitur vltimos tantùm quatuordecim annos Ieroboam concurrere cum primis quatuordecim annis Oziæ, quibus simul regnarunt, Ieroboam in Israel, Ozias in Iuda, quibus necesse est prophetasse Osee: cępit enim cum vterque simul regnaret. Sequitur insuper, Osee prophetasse excidium Samariæ & regni Israel ferè nonaginta annis (tot enim sunt ab initio regni Ozię vsque ad sextum Ezechiæ, quo capta est Samaria) antequam illud contingeret: excidium verò Ierusalem, & Iuda prędixit circiter 224. annis (tot enim sunt à primo anno Oziæ vsque ad vltimum Sedeciæ, quo euersa est à Chaldæis Ierusalem) antequam eueniret. Nã excidium Ierusalem posterius fuit excidio Samariæ 134. annis.

Præcipuum huius prophetiæ argumentum, est prædicere Israelitarum carnalium excidium & reprobationem, spiritualium verò Israelitarum, præsertim

Gentilium, vocationem & electionem: idque reipsa repręsentat dum Dei iussu duxit vxorem meretricem, ex eaque gignit proles, quibus dat nomina, 1. *Iezrael*, id est semen Dei, 2 *Loruchuma*, id est absque misericordia; 3. *Lo ammi*, id est, non populus meus. Tractat ex Osee hoc prędestinationis & reprobationis argumentum Apostolus profunde epistola ad Romanos maximè cap. 9. 10. 11. quæ epistola sine hoc Osee intelligi nequit. Secundò Propheta continua oratione idololatriam aliaque peccata populi acriter insectatur, minando ei Dei plagas, & excidium tantùm, vt dicant, *montibus, operite nos, & collibus, cadite super nos*. Tertiò Dei clementiam, gratiam & gloriam pænitentibus promittit. Ex dictis patet Osee non solum oraculis, & nomine præfigurasse, imò repręsentasse Christum (Osee enim idem est quod Iosue, & Iesus, id est Saluator, vt notauimus supra) sed insuper factis & moribus. Litteralis enim causa, cur Deus voluit vt Propheta fornicariam duceret, ex eaque filios procrearet, fuit quidem, vel, vt hoc quasi viuum speculum daret Iudęis, in quo clarè conspicerent, & contemplarētur suam turpitudinem, & idololatriam, vel vt Prophetæ obedientiam exerceret æquè ac patientiam, *vt quantò illa vxor sordidior est, tantò fit Propheta patientior, qui talem vxorem duxerit* inquit Hieronymus, præsertim quia Osee erat Iuuenis, Virgineus, Sanctus, & in flore ætatis, æquè ac puritatis, & virtutis dum meretricem duxit.

Et allegorica causa est, vt Osee per connubium eum fornicaria repræsentaret simile, sed mysticum, idque duplex, Christi coniugium: Prius cum carne nostra, quæ erat fornicaria, id est, caro peccati, quam depuratam sibi vniuit & despondit per incarnationem: vt docet Ambrosius lib. 2. de apolog. Dauid c. 10. Posterius cum Ecclesia; ex eodem Ambrosio lib. de Salomone cap. 5. Augustino lib. 22. contra Faustum cap. 89. ac S. Prospero lib. de prædict. & promiss. cap. 15. par. 2. Tropologicè autem Deus voluit hoc Osee exemplo docere prædicatores, confessarios, aliosque zelo proximorum flagrantes abducere animas à Satana, carne & peccato, easque per pęnitentiam & castimoniam despondere Christo, vti Paulus Corinthios despondit Epist. 2. cap. 11. vers. 2. anima enim peccatrix est fornicaria, imò adultera, gignitque filios fornicationum, id est opera luxurię, gulę, superbiæ. Vndè S. Hieronymus per fornicariam hæc tropologicè accipit S. Magdalenam, quam pęnitentem sibi Christus despondit.

CAPVT XLVIII.

De Prophetia Ioelis.

IOel Hebraicè יואל Græcè archomenos, id est incipiens, vel (vt air Hieronymus) Dominus Deus, natus est in agro Bethor, de tribu Ruben. R. Salomon putat fuisse filium Samuelis Prophetæ, qui vnxit Dauidem in regem, eo quod eius filius vocetur Ioel à Iosepho lib. 6. Antiquit. cap. 3. Sed alius est iste Ioel ab illo, de quo loquimur in præsenti; qui longè posterior fuit tempore: prophetauit enim eodem penè tempore quo Osee, sub Ozia, Ioarhan, Achas, & Ezechia regibus Iuda, ex Hieronymo, Cyrillo, Theodoreto, Augustino, & alijs; imò Hebręi in Seder Olam, & ex eis Genebrardus in Chronol. Arias, & à Castro hic, putant eum prophetasse sub Manasse, ac consequenter post excidium Samarię & decem tribuum: hoc enim contigit anno sexto Ezechiæ, qui fuit pater Manassis: idque verisimile fit ex eo, quod Ioel Solis duabus tribubus Iudæ scilicet & Beniamin propheter non reliquis decem: eo quod illę iam essent excisæ & abductæ. Vndè satis patet hūc Ioelem nostrum non fuisse Samuelis filium, sed Phatuel, vt expresè dicitur cap. 1. vers. 1.

Præcipuum huius Prophetiæ argumentum est prędicere Dei vindictam, & captiuitatem Babylonicam, indeque eius

eius antitypum iudicium extremum, in quo reprobi gehennę, probi cælo adiudicabuntur. Etsi enim aliqui ex illis, qui primam sequuntur sententiam, quod Ioel prophetauit eodem penè tempore, quo Osee, vt statim diximus, putent ipsum, ęquè ac Osee, prophetasse tàm contra decem, quam contra duas tribus, putatam contra Samariam, quàm contra Iudam, probabilius tamen est Hieronymo pręfat. in Ioelem, & alijs, comminari captiuitatem non Assyriacā, qua vastata est Samaria; sed Babylonicam, qua vastata est Ierusalem & Iuda à Chaldæis. Capite igitur primò Iudeæ excidium per erucam, locustam, bruchum, & rubiginem, putà per varias hostium Chaldęorum populationes prędicit. Hinc versu 13. Sacerdotes & populum hortatur ad pœnitentiam & lamenta, vt ijs Deum sibi reconcilient, plagasque ab eo hic comminatas auertant. Capite secundo pergit atrocitatem diei excidij Ierusalem per Chaldęos, & sub eius figura allegoricè horrorem diei iudicij describere, & comminari: indeque versu 12. excitat omnes ad luctum & planctum: & versu 18. pœnitentibus promittit salutem per Cyrum, & multo magis per Christum doctorem iustitię, qui Spiritum Sanctum in suos fideles effundet: prout contigit in die Pentecostes. Denique vers. 30. transit ad secundum Christi aduentum, eiusque signa pręuia enarrat: & cap. 3. docet Christum in valle Iosaphat quasi iudicem iudicaturum omnes gentes, ac damnaturum impios ad gehennam; pios verò translaturum in cælestem Ierusalem, cuius delicias, gloriam, & felicitatem describit.

Obijcit Kemnitius Ioelis cap. 1. v. 13. haberi in vulgata; *præstabilis super malitia*: cum tamen secundum Hebræum legi deberet; *pænitens super malitia*, vt vertunt Septuaginta. Respondetur D. Hieronymum in textu Latino hoc verbum posuisse, & in commentario etiam hac voce vsum, cui pati debet pręfatus hæreticus, vt plus tribuamus, quam sibi. Significat autem *præstabilis super malitia*, excellens in miserando, & in pœna condonanda, siue qui præstat, excellit, & eminet malitiæ, hoc est iræ, & vindictæ, vt scilicet pœnitente homine pœniteat & Deum, nec minarum decreta illi infligat, sed ea reuocet, & aboleat. Porrò *præstabilis* Latinis idem esse quod præstans, excellens, eximium patet ex Cicerone lib. de amicitia, vbi ait: *Nihil amicitia præstabilius esse putatis*: & lib. 2. de nat. Deorum: *Nihil melius mundo, nihil præstabilius, nihil pulchrius*. De quo vide Interpretes ad hunc locum.

CAPVT XLIX.

De Prophetia Amos.

AMos Hebraicè עמוס, id est, portans, vel populus auulsus, vt ait Hieronymus in prologo eiusdem, fuit de oppido Thecue, sex millibus passuum ad meridionalem plagam distanti à Sancta Bethleem in tribu Iuda. S. Epiphanius in vita Amos, & Clemens Alexandrinus lib. 1. stromatum, censent Amos fuisse patrem Isaiæ: ipse enim cap. 1. vocat se filium Amos: verum hunc Amos alium esse ab Amos patre Isaię docent S. Hieronymus, S. Basilius in cap. 1. Isaię S. Augustinus lib. 18. de ciuitate Dei cap. 27. & alij plures: *Amos Propheta*, inquit, S. Hieronymus: *non est ipse, quem patrem Isaiæ Prophetę legimus. Ille enim* אמוץ *Amos scribitur per primam litteram Aleph & vltimam Tsade, & interpretatur fortis atque robustus: hic vero* עמוס *Amos per Ain, & Samech, & interpretatur populus auulsus*. Putant etiam aliqui Amos non fuisse pastorem, sed mercatorem gregibus diuitem, qui sub se plures haberet suorum gregum pastores, qualis fuit Abraham, Iob, & alij: Verum id ipsum refellit Amos cap. 7. 14. dicens: *Armentarius ego sum vellicans Sycomoros, & tulit me Dominus cum sequerer gregem*.

Fuit ergo Amos bubulcus, vel vt ait S. Hieronymus, opilio, minus proindè cultus ingenio, atque omni scientia, ciuilique facultate destitutus, lingua etiam tar-

tardus, ac sermonis elegantia carens, quem tamen Spiritus Sanctus, qui humiles exaltat, & infirma mundi eligit, vt confundat fortia, de bobus pascendis ad summum prophetiæ gradum euexit: qua in re placet audire S. Gregorium homil. 30. in Euang. *Ecce*, ait, *Dauid, Amos, Danielem, Petrum, Paulum, Matthæum intueor; & Sanctus iste Spiritus qualis sit artifex, considerare volo; sed in ipsa mea consideratione deficio. Implet namque citharædum puerum, & Psalmistam facit. Implet pastorem armentarium Sycomoros vellicantem, & prophetam facit. Implet abstinentem puerum, & iudicem senum facit. Implet piscatorem, & prædicatorem facit. Implet persecutorem, & doctorem gentium facit. Implet Publicanum, & Euangelistam facit. O qualis est artifex iste Spiritus! nulla ad discendum mora agitur in omne quod voluerit. Mox enim vt tetigerit mentem, docet, solumque tetigisse, docuisse est; Nam humanum animum subitò vt illustrat, immutat: abnegat hoc repente quod erat, & habet repente, quod non erat.*

Sanctus Isidorus in vita Amos, scribit eum prophetasse sub Amasia rege Iuda, ab eoque percussum, & ab eius filio Ozia vecte transfixum, & occisum. Verum lapsus est memoria, & deceptus identitate nominum Amasiæ, & Oziæ; Nam hic Amasias percussor Amos, non fuit rex, sed Sacerdos Idolorum in Bethel, vt patet Amos 7. 10. Cœpit igitur Amos prophetare, non sub Amasia rege sed sub filio eius Ozia, qui alio nomine Azarias dicitur, vt ipse ait cap. 1. vers. 1. putantque aliqui per biennium dumtaxat prophetasse, scilicet quod præcessit terræ motum, & lepram Oziæ regis, ob quam regno est amotus: sed incertum est, an illi duo anni cap. 1. vers. 1. tantùm initium prophetiæ Amos, an totam eius prophetiam spectent. Directè autem prophetat ad Israel, id est, ad decem tribus; sed obiter quoque ad Iudam, aliasque gentes; vtrique captiuitatem prænuntiat, Israeli Assyriacam, Iudę Babylonicam. Incusat Israelis scelera, ac nominatim immisericordiam, quod fratres egenos opibus non adiuuerint: ac tandem more prophetarum læta tristibus subiungens, promissione Messiæ, qui libertatem, pacem, felicitatem, & quasi aureum sæculum sit allaturus, Israelitas consolatur, dum ait cap. 9. *In die illo suscitabo tabernaculum Dauid, &c.* Porro vt Amos rusticus, & armentarius fuit, ita crebro in prophetando sumit similitudines à rure.

Quod ait cap. 7. vers. 14. *Non sum propheta*; posset obijci, quomodo potuerit sine mendacij nota hoc asserere, cui dicitur à Deo vers. 15. eiusdem capitis. *Vade propheta ad populum*. Respondetur Amos dixisse se non esse prophetam ex professione, vel à prima ætate, cum eius muneris fuerit armenta pascere. Vnde Septuaginta legunt: *Non eram Propheta*. Sanctus Gregorius lib. 2. Moralium cap. 41. ideo fecisse putat, vt ostéderet prophetiæ Spiritum tum sibi deesse sensisse, cum hæc diceret.

CAPVT L.

De Prophetia Abdiæ.

ABdias, id est seruus Dei, nomine suo repræsentans Christum, qui formam serui induit, Deique seruus vocatur Isaiæ 42. 1. ait S. Hieron. natus est, Epiphanio teste, in Sichem, quę est in agro Ethacmar. Vndè non Idumęus fuit vt vult R. Salomon, ideoque ad Idumęos missus, vt scelera suæ gentis liberius argueret, sed Iudæus, puta Sichimita, sicut & cęteri prophetæ fuere Iudæi. Scribunt aliqui ex Hebræorum sententia, Abdiam vixisse & prophetasse tempore Eliæ, sub Achab rege Israel, & Iosaphat rege Iuda, & fuisse primum omnium Prophetarum, qui sua oracula scripserunt. Addunt etiam alij Abdiam hunc esse tertiū pentacontarchum, quem Ochosias misit accitum Eliam; cui supplici Elias pepercit 4. Reg. 1. cap. 13. potuit enim fieri, vt ille, qui erat dispensator in domo Achab 3. Reg. cap. 18. postea factus sit dux militię

litiæ in domo Ochosiæ filij Achab. Contra autem videtur alijs Abdiam posteriorem fuisse non solùm Oseę, Ioeles & Amos, sed etiam Micheæ & Ionæ, & alijs multis. Nam in prophetia sua meminit belli Chaldæorum contra Hierusalem, & captiuitatis eiusdem vrbis tanquàm iam peractę, & præteritę, vt videatur collocandus post Hieremiam.

Probabilius tamen dicendum est; Abdiam vixisse & prophetasse, sub Ioatham, Achas & Ezechia regibus Iuda; ac fuisse coæuum Oseæ, Ioeli, Amos & Micheæ prophetis, vti asserit S. Hieronymus initio commentarij in Osee; vndè quod in Abdiam dixit, ipsum fuisse dispensatorem domus Achab, non ex mente sua, sed ex traditione quadam Iudaica dixisse videtur. Quæ traditio, cum non alio fundamento nitatur, nisi similitudine nominis, quasi non potuerint esse plures Abdię, valdè incerta est, & dubia. Similiter quod hic propheta meminerit captiuitatis Babylonię, non cogit vt eum secunda sententia dicamus, illum prophetasse post captiuitatem; nam more Prophetarum loquitur de captiuitate illa futura per verbum præteriti temporis.

Abdias igitur prophetauit contra Idumęos, cum enim Deus eos per Dauidem, Amasiam & alios prius castigasset, nec tamen hisce flagellis emendari videret, per Abdiam intentauit eis plenum vltimumque per Chaldęos excidiū. Cuius excidij causam assignat eandem quam Amos, & Ieremias, nimirum odiū inueteratum Idumæorum contra Iudęos, adeò vt ab hostibus profugas occiderint, vel spoliarint, imò Chaldęos in expugnatione Ierosolymæ opibus armisque adiuuerint. Quocirca eis idem ab eisdem Chaldæis exitium iure talionis minatur: Sionidis autem, id est Iudæis è Babylone reditum, & imperium pollicetur, nimirum quod per Machabæos Idumæis, Philisthæis, vicinisque gentibus, ac multo magis per Christum iisdem totique Australi plagæ dominabuntur.

Quod argumentum D. Hieronymus epist. ad Paulinum de diuinis S. Script. libris, paucis hisce verbis complexus est. *Abdias*, inquit, *qui interpretatur seruus Domini, personat contra Edom sanguineū, terrenumque hominem: fratris quoque Iacob semper æmulum, hasta percutit spirituali*. Quorum verborum sensus sic latius explicatur in prologo, quem quidam eidem D. Hieronymo tribuunt. Iacob, inquit, Patriarcha fratrem habuit Esau, qui ob ruborem corporis sui Edom lingua Hebraica appellatus est, quod latinè sanguineus dicitur vel rufus. Is memoratum fratrem suum (qui Israel nomen acceperat) graui odio commotus, interimere conatus est. Qua de causa, omnes qui populum Israel, id est filios patriarchæ Iacob, prędicti Esau odium imitati, persecuti sunt, Esau & Edom appellati sunt. Hęc loco citato. Atque sic à Iacob Israelitæ, id est viri videntes, & ab Esau siue Edom, Idumæi sunt appellati.

Vnicum habet hæc prophetia caput, vndè omnium Prophetarum breuissimus est Abdias & minimus, *versuum supputatione, non sensuum*, ait Hieronymus. Quocirca meritò Isidorus lib. alleg. sacræ Scripturę. *Abdias*, inquit, *id est seruus Domini, inter omnes Prophetas breuior numero verborum, sed gratia mysteriorum æqualis*. Et Hugo à S. Victore; *Abdias*, inquit, *sermone simplex, & sensu multiplex; rarus in verbis, sed copiosus in sententijs, iuxta illud Ecclesi. 20. Sapiens verbis innotescit paucis. Prophetiam suam litteraliter aduersus Idumæam dirigit, allegoricè contra mundum, tropologicè contra carnem stylum suum acuit. Saluatoris typum gerens, ipsius aduentum subtiliter introducit, per quem mundus destruitur, per quem caro atteritur, per quem libertas redditur*.

CAPUT LI.

De Prophetia Ionæ.

IOnas, hoc est columba, filius Amathi ex regione fuit Opher, ex viculo Geth, qui temporibus D.Hieronymi Diocęserea vocabatur, secundo à Sephorim milliario Tyberiadem versus sito in tribu Zabulon. Hebræi nonnulli, quos sequuntur S.Dorotheus, & Epiphanius in vita Ionæ, asserunt Ionam esse filium viduę Sareptanæ, quem mortuum Elias vitæ restituit, ac consequenter vixisse tempore Eliæ, & Achab regis Israel. Sed hoc falsum esse, Ionamque hunc vixisse tempore Ieroboam, qui regnauit in Israel eo tempore, quo in Iuda regnabat Ozias, siue Azarias: apertè colligitur ex lib.4.Reg.cap.14.25. vbi sic habetur. *Ipse (Ieroboam) restituit terminos Israel ab introitu Emath non procul à Damasco, vsque ad mare solitudinis, iuxta sermonem Domini Dei Israel, quem locutus est per seruum suum Ionam filium Amathi Prophetam, qui erat de Geth, quę est in Opher.* Quod additur, inquit Hieronymus in prologo, *ad distinctionem aliarum Geth vrbium*, quarum fit mentio in scriptura. Vbi etiam notandum est, Prophetas non scripsisse omnes suas prophetias, vel, si scripserint, aliquid perijsse. Hæc enim Prophetia Ionæ de vastatione Damasci & Emath, deque restitutione terminorum Israel facienda per Ieroboam, in libro Ionæ non extat.

Ionas itaque tempore Abdiæ & pręcedentium Prophetarum, scilicet Osee, Ioel & Amos prophetauit sub Ieroboam non quidem prioribus eius annis, quibus regnauit cum Amasia rege Iuda, vti opinantur aliqui, sed posterioribus, quibus ipse regnauit cum Azaria filio Amasiæ. Nam sub Ieroboam, & Ozia, vel Azaria, qui quinquaginta duobus annis regnauit, cæpit prophetare Osee, vt patet Osee 1. 1. qui fuit primus omnium Prophetarum. Eodem tempore, quod fuit paulo ante initia vrbis Romæ, regnabat in Latio Procas Syluius, auus Romuli, & in Assyria Sardanapalus vltimus Assyriorum rex. Ex qua Chronologia magna lux oritur prophetię Ionæ. Ex ea enim videmus causam, cur Deus præter morem Prophetam Hebræum miserit ad Niniuitas Gentiles, & valdè remotos. Nimirum, quod eo tempore Niniuitarum mores erant corruptissimi & flagitiosissimi: Regem enim Sardanapalum hominem mollissimum & effæminatissimum imitati, nam *Regis ad exemplum totus componitur orbis*, ventri & veneri se pariter dederant, indeque in omnia scelerum genera prolapsi erant, ita vt clamarent in cælum, poscerentque vindictam & fulmen, quod Deus hic eis per Ionam intentat.

Cum igitur tales essent Niniuitæ, ad Prophetam Ionam factum est verbum Domini, vt abiret in Niniuem ciuitatem grandem, ibique prædicaret quod subuertenda esset. Quod onus Ionas detrectans conscensa naue in Iappe fugit in Tharsis; sed eum sequitur à tergo Deus, procellam in mari excitat; qua vrgente nautæ iaciunt sortes, quibus cognoscentes Ionam tempestatis esse causam, mittunt illum in mare æstuans, vbi sorbetur à Ceto, in cuius ventre Deum inuocans exauditur, & die tertio à ceto in littus euomitur. Vndè factus sapiens, Deoque obediens vadit in Niniuen, contentaque voce clamat: *Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur.* Quo audito Niniuitę resipuerunt pænitentiamque in cinere & sacco egerunt; qua placatus Deus minas reuocat, vrbi parcit. Iona autem indignante sua oracula nō impleri, Deus per hederam & vermem docet eum, clementiæ esse pęnitentibus parcere. Notandum tamen, quod Niniuitis iterum ad ingenium & scelera sua redeuntibus, post Ionam missus est ad eos Nahum, qui iterum excidium eis intentaret, quod reipsa eis inflictum est, vt dicitur Nahum 2. vndè patet ad pænitentiam Niniuitarum, Dei de eorum excidio sententiam non tàm fuisse abolitam, quàm suspensam: ipsis enim ad scelera sua redeun-

deuntibus, Deus laxauit manum suam, sententiam reuocauit, & exitium à Iona comminatum, eis inflixit.

Allegoricè Ionas vnus ex omnibus Prophetis missus ad Gentes, atque à ceto absorptus, & tertio die restitutus, expressus typus fuit Christi Gentes vocãtis, patientis, resurgentis, vt patet Matth. cap. 12. vers. 40. Vndè S. Hieronymus epistola ad Paulin. *Ionas*, ait, *columba pulcherrima naufragio suo passionem Domini præfigurans, mundum ad pœnitentiam reuocat: & sub nomine Niniuè Gentibus salutem nunciat*. Idem docet S. August. lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 30. *Ionas*, inquit, *non tam sermone, quam sua quadam passione prophetauit, profectò apertius quã si eius mortem & resurrectionem voce clamaret*.

CAPVT LII.

De Prophetia Michea.

Michæas Hebraicè dicitur *Micha*, id est pauper, quia pauperem Christum rure in Bethleem nasciturum prædixit & adumbrauit. Verum quia *Micha* per crasin idem esse potest quod *Michiau*, vt patet 2. Paralipom. 18.8. id est, *Quis sicut ille?* vel idem quod *Michaia*, & *Michain*, vt patet 2. Reg. 22.12. Iudic. 17.1. & 4. vt significet idem quod *Michael*, id est, *quis sicuti Deus*: hinc noster Interpres, Septuaginta & alij eum vocant non *Micha*, sed *Michæam*. Cum autem in scriptura duplex sit Michæas, vnus filius Iembla, qui prædixit stragem & necem Achab, 3. Reg. 21.14. alius est hic Michæas ab illo: nam ille vixit sub Achab & Iosaphat, hic verò noster sub Ioathan & Achas, vnde fuit illo posterior ducentis, vel centum quinquaginta annis. Rursum ille in Israel, hic in Iuda vitam egit, oriundus de Morasthi, qui fuit viculus in tribu Iuda iuxta Eleutheropolim, ad orientem eius; quem Chaldæus, Clarius, Arias & Vatablus putant esse eundem cum Maresa. A Maresa enim vel Moreset deductũ videtur Hebræum nomen patronymicũ Morasthi, id est, Morasthites, quod Mich. cap. 1. vers. 1. ipsi attribuitur. Verum S. Hieronymus, & alij plures probabilius docent, Morasthi nomen esse loci distincti à Maresa.

Prophetauit Michæas sub Ioathan, Achas & Ezechia, vt ipse ait cap. 1. v. 1. ergo non sub Iosia, vt habet Isidorus, nam inter Ioathan & Iosiam fluxerunt anni centum viginti. Hinc patet Michæam paulo post Osee, Ioel, Abdiam, & Ionam cœpisse prophetare, sed cum ijs perrexisse obire idem munus. Nam illi cœperunt sub Ozia, qui fuit pater Ioathan. Porro Ioathan fuit pius rex, æque ac Ezechias, impius verò & idololatra fuit Achas. Quocirca Michęam reueritus est, eiusque oraculis licet liberis & minacibus compunctus fuit Ezechias, vti narrat Ieremias cap. 26. 17. Ioathan autem cum regnarit annis 16. totidem Achas, Ezechias verò annis 29. si omnibus hisce annis prophetauit Michæas, sequitur eum prophetasse annos 61. Verum quia nescitur an cœperit statim primo Ioathan anno, & an finierit præcisè vltimo Ezechiæ; hinc vtrimque demendo aliquot annos, coniectant aliqui eum quinquaginta plus minùs annis prophetasse.

Argumentum huius prophetiæ est, reprehendere idololatriam, vitiaque ex ea nata, ac præsertim oppressionẽ pauperum tàm Samariæ, quàm Ierusalem, siuè tam decem tribuum, quam duarum. Et quia Samaria idololatriæ virulorum initium dedit, eamdemque communicauit Iudæ sub Achas impio rege, hinc primò excidium Samariæ per Assyrios comminatur, eiusque opes quasi mercedes meretricis, id est, idololatriæ, ad meretrices, id est, ad Assyrios pariter idololatras, reuersuras prędicit. Deinde Hierosolymæ, siue Iudæ idem per Chaldæos excidium denunciat, quæ in idololatria imitata est Samariam; ac nominatim Lachis, quæ prima vrbium Iudæ suscepit idola Israel, Bethaetsel, Maroth, Maresa, & Odollam. Post hęc tristia,

de

de more læta subiungens Propheta, vt suos consoletur, cap. 4. promittit illis lętum è Babylone reditum per Cyrum; lætiorem autem ex peccato, morte & gehenna regressum ad gratiam, vitam & Ecclesiam tùm militantem, tum triumphantem per Christum, quem cap. 5. in Bethleem nasciturum prædicit. *Et tu Bethleem Ephrata paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio, à diebus æternitatis.*

Michæam in stylo & spiritu similem esse Isaiæ, eiusque quasi æmulum notant communiter interpretes vnde & eumdē subinde ad verbum citat, vt patet cap. 4. vers. 1. cap. 5. v. 1. Sic enim voluit Deus oraculi sui tot testes dare, vt nemo de eo dubitare posset, cum idem omnes prænuntient, ac in omnibus consonent, in nullo dissonent. Quo inuincibili veritatis, veræque diuinationis argumento passim vtuntur S. Augustinus contra Manichęos, Tertullianus contra Marcionem, cæterique Patres vt probent authoritatem tàm noui, quam veteris testamenti, ac vtriusque authorem fuisse Deum.

CAPVT LIII.

De Prophetia Nahum.

NAhum, id est *consolator*, aut *panitens* secundum diuersas radices, natus est in oppido Elceses in Galilæa, citra Iordanem fluuium, versus Bagabar, de tribu Simeon, vndè & Elcesęus dicitur cap. 1. vers. 1. Quarè minus rectè nōnulli cum Vatablo censent Nahum à familia cognominatum esse Elcesęum, aut secundum Hebręam, quam refert Hieronymus, traditionem, Elcesęum patrem fuisse Nahum, ideoque vocari Nahum Elcesęi, quasi filium Elcesęi. Probabilius etiam dicendum est ab initio Prophetiæ Ionæ vsque ad Nahum fluxisse annos circiter 90. Nam Ionas, vt diximus supra cœpit prophetare tempore Ieroboam, & Sardanapali sub initium regni Oziæ regis Iuda: quare cum Osias regnarit 52. annis, deinde Ioathan filius eius annis 16. post Ioathan Achas annis 16. post Achas successerit Ezechias, cuius anno sexto, vel paulo post prophetauit Nahum, circa annum mundi 3226. si colligantur hi omnes anni, conficientur nonaginta, quos dixi.

Argumento conuenit hic liber cum prophetia Ionæ, quod vterque de Niniues Assyriorum metropolis excidio vaticinium texat. Nam cum Niniuitæ, accepta clementia diuina, quā illis pœna per Ionā prędicta, tàm benigne fuerat remissa, ita essent securi, vt in antiqua & longè grauiora relaberentur vitia, rursum post Ionam submisit Deus Nahum, qui Ionæ minas contra Niniuen, totamque Assyriam renouaret & reuocaret, post abductas in eam decem tribus, quod contigit anno sexto Ezechiæ. Vnde liquet, quòd statim dicebamus, Nahum prophetasse anno sexto Ezechiæ, vel paulo post; sed ante annum eius decimum quartum, quo Sennacherib rex Assyriorum inuasit Iudæā, & Ierusalem obsedit: nam hunc eius aduentum, & Ierusalem ac Ezechiæ ab eo liberationem prędicit Nahum. Ab hac autem Nahum prophetia vsque ad eius complementum, videlicet vsque ad excidium Niniues, fluxerunt anni circiter centum triginta octo. Ezechias enim, cuius anno sexto prophetare cœpit, deinde adhuc 23. (nam vniuersim regnauit annis 29.) annis regnauit: successit ei filius Manasses, qui regnàuit annis 55. Huic successit Amon annis duobus: huic Iosias annis 31. huic Ioakim annis 11. huic Sedecias annis 11. sub quo anno vndecimo excisa est Ierusalē à Chaldęis, ac deinde post annos quinque ab eisdem euersa est Niniue. Adde hos annos, & habebuntur dicti 138. anni.

Tropologicè & Anagogicè S. Hieronymus, *Sciendum est*, inquit, *(quoniam Niniue de Hebræo speciosam sonat, speciosus autem hic mundus dicitur, vnde & apud Græcos cosmos ab ornatu nomen accepit) quidquid nunc aduersus Niniuen dici-*

dicitur, de mundo figuraliter prædicari. Quam ob causam assumptio, quam Septuaginta interpretantur lemma & Aquila arma, apud Hebræos משא massa ponitur, id est, graue onus; eo quod eam aduersus quam videtur premat, nec sinat eleuare ceruicem. Et mox: *De consummatione itaque mundi, secundum anagogen, ô Paula & Eustochium, in consolationem Sanctorum prophetia texitur, vt quæcumque in mundo vident, quasi prætereuntia & caduca contemnant, & præparent se ad iudicij diem, vbi vltor aduersus veros Assyrios futurus Dominus est.*

CAPVT LIV.

De Prophetia Habacuc.

Habacuc, id est, amplexans, siue luctans, ita dictus est, inquit Hieronymus in prologo, *vel ex eo, quod amabilis Domini est, vel quod in certamen & luctam, & (vt ita dicam) amplexum cum Deo congreditur. Nullus enim tam audaci voce ausus est Deum ad disceptationem iustitiæ prouocare, & dicere: cur in rebus humanis, & in mundi istius politia tanta rerum versatur iniquitas.* Chaldæus Paraphrastes tradit Habacuc fuisse filium Sunamitidis defunctum, quem Elisæus vitæ restituit 4. Reg. 5. 36. Verum obstat ratio temporum. Nam Eliseus floruit sub Iosaphat; Habacuc vero diu post, sub Manasse prophetare cœpit, videturque vnus fuisse è Prophetis illis, quos Deus misit ad Manassen, vt eum de impietatibus suis argueret, 4. Reg. 21. 10. Vndè cum Epiphanio, & Isidoro in vita Habacuc, dicendum est eũ fuisse oriundum ex tribu Simeon, in agro Bithicucar, vel vt Epiph. nominat, Bexzochar.

Quod pertinet ad huius Prophetiæ argumentũ, putant aliqui Habacuc post excidium Hierosolymæ, directè, & ex professo prophetare excidium Babylonis, & Chaldæorum; sicut Nahum, qui eum præcessit, prophetauit excidium Niniues, & Assyriorum. Verum cùm alijs probabilius tenendum est; ex professo Habacuc tollere onus contra Iuda, & Ierusalem, eorumque excidium per Chaldęos; consequenter tamen Chaldęorum quoque per Cyrum, & Persas interitum prędicit. Solent enim Prophetæ tristibus læta subiungere, & post minas consolari. Ita hic Habacuc, vt soletur Iudęos à Chaldęis vastandos, & in Babylonẽ abducendos, prędicit Chaldęos pariter post 70. annos à Cyro perdendos, tùmque Iudęos è captiuitate Babylonica liberandos, & in patriam redituros. Deindè à Cyro liberatore, exemplo Isaiæ cap. 45. 8. assurgit ad Christum redemptorem, eique cap. 3. in sensu allegorico, qui pręcipuè intenditur à Spiritu Sancto, carmen insigne pangit, quo eius natalem, vitam, passionem, resurrectionem, secundum aduentum ad iudicium, quo impios damnabit, pios beabit graphicè depingit, & celebrat. Sicut enim Nabuchodonosor tyrannus, & vastator populi Dei gessit typum diaboli; ita Cyrus liberator eiusdem, figura fuit Christi redemptoris; & sicut Babylon repręsentat regnum peccati, ita liberatio è Babylone repręsentauit redemptionẽ Christi, qui euertit regnum peccati, hominesque ex eius & diaboli seruitute liberauit. Hinc, quia allegoricus sensus hic, præcipuè est intentus à Spiritu Sancto, quędam inseruntur, quæ magis conueniunt allegoriæ, quam litteræ, vti est nomen Iesu vers. 18. *Exultabo*, inquit, *in Deo Iesu meo*: & quod Septuaginta habent vers. 8. *In medio duorum animalium cognosceris*; & vers. 5. *Ante faciem eius ibit mors*; &, *Egredietur diabolus ante pedes eius*.

Ex dictis sequitur, hunc Habacuc antè excidium Hierosolymæ prophetasse, atque adeò non esse eundem cum Habacuc, qui per aerem raptus ab Angelo, & ex Iudæa traductus in Babylonem, ibi prandium tulit Danieli cap. 14. 32. coniecto in lacum leonum. Ille enim Habacuc fuit diu post excidium Hierosolymæ, cum iam Iudæi in Babylone degerent captiui: hic autem noster fuit ante

ante excidium: nam illud prophetat dicens cap. 1. 6. *Ecce ego suscitabo Chaldæos gentem amaram & velocem, ambulantem super latitudinem terræ, vt possideat tabernacula non sua, &c.* Insuper, Daniel coniectus est in lacum leonum sub Euilmerodach, qui Patri Nabuchodonosori in regnum successit: Nabuchodonosor autem 44. annis regnauit, & ante eum Iosias regnauit in Iuda 31. annis, ante eum Amon annis duobus, ante Amon Manasses annis 55. ante Manassen Ezechias annis 29. Ponatur iam Habacuc cepisse Prophetare sub finem regni Ezechiæ, vel, quod probabilius est sub Manasse, tùmque eum fuisse 30. annorum (nam ante trigesimum annum apud Hebręos ordinariè nemini docere, aut prophetare licebat) indè sequitur Habacuc longè superasse annum centesimum, si vnus idemque fuit noster hic cum illo Danielis. Hoc autem non videtur verisimile, nimirum quod vir ea ætate decrepitus prandium ferret messoribus. Quare sicut ex dictis supra duo fuerunt Michaę Prophetę, & duo Abdię, ita & probabilius est duos fuisse Prophetas habentes idem nomen Habacuc.

CAPVT LV.

De Prophetia Sophoniæ.

SOphonias Hebraicè idem est, quod *speculator Domini*. Radix enim *tsapha* significat speculari: *Ia* autem est nomen Dei, puta per *crasin* idem quod Iehoua: vel *absconditus*, siue *arcanus Domini*, à radice *tsaphan*, id est, abscondit. Qui enim speculari volunt diuina, vti Prophetæ, necesse est vt oculos mentemque auertant à terra, & in Deo abscondant. Fuit è Tribu, & progenie Simeon ex monte Sarabatha, *filius Chusi, filij Godoliæ, filij Amariæ, filij Ezeciæ*, vti dicitur cap. 1. vers. 1. vbi Rabbini censent hunc esse Ezechiam regem Iuda, ita vt eius abnepos fuerit Sophonias. Verum id impugnant Ribera, à Castro & alij: nam hoc non tacuisset Sophonias, qui ex genere hic sibi authoritatem conciliat. Prȩterquam Sacra Scriptura lib. 4. Reg. cap. 20. vers. 21. & Ioseph lib. 10. Antiquit. cap. 3. non alium Ezechiæ regis filium assignant, quam Manassen.

Prophetauit tempore Iosię, vt ipse ait cap. 1. vers. 1. qui circa annum mundi 3306. ante Christum 644. cœpit regnare in Iuda. Quo etiam tempore prophetauit Ieremias, vt ipse ait cap. 1. v. 1. & Holda Prophetissa 4. Reg. 22. 14. Vndè sequitur Sophoniam pręcessisse Ezechielem, & Danielem, qui sub Ioachin nepote Iosiæ, vt patet ex eorum exordio, prophetarunt; Sequitur quoque ipsum prophetasse post vastatam Samariam, & captiuitatem decem tribuum (hæ enim in Assyriam abductæ sunt anno 6. Ezechiæ, qui fuit atauus Iosię) ac consequenter eum vaticinari solis duabus tribubus reliquis, puta Iudæ, & Beniamin. Hasce ergo hortatur ad pœnitentiam, prȩsertim vt relicta idololatria ad Dei cultum redeant: ni id faciant, minatur eis ineuitabile Hierosolymę excidium, per Chaldæos quasi Sanctos Sacerdotes qui impios Iudæos, quasi hostiam, iustitiæ & vindictę suę immolent: atque in typo excidij Ierusalem cap. 1. ęquè ac Niniues cap. 2. allegoricè, orbis excidium, diemque horribilem iudicij graphicè depingit. Deinde cap. 3. consolatur eosdem Iudęos spe liberationis, & reditus è Babylone; sed magis promissione Christi liberatoris, qui per suam incarnationem omnibus gentibus salutẽ afferet ex Theodoreto dando Euangelicam legem, in qua tàm gentes, quàm Iudæi sanctè & feliciter sint victuri, vsque ad finem mundi diemque iudicij, quando Iudæi, alijque infideles, qui Christum recipere noluerunt, damnabuntur, & æternis gehennę pęnis addicentur.

CA-

CAPVT LVI.

De Prophetia Aggæi.

AGgæus, vel vt Hebraicè scribitur per *chet*, חגי *Chaggai* siue Chaggæus, id est festiuus, festum agens à radice *Chagag*, id est, festum celebrauit, sic dictus est, ob festiuam prophetiam, qua toti populo lætum è Babylone in Iudæam reditum, templique reædificationem prædicit. Etsi autem Aggæus valde illustris, sanctus & sapiens fuerit, magnique Spiritus, vt ait Hieronymus, non tamen fuit Angelus incarnatus, vt falsò Origenes de illo, æquè, ac Malachia, & Ioanne Baptista censuit. Certum enim est Prophetas omnes fuisse homines, non Angelos. Docet Isidorus eum in Babylonia natum, Iuuenculum cum cæteris Iudęis redijsse Hierosolymam; ibidemque omnium primum cecinisse Alleluia addit Epiphanius; intellige primum à reditu è Babylone: nam antè captiuitatem in vsu fuit Alleluia, vt patet ex Psalmis, in quibus crebro resonat Alleluia; aut quod primus post Psalmos adiecerit Alleluia, ob lætum è Babylone reditum. Talis est 111, qui inscribitur, Alleluia reuersionis Aggæi, & Zacharię: Et 145. cuius pariter titulus est, Alleluia Aggęi & Zacharię: probatius enim est hos Psalmos non esse ab illo compositos, vt opinati sunt nonnulli, sed solum decantatos à populo redeunte è Babylone, præcinentibus Aggęo & Zacharia; eo quod festiui sint, & Eucharistici, ideòque huic materiæ & iubilo, populi è captiuitate reuertentis congrui.

Anno secundo Darij Regis, qui Darius non fuit Medus, vt opinatus est Genebrardus, nec Artaxerces Longimanus sextus rex Persarum, vt docet Iansenius in concordia Euang. cap. 19. nec Darius Nothus, qui fuit filius Spurius Artaxercis Longimani, vt tradit Scaliger. in emendat. tempor. Sed Darius Hystaspis, qui Asuero, siue Artaxerci, vt habet Esdras, hoc est Cambysi in regno Persarum successit, non vt filius, sed à Satrapis electus per hinnitum equi. Anno, inquam, secundo Darij huius, qui fuit mundi 3433. ante Christum 518. cæpit ex Hieronymo, Theodoreto, Eusebio & alijs prophetare Aggęus, ac Iudęos hortari vt intermissam templi fabricam resumerent, quam perfecerunt anno sexto eiusdem Darij, vt ait Esdras lib. 1. cap. 6. vers. 14. scilicet quo ad sanctum, & sanctum Sanctorum. Nam atrium, siue exterior pars templi, & per consequens totum templum quoad omnia, consummatum fuit anno eiusdem nono, vt testatur Ioseph. lib. 11. antiquit. cap. 4. Porro notat S. Hieronymus in prologo, Aggæum vaticinatum esse anno secundo Darij, hortatumque Iudæos ad restaurandum templum, quia hoc anno secundo finiebantur 70. anni desolationis templi, de quibus Zachar. c. 1. 12. Anno enim 18. Nabuchodonosoris, qui fuit vndecimus Sedeciæ, à Chaldæis combustum & desolatum est templum: indè vsque ad secundum annum Darij fluxerunt anni 70. sicut anni 70. captiuitatis Iudæorum in Babilone, qui incipiunt vndecim annis citius, nimirum anno septimo Nabuchodonosoris, qui fuit Ioakim vndecimus & vltimus, finiũtur anno primo monarchiæ Cyri. Quocirca 70. anni desolationis templi, sicut vndecim annis post 70. annos captiuitatis incipiunt, ita & vndecim annis post eosdem desinunt. Adde enim tres annos Cyri, quibus quasi Monarcha regnauit post captam Babylonem, & laxatam captiuitatem Iudæorum, deinde septem Cambysis, mox duos Darij, & habebis annos vndecim completos, sed duodecim inchoatos.

Ex dictis sequitur prophetasse Aggæum paulò post Iudæorum reditum è captiuitate Babylonica; redierunt enim anno primo Cyri, moxque cęperunt reędificare templum, iaciendo eius & altarium fundamenta, verùm cæso paulò post à Tomyri Scytharum regina Cyro, successit ei in regnum Persarum filius Cambyses, siue, vt eum Esdras vocat,

Assuerus Chaldaicè, Persicè Artaxerces qui persuasus à Sanaballat, alijsque Samaritanis Iudæorum hostibus, quod Iudæi in speciem templum, sed reuera arcem quasi rebellaturi construerent, prohibuit eos in fabrica progredi; vt fusè narrat Esdras lib. 1. cap. 4. vbi & addit vers. 24. *Tunc intermissum est opus domus Domini in Ierusalem, & non fiebat vsque ad annum secundum regni Darij regis Persarum*. Iudæi enim videntes à Cambyse, Sanaballat & alijs tot tantásque fabricæ moras iniji, putabant necdum eius tempus aduenisse. Quamobrem Deus suscitauit Aggæum anno secundo Darij, qui eos ad templi fabricam resumendam incitaret: primeque prophetię parte tres elidit Iudæorum excusationes de illa differenda; in altera verò promittit Zorobabeli fabricam resumenti Christum ex eius stirpe nasciturum, qui templum hoc sua præsentia, doctrina & miraculis decorabit, facietque gloriosius, quàm fuerit templum prius à Salomone ædificatum, & thronum regni sui super omnia gentium regna, ijs subactis, sublimabit.

Allegoricè Aggæus, inquit S. Hieronymus, Cyrillus, Rupertus, & alij, optat vt Iesus Pontifex, & Zorobabel dux, id est Iesus Christus filius Dei, Summus Sacerdos, qualis fuit Iesus filius Iozedec; æquè ac summus princeps qualis fuit Zorobabel, Dei domum, id est corpus, sibi & nobis in incarnatione ædificet. Tropologicè, vt Deus sibi in anima fideli & sancta templum virtutum construat, inquit idem S. Hieronymus, & Remigius.

CAPVT LVII.

De Prophetia Zachariæ.

Zacharias, id est, *memoria Domini*, vel memor Domini sui, filius fuit Barachiæ, & nepos Addo, vt dicitur c. 1. vers. 1. Vbi S. Hieronymus & cum eo plures alij censent hunc esse Addo videntem, id est prophetam, qui scripsit Chronica regum Iuda 2. Paralip. 22. 15. quique missus fuit à Deo ad Ieroboam primum regem Israel, vt ei, ob vitulos aureos ab eo erectos, interitum denunciaret, lib. 3. Reg. cap. 13. vers. 1. Sed hoc videtur impossibile. Nam à Ieroboam vsque ad Darium Hystaspis fluxerunt 400. anni & amplius. Quare dicendum est Addo auum Zachariæ fuisse alium ab Addo vidente, vel illum non auum, sed quintum, aut sextum atauum fuisse Zachariæ, vt Barachias vocetur filius, id est, abnepos Addo: Sic enim ipse Zacharias vocatur filius, id est nepos, vel abnepos Addo lib. 1. Esdræ cap. 5. 1. Et hoc satis est verisimile, tum quia alium Addo prophetam, vel celebrem in Scriptura non legimus, tùm quia prophetia tunc temporis erat quasi hæreditaria, æquè ac Sacerdotium, & de auis transibat in patres, & nepotes: tùm denique quia id affirmat S. Hieronymus, & alij plures cum illo, qui sanè vidit ex spatio tot annorum Addo non posse esse auum Zachariæ; per auum ergò accipit atauũ.

Coæuus Aggæo fuit Zacharias: vterque enim cæpit prophetare post captiuitatem Babylonicam, anno secundo Darij Hystaspis regis Persarum; vt patet ex vtriusque principio: præponitur tamen Aggęus Zachariæ; quia duobus mensibus ante eum cæpit vaticinari, nimirum mense sexto anni sacri, ac consequenter mense *Elul*, qui Romanorum sextili, siue Augusto, Christianorum verò partim Augusto, partim Septembri respondet; Zacharias autem mense octauo, qui erat Iabal, siue Bul, Octobri respondens. Hebręi enim cum duplicem haberēt annum, sacrum vnum, quo vtebantur ad festa & res sacras, ab æquinoctio verno incipientem, cuius primus mensis erat Nisan; prophanum alterum, siue vulgarem, quo vtebantur ad commercia, & res ciuiles, ab æquinoctio autumnali inchoantem, cuius primus mensis vocabatur Hebraicè *Ethanim*, Chaldaicè *Tisri*; cùm, inquam, Hebręi duos prædictos haberent annos, ideò dupliciter numerabant menses. Iam autem mensem sextum

sextum Aggæi 1. & octauum, Zachariæ 1. menses fuisse anni Sacri, non vulgaris vt diximus rectè ostendit Cornelius à Lapide ibid. contra Lyranum, & Vatablum; Vt eodem tempore, ita etiam, & eodem loco prophetarunt Aggæus, & Zacharias, non in Babylone vt aliqui censent, sed in Ierusalem, vti disertè ait Esdras lib. 1. cap. 5.

Argumentum quoque Zachariæ est primò, cùm Aggæo excitare, & vrgere populum Babylone reuersum ad reædificandam Ierusalem & templum. Secundò, hortatur eumdem, proposita Patrum culpa & pœna, puta excidio & captiuitate Babylonica, vt ab eorum idolis, & vitijs, ad Deum & virtutem constanter se transferat, ne similem nouamque cladem ei infligat Deus. Tertiò prædicit futuros successus & euentus varios Iudæis obuenturos, vsque ad Christum, ac præsertim quatuor Monarchiarum, per quatuor quadrigas repræsentatarum cōuersiones & successiones, quæ desinent in Christum, Christique regnum: *Ecce*, inquit, *vir Oriens nomen eius*. Vnde quartò promittit Christum, eiusque vitam & mysteria ita particulatim recenset vt historicus potius & Euāgelista videatur, quam Propheta. Recenset enim Christi regalem & triumphalem ingressum in Ierusalem, qui contigit die Palmarum, quatuor diebus ante eius passionem, & mortem; item proditionem Iudæ, institutionem Eucharistiæ, Christi passionem, plagas manuum, descensum ad inferos ad educendos patriarchas, resurrectionem & gloriam, Iudæorum reprobationem, simul ac dispersionem destructa Ierusalem per vniuersum orbem, & captiuitatem eorum æternam, quæ in hodiernum vsque durat diem; tum Gentium vocationem, Ecclesiæ institutionem, & dilatationem, æquè ac sanctimoniam & felicitatem, deindè persecutorum eius punitionem, & interitum. Cum autem cæteri Prophetæ minores verbales fuerint, & Deum loquentem per verba menti suæ immissa audierint: Zacharias abundat hieroglyphicis, ęnigmatibus parabolis, & sententijs obscuris. Quocirca præ cęteris pariter est difficilis, & profundus, vt notat S. Hieronymus in prologo, & in epist. ad Paulinum.

Martyrem fuisse Zachariam asserunt nonnulli: putant enim ipsum fuisse Zachariam illum, de quo ait Christus Matth. 23. 35. *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare.* Vndè & Zacharias hic noster vocat se filium Barachię: Ita Vatablus, Arias, Sanctius, Ribera, & alij plures; licet S. Hieronymus, Beda & alij censeant illum Zachariam fuisse filium Ioiadę Pontificis, qui alio nomine dictus sit Barachias: hunc enim Ioas rex occidit inter ædem, & altare, lib. 2. Paralip. cap. 24. 21. Alij tertio vt Origenes, S. Basilius, Cyrillus, Epiphanius, Euthymius &c. quos sequitur Cardinalis Baronius tomo 1. Annal. existimant Zachariam illum, de quo Matth. loco citato, fuisse patrem Ioannis Baptistę, qui occisus sit à Iudęis, eo quod Virginis partum, & Christi ortum prædicasset.

CAPVT LVIII.

De Prophetia Malachiæ.

MAlachias Hebraicè מלאכי, id est Angelus meus, ita dictus est, non quòd fuerit Angelus, qui corpus assumpsit, illudque sibi hypostaticè vniuit, vt tam de ipso, quam de Aggęo & Ioanne Baptista censuit Origenes, sed vel ab officio, rectè enim Prophetę vocantur Angeli, id est, nuncij & legati Dei, vel ob Angelicos mores, formam & vitam. Alij, vt Hieronymus, Remigius, Rupertus, veterum Hebręorum traditionem secuti, voluerunt Malachiā fuisse Esdram Sacerdotem & Scribam, dictumque Angelum ob sapientiam & puritatem vitę; sed verior est contraria sententia, quæ est Sancti Augustini, & aliorum plurium Malachiam ab Esdra di-

distinguentium, vt rectè ostendit Cornelius à Lapide.

Natus est in Sopha, & tribu Zabulon post reditum populi è Babylone in Iudęam, vti docent Epiphanius Doroth. & Isidorus; Prophetauit sub Dario Hystaspis, ac deinceps, sub quo & Aggęus & Zacharias prophetarunt; sed post eos: vndè vltimus fuit omnium Prophetarũ, in eoque desijt prophetia apud Hebręos vti ipsimet fatentur. Omnium etiam Prophetarum iunior obijt, teste Epiphanio in eius vita.

Quod pertinet ad huius Prophetię argumentum; primum arguit Iudæos ingratitudinis, & Sacerdotes negligentiæ, & impietatis in Deum, quod cum Angeli Domini esse debeant, tàm doctrina, quàm vita, neutrũ tamen præstent, templo & altari indeuotè, auarè, & indecorè deseruientes; Hinc ijs amotis prædicit nouos esse surrogandos, qui in omni loco offerant piè & sanctè purissimum, & augustissimum *mincha*, id est, sacrificium Eucharistiæ: denique promittit Christum venturum ad templum, quasi Angelum testamenti, eiusque præcursorem fore minorem Angelum, scilicet Ioannem Baptistam: Eliam verò venturum ante secundum Christi aduentum tempore Iudicij, qui conuertet cor patrum ad filios. Quocirca Malachiæ Prophetia sententijs breuis est, sed fœcunda mysterijs, præsertim futuris in nouo testamento, quæ clarius cæteris, vt porę vltimus, & vicinior Christo & Apostolis, enunciat. Vndè S. Hieronymus ad Paulinum. *Malachias*, inquit, *apertè & in fine omnium Prophetarum, de abiectione Israel, & vocatione Gentium; Non est mihi, ait, voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.*

CAPVT LIX.

De Libris Machabæorum 1. & 2.

QVod aliqui veterum Patrum libros Canonicos recensentes, inter eos Machabæorum libros non connumerauerint, vel quia de Canone tantùm Hebræorum locuti, vel si de Canone Christianorum, de illis dumtaxat libris sermonem habuere, de quibus in Ecclesia nunquam dubitatum fuit, ideòque Protocanonici dicuntur; Indè Nouatores tam Lutherani, quàm Caluinistæ libenter occasionem arripuere pręfatos libros absolutè reijciendi, ne cogerentur admittere suffragia defunctorum, sanctorum inuocationem, templorum dedicationes, aliaque similia fidei mysteria, quæ luculenter ex illis colliguntur.

Ecclesia verò Catholica duos Machabæorum libros, primum scilicet, & secundum pro sacris & Canonicis, secũdi tamen Canonis habet, vt definit Concilium Tridentinum sess. 4. Florentinum in Litteris Vnionis, Carthaginense III. Can. 47. quibus addi potest Concilium Aquense sub Pipino lib. 1. cap. 28. & Triburiense cap. 34. quæ ex his libris tanquàm Sacris & Canonicis desumunt testimonia. Summi quoque Pontifices Innocentius I. in epistola ad Exuperium, & Gelasius I. vnà cum LXX. Episcopis in decret. de libris sacris & Ecclesiasticis hos libros cum cæteris in canone diuinorum librorum ponunt, in vnum tamen, quod apud Gręcos in vno volumine contineantur.

Secundò, cùm ex Genebrardo in Chronolog. ad annum 3638. 3920. & 3952. diuersi Sacrorum librorum canones ab Hebræis fuerint editi, quorum vnus fuit ab Esdra editus: alij verò post Esdram; etsi in primo canone Machabæorum libri non contineantur, vt potè longè post ipsum, Esdræque tempora scripti, in alijs tamen numerantur. Indeque apud ipsos Hebręos duplicis etiã generis fuerunt libri sacri, protocanoni-

ci,

ci, videlicet, & deuterocanonici. Cuius satis est manifestum argumentum, quod doctissimi, & vetustissimi Hebræi lib. Machabæorum historias tanquam sacræ authoritatis sepissimè citant, vt Iosephus filius Malhatię in libello de Machabæorum martyrio, Iosephus filius Gorionis & author libri illius, qui inscribitur, *Seder Olam*.

Tertiò, præter illos Patres, qui ex Machabæorum libris plura desumunt testimonia tàm ad formandos mores, quàm ad probanda fidei dogmata, multi etiam vocant hos libros sacros, diuinos, & Canonicos; vel sacram, & diuinam scripturam, propheticum quoque sermonem. Ex Græcis Egesippus in proœmio, Origenes lib. 2. Periarc. cap. 1. & homil. 3. in Cantica; Damascenus in orat. pro defunctis. Ex Latinis S. Cyprianus lib. 1. epistola 3. ad Cornelium; Lucifer Calaritanus lib. de non parcendo in Deum delinquentibus; Hieronymus ad cap. 23. Isaiæ, vbi citando 1. Machabęorum librum, illos Scripturam appellat; *Hoc enim*, inquit, *Scriptura commemorat, quod Alexander Rex Macedonum egressus sit de terra Cethim*. 1. Machab. 2. Vnde cum præfat. in Prouerb. ait. *Machabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed inter Canonicas Scripturas non recipit*; vel loquitur de Canonicis Scripturis secundū primum Hebræorum canonem; vel de illis, de quibus nunquam in Ecclesia dubitatum fuit, & propterea per eccellentiam Canonicę, siue Protocanonicæ dicuntur. Omnium autem clarissimè S. Augustinus in hac re locutus est, lib. 18. de ciuitate Dei cap. 36. *Libros*, inquit, *Machabæorum non Iudæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet*.

Quod respondent aduersarij præfatos libros à Patribus, præsertim Augustino, larga quadam significatione vocari canonicos; quia etsi non valeant ad confirmanda fidei dogmata, valent tamen ad instructionem morum, & proptereà non sine grauissima causa piè in Ecclesia legi. Hoc, inquam, effugium potius, quam responsum satis, superque confutatum est cap. 30. Sancti enim Patres, & præsertim D. Augustinus loco citato, in ea notione Machabæorum libros appellat Canonicos, quam etiam vsurpat epist. 19. dicens, *se Solis illis Scripturarum libris, qui iam Canonici vocantur eum habere honorem, vt eorum authorem in nulla re minima errasse, firmissimè credat*. Idque nomen hoc, quo vtitur Augustinus satis indicat: nam libros illos ideò Canonicos vocat, quia sunt regula, & canon credendi, & sentiendi.

Supposita infallibili primi, scilicet, & secundi Machabæorum libri authoritate, post Ecclesiæ traditionem ac definitionem, quodque consequenter primarius illorum auctor fuerit Spiritus Sanctus, difficultas est inter doctores de secundario illorum authore, siue scriptore. Qua in re nihil certum habetur. Quod probabilius, ac verisimilius videtur, est aliquem è Sacerdotibus, vel Pontificibus fuisse: hisce enim data erat cura gentis suæ historiam pertexendi, teste Iosepho lib. 1. contra Appion. Vnde Cardinal. Bellarm. lib. de Scriptor. Ecclesiast. conijcit primum librum scriptum fuisse à Ioanne Hyrcano, filio Simonis fratris Iudæ Machabęi. Hic enim Patri Simoni cum in Principatum, æquè ac Pontificatum successisset, & omnibus pene patris & patrui gestis interfuisset, nec solum Sacerdos, & Princeps, sed etiam Propheta esset, vt asserit Iosephus lib. 13. Antiquit. cap. 16. primum aui sui Mathathiæ, deinde patris Simonis ac patruorum Iudæ & Ionathæ, tanquam familiæ suæ heroica prælia, gestaque conscripsit, ideoque in morte Simonis patris sui desijt.

Posteriorem autem librum, cuius historiæ fusè prius à Iasone Cyrenensi quinque libris conscriptæ fuerant, vt dicitur lib. 2. Machab. cap. 2. in epitomen contraxit primarius Sacerdos, idque iussu Synagogę. Nam Synagogæ nomine totus liber secundus scriptus fuit, quasi epistola circularis, qua Iudęi in Iudęa degentes, Iudæos per Aegyptum dispersos, rerum meliorum nuntio solantur,

vt

vt patet ex eius initio; *Fratribus*, inquit, *qui sunt per Aegyptum Iudæis salutem dicunt fratres, qui sunt in Ierosolymis*. In his autem quia erat Iudas, non Machabæus, vt vult Bellarminus & alij, nam hic iam erat vita functus, sed alius vel propheta, vel princeps populi & Senatus, cuius nomine epistola scribebatur, hinc Serarius putat Iudam hunc esse auctorem, vel compilatorem epistolę, eumque cognominat Essenum.

Quod pertinet ad idioma istorũ librorum. Primus Hebraicè extabat tempore S.Hieronymi, vti ipse fatetur in prologo Galeato. Secundum quoque Hebraicè extitisse insinuat Eusebius in Chron. ad annum mundi 4800. *Machabæorum*, inquit, *historia Hebræa hic Græcorum supputat regnum: verum hi libri inter diuinas Scripturas non reperiuntur*: intellige ab Hebræis modo superius dicto. Et ratio id suadet. Scriptus est enim ad Iudęos per Aegyptum sparsos: Iudęorum autem natiua & materna lingua erat Hebraica. Notant tamen Interpretes; primum quidem librum Hebræam, secũdum verò Græcam phrasim redolere. Porrò Græcæ editionis horum librorum auctores esse nequeunt, Septuaginta Interpretes, quia hi floruere sub Ptolomæo Philadelpho, qui 100. annis præcessit Antiochum Epiphanem alias illustrem, cuius persecutiones hic describuntur.

Quantum ad argumentum; prior liber Mathathiæ res gestas continet, & trium filiorum eius, Iuda Machabæi, Ionathæ, & Simonis. Posterior eamdem historiam continet, sed paulò altius incipit, & narrat martyrium insigne Eleazari, & septem puerorum Machabęorũ, eorumque matris. Cum igitur in Genesi describatur origo mundi, & Ecclesię Dei deinde eius propagatio vsque ad Reges Israelis Saulem & Dauidem in lib. Iosue & Iudicum; mox in libris Reg. eius progressus, quem habuit sub regibus, puta Saule, Dauide, Salomone, &c. item quæ passa est à regibus Assyriorum, & Chaldæorum, quorum prima fuit Monarchia; Tandem in Esdra, Nehemia, Tobia, Iudith, & Esther commemorentur ea, quæ eidem Ecclesiæ puta Israeli & populo Dei tam prospera, quam aduersa contigerunt in secunda Monarchia, quæ fuit Cyri, & Regum Persarũ. Nunc in hisce libris Machabæorum narrantur ea quæ eidem acciderunt commoda, & incommoda per spatium annorum 60. circiter in tertia monarchia, quę fuit Alexandri Magni & Græcorum, puta ab Antiochis regibus Asiæ, & Syriæ, & Ptolomæis Regibus Aegypti: inter vtrosque enim media fluctuauit semper Iudæa, nunc his, nunc illis, vel amica, vel inimica.

Cum autem primus liber sua consignet per annos Græcorum numerando eos iuxta computum Alexandrinum, secundus verò iuxta computum Chaldaicum, qui ab Alexandrino distat integro anno cum dimidio, vt notat Cornelius à Lapide. Item liber secundus narret actæ Iudæ alio modo, quam narrata sint lib. 1. nec vnquam libri primi mentionẽ faciat. Denique primus actis Iudę addat acta Ionathę & Simonis, quæ omittit secundus. Rectè colligitur contra Iudæos existimantes, illos vnam, & eamdem histotiam esse, multum inter se differre, & à diuersis etiam authoribus conscriptos fuisse, vt notauimus supra.

Ita tamen ad litteram, & historicè in istis libris conscribuntur gesta, & prælia Machabæorum contra Antiochum, aliosque hostes: vt etiam Allegoricè ex S.Prospero de promiss. & prædictionibus tempor. p. 2. cap. 40: In matre illa filios ad vitam præmittente, sancta designetur Ecclesia, quæ simili orationes suos agit filios, quibus contemptum mortis inculcans, ad veram vitam Christum transire compellit, vt fit ipsa in regno Dei perfecta cum filijs, qui ei dicũt, Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia.

Circa inscriptionem istorum librorum, testatur Origenes apud Eusebium lib. 6. cap. 25. inscriptos fuisse, Σαρβὴθ σαρβανὲ ἔλ, cuius, vt aduertit Serarius

in suis horũ librorum prçloquijs varius est sensus.hoc est,Princeps domus,Princeps filiorum Dei,seu Princeps in angustia filiorum Dei, sceptrum rebellium Dei. Hodie simpliciter & apud Grçcos & apud Latinos Machabæorum libri inscribuntur; & quidem à Iuda sacrorum bellorum duce, de quo maxima horum librorum pars agit,cognominato Machabço, eo quod ipse belli sacri contra infideles Antiochi asseclas tesseram acceperat illud Mosis deuicto Pharaone concinentis Exodi. 15. 11. מיכמך באלים יהוה *mi camocha baelim Iehoua*, id est, *Quis similis tui in fortibus Domine?* ideoque initialis verborum horum litteras breuitatis studio vexillis suis inscripsisse nimirum מכבי, quç suppositis punctis in vnam dictionem conflatę, faciunt מכבי. *machabi*, id est Machabæus; quod nomen cum ab ipso deindè ad eius fratres, aliosque qui se fortiter ijs temporibus in bello gesserunt dimanauerit; non Machabæi libri, sed Machabęorum dictitati sunt.

Porro Machabęi alio etiam nomine vocati sunt Assamonęi ab Assamonęo, qui fuit auus, vel abauus Mathathiæ, teste Eusebio, Iosepho lib. 12. Antiquit. cap. 8. & alijs. Hinc Hebraicè *Assamonai*, idem est, quod optimates, vel principes, & duces. Tales enim fuere Machabæi, non autem reges vt patet lib. 1. cap. 9. & 14. Regia enim stirps Dauidis defecit in Iechonia in Babylonem abducto, qui proindè à Ieremia cap. 22. vocatur vir sterilis. *Neque enim*, inquit, *erit in semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid*, id est, qui sit rex. Vndè Salathiel filius Iechoniæ, & Zorobabel filius Salathielis fuere duces populi, non reges. Quod autem apud Iosephum lib. 13. Antiquit. cap. 19. legatur, Aristobulum Ioannis Hyrcani filium diadema & regis nomen accepisse. Respondetur eum, eiusque posteros talem authoritatem vsurpasse, non autem à Republ. datam accepisse: quare non fuere veri, nec legitimi reges. Ita S. Hieronymus in cap. 21. Ezechielis. *Hyrcanus*, inquit, *Pontifex diadema capiti suo imposuit, frustra sibi & hoc & illud voluit vendicare, cum regnum ei non deberetur post Sedeciam*: q. d. quia non erat ex stirpe regia Dauidis, quæ defecit in vltimo rege Sedecia. A vulgo tamen adulante, indeque à scriptoribus nonnullis ipse & posteri eius vocantur reges, cum tamen re vera non fuerint tales. Secus est de Herode; hic enim à Senatu Romano & ab Augusto iam tum dominante Iudæis, regnum Iudæç, regisque nomen accepit. Vnde in eo sceptrum à Iuda translatum esse dicitur ad alienigenam, ideoque tunc aduenisse Christum, cui sceptrum hoc debebatur, vt vaticinatus est Iacob Genes. cap. 49. vers. 10. Sed de huius loci intelligentia vide inferius dicenda lib. 4. sect. 7. cap. 4.

Etsi autem nonnulli censeant Iudam cæterosque eius fratres & nepotes fuisse è tribu Iuda non solùm secundùm maternam, sed etiam paternã lineam, quod loco statim citato Genesćos prædixerat Iacob è tribu Iuda sceptrum non defuturum vsque ad Christum. Verius tamen est, eos fuisse è tribu Leui, & Sacerdotali. Fuere enim ipsi Summi Pontifices, & simul principes populi. Id ita esse clarè patet lib. 1. cap. 1. vbi Mathatias vocatur Sacerdos descẽdens ex Ioarib; Ioarib enim descendit ex Aaron, & Leui, vt patet 1. Paralip. cap. 24. 7. Vndè Mathatias vocat Phinees filium Eleazari filij Aaronis, patrem suum & suorum lib. 1. cap. 2. vers. 54. Loci autem Genescos vide explicationem præfato statim loco. Superest iam vt hæreticorum obiectionibus satisfaciamus, contra horum librorum authoritatem.

Obijciunt lib. 1. cap. 1. vers. 1. dici, quod Alexander Magnus fuerit primus Græciæ rex, cum tamen pateat eius, & permulti alij antea in Græcia regnauissent. Præterea ibidem habetur, Antiochum Illustrem regnasse anno 137. regni Græcorum, cum tamen constet ex Chronico Eusebij & aliorum Antiochum regnasse anno 156. tot enim sunt anni à primo anno Monarchiæ Græcorum vsque

que ad Antiochum. Tandem verſ. 57. abominatio deſolationis, de qua Daniel. 9. ad ſtatuam Antiochi in templo Hieroſolymitano poſitam refertur: cum tamen Christus Dominus Matth. 24. eam referat, aut ad tempus Antichriſti, aut ad tempus vaſtationis Hieruſalem quæ futura erat ſub Veſpaſiano, & Tito.

Reſpondetur ad primum, cum dicitur Alexandrum primum regnaſſe in Græcia, non debere intelligi de regno quocunque, ſed de Monarchia Græcorum ſubuerſo Perſarum & Medorum imperio, ſic enim Alexander primus in Græcia regnauit. Ad ſecundum dicitur Antiochũ Illuſtrem regnaſſe anno 137. regni Græcorum, non numerando annos ab Alexandro, ſed à Seleuco, qui poſt Alexandrum primus regnauit in Syria, vt monet Euſebius in Chronico; quia enim Iudæa pars eſt Syriæ, à primo rege Syriæ annos numerabant Iudæi; à Seleuco autem ad Antiochum Illuſtrem ſunt anni 137. quibus ſi addantur anni 19. qui ſunt ab Alexandro ad Seleucum, ſex videlicet à primo Monarchiæ Alexandri anno, & 13. ab eius morte, erunt anni 156. Ad tertium reſpondetur, nullam eo loci fieri mentionem Danielis, ſed tantum idolum Antiochi in templum repoſitum vocari abominandum idolum deſolationis, idque veriſſimè. Quamuis enim vtatur author hoc loco verbis Danielis, illud tantùm per accommodationem quamdam facit, ad inſtar concionatorum, qui verba ſcripturæ ſuis concionibus, aut ſcriptis accommodare conſueuerunt: non tamen propterea infertur Danielem de eiuſmodi idolo Antiochi loquutum eſſe.

Lib. 1. cap. 4. verſ. 52. Iudas Machabæus dicitur purgaſſe templum anno 148. regni Græcorum, ac proinde vno anno ante mortem Antiochi: ſi quidem anno 149. obijt, vt patet cap. 6. verſ. 16. eiuſdem libri: at lib. 2. cap. 10. narratur Iudam purgaſſe templum biennio poſt mortem Antiochi. Reſpondetur hæc minimè inter ſe pugnare. Iudas enim expurgauit templum anno 148. vt ſcribitur lib. 1. cap. 4. nempe vno anno antè mortem Antiochi: in ſecundo autem libro cap. 10. narratur quidem hęc expurgatio, non ſuo loco, poſt mortem Antiochi, ſed non aſſentur facta poſt mortem Antiochi; quia cum author c. 9. vellet abſoluere, quæ ad Antiochum pertinebant, noluit narrationem ipſa expurgatione templi interturbare: ideoque eam poſt mortem illius recenſuit, licet ante eius mortē à Iuda Machabęo peracta fuiſſet. Neque verum eſt quod aliqui contendunt ibi inſinuari biennio poſt mortem Antiochi factam fuiſſe: nam illud *poſt biennium*, quod habetur cap. 10. verſ. 3. intelligendum eſt non à morte Antiochi, ſed à prophanatione templi, quod prophanatum fuerat anno 145. vt ſcribitur Machab. 1. repurgatum eſt autem anno 148. id eſt poſt biennium exactum.

Cap. 6. verſ. 8. & ſequentibus dicitur Antiochus Illuſtris mortuus in Babylone in lecto ſuo, præ dolore animi, quia non ſucceſſerant ei negotia ſicut optauerat: cum tamen lib. 2. cap. 1. narretur eũ occiſum fuiſſe à Sacerdotibus in templo Naneæ, & membratim diſcerptum; capite verò 9. mortuum tùm dolore interno viſcerum, tùm quia de curru in itinere ceciderat. Quæ omnia parùm inter ſe coherentia, videntur eſſe manifeſtum falſitatis horum librorum argumentum. Ibidem etiam verſ. 43. nec non etiam lib. 2. cap. 14. commendantur aliqui qui ſeipſos occiderunt vt Eleazar, & Raſias: quorum tamen factum potius eſt execrandum, quam laudandum.

Reſpondetur ad primum, illos textus minime inter ſe pugnare, ſed tantùm mortem Antiochi Illuſtris breuiter narratam lib. 1. cap. 6. fuſius recenſeri lib. 2. cap. 9. ad Iudæorum ab eo afflictorum conſolationem, & ad perpetuum vindictæ diuinæ in impios & ſacrilegos exēplum. Nam potuit in itinere corripi doloribus viſcerum, & cadere ex curru vt dicitur lib. 2. cap. 9. & poſtea ſic æger peruenire in Babylonem, & ibi addito

dolo-

dolore animi ex nuntio ad se allato rei malæ gestæ in Iudæa à suis tandem mori. Quod autem lib. 2. cap. 1. dicitur etiam Antiochum occisum fuisse à Sacerdotibus in templo Naneæ; aliqui, vt Lyranus, volunt hoc intelligendum esse non de Antiocho Illustri, sed de Antiocho Magno eius patre. Verum hoc esse non potest, hic enim Antiochus iam ante annos 58. erat defunctus, nimirum anno 124. Græcorum; testeque Iosepho lib. 12. cap. 3. Iudæorum non fuit hostis, sed amicus. Serarius, Salianus, Michael Medina, & alij quos citat & sequitur Cornelius à Lapide, censent hunc esse Antiochum Sedetem filium Demetrij Soteris, & fratrem Demetrij Nicanoris, qui Nicanore ab Arsace capto regnum Asiæ & Syriæ, occupauit. Quæ opinio, licet valde probabilis, non est tamen necessaria ad conciliandos præfatos textus, quia posito hunc Antiochum esse Antiochum Epiphanem, siue Illustrem illum ipsum de quo agitur in lib. 1. c. 6. & in lib. 2. cap. 9. vt probabilius putant Torniellus, Bellarminus, & alij plures, adhuc nulla est in hoc repugnantia. Neque enim necesse est affirmare, illic eum interijsse in templo Naneæ, dum dicitur cecidisse: cecidisse enim dici potest, quoniam exercitus eius cæsus fugatusque est, & ipse turpi fuga elapsus, fortè etiam vulneratus, in ipso itinere de curru cecidit, vt habetur c. 9. & paulo post mortuus est. Vndè quod additur præfato cap. 1. vers. 16. *& diuiserunt membratim, &c.* satis patet ex textu posse intelligi de multis eius militibus.

Secundam obiectionem iamdudum diluit S. Augustinus in epistola 61. ad Dulcitiū, & lib. 2. contra Epistolas Gaudentij cap. 23. mortes videlicet, horum hominum in scriptura commemorari, non autem laudari, vel si laudentur, id tantum de zelo eorum debere intelligi, non tamen de facto ipso, quasi esset studiosum aliquod opus, Deoque gratum, & sic communiter de ijs dici potest, laudatur zelus, sed reprehenditur factum. Vel etiam dici potest Eleazarum & Rasiam ideo laudari, quia speciali instinctu hoc facere potuerunt, vt Sampson fecisse legitur, cui idē Augustinus præfato lib. 2. contra epist. Gaudentij c. 23. Rasiam comparat. Vtcumque tamen sit, rectè monet S. Augustinus hanc historiam sobriè legendam, vel audiendam esse, ne quis putet hoc factum imitandum, quod narratū ante oculos constitutum est, non laudatum, vt idem epistola ad Dulcitium ait. Quod etiam de multis alijs verissimis sacræ Scripturæ historijs dicendum est. Quare nihil concluditur ab aduersarijs, cum arguunt, ex Augustino Machabæorum historia sobrie legenda est, ergo non est vera.

Cap. 8. vers. 16. dicuntur Romani singulis annis committere vni homini magistratum suum, & omnes vni obedire; at hoc est falsum, nam duo consules eo tempore creabantur. Respondetur duos quidem consules creare tunc Romanos solitos esse, vnius tamen solum hic mentionem fieri, quia ambo non imperabant in vno eodē que loco. Vnus enim domi solus rempublicam administrabat; alter foris bella gerebat. Quod si plura ingruerent bella diuersis in locis, vnus vni exercitui & prouinciæ, alter alteri præerat. Quin & si vterque consul in ijsdem castris essent, alternis diebus eis præerant singuli; cuius rei testis esse potest infelix exitus pugnæ Cannensis, quæ sub hoc tempus contigit hac de causa, quod illo die præerat castris Varro consul, qui non audito socio consule Paulo cum Hannibale cōflixit infeliciissime. Vnde licet duo Romæ consules essent, vni tamen commissa esse respublica videbatur. Idque institutum est ab ipso primo consularis dignitatis exordio, ne videlicet (vt ait Liuius lib. 2.) si duo simul consules imperarent, Regibus exactis, non remotus, sed duplicatus error videretur.

Cap. 9. dicitur Iudas mortuus anno 152. regni videlicet, Græcorum. At libro 2. cap. 1. dicitur scripsisse epistolam anno 188. quod si esset verum triginta sex annis, aut circiter post mortem suam

eam scripsisset. Melchior Cano, & nonnulli alij, quos sequitur Cardinalis Bellarminus, existimantes, eumdem esse Iudam Machabæum, cuius mors dicitur cap. 9. contigisse anno 152. regni Græcorum, & qui lib. 2. cap. 1. dicitur scripsisse epistolam; vt horum textuum antilogiam concilient, dicunt illa verba, *Anno centesimo octogesimo octauo*, non esse principium epistolæ sequentis, quã Iudas scripsit, sed finẽ præcedentis quæ scripta est à toto populo Iudæorum duce Ioanne Hircano. Cuius rei argumentum afferunt Græcos codices, qui post illa verba, *Anno cẽtesimo octogesimo octauo*, distinctionem constituunt; quodque cùm illa verba sint inter initium vnius epistolæ, & finem alterius, & numerus annorum in fine potius, quàm in principio poni soleat, ea ad epistolam præcedentem, non ad sequentem sunt referenda.

Verum ista solutio stare non potest: præterquàm quod enim in vulgata editione Summorum Pontificum auctoritate correcta & approbata, distinctio siue punctum ponitur ante dicta verba *Anno centesimo octogesimo octauo*, ita vt sint principium secundæ epistolæ; multa sunt alia quæ illam omnino improbabilem reddunt; vt quod prima epistola duas haberet datas, vnam scilicet anni 169. regni Græcorum, vers. 7. & alteram 188. vers. 10. secunda autem nullam; insuper quòd textus ipse necessario postulet, illum annum 188. regni Græcorum coniungi cum secunda, non autem cum prima epistola, si quidem Aristobulus, ad quẽ secunda dirigitur, tunc florebat, non autem tempore Iudæ Machabæi, vel enim post mortem eius natus fuit, vel eo viuente tantùm infans fuit Aristobulus. Vndè cùm Ruperto lib. 10. cap. 15. & alijs dicendum est, Iudam illum, qui est auctor huius posterioris epistolæ, adeoque totius libri secundi Machabæorum, non esse Iudam Machabæum, sed alium, qui non facile ex historijs potest agnosci, nisi forte ille sit Iudas Essenus, qui, vt ait Iosephus lib. 13. cap. 19. hoc tempore ob donum prophetiæ magnæ apud omnes erat existimationis, vt ex Serario notauimus supra. Veriusque videtur præfato cap. 1. lib. 2. Machabæor. non duas, sed vnam dumtaxat esse epistolam scriptam anno 188. Græcor. in qua tamen refricatur & renouatur epistola iam ante scripta anno 169.

Cap. 14. vers. 25. cùm in Vulgata legatur: *Cum audisset autem populus Romanus sermones istos dixerunt: quam gratiarum actionem reddemus Simoni & filijs eius &c.* putant aliqui vocem *Romanus*, quæ abest à Græcis omnibus, & Latinis codicibus, præterquam à Vulgata, in illam irrepsisse: quandoquidem sequentem orationem non esse Romanorum, sed Iudæorum, ex eo patet, quod respõsio Romanorum habetur cap. 15. vers. 16. Verum quia Biblia Latina Romæ correcta, ac Complutensia, & Regia; item Pagninus, Lyranus & alij constanter legunt to *Romanus*, hocque apte respondeat legationi Simonis ad Romanos, quæ immediatè præcessit: hinc aptè sic exponi potest, vt author huius libri legationi Simonis ad Romanos voluerit breuiter subiungere responsionem, & gratulationem Romanorum, fusiùs deinde eam enarraturus cap. sequenti v. 16. Nam quod sequitur, *Restituit enim ipse fratres suos, &c.* quæ deinceps sequuntur, non populi Romani, vt patet legenti, sed authoris huius libri sunt verba. Voluit enim author causas subiungere, cur populus Romanus gratias egerit Simoni, nimirum propter heroica eius facta.

Lib. 11. cap. 1. 19. dicitur: *Cum in Persidem captiui ducerentur Patres nostri*: at certum est non in Persidem, sed in Babylonem abductos fuisse Iudæos, non igitur veram narrat historiam auctor huius libri. Nonnulli circa explicationem huius loci valde laborant, vt ostendant quandò in Persidem abducti fuerint Iudæi; sed res est facillima; si quidem auctor huius libri Persidem vocat non solum eam regionem, quæ propriè dicitur Persis,

Persis, sed etiam Chaldæam & alias finitimas; id patet ex lib. 1. cap. 6. Machab. vbi nuntius, qui venit in Babylonem ad Antiochum, dicitur venisse ad eum in Persidem. Quem etiam loquendi modum ab alijs Scriptoribus alienum non esse multis probat Serarius, præsertim ex D. Chrisostomo homil. 6. in Matth. vbi dicit Iudæos ex captiuitate Persica liberatos: quod omnes regiones tunc Persis subiectæ, inter quas erat Chaldæa, vocarentur Persia.

Cap. 2. narratur Ieremiam abscondisse arcam testimonij, & altare incensi, eo tempore quo Ierusalem à Nabuchodonosor obsidebatur, in monte quem Moyses ascenderat, qui fuit mons Nebbo, vt dicitur Deuter. 34. ipsumque Ieremiam dixisse locum fore ignotum, donec Deus congregaret congregationem populi sui, & propitius fieret: quorum vtrumque videtur omninò falsum: nam Ieremias non potuit hoc facere tempore obsidionis, cum esset in carcere, & omnibus tàm Sacerdotibus, quàm nobilibus inuisus, vt habetur Ierem. 37. & 38. Deindè nunquam postea à populo ex captiuitate Babylonica reuerso, hęc quæ absconderat, fuerunt inuenta: adde hęc dici contineri in descriptione Ieremiæ, quæ tamen descriptio nunquā reperiri potuit.

Respondetur in prædictis nihil falsi contineri; ad primum enim dicitur Ieremiam hęc gerere potuisse, & de facto gessisse vel ante captam Ierusalem regnante non Sedecia (tunc enim fuit in carcere) sed Ioachin; huic enim Ieremias erat in veneratione, vnde ipse suasu Ieremiæ dedidit se Chaldæis, ipsoque consentiente potuit Ieremias arcam, & tabernaculum asportare; aut capta iam à Chaldęis Ierusalem, antequam templum ab eis incenderetur: si quidem facile hoc potuit ab illis impetrare, cum summæ apud Nabuchodonosorem esset authoritatis: quippe qui durante obsidione, multum pro reddenda ciuitate apud regem Sedeciam, & nobiles omnes, institisset: affirmans talem esse Dei voluntatem, vt ciuitas in manus Chaldæorum veniret, vt patet Ierem. 39. Non fuisse autem à militibus diripientibus vrbem Ierosolymam, ablatam arcam aut tabernaculum, satis patet ex Ierem. 52. vbi enumerantur omnia, quæ ex templo Domini Chaldæi abstulerunt, vsque ad phialas & mortariola, arcę autem ac tabernaculi nulla fit mentio, quam tamen proculdubio fecisset, si ipsa fuissent in Babylonem transuecta, cùm nihil in templo esset illis pretiosius.

Quod rursum scribatur hęc manifestanda, quando Deus populum suum congregauerit: nonnulli id factum putant sub Nehemia & Dario Histaspis, quando populus Iudaicus in Babylone dispersus inde redijt & cõgregatus fuit in Ierusalem, & templo, ibique ignem à Ieremia reconditum per aquam crassam in ignem conuersum recuperauit. Verior tamen & communior sententia est, arcam, tabernaculum & altare incensi non fuisse reperta cum igne sacro sub Nehemia, & Dario; atque adeo prædictum Machab. locum non esse intelligendum de congregatione Iudæorum, quæ post reditum ex captiuitate Babylonica contigit: sed de congregatione, quæ fiet nouissimis temporibus, quando Deus per Eliam & Enoch populum suum, id est Iudęos ad Christum conuertet, eosque in vnam & eamdem cum gentibus Ecclesiam ac religionem congregabit: tunc enim Elias, vt eos in fide Christi confirmet, ostendet eis arcam hìc à Ieremia in illud ęuum promissam: vt vult S. Epiphanius in vita Ieremiæ. Mysticè S. Ambrosius lib. 1. offic. c. 14. & Rupertus lib. 10. de victoria verbi cap. 21. hoc vaticinium Ieremiæ impletum censent, cùm in templo congregatò toto populo videndum se exhibuit Christus, qui est vera arca noui testamenti continens tabulas legis Euangelicæ, & manna Eucharistiæ; merito enim defuit in templo secundo arca fœderis, quia in ipso appariturus & docturus erat Christus per illam figuratus.

Nec refert, quod descriptiones Ieremiæ

remiæ hoc loco citatæ non reperiantur: multa enim eius opera, non secus ac aliorum, de quibus statim agemus c. 61. perierunt, quæ tamen longo tempore traditione quadam apud Iudęos circũferebantur; nimirum eius carmen lugubre de morte Iosiæ regis, de quo 2. Paralip. 35. item liber eiusdem de euersione vrbis, & populi captiuitate. Ad hęc liber de Babylonis excidio, quem alligatum saxo iussit in Euphratem proijci Ierem. 51. vers. 60.

Cap. 3. vers. 4. habetur: *Simon autem de tribu Beniamin præpositus templi constitutus*; Quomodo poterat esse templi præpositus, si erat de tribu Beniamin, non autem de tribu Leuitica. Respondetur Simonem hunc à tribu Beniamin fuisse constitutum pręposítum templi in rebus politicis, v. g. vt præesset templi prædijs, agris, reditibus, vel militibus ad templi custodiam deputatis. 1. Machab. cap. 4. vers. vltimo; non autem in rebus sacris, quibus soli Sacerdotes, qui erant de tribu Leui præerant.

Cap. 8. vers. 22. *Constituit itaque fratres suos duces vtrique ordini Simonem & Iosephum*; Nullus tamen ex fratribus Iudæ vocabatur Iosephus. Respondetur Iosephum hunc alio nomine Ioannem vocatum esse lib. 1. cap. 2. vers. 2. atque adeo binomem fuisse: de quo vide Serarium.

Cap. 10. vers. 11. Antiochus Eupator Epiphanis filius, regno suscepto, Lysiam rebus præfecisse dicitur; quod videtur falsum cum lib. 1. cap. 6. habeatur, quod Lysias diu ante rebus præfuerit, & Antiochum regem instituerit, quẽ Eupatorem vocauit. Respondetur hos textus minimè inter se pugnare; Lysias enim qui sub Epiphane iam dux belli erat ex lib. 2. 6. postea ab Antiocho Eupatore eius filio, in eodem munere confirmatus est, vt fieri solet à successoribus regibus, qui insignes viros sub prioribus ad honores promotos, non solum ijsdem, sed alijs etiam cumulatioribus ornant; Quod maximè Eupatori erga Lysiam conueniebat, ęquum enim erat se se gratum illi ostendere, qui nec dum eius nutricius, & educator fuerat, sed & per quem ad regnum peruenerat.

Cap. 12. vbi laudatur factum Iudæ Machabæi, qui pro mortuis sacrificium offerri iussit. Caluinus lib. 3. institut. cap. 5. §. 8. illud reprehendit; prætergquam quod enim existimat superstitiosum esse pro quibuscũque mortuis orare, accedit etiam quod isti, pro quibus Iudas orari iussit, decesserant letali crimine obligati, pro qualibus non esse orandum etiam Catholici docent. Sic autem eos decessisse patet; quod vt ibidem dicitur, inuenta sint sub vestibus mortuorum omnium quædam de donarijs idolorum, contra prohibitionem Domini, Deuter. cap. 7.

Respondetur, orare pro mortuis, quos non est certum esse in cælo, vel in gehenna, pium & religiosum esse, vt pluribus hic ostendi posset, sed quia extra institutí rationem, satis sit ex omnibus patribus opponere Caluino S. Augustinum, qui ex hoc ipso loco probat pium esse orare pro mortuis, in epistola 61. ad Dulcitium, & libro de cura pro mortuis cap. 1.

Ad illud quod obijcitur, respondetur Iudam piè existimasse suos, vel venialiter tantùm peccasse, vt rectè ostendit Cornelius à Lapide, vel si mortaliter, pænituisse, antequam expirarent, quod satis significant illa verba vers. 45. *Quia considerabat quod hi qui cum pietate* (id est in statu gratiæ certantes & dimicãtes pro vera fide, pietate & cultu Dei) *dormitionem acceperant*; ideoque preces & suffragia pro defunctis fieri solita eis adhibuisse, vti etiamnum peccatoribus ea adhibet Ecclesia.

Cap. 15. vers. 39. quia author libri veniam petit, si minus dignè scripserit; ideò Caluinus & alij hæretici putant haberi non posse canonicum; sicut & quod cap. 2. prius dixerit: *Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breuiandi causa suscepimus, non facilem laborem, imò verò negotium plenum vigiliarum, & sudoris assumpsimus.* His enim verbis indicat se humano more

re hunc librum composuisse: cùm Auctores verè sacri non ingenio,& labore suo,sed Spiritu Sancto reuelante scripserint.

Respondetur ad primum, auctorem libri veniam nō petere erratorum,quippe qui nulla esse sciebat; sed orationis minus politæ; licet enim sit elegans, & facundus, ex modestia tamen petit sibi ignosci, *si minus dignè* (Græcè *si exiliter,& tenuiter*) id est minus digno,graui & eleganti stylo, quam historiæ diuinæ dignitas, aut eruditæ legentium aures desiderabunt,scripserit: quemadmodum etiam S.Paulus vocat se *imperitum sermone, sed non scientia*. 1.Corinth.2. Spiritus enim Sanctus, ita Scriptoribus Agiographis assistebat, itaque eos dirigebat,vt quidem nusquam à veritate aberrarent, vtque veram omnino sententiam mente conciperent, sed tamen fineret eos suis verbis, suaque phrasi, & stylo eam conscribere. Quare elegantior, & pulchrior est stylus Isaię, quam sit cæterorum Prophetarum, quia ipse vt potè vir nobilis & doctus studendo elegantiorem stylum imbiberat. Si quidem Spiritus Sanctus in phrasi scriptori suo, quasi instrumento se se accommodat; vt vidimus supra cap.5.& seq.

Ad secundum dicitur, cum molestia & labore scriptoris Canonici stare posse indefessam Spiritus Sancti assistentiam, vt enim loco statim citato notauimus, Deus qui est auctor omnium diuinarum Scripturarum, aliter adesse solitus est Prophetis, aliter alijs, præsertim historicis. Nam prophetis reuelabat futura, & simul assistebat, ne aliquid falsi admiscerent in scribendo, & ideo Prophetæ non alium habuerunt laborem, quam scribendi, vel dictandi, vt patet Ierem. 36. de Ieremia, qui tanta facilitate dictabat notario suo Baruch, ea quę Deus ei reuelabat, vt ex libro aliquo legere videretur. Alijs autem scriptoribus Deus non semper reuelabat ea, quæ scripturi erant, sed excitabat, vt scriberent ea, quæ viderant, vel audierant, quorum recordabantur, & simul assistebat, ne falsi aliquid scriberent: quæ assistentia non faciebat, ne laborarent in cogitando, & quęrendo quid & quomodo scripturi essent. Quare S.Lucas præfat. in Euangelium à se scriptum, testatur se assequutum omnia diligenter,quę ad Euāgelij scriptionem attinebant, idque ab ijs, qui ipsi audierant,& viderant,& ministri fuerant sermonis.

Nec refert, quod instant aliqui primò,non potuisse tàm molestum esse huius libri auctori ex quinque voluminibus Iasonis Cyrenęi breuem epitomen connectere vt ipse ait; Secundò Spiritum Sanctum non esse solitum redigere in compendium aliquem librum Gentilis præsertim auctoris, qualis videtur fuisse Iason iste Cyrenęus.

Respondetur ad primam instantiam, non minoris, imò secundum aliquos, maioris laboris, & industrię esse plurima legere,eaque omnia methodicè,concinnè, clarè & penè paucis verbis constringere, & complecti; quam illa de nouo componere. Ad secundam dicitur malè inferri, quod aliquis liber non sit Canonicus, quia est compendium aliorum librorum. Deuteronomium enim compendium videtur Exodi, Leuitici, & Numerorum: Paralipomenon, librorum regum: sed & Psalmi 104. 105. & 106. compendiosè narrant multa quę habentur in Genesi, & Exodo, nec tamen hoc derogat Canonicæ eorum authoritati. Quod autem dicitur Iasonem Cyrenęum, fuisse Gentilem, gratis dicitur: fuit enim Iudęus non Gentilis: Iudęi enim erant sparsi per totum orbem ideoque in Cyrene quoque degebant,vt patet Actor.2.& 6. Gentiles quoque hostes erant Iudæorum, eorumque legem, ritus & gesta irridebant, extenuabant, deprauabant. Hic autem Iason hęc omnia extollit & celebrat; non igitur Gentilis, sed verus Dei cultor fuit, ac vir probus, & pius, Deique cultus zelotes. Sed esto Iason fuisset Gentilis: auctor tamen, qui illius scripta selegit,digessit, disposuit, concinnauit, suaque effecit, & in hunc librum redegit assistente sibi sem-

ſemper Spiritu Sancto, vt ſi quid falſi, impij, vel obſcæni eſset in libris Iaſonis, illud auctor omitteret, vel caſtigaret, hunc librum Canonicum effecit: cum enim auctor Canonicus citat, probatque dicta alicuius prophani auctoris, hoc ipſo facit ea canonica, continentque infallibilem veritatem. Sic S. Paulus ad Titum 1. verſ. 12. citans illud Epimenidis: *Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri*, addenſque, *teſtimonium hoc verum eſt*, hoc ipſo illi tribuit fidem canonicam, & infalibilem: Sic illud Menandri, *corrumpunt bonos mores colloquia praua*, 1. Corinth. cap. 13. & illud Arati Actor. 17. verſ. 28. *Ipſius enim & genus ſumus*, & alia ſimilia à Scriptoribus Canonicis citata & approbata canonicam obtinuerunt authoritatem. Ex quibus omnibus ſatis patet nihil habere nouantes, vt fidem primo & ſecundo Machabæorum libro derogent. Dixi citata & approbata, quia ſimplex citatio, ſine vlla Scriptoris canonici approbatione, non tribuit alicui ſententiæ aliunde relatæ, vim ſeu authoritatem Scripturæ ſacræ.

CAPVT LX.

De tertio & quarto Machabæorum libro.

ETſi hi duo libri non ſint Canonici; ſuam tamen habent authoritatem, & veritatem, parem, imò maiorem, quam habeant Liuius, Curtius, Florus, ſimileſque hiſtorici. Tertius Græcus inuenitur tam in Byblijs Complutenſibus, & Regijs, quàm in Græca Septuaginta editione Romana, Latinus ex traductione Flamminij Nobilij: Per catachreſin dumtaxat vocatur Machabæorum liber, quia propriè non tractat geſta Machabæorum, v. g. Iudæ, Ionathæ & Simonis fratrum, ſed ea, quæ 30. annis ante eos contigerunt ſub Antiocho Magno, cum Ptolomęo Philopatore quarto poſt Alexandrum Aegypti rege, & Iudæis: eaque conſentanea ſunt ijs, quæ de ijſdem narrat Ioſephus, Pauſanias, Iuſtinus, Appianus, & alij. Quocirca huius libri meminit S. Athanaſius in Synopſi, & Euſebius in Chronico, imò S. Clemens in lib. Can. Apoſt. canone 84. eum inter libros Canonicos numerat: ſed largè ſumit nomen *Canonicus*, vt complectitur omnes libros, qui in Biblijs continentur, quales ſunt tertius, & quartus Eſdra, ac oratio Manaſſis, cùm à nullo generali concilio, recepti approbatiue ſint, ſed totius Eccleſiæ ſenſu à Sacrorum ſerie librorum excluſi, & expuncti.

Quartus autem liber, qui Græcè extat Lugduni in Bibliotheca Sanctis Pagnini, indeque in Latinum traductus eſt, hiſtoriam continet vnius ac triginta annorum, hoc eſt geſta Ioannis Machabæi, qui à deuicto Hircano cognomen Hircani accepit; quibus pariter ſuffragatur, & conſentit Ioſeph lib. 13. Antiquit. vndè nonnulli ſuſpicati ſunt Ioſephum eius eſſe auctorem. Sed repugnat ſtylus, qui in Ioſepho eſt Græcanicus, in hoc autem lib. 4. Machab. eſt Hebraicus, & hebraiſmis abundans. Veriſimile eſt eum ab incerto authore collectum fuiſſe ex libro dierum Sacerdotij Ioannis, de quo in fine lib. 1. Machab. ita ſcriptum eſt. *Cætera ſermonum Ioannis, & bellorum eius, & bonarum virtutum, quibus fortiter geſſit, & adificij murorum quos extruxit, & rerum geſtarum eius, ecce hæc ſcripta ſunt ex libro dierum Sacerdotij eius, ex quo factus eſt princeps Sacerdotum poſt patrem ſuum.*

Attento igitur ordine temporum, & rerum geſtarum, primo loco collocandus eſt liber tertius Machabæorum, quia recenſet ea, quæ Iſraeli & populo Dei ſub Antiocho Magno rege Syriæ, & Ptolomæo Philopatore rege Aegypti contigerunt. Secundo loco ponendus eſt is, qui nunc in Biblijs ponitur ſecundus, quia complectitur geſta & bella Iudæ Machabæi cum Antiocho Epiphane, qui fuit filius Antiochi magni. Tertium locum petit is, qui in Biblijs eſt primus Machabæorum, quia ad acta Iudæ addit illa

illa Ionathæ & Simonis, fratrum & successorum Iudæ. Quartum locum habet liber quartus, quia conscribit facta Ioannis Hircani, qui fuit filius Simonis fratris Iudæ.

CAPVT LXI.

De libris veteris testamenti amissis, quorum in Sacris voluminibus fit mentio.

CVm plures sint libri, pluresque Scripturæ passim ab authoribus in sacrosanctis Biblijs commemoratę, quas Sixtus Senensis lib.2. Biblioth. Sanctæ ex variis colligendi modis rectè diuidit in transcriptas, abbreuiatas, & allegatas: Transcriptæ sunt, quæ ex alijs vetustioribus codicibus fideliter sunt descriptæ, sicut ab authoribus ipsarum olim editæ fuerāt in sacris litteris. de verbo ad verbum insertæ ad complementum Sacrosanctæ Historiæ, vt sunt epistolæ multę regum & principuum Assyriorum, Medorum, Persarum, Aegyptiorum, Græcorum, Romanorum, Iudæorum, & aliarum gentium. Abbreuiatę Scripturæ dicuntur, quæ cum prius essent ab auctoribus suis profusa orationis copia conscriptæ, à diuinis postea Scriptoribus in compendium contractæ sunt. Allegatę tandem vocantur, quarum in diuinis libris, aut sola authorum nomina, aut inscriptiones tantùm librorum commemorantur, aut sola operum argumenta quàm breuissimè perstringuntur, aut aliqua duntaxat ex his testimonia proferuntur. Cum, inquam, tot sint Scripturarum genera, quarum in sacris voluminibus fit mentio, quæque vel iniuria temporum, vel negligentia aliqua exciderunt, primùm hic breuem illarum catalogum contexemus, secundum ordinem Sacrorum librorum in quibus fit de illis mentio, deindè sequenti capite earumdem anthoritatem examinabimus, vt nihil à nobis circa hanc rem dicendum omittatur.

Igitur Numeror.21.14. refertur liber bellorum Domini. Iosue 10.13. Liber Iustorum. Lib.1. Reg. cap.10. Liber Samuelis de legibus regni. Lib.3. cap.11. 41. Liber verborum dierum Salomonis, hoc est continens vitam & gesta Salomonis. Ibidem cap.4. 32. Liber trium millium parabolarum Salomonis, cuius etiam ipse meminit ad calcem Ecclesiastes; Liber quinque millium Canticorum eiusdem Salomonis, & liber verborum naturæ, seu naturalium disputationum: vbi disputauit Salomon super lignis à Cedro, quæ est in Lybano, vsque ad Hyssopum, quæ egreditur de pariete: & disseruit de iumentis, volucribus, reptilibus & piscibus. Tam autem in 3. quam in 4. lib. Reg. penè in singulis capitibus; & 1. Paralip. 29. fit mentio libri verborum regum Israel & Iuda, è quo in compendium redacta fuisse videntur, quæ nos in quatuor libris regum habemus.

Lib.1. Paralipomenon cap. vltimo citatur liber Nathan Prophetę, atque Gad videntis, continens generalem Dauidis historiam. Lib.2. cap.9. liber Achiæ Silonitis de rebus gestis à Salomone, & visio Haddo viuentis. Ibidem cap.12. Liber Semeiæ de vita & gestis Roboam regis Iuda; cap.13. liber Haddo Prophetæ de rebus gestis Abiæ. cap.20. Liber Iehu Prophetæ de gestis regum Iuda & Israel: cap.26. liber Isaiæ Prophetæ de gestis Oziæ regis Iuda: cap.32. liber Visionis eiusdem Isaiæ, de Ezechia & misericordijs eius: cap.33. liber sermonum Hosai de sceleribus & pœnitentia & liberatione regis Manasse, & tandem cap.35. fit mentio scripturæ à Dauide & Salomone conscriptæ de rebus templi faciendis, nec non libri lamentationum Ieremiæ pro rege Osia in bello interfecto.

Ieremiæ cap.32. 14. refertur liber emptionis & venditionis: cap.36.2. liber comminationum, siue de indignatione Domini; & cap.50. & 51. liber de Babylonis deuastatione; qui omnes libri attribuuntur eidem Ieremiæ. Libro 1. Machab. cap. vltimo citatur liber dierũ Sacer-

Sacerdotij & principatus Ioannis Hircani filij Simonis Machabæi: libro verò secundo cap. 2. 1. fit mentio descriptionũ Ieremiæ Prophetæ, & verſ. 24. quinque librorum Iaſonis Cyrenæi.

In nouo etiam teſtamento, in epiſtola Catholica B. Iudæ Apoſtoli fit mentio Prophetiæ Enoch; *Prophetauit autem*, inquit, *& de his ſeptimus ab Adam Enoch dicens &c.* Et Chriſoſtomus in illud Matth. 2. *Quoniam Nazaræus vocabitur*, putat librum in quo iſtud ſcriptũ erat, cum in nullo Prophetarum inueniatur, excidiſſe. Sed tam de his, quam de alijs libris vide Sixtum Senenſem loco iam citato.

CAPVT LXII.

An præfati Libri qui exciderunt fuerint ſacri, & Canonici.

SVppoſito ex dictis tanquàm certo quoſdam libros etiam à Prophetis, & alijs Scriptoribus ſacris editos, vel iniuria temporũ, vel negligentia, vel alijs modis perijſſe, nunc difficultas eſt nùm tales libri fuerint ſacri & Canonici, ita vt cum reliquis iam extantibus corpus ſcripturæ potuiſſent componere. Alphonſus enim Salmeron tom. 1. Prolegom. 9. exiſtimat nullum librum Canonicum excidiſſe, eoſque ex conſequenti qui perierunt, non fuiſſe ſacros & Canonicos: primùm quia Spiritus Sanctus videretur fruſtrà dictaſſe, aut reuelaſſe librum aliquem mox periturum. Secundò quia Scriptura ſacra eſt inſtrumentũ fœderis inter Chriſtum & Eccleſiam: ergò vt Eccleſia ſemper manet, ita & inſtrumentum ſui cum Chriſto fœderis. vnde ſi qui libri perierint, non erant nec poterant eſſe de corpore ſcripturæ ſacræ. Tertiò, ſi aliqui libri Canonici excidiſſent, Eccleſia non fuiſſet fidelis cuſtos charioris depoſiti ſibi à Deo commiſſi, nempè ſcripturæ ſacræ: hoc autem abſurdum videtur, cum in opprobrium maximum ipſius Eccleſiæ cedat, pugnetque contra præceptum Apoſtoli 1. ad Timoth. 6. *Depoſitum cuſtodi*: quibus verbis non tantùm Timotheum, ſed in eo omnes totius Eccleſiæ Prælatos alloquitur. Quartò tandem librum aliquem Canonicum excidiſſe, videtur apertè pugnare cũ ſuauitate diuinæ prouidentiæ de ſalute Eccleſiæ ſuæ magnopere ſollicitæ: cui ſummopere libri Canonici vtiles ſunt. Hęc ſunt præcipua præfati doctoris argumenta, quibus probare conatus eſt, nullum librum Canonicum excidiſſe, eoſque ex conſequenti qui perierunt non fuiſſe ſacros & Canonicos.

Contraria nihilominùs ſententia cõmunis eſt inter Theologos, eamque expreſsè docent Abulenſis lib. 2. Paralip. cap. 9. quæſt. 26. & lib. 1. Reg. cap. 4. quæſt. 48. Turrianus lib. 1. de Epiſt. Decretalibus cap. 13. Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei cap. 4. nempè libros illos qui interciderunt, ſi à Prophetis & Apoſtolis conſcripti fuerint, fuiſſe Canonicos, & de corpore Scripturæ ſacræ. Verum in hac re exiſtimo nihil affirmari poſſe certi; pro cuius intelligentia noto librũ aliquem eſſe, vel dici canonicum & ſacrum dupliciter intelligi poſſe, primò quo ad ſe tantum, quia videlicet à ſuo authore fuit re vera ſcriptus, Spiritu Sancto ſpecialiter aſſiſtente, atque determinante; Secundò, quo ad nos etiam, quatenus ita eſſe nobis conſtat ex approbatione & propoſitione Eccleſiæ, cuius ſolius eſt, tàm in hoc negotio, quàm in alijs ad fidem pertinentibus, certum & infallibile ferre iudicium. Loquendo igitur de libris Canonicis hoc ſecundo modo, nihil certi ſtatui poteſt, circa præſentem difficultatem, an hi libri qui exciderunt fuerint ſacri & Canonici; cum Eccleſia, cuius ſolius eſt, vt ſtatim diximus, de libris canonicis ferre iudicium, nihil prorſus de hac re ſtatuerit. Idem penitus aſſerendum eſt, ſi loquamur etiam de libris canonicis primo modo, ſiue quo ad ſe, nulla ſiquidè poteſt certa huius rei regula aſſignari, ſed tantum aliquæ ſuſpiciones adferri.

Prima eaque potiſſima deſumi debet

bet ex contextu,& circumstantijs: quando enim in scripturæ contextu liber ille, qui excidit vocatur prophetia,aut visio, tunc valdè probabiliter colligi potest fuisse Canonicum; cum visiones, quæ ita in scripturis commendantur, sint internæ locutiones, quibus Deus nobis aliquid manifestare solet. Secunda est, quotiescunque liber in confirmationem eorum, quæ in libris sacris modo extantibus continentur, adducitur, tunc pro canonico haberi potest; noluissent enim Scriptores sacri scripta sua libris apocryphis,& dubiæ fidei confirmare: cùm testimonium, quo fit ipsa confirmatio, vel paris, vel maioris,debeat esse authoritatis: si enim esset minoris,nihil quicquam,vt satis constat,prodesset. Secundum hanc regulam putant aliqui Interpretes librum bellorum Domini,de quo Numeror.21. & librum Iustorũ, de quo Iosue 10. fuisse canonicos: producti enim sunt in confirmationem eorum, quæ in his libris scribebantur. Nec infirmat hanc regulam, quod aliquando D. Paulus confirmarit sua scripta Poëtarum testimonijs,quæ erant multo minoris authoritatis suis scriptis. Apostolus enim non adduxit ipsa Poëtarum testimonia, vt ea quæ dicebat reipsa confirmaret, sed vt ipsos Gẽtiles ex suis auctoribus conuinceret,& confunderet, quod quidẽ genus probationis dici solet ad hominem, potius quàm vera & realis probatio.

Tertia regula est,omnes hos libros, ad quos remittit scriptura, vt amplior rei alicuius notitia habeatur,esse,& fuisse canonicos: absurdum quippe esset Spiritum Sanctum primarium scripturæ authorem nos ad librum falsitatis suspectum remittere: esset enim quamdam errandi occasionem præbere. Quocirca putant aliqui librũ qui inscribitur *Verba dierum*, ad quem passim in libris Regũ, & Paralipomenon remittimur, fuisse canonicum. Nec refert contra hanc regulam, quod Petrus Lorca lib. 1. de locis disput.3. memb.4. docet in præfato libro multa regum Israel facta & verba à ratione valdè aliena commemorata fuisse, atque adeo non potuisse hunc librum esse canonicũ. Respondetur enim facile, ea quæ ab ipsis regibus facta, & dicta sunt contra rationem, non magis vitiare prædictum librum, & alios similes, quam illa quæ in libris alijs sacris, quos pre manibus habemus,cõtinentur. Quartò addũt aliqui, eos omnes libros, quorũ testimonia in scriptura proferuntur, fuisse Canonicos; verum hęc regula vniuersaliter est falsa,siquidẽ Apostolus vt statim diximus quędam poetarum testimonia citat,quorum tamen libros nemo vnquam dicet esse, aut fuisse Canonicos. Vnde vt sit vera, limitari & intelligi debet iuxta secundam regulam à nobis adductam, de illis libris quorum testimonia proferuntur in confirmationem eorum,quæ in libris sacris illos citantibus continentur. Superest iam vt ad argumenta primæ sententiæ respondeamus.

Ad primum ergò dicitur, non repugnare Deum aliquos libros conscribere pro aliquo tempore, & non vt durent vsque ad consummationem sęculi: vnde etiam si eo tempore quo sunt conscripti, fuerint vtiles & necessarij, alio tamen nec vtiles, nec necessarij futuri erant, præsertim remanente doctrina, quæ in ijs continebatur, abundè in libris qui remanserunt. Ad secundum, quod scriptura sacra sit instrumentum Ecclesiæ sui cum Christo fœderis, seu contractus, hoc tantùm de toto scripturæ corpore, non autem de libris particularibus debet intelligi: maximè quando in libris illis particularibus nihil est, quod in alijs remanentibus non habeatur. Ad tertium, Ecclesia non definit dici fidelis custos librorum sacrorum, etiam si aliquis eorum excidat,dummodo istud contingat absque eius negligẽtia: vt si violenter à tyrannis, aut alijs Ecclesiæ hostibus libri illi arripiantur,& intercidant. Fateor tamen hoc argumentum aliqualem habere difficultatẽ, primamque sententiam Salmeronis reddere satis probabilem; cum difficile saluari

uari possit, quin ex tot libris, qui exciderunt, aliqui saltem Ecclesiæ negligentia perijssent; quod cùm sit absurdissimum, & in opprobrium maximum ipsius Ecclesiæ cedat; valdè probabile est nullum librum Canonicum excidisse, eosque ex consequenti qui exciderunt non fuisse sacros, & canonicos. Ad quartum respondetur, Ecclesiam nihil detrimenti passam esse ex librorum illorum canonicorum interitu & deperditione: quandoquidem, vt statim notauimus, doctrina, quæ in ijs continebatur, sufficienter in libris qui remanserunt, describitur, eorumque testimonijs confirmatur.

CAPVT LXIII.

Breuis totius Veteris testamenti, librorumque eius Chronotaxis.

CVm ad plenam diuinarum scripturarum intelligentiam vtilis, ne dicam necessaria sit vera temporum notitia; vt enim ait S. Cyrillus lib. 8. Thesauri cap. 2. *Qui scripturas exactè vult intelligere, diligenter tempora quærat. Temporibus cognitis, multi errores euitantur, sæpè apertè cognoscuntur, quæ obscurissimè à Prophetis significantur*; ideò postquã in præcedentibus capitibus singulos Veteris Testamenti libros examinauimus, nunc pro coronide placet breuem eorumdem Chronotaxin ob oculos ponere. Quæ res vt est innumeris propè difficultatibus implicata, ita etiam ex illis tanta opinionum varietas, tanta dissentientium multitudo exorta est, vt vix aliquis reperiri possit, qui in supputatione annorum creati mundi cum altero consentiat. Non solum enim diuersæ sunt rationes Hebræorum, Græcorum, Arabum & Latinorum, sed insuper si ipsos singulares cuiusque Gentis authores inspiciamus, illos inter se magnoperè discrepantes inueniemus.

Nihilominus pro intelligentia grauissimæ huius controuersiæ, notandum est primò in annorum ratione ab orbe condito ad ortum Abrahæ, standum esse Hebraicæ veritati & editioni Vulgatæ, minimè autem Septuaginta Interpretibus, quorũ codices in describendis Patrum generationibus Genes. cap. 5. & 11. deprauatos esse constanter docent duo magna Ecclesiæ lumina D. Hieronymus in quæst. Hebraicis, & D. Augustinus libro 15. de ciuitate Dei cap. 11. quos postea secuti sunt alij omnes Interpretes, ostendentes ex numero annorum ætatis dictorum Patrum in Septuaginta editione posito, apertissimè sequi quatuordecim annos Mathusalem superuixisse diluuio; quod cùm è diametro sacræ scripturæ repugnet asseueranti Genes. 7. & 1. Petr. 3. octo tantummodo homines in Arca Noë seruatos, satis superque inde apparet, etiam si alia probationum genera deessent, Septuaginta Interpretum editionem in annorum calculo ab origine mundi ad diluuium, & à diluuio vsque ad natiuitatem Abrahæ deprauatam esse. Deprauatio autem in hoc consistit, quod Septuaginta Interpretes, iuxta editionem Cardinalis Caraffæ Genes. 5. ab Adamo vsque ad diluuium numerant bis mille ducentos quadraginta duos annos, à diluuio autem ad nascentem Abrahamum mille centum septuaginta duos annos; cum in Hebræis codicibus, quibus consentit Vulgata editio Latina, ab Adam vsque ad diluuium numerentur solùm mille sexcenti quinquaginta sex anni, & à diluuio vsque ad ortum Abrahæ ducentũ nonaginta duo anni. Quo fit vt in annorum numero ab Adamo ad natiuitatem Abrahæ excedat cõputatio Septuaginta Interpretum veram ex Hebræis codicibus rationem; annis 1366. Cuius rei rationem adducunt aliqui, quod Septuaginta Aegyptiorum, quorum Regi sacra volumina vertebant, rationem supputandi annos secuti sunt, non Hebræorum. At D. Augustinus lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 13. mendosam hanc supputationem non à Septuaginta Interpretibus profectam, sed vitiosè in translationem eorum aliundè infusam docet, pluri-

pluribusque ostendit Pererius in Genesim lib. 7. & 16.

Prætermissa igitur Septuaginta Interpretum computatione, quàm Ecclesia Romana non ideo laudat in Martyrolog. 25. Decembris, quod eam veram & incorruptam existimet, cùm huic è diametro aduersantem, vt veram ac genuinam, quæ in editione Vulgata est cōsignata, omnibus recipiendam proponat, sed vt vetus dumtaxat aliquod venerandæ antiquitatis monumentum, tametsi lacerum exhiberet, omnibusque palam faceret, quam rationem sequuti fuerint antiqui Patres in enumerandis ex sacra Scriptura annis ab orbe condito ad Christum nascentem. Cum soleant vetera antiquitatis monumenta, quantumuis corrosa, & attrita, gratum aspectantibus intuitum præstare. Prætermissa, inquam, tali computatione, vt eam, quæ ex Hebraica veritate deducitur, quamque Vulgata editio Latina sequitur, deinceps explicemus, notandum est secundò, in illâ quidem exactissimam & perfectissimam Chronologiam, quantum Deus de temporibus mundi scire nos voluit, contineri, atque indè si rectè intelligeretur, erui posse: huc vsque tamen eiusmodi Chronologiam exstructā non fuisse, quæ non modo diebus, & mensibus, sed etiam annis aliquot à vero non deficiat, aut verum non excedat, adeo vt certi esse possimus, quot annis hodie ab orbe condito absimus, tanquā rem indubitatam supponunt illustriores Chronologi, clarèque demonstrant omnia quæ sequuntur argumenta.

Primum est, tot diuersæ doctorum sententiæ, diffidentesque inter se supputationes; adeo vt licet ingens sit eorum numerus, qui tempora supputarint, nullus tamen ferè, qui alteri in omnibus consentiat, inueniatur, iureque in his dici illud possit: Quot capita tot sententiæ. Vide Maluend. lib. 1. de Antichristo cap. 26.

Secundum est, multiplex, nobisque huc vsque nō certò cognita varietas annorum, quibus vtitur Scriptura, quibusque diuersi populi, diuersorumque populorum Scriptores, quos plerumque ad illius intelligentiam in auxilium vocare cogimur, vsi sunt. Etsi enim probabilius sit scripturam in consignandis Chronologijs quibusuis semper vti annis solaribus, quemadmodum quoque externæ Chronologiæ Gręcorū, ac Romanorum solares etiam annos accipiūt, hoc tamen communi omnium consensu haud est receptum, sed in controuersia positum, habentque qui in partes secedunt, quilibet pro se talia argumenta, quæ dubium etiam solertissimum veritatis indagatorem reddere queant.

Tertium est, quod etsi concederetur certam aliquam, & veram annorum rationem posse assignari ex sacra scriptura; quia tamen sciri non potest an in ipsa omissi sint anni fracti & diminuti, an fracti pro integris numerati? Satis patet in longa annorum serie eiusmodi minutias Chronologiæ certitudinem non parum perturbare.

Quarto si daretur perfecta numerisque omnibus absoluta Chronologia, talis perfectio consisteret aut in integra, ac tota annorum summa, ab orbe condito, vel huc vsque, vel ad certum aliud interuallum: Aut in singulis interuallis particularibus, ita collectis, & inter se colligatis, vt nihil vel deesse, vel superesse possit. Neutrum autem asseri potest: Non primum; nullibi enim vel in sacris, vel prophanis litteris habetur expressa hęc summa, vti summa annorum ab exitu Israelitarum ex Aegypto vsque ad conditum Templi Hierosolymitani à Rege Salomone ædificati 1. Reg. 6. expressa est, quod fuerit annorum 480. Quæ designatio temporis multò certior esse videtur, quam si ex particularibus interuallis eam colligeremus.

Etsi enim aliqui cum Scaligero incipiant cursum mundi cum 26. Octobris, anno periodi Iulianæ 764. taleque principium certissimis characteribus ita munitum putent, vt nullo modo vel promoueri, vel retrahi possit. Tales characteres eis sunt:

1. Feria prima cum 26. Octobris coincidens.
2. Initium annorum Sabbaticorum & Iubilæorum, ab anno Periodi Iulianæ 764. sumendum.
3. Aequinoctium autumnale Nouiluniumque eodem die 26. Octobris contingentia; hęc enim omnia in primo creationis die concurrere debuerunt, nec tamen in multis annorum Iulianorum millenarijs, vel præcedentibus vel sequentibus, concurrere potuerunt, quam in anni Per. Iul. 764. die 26. Octobris.

Etsi, inquam, ita pro certo putent aliqui, nihilominus tamen non ita se res habet. Præterquam enim adhuc sub iudice lis est, valdeque incertum, an Deus in Autumno & non in vere creationis opus agressus fuerit: plures enim hoc non sine ratione, imò probabilius negant; ipseque Scaliger in ea opinione aliquando fuit, Mundum non in autumno, sed in vere conditũ fuisse, 18. April. anni Periodi Iulianæ 765. Insuper præfati characteres, quibus suam sententiã certissimam esse sibi persuadent, non ita certi ac immobiles sunt vt omnibus assensum vi quasi extorquere possint.

Primus quidem certus & indubitatus est apud eos, qui Chronologiam à primo creationis mundanæ die deducẽdam existimant; nemo enim ambigit, quin primus mundi dies fuerit prima hebdomadis feria. Non sine ratione tamen in dubium reuocari posset, vtrum ipsa Scriptura S. Chronologicum calculum ab hebdomade creationis, an verò à lapsu primi parentis deriuare voluerit? Supputat enim per annos generationis Patrum, quibus ad similitudinem sui liberos genuerunt; quæ generatio non in statu naturæ integræ, sed post lapsum demum cœpit: Sed etsi illud detur, adhuc tamen hic character, solitariè sumptus, annum certum creationis demonstrare nequit, cum singulis hebdomadibus totius anni feria prima recurrat, hicque character in cuiusuis anni quacunque hebdomade haberi possit.

Secundum characterẽ ab annis Sabbaticis & Iubilæis desumptum, qui propugnare velit, solida prius illi ratione multa confirmanda erunt, quæ tamen valdè ambigua & dubia inter plures Chronologos sunt, nempe; 1. Vtrum anni Sabbatici & Iubilæi, sub Mose demum introducti, ab initio mundi numerandi sint? 2. Constansne, an vagum habeant caput, siue principiũ? 3. Quot anni in Iubilæum numerandi sint, 50, an 49. 4. Vnde noua Iubilæorum periodus incipienda; à 50. an à 51. anno.

Tertius similiter character non minore incertitudinis defectu laborat, nimirum Aequinoctium & Nouilunium autumnale hoc anno primo Mundi Per. Iulian. 764. 26. Octobris in feriam primam incidere debuisse, & incidisse. Ad hunc enim characterẽ firmiter demonstrandum, superandæ sunt prius sequentes difficultates: 1. An hodiernæ nostræ Aequinoctiorum & Nouiluniorum tabulæ in tot secula retrò extensæ, æquinoctia & nouilunia certò mõstrare possint? Sunt enim plures excellentissimi Astronomi, qui docent in motibus Solis & Lunæ semper aliqua latuisse, & adhuc latere incognita, quæ post multa secula demum se se exerant, & conspicienda præbeant. cuius rei firmum & efficax est argumentum tanta diuersitas tabularum Astronomicarum, quodque anno tropico aliam quantitatẽ assignant tabulæ Alphonsinæ, aliam Prutenicæ ex sententia Nicolai Copernici, aliam Rudolphinæ ex sententia Tychonis, & sic de cæteris.

II. posito, quod tabulæ Astronomicæ Aequinoctia & Nouilunia in principio mundi exactissimè monstrarent, firmis adhuc argumentis probandum esset, anne verum sit Aequinoctium & Nouilunium Autumnale in primam feriam Hebdomadis creationis vnà incidisse? cum id negent multi. Deinde prius etiam quàm hic concursus Solis & Lunæ certum characterem creationis

exhibeat, demonstrandum quoque esset: III. Deum in autumno, & non in vere, mundum creauisse, quod multi negant: IV. non aliam fuisse motuum cęlestium rationem in statu Integritatis, quam eam, quę etiamnum hodie post hominum lapsum in cælo deprehenditur. Sunt enim etiam qui de hoc dubitent, & dubitationis suæ rationes satis firmas adducant. V. tandem, vbi & hęc difficultas superata esset, restaret adhuc omnium difficillima, nempè, voluisse Deum, vt hęc duo luminaria in prima creatione iungerentur, & quidem in 0 libræ. Hęc enim est quęstio facti dependentis à liberrima Dei voluntate, cuius in scriptura aut alibi nullum habemus firmum, aut efficax argumentum.

Vnde satis patet præfatos characteres, primi anni mundi, à verâ characterum proprietate, hoc est designandi certitudine abesse; atque adeò primam superioris nostræ assumptionis partem esse veram, nempè de tota summa annorum mundi quatenus tota accipitur, nulla infallibilia argumenta, nulla certa indicia, nec in Scriptura sacra pro vt hodie cognita est, nec in vllo alio Scriptore extare; superest iam alteram partem demonstrare, supputando videlicet eosdem annos mundi gradatim, ab vno particulari interuallo ad aliud, nec etiam hoc modo exactè sciri posse, quo anno mundus conditus sit, quantumque nos hodie ab eius initio distemus.

DE I. INTERVALLO.

Ab initio mundi ad diluuium vniuersale.

TEmpus siue Chronologia huius interualli colligitur ex ætate Patriarcharum, annisque quos habuerunt singuli, sibi succedentes eum liberos gignerent. Numerantur autem sic:

Adam genuit Seth ætatis suę, & mundi anno 130.
Seth genuit Enos ætatis suæ anno 105.
Enos genuit Cainam ętatis suæ anno 90.
Cainam genuit Malaleel ętatis suę anno 70.
Malaleel genuit Iared anno ętatis suæ 65.
Iared genuit Henoch anno ætatis suæ 162.
Henoch genuit Mathusalem anno ætatis suæ 65.
Mathusalem genuit Lamech anno ætatis suæ 187.
Lamech genuit Noë anno ætatis suæ 182.
Noë verò in diluuio natus erat annis 600.

Qui omnes anni simul iuncti reddunt numerum annorum 1656. pro vt nempè vulgata editio, & fons Hebręus eos annos exhibent Genes. cap. 5. vbi licet Spiritus Sanctus Chronologiā instituere, temporumque à mundo condito pręterlapsorum cognitionem aliquam tradere voluerit, adducta nihilominus supputandi ratio non adeò exacta censenda est, vt non modo dies, vel mensis, sed etiam annus nullus superesse, aut deesse possit; non solùm, quia forma annorū, qua patres ante diluuium vsi fuerunt, nobis hodie certò cognita non est; sed etiam quia, posita quacunque anni forma, omnes annos pro pręcisè completis accipere, est contra verissimam Beati Augustini regulam, docentis: *Scripturam Sacram solere annos inchoatos pro cōpletis, vel contra sæpius vsurpare:* quod cum ignoremus, vbi & quando fiat, necesse est in hac temporis designatione aliquid in ambiguo manere. Et hinc nascitur hęc discrepantia apud Chronologos, quod alij diluuium in annum mundi 1655. alij in 1656. alij in 1657. conijciunt.

DE II. INTERVALLO.

A diluuio ad Abrahami natiuitatem.

HOc quoque secundum interuallum, cum nullibi summatim numeratum habeatur, ex ætatibus Patrum particulatim colligi debet Genes. cap. 11 vbi

vbi similiter, vt cap. 5. vniuscuiusque anni, priusquam liberos procrearet, numerantur.

Sem filius Noe genuit Arphaxad anno post diluuium 2.

Arphaxad genuit Sale anno ætatis suæ 35.

Sale genuit Heber anno ætatis suę 30.

Heber genuit Phaleg anno ætatis suæ 34.

Phaleg genuit Rehu anno ætatis suæ 30.

Rehu genuit Serug anno ætatis suæ 32.

Serug genuit Nachor anno ætatis suæ 30.

Nachor genuit Thare anno ætatis suæ 29.

Thare genuit Abrahamum anno ętatis suæ 70.

Qui omnes anni simul iuncti reddũt numerum annorum 292. Sed in hoc etiam numero, pręter difficultates in interuallo primo iam recitatas, tres alię occurrunt, quę illum omnino incertum efficiunt. Prima est, quod scriptura numerare incipit à Diluuio; non autem addit, inchoatum an finitum diluuium intelligat? Genes. 11. 10. Vndè integer annus, quo diluuium durauit, in dubio relinquitur. Altera est, quod Vulgatus & Hebręus omittant generationem Cainan, quam recensent Septuaginta c. 11. Geneseos, & quod magis est S. Lucas cap. 3. sui Euangelij. Tertia, quod non omnium vna sit opinio, de anno quo genitus est Abrahamus. Hunc enim quidam natũ asserunt anno 70. ætatis Thare parentis sui: alij anno 130. Vnde etiam plures de hac periodo sunt opiniones valdè inter se discrepantes.

Prima est eorum, qui omisso Cainan, dicunt Abraham natum cum Thare esset 70. annorum; & sic numerant annos à Diluuio ad Abraham 292.

Secunda eorum, qui computatis pro Cainan 30. annis, ortum Abrahæ reijciunt in annum 130. ætatis Thare: & sic à diluuio ad natiuitatem Abrahæ numerant annos 382.


Tertia numeratis pro generatione Cainan 30. annis, natum putat Abrahamum anno 70. sui parentis; & sic ortus Abrahæ diluuium sequitur annis 322.

Quarta denique neglecto Cainan, natalem Abrahæ differt in annum 130. Thare: & sic à diluuio ad Abrahamum sunt anni 352.

DE III. INTERVALLO.

A natali Abrahæ ad exitum Israelitarum ex Aegypto.

HOc interuallum complectitur annos 505. nempe 75. à nato Abrahamo vsque ad repromissionem, quæ Deus ipsi pollicitus est, fore, vt ex Abrahæ semine Messias tandem nasceretur, in quo benedicerentur vniuersæ cognationes terræ. Tunc enim Abraham erat 75. annorum, Genes. 12. 4. Ab hac vero promissione vsque ad legem anno primo Exodi cęlitus datam sunt anni 430. ex Apostolo ad Galat. 3. 17. *Hoc autem dico testamentum confirmatum à Deo, quo post quadringentos triginta annos facta est lex non irritum facit ad euacuandam promissionem.* Etsi autem hoc interuallum videri possit omnium certissimum, pręsertim quia D. Paulus à promissione facta Abrahæ summam annorum exprimit, scilicet 430. Attamen cum nec principium horum annorum clarè determinet, nec vtrum summam hanc completè, an incompletè intelligi velit, adijciat, iterũ dissensionis occasio Chronologis relicta est circa hoc idem interuallum, nonnullis à prima vocatione Abrahami, alijs aliquot annis post, illud demum inchoãtibus; & vel completè, vel inchoatè vltimum annum accipientibus.



DE

DE IV. INTERVALLO.

Ab Exodo ad annum quartum Salomonis Regis, cum datum est templo fabricando initium.

HOc interuallum maximam quoque deberet certitudinem habere, cuius tota summa clarè exprimitur lib. 3. Reg.cap.6.quod fuerit ab Exodo numerando, 480. annorum: *Factum est ergò, quadringẽtesimo & octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Aegypti, in anno quarto, mense Zio (ipse est mensis secundus) regni Salomonis super Israel ædificari cœpit domus Domini*: Verum quia dubitari potest, annus vltimus cõpletusue, an currens, finitus an inchoatus intelligendus sit? redditur etiam dubia saltem quantum ad hoc, præcisa huius interualli duratio.

DE V. INTERVALLO.

A iactis templi Salomonei fundamentis, vsque ad eius, & vrbis Hierosolymitanæ excidium primum.

HOc interuallum ex successione Regum Iuda & Israelis annisque regiminis singulorum eruendum, miris etiam nodis ac modis intricatum est, propter plures reges sępe vnà regnantes, quorum anni distincti non reperiuntur, sed aliquoties confunduntur; deindè propter discrimen annorum completorum & incompletorum; initij item & finis eorumdem vbique neglectum; vndè factum vt Chronologi plusquam 40. annis in hoc interuallo diffideant; dum alij infra 428. subsistunt, alij vsque ad 470. ascendunt.

DE VI. INTERVALLO.

A primo excidio vrbis & templi Hierosolymitani vsque ad Christum natum.

SExtum hoc interuallum longè maiori, quàm vllum antecedentium, incertitudine ac difficultate laborat, non solum quia in eo vocandæ sunt in auxilium exoticæ historiæ, desinente iuxta multorum sententiam, scripturæ S. supputatione; verum etiam quia talis supputatio annexas habet innumeras quæstiones perdifficiles; primo de numero annorum, qui à destructis per Nabuchodonosorem Hierosolymis vsque ad laxatam à Cyro Iudęorum captiuitatem decurrerunt; dùm quidam hos annos accersunt à 13. Iosiæ; quidam à transmigratione Iechoniæ; quidam ab anno vndecimo Sedeciæ; quidam etiam altius à prima captiuitate Ioakim facta anno primo Nabuchodonosoris. Secundò de Septuaginta Danielis hebdomadibus, earumque initio, & termino; circa quod plures etiam sunt valdè inter se discrepantes Chronologorum sententię.

Ex dictis igitur satis constat, quod afferebamus, annorum videlicet mundi numerum certum omnino & indubitatum, citra specialem Dei reuelationem, cognosci à nobis hand quaquam posse. Faremur tamen, si quis singulos annos in scriptura sacra consignatos, in vnum fasciculum, siue systema maioris alicuius interualli colligat, aptèque inter se connectat, eũ à verà Chronologià haud procul absuturum; talemque putamus illam, quæ ab orbe condito, ad eumdem per Christi natiuitatem reformatum, computat annos 3950. qui sic deduci possunt, discurrendo breuiter per supradicta sex interualla.

Primum igitur ab orbe condito ad diluuium Noeticum inclusiuè, puta finem diluuij, complectitur annos 1657. Cum enim ex Genesi cap.7.vers. 11.iam esset inchoatus, & non plane exactus vt volunt aliqui, annus sexcentesimus vitæ Noe, in quo vt diximus supra terminabantur ab orbe condito anni 1656. cœpit diluuium die 17. mensis secundi, qui hebraicè dicitur Iiar, & ferè respondet nostro Maio, saltem quo ad posteriorem sui partem. primus enim Hebręorum & S. Scripturæ mensis, est Nisan, qui partim Martio partim Aprili respon-

respondet: finitum autem est anno 601. eiusdem Noe, die 27. mensis pariter secundi; vnde patet diluuium durasse annum integrum & decem dies, qui additi prædictis 1656. annis, efficiunt 1657.

II. Interuallum à diluuio finito ad natalem Abrahæ comprehendit annos 292. puta ad annum Thare septuagesimum, quo iuxta probabiliorem doctorum sententiam Genes. 11. dicitur genuisse Abram, Nachor & Aran. Etsi enim certissimum putem ex S. Luca & Septuaginta Interpretibus inter Arphaxad & Sale constituendum esse Cainan; ita vt iuxta legitimum verumque sensum in textu Hebræo & Vulgato Arphaxad dicatur genuisse Sale, non immediatè sed generando Cainan, siue mediatè; tamen probabilius existimo cum Genebrardo lib. 1. Chronol. nullos propterea addendos esse annos præfatæ supputationi Hebraicæ, nam si verè Arphaxad genuit Cainan, deindè Cainan Sale; genuit Cainan anno 18. & Cainan Sale anno 17. qua ratione Sale natus est ipsi Arphaxad, cum Arphaxad ageret trigesimum quintum ætatis annum, vt habetur ex textu Hebræo & vulgato. Probabilitate tamen non caret opinio illorum, qui generationi Cainan attribuentes 30. annos, hosque hebraicæ computationi superaddentes ab exordio mundi ad nascentem Abrahamum numerant annos 1979. & à diluuio 322. cum nos ab illo numeremus tantum annos 292. ab orbe verò condito 1949.

III. Interuallum à natali Abrahæ ad exodum defluens complectitur annos 505. nempè 75. à nato Abrahamo vsque ad repromissionem, quâ Deus ipsi pollicitus est, fore, vt ex Abrahæ semine Messias tandem nasceretur. Tunc enim Abraham erat 75. annorum, Genes. 12. 4. Ab hac verò promissione vsque ad legem anno primo exodi cælitus datam sunt anni 430. vt habetur ad Galatas c. 3. vers. 17. & Exodi 12. 40. dum dicitur: *Habitatio filiorum Israel, qua manserunt in Aegypto, fuit quadringentorum triginta annorum*. Hos enim annos, quos Moses ibi numerat, eosdem esse, cum illis quos Paulus computat loco citato ad Galatas, & vtrosque inchoandos esse non à descensu Iacobi in Aegyptum, sed ab anno 75. Abrahami, quo anno Abraham euocatus à Deo, cœpit à domo, ac patria sua, Hatan scilicet, peregrinari versus terram Chanaan: hoc enim anno benedictiones, & promissiones illas, de quibus ad Galatas 3. agit Apostolus, accepit, vti habetur Genes. 12. 4. consentiunt omnes doctores Hebræi & Latini, excepto Eugubino, Genebrardo, & Stapletono: Nam clarum est Hebræos à descensu Iacobi non habitasse in Aegypto 430. annos, ex eo, quod Caath, filius Leui, qui cum auo suo Iacob descendit in Aegyptum, vixit tantùm annos 133. cuius filius Amram vixit tantùm annos 137. Amram autem genuit Mosen, qui anno 81. ætatis suæ cum Hebræis egressus est ex Aegypto, vt patet Exodi cap. 6. & 7. qui anni si simul omnes iungantur, etiam integri, puta 133. 137. & 81. non summam 430. sed 351. tantum conficient; ab hisce verò annis demendi sunt anni Caath, quibus vixit, postquam genuit Amram; & anni Amram, quibus vixit, postquam genuit Mosen: illi enim anni Caath in annis Amram, & reliqui illi anni Amram in annis Mosis, quibus patri suo Amram conuixit, continentur.

Vnde satis patet præfatos annos 430. non à descensu Iacobi, sed longè anterius, à peregrinatione scilicet Abrahæ ex Hatan versus Chanaan accersendos, & inchoandos esse, hac ratione.

A dicta peregrinatione ad natiuitatem Isaac sunt anni 25. Genes. 12. 4. Centenario enim Abrahæ natus est Isaac.

Ab ortu Isaac ad natiuitatem Iacobi & Esau sunt anni 60. Genes. c. 25. v. 26.

A natiuitate Iacobi, vsque ad eius descensum in Aegyptum sunt 130. anni Genes. cap. 47. vers. 9. Hinc exurgit sũma annorũ 215. media scilicet pars annorum quos quærimus, ita vt totidem, id est, 215. ab ingressu Iacob, ad egressum Hebræorum ex Aegypto supersint (vti disertè numerat S. Athanasius in catena

catena Francisci Zephyri initio Exodi) qui sic numerari possunt; si enim ponatur Caath esse natum eodem anno quo ipse cum auo suo Iacob descendit in Aegyptum, & genuisse Amram 65. ætatis suæ anno, vti tradit Epiphanius in Ancorato, accipientur ex annis Caath anni 65. Rursum detur Amram genuisse Mosen anno ætatis suæ 70. vti vult Epiphanius, & addantur alij 80. vitæ Mosis, tot enim annorum erat, cum eduxit Hebręos ex Aegypto, sic exurgent alij 215. anni, quibus iungendo priores 215. colligentur 430. quot numerat tàm Moses, quàm Apostolus locis citatis. Vndè contigit exitus Hebręorum ex Aegypto anno mūdi 2454. à diluuio anno 797. à natiuitate Abrahæ anno 505. à descensu Iacobi in Aegyptum 215. à morte Ioseph 144.

Ideo autem Moses asserit Hebræos in Aegypto habitasse 430. annis: *Habitatio filiorum Israel, qua manserunt in Aegypto, fuit quadringentorum triginta annorum:* quia potiorem partem in Aegypto fixè habitantes transegerunt, vbi & dirissima sunt passi: deinde quia prima peregrinatio Abrahæ fuit in Aegyptum Genes.12. & vltima pariter Hebręorum fuit in Aegypto; à principio autem & fine denominatio sumitur, quia cætera hęc interijciuntur: de quo etiam vide superius dicta cap. 20. huius sectionis.

IV. Interuallum decurrens ab Exodo ad annum quartum Salomonis regis, cum datum est templo fabricando initium comprehendit annos 480. sic enim habetur lib.3.Reg. cap.6. *Factum est ergò, quadringentesimo & octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Aegypti, in anno quarto, mense zio, (ipse est mensis secundus) regni Salomonis super Israel ædificari capit domus Domino.* Omissis illis, quæ contra sacrum textum plures annos quam 480. intrudunt inter egressum ex Aegypto & cœptam Salomonei templi fabricam, tres potissimum sunt opiniones. Tametsi enim liquidò constet annos 40. Moysi tribuendos, Dauidi totidem, & 3. aut 4. Salomoni: nihilominus perdifficile est tempus inter Moysen & Dauid interiectum annis Iudicum & Saulis, ita admetiri, vt nulla supersit difficultas.

Prima igitur opinio tribuit Iosue post excessum Moysis annos 17. deindè Othonieli 40. Aodo 80. & sic deinceps pro vt statim annotabitur, ita vt anno 480. ab Exodo iam inchoato, oriatur quartus regni Salomonis, & primus templi.

Secunda non distinguit annos Iosue ab ijs quadraginta, qui dantur Othonieli, Aodo numerat 80. & sic de cæteris iuxta numeros primæ sententiæ vsque ad Heli, cuius vltimum annum pariat primo mansionis Arcæ in Cariathiarim: huius autem mansionis vigesimum annum parē facit primo Saulis & Samuelis. Sic ab Exodo ad iacta templi fundamenta numerantur anni 480.

Tertia opinio Sauli soli dat annos 40. Arcæ in Cariathiarim commoranti 20. Samueli 37. Iosue Othonieli & Aodo simul 80. Samgaro 1. in reliquis calculum communem retinet.

Ex his sententijs, prima, quæ est Ariæ Montani in Danielem, quamque post ipsum omnes ferè Chronologi amplexi sunt, vt est communior, ita etiam videtur probabilior, vnde iuxta illam sic ordinari compurarique possunt 480. anni, quos complectitur hoc interuallum.

- Nimirum Hebræi ab egressu ex Aegypto tendentes in Chanaan peregrinati sunt in deserto annis 40.
- Indè à Iosue vsque ad Othonielem primum Iudicem fluxere anni 17.
- Othonieli assignat Scriptura Iudic. cap.3. annos 40.
- Aodo qui successit Othonieli ibidem vers.30. attribuuntur anni 80.
- Samgaro qui Aod secutus est dantur pauculi menses, idque vers.31. indicatur.
- Barac & Debboræ cap. 5. versu vltimo memorantur anni 40.
- Gedeonis pariter cap. 8. vers. 28. recensentur anni 40.

Abimelech Gedeonis filio cap. 9. 22. dantur anni 3.
Tholæ cap. 10. verſ. 2. dantur anni 23.
Iair cap. 10. verſ. 3. anni 22.
Iephte cap. 12. verſ. 7. anni 6.
Abeſan cap. 12. verſ. 9. anni 7.
Ahialon cap. 12. verſ. 11. anni 10.
Abdon cap. 12. verſ. 14. anni 8.
Samſon cap. 15. anni 20.
Heli 1. Reg. cap. 4. v. 18. anni 40.
Samueli & Sauli Actorũ 13. verſ. 21. tribuuntur anni 40.
Dauidi 3. Reg. cap. 2. v. 11. anni 40.
Salomoni 4.

Adde omnes hos annos, & inuenies præcisè numerum prædictum 480. annorum, qui tertio libro Reg. cap. 6. v. 1. dicuntur effluxiſſe ab egreſſu Hebreorũ ex Aegypto vſque ad annum quartum Salomonis, quo ipſe cœpit fabricare templum.

V. Interuallum à iactis templi Salomonei fundamentis, vſque ad eius excidium & extremam Sedeciæ calamitatem decurrens complectitur 426. annos, pro vt ſatis innuit collectio annorum, quibus ſingulos reges Iuda regnaſſe memorat ſacra hiſtoria.

Nam ab inchoato tẽplo Salomon regnauit	36. annis	3. Reg. 11. v. 42.
Roboam eius filius	17. annis	3. Reg. 14. v. 21.
Abias	3. annis	3. Reg. 15. v. 2.
Aſa	41. annis	3. Reg. 15. v. 10.
Ioſaphat	25. annis	3. Reg. 22. v. 42.
Ioram	8. annis, ſed tribus cum patre, ac poſt eũ ſolus quinque.	4. Reg. 8. v. 17.
Ochoſias	1. anno partim cum patre partim ſolus.	4. Reg. 8. v. 26.
Athalia	6. annis	4. Reg. 11. v. 4.
Ioas	40. annis	4. Reg. 12. v. 1.
Amaſias	29. annis	4. Reg. 14. v. 2.
Azarias ſiue Oſias	52. annis	4. Reg. 15. v. 2.
Ioatham	16. annis	4. Reg. 15. v. 33.
Achas	16. annis	4. Reg. 16. v. 2.
Ezechias	29. annis	4. Reg. 18. v. 2.
Manaſſes	55. annis	4. Reg. 21. v. 1.
Amon	2. annis	4. Reg. 21. v. 19.
Ioſias	31. annis	4. Reg. 22. v. 1.
Ioachas	tribus menſibus	4. Reg. 23. v. 31.
Ioakim	11. annis	4. Reg. 23. v. 36.
Ioachin ſiue Iechonias	tribus menſibus	4. Reg. 24. v. 8.
Sedecias	11. annis	4. Reg. 24. v. 18.

Colligantur hi omnes anni & inuenientur 426. quos dixi hoc interuallo comprehendi. Sua tamen probabilitate non caret opinio illorum, qui huic interuallo attribuunt 430. annos; quatenus primum ab inchoato templo, concedunt regno Salomonis annos 37. incluſo quarto eiuſdem Salomonis anno, qui iuxta noſtram computationem excludendus eſt; deinde tẽpus quo Athalia annũ ſextum exceſſit, item tres menſes regni Ioachas, & tres alios regni Ioachin, ſiue Iechoniæ in annos integros reducunt; de quo vide Henricum Philippi in Synopſi Chronolog. cap. 5. Vbi etiam notat annos ab egreſſu de Aegypto vſque ad caſum templi ita numerãdos eſſe, vt 15. Niſan, quo contigit Exodus incidat in feriam ſextam; & dies 9. menſis Ab, qua Ieruſalem venit in poteſta-

testatem Nabuchodonosor incurrat in Sabbathum.

VI. Interuallum à casu vrbis & templi Hierosolymitani, siue à captiuitate Babylonica vsque ad Christum complectitur circiter numerum annorum 591. videlicet à captiuitate Babylonica ad libertatem sub Cyro fluxerunt 60. anni Chronologiæ vtiles; cum enim non ab anno vndecimo Sedechiæ, vt volunt aliqui, sed iuxta probabiliorem aliorum sententiã, quem refert & sequitur Cornelius à Lapide lib.4. Reg. cap.24. & in Ieremiam cap.29. ab anno vndecimo & vltimo Ioakim, qui fuit octauus Nabuchodonosoris, numerandi sint anni 70. captiuitatis Babylonicæ: nam Nabuchodonosor post abductum Ioachim regnauit annis 36. deinde eius filius Euilmerodach, quem Cornelius à Lapide in cap.5. Danielis v. 1. putat eumdem esse cum Balsasare, regnauit annis 34. qui simul vniti faciunt prædictos 70. captiuitatis annos; quamuis etiam probabilitate non careat sententia illorum qui censent Balsasarem fuisse filiũ Euilmerodach, qui fuit filius Nabuchodonosor, quorum proinde regnis seorsim diuidunt præfatos 34. annos; Balsasari autem successit Cyrus Rex Persidis, qui expletis iam 70. captiuitatis annis Babylonem capiens, & Balsasarem occidens Iudæos è Babylone liberauit. Cum, inquam, ita se res habeat satis patet decem captiuitatis Babylonicæ annos contineri, in supradictis 426. annis, qui à iactis templi Salomonei fundamentis, vsque ad eius excidium sub Sedechia effluxerunt, atque adeo ab illo ad libertatem sub Cyro 60. dumtaxat annos Chronologiæ vtiles computari posse, ac debere. Quo semel stabilito circa principium annorum septuaginta seruitutis Babylonicæ; cum ex dictis hactenus, probabilis habeatur summa annorum 3359. ab initio orbis conditi vsque ad euersionẽ vrbis Hierosolymæ; aliundè verò certum sit, ac S. Scripturæ testimonio compertum lib.2. Paralip. cap.36. & 1. Esdræ cap. 1. laxatam à Cyro Iudæorum captiuitatem cõtigisse anno primo Monarchiæ eius, regni vero Persici 27. ita vt annus vigesimus septimus regni Persici, sit primus imperij Babylonici, qui incidit in Olympiadis 61. annum tertium, Vrbis conditæ 220. Tarquinij Superbi septimum, probabilis etiam habebitur ex hoc interuallo nexus historiæ sacræ cum prophana.

A libertate Iudæorum sub Cyro, vsque ad annos Græcorum, siue Seleucidarum (à quibus libri Machabæorum computant, & consignant suas historias, quique incipiunt post mortem Alexandri Magni anno duodecimo, quo Seleucus imposuit sibi diadema Asiæ) fluxerunt anni 221. quorum hęc est ratio.

I. Cyrus, Astyagis regis Medorum ex filia Mandane nepos, ac filius Cambisis regis Persarum, cum anno 27. Persici sui regni capta Babylone Chaldæorum Monarchiam obtinuisset, deinceps tres dumtaxat annos vt Monarcha regnauit. Daniel enim, qui certatim annos Cyri per eius gesta pertexit cap.11. vltra tertium non progreditur. Nec obstat Xenophon lib.8. Cyropędiæ vbi septẽ annos tribuit principatui Cyri. Vnde Bellarminus, Torniellus, Salianus & alij putant Cyrum septem annos regnasse vt Monarcham. Respondeo enim primò illos libros à Xenophonte scriptos esse, non tam ad fidem historiæ, quam ad efformandam in Cyro veri principis Ideam. Deindè principatus ille Cyri septennis accipi posset à subiugata per eum non Babylone, sed Asia. Tandem magis credendum esse lib.3. Esdræ c. 5. vers. vltimo quàm Xenophonti docet Cornelius à Lapide in cap.1. Esdræ v.1. Ibi autem fat expressè dicitur Cyrum per biennium tantùm regnasse à cœpta reædificatione templi, quæ vt patet c.1. libri primi eiusdem Esdræ, facta est statim à soluta captiuitate, scilicet anno secundo Monarchiæ Cyri.

II. Cambyses filius Cyri, regnauit annos 7. & menses sex.

III. Smerdes Magnus, tyrannus regnauit menses 6. vel 7.

IV. Darius filius Hystaspis, hinnitu equi creatus rex regnauit ann. 36.

V. Xerxes filius Darij regnauit annos 20.

VI. Artabanus præfectus, qui Xerxem occidit menses 7.

VII. Artaxerxes manu vna longiore cognominatus Longimanus, filius Xerxis, qui anno 7. regni Esdram, & anno 20. Nehemiam remisit ad restaurandam Ierusalem, vnde ab eo incipiunt 70. Hebdomades Daniel. cap. 9. quæ finiuntur in Christo, regnauit annos 40.

VIII. Xerxes secundus, tyrannus regnauit menses 2.

IX. Sogdianus, tyrannus regnauit menses 7.

X. Darius filius Nothus Artaxerxis Longimani regnauit ann. 19.

XI. Artaxerxes dictus Mnemon, id est Memor, à præstantia memoriæ, Darij Nothi filius regnauit annos 43.

XII. Artaxerxes Ochus regnauit annos 23.

XIII. Arses, vel Arsames Ochi filius regnauit annos 4.

XIV. Darius Arsis filius cognomēto Codomannus, regnauit annos 6. septimo enim anno, regno & vita spoliatus fuit ab Alexandro Magno, vt dicitur lib. 1. Machab. cap. 1. tùmque monarchiam à Dario & Persis ad se & Græcos transtulit, factusque Monarcha regnauit alios sex annos: mortuus est enim anno regni sui duodecimo. Deinde post mortem Alexandri Magni anno tertiodecimo Seleucus multis victorijs cognominatus Nicanor, deuicto Antigono Asiæ rege, fecit se regem, indeque anni Græcorum, siue Seleucidarum, vt mox dicemus computari cœperunt. Stetit ergo regnum Persarum per annos 330. Monarchia vero per annos 203. (Nam ex dictis Cyrus anno 27. regni sui cœpit Babylonem, & occidit Balsasarem, tùmque factus Monarcha, tantum per tres annos regnauit) quibus si addantur 6. Monarchiæ Alexandri Magni, & 12. qui à morte ipsius vsque ad annos Græcorum, siue Seleucidarum effluxerunt, fient suprà dicti 221. anni. Quod igitur Dionysius Halicarnasseus in suo procemio asserit non multo tempore vltra ducentos annos Persas in rerum fastigio perdurasse, verum agnoscendum est, cum ab initio Monarchiæ Cyri vsque ad victum ab Alexandro Darium anni præcisè computentur 203.

Ab annis autem Græcorum, siue Seleucidarum vsque ad Machabæos, fluxerunt anni 145.

I. Seleucus, qui anno 12. post mortem Alexandri Magni, primus fuit rex Asiæ, Nicanor dictus, vel, vt alij Nicator, à cæso Nicatore, vel potius à multis & illustribus victorijs, quas habuit, regnauit annos 30.

II. Antiochus Soter, Seleuci filius, cuius tempore Iudæi insignem iuxta Babylonem de Gabatis obtinuere victoriā, quæ refertur lib. 2. Machab. cap. 8. v. 20. regnauit annos 19.

III. Antiochus cognomento Θεός, id est Deus, Soteris filius, de quo Daniel vaticinatus est cap. 11. vers. 5. regnauit annos 15.

IV. Seleucus Callinicus, de quo Daniel ibid. vers. 7. regnauit annos 20.

V. Seleucus Ceraunius, id est fulmineus, Callinici filius, de quo Daniel ibid. vers. 10. regnauit annos 3.

VI. Antiochus Magnus Cerānij frater, qui à L. Scipione ad Thermopylas victus filium iuniorem Antiochum Epiphanem Romam pro se obsidem misit, de quo Daniel ibid. vers. 10. & sequent. vsque ad 20. regnauit annos 37.

VII. Seleucus Philopater, Antiochi Magni filius senior, qui initio sumptus templo Iudæorum necessarios submisit lib. 2. Machab. cap. 3. vers. 3. sed postea vers. 32. per Heliodorum illud expilare voluit, cum ille flagellatus ab Angelo rediens Seleucum occidit, quemque Daniel describit cap. 11. vers. 20. regnauit annos 12.

VIII. Tandem Seleuco fratri seniori successit Iunior dictus Antiochus Epiphanes, id est, illustris; verius à nonnullis Epimanes, id est insanus, quia crude-

crudeliter & insanè templum expilauit, & Iudæos diuexauit. Hic regnum fratris dolo inuasit anno 137. Græcorum, qui eodem anno Oniam Sanctum Pontificem expulit, eique substituit fratrem impium Iasonem lib.2.Machab.cap.4.7. Idem anno secundo regni sui primam expeditionem suscepit in Aegyptum, vndè pacificus Ierosolymã intrauit ibid. vers. 21. Anno quinto Iasoni deposito Pontificem surrogauit Meneläũ Beniaminium 2.Machab.4.vers.23. Anno sexto rursum Aegyptum ingrediens à Romanis iussus fuit egredi. Quocirca indignans egressus est, & indignationem suam in Iudæos vicinos effudit. Nam tribus diebus interfecit 80.millia Iudęorum, 40. millia vendidit, & totidem incarcerauit 2. Machab. 5. 14. Indè per Apolonium plures alios occidit vers.24. & alios per Philippum cap. 6. 11. idolum Iouis posuit in templo v.2.tunc pariter Eleazarum vers. 18. & septem fratres cap.7. illustri martyrio affecit, annó 9. regni sui, qui fuit Græcorum 145. quo contra eum se, suosque erexit Mathathias lib. 1. cap. 2. cui post paucos menses morienti successit, & bellum Antiocho mouit Iudas Machabæus eius filius cap.3. à quo deinceps Machabæi, siue Assamonæi, qui populo Israelitico præfuere non tantùm vt Pontifices, sed & vt Principes.

Tandem à Machabęis vsque ad Christi natiuitatem fluxerunt anni 165. hac ratione.

Mathathias Iudę Machabęi pater Põtificatum & principatum Israelis gessit paucis mensibus. 1. Machab.2.vers.1.

Iudas filius annis 6.1.Machab.9.v.3. & 18.

Ionathas frater Iudæ ann. 19. 1. Machab.13. vers.23. & 41.

Simon frater Ionathæ ann. 7. 1. Machab.13. & vltimo.

Ioannes Hircanus Simonis filius annis 31. Cuius etiam fit mentio ibid. atque in eo finitur sacra Machabæorum, omnisque veteris testamenti historia, & S. Scriptura.

Aristobulus Ioãnis Hircani filius, qui primus regis nomen & coronam assumpsit, quod eius exemplo cæteri eius posteri assumpsêrunt, regnauit annum. 1.

Iannæus Aristobuli frater Iunior, qui vt Græcis placeret, græcum nomen assumpsit, dictusque est Alexander, regnauit annos 27. duobus relictis filijs Hircano & Aristobulo, qui inter se de regno vsque ad Herodem contenderunt, eique prædæ fuerunt.

Alexandra vxor Iannæi, eo mortuo regnum vsurpans regnauit annos 9.

Aristobulus Iunior Iannæi filius, Hircano fratre seniore excluso, Pontificatũ & regnum inuasit, sed à Pompeio captus Romam missus fuit cum duobus filijs Antigono & Alexandro, cum regnasset annos 3.

Hircanus senior Iannæi filius, Pontificatui restituitur à Pompeio, eumque varijs iactatus casibus tenet per annos 22.

Alexander Aristobuli filius Roma elapsus Iudæam occupare conatus est, sed post triennium à Gabinio captus, à Pompeio capite mulctatus fuit; pater quoque ipse Aristobulus, cum altero filio Antigono Roma fugiens, ope Parthorum Iudæam & Pontificatum occupauit tribus annis cum dimidio. Verum Iulius Cæsar Hircano Pontificatũ adiudicauit, vti iam fecerat Pompeius, ac Antipatri Idumeæ, Iudææ & Hircani tutelam, quasi procuratori commisit; deinde M. Antonius Herodem & Phasellum filios Antipatris tetrarchas constituit. Tandemque Antigonus vltimus Machabæorum petente Herode capite truncatus fuit post annos quatuor. Et in illo defecit omnis stirps Assamonæorum, æque ac eorum regnum & Pontificatus, cum vtrũque tenuissent per annos 130. tot enim fluxere ab anno nono Antiochi Epiphanis, quo incepit, vsque ad annum primum Herodis, quo ipse cæso Antigono pleno iure regnum occupauit per annos 35. qui simul iuncti cũ 130. faciunt annos 165. quos à Machabæis vsque ad Christum fluxisse diximus; qui

rursus

rurſus vniti cæteris huius interualli annis, videlicet 60. à captiuitate Babylonica vſque ad libertatem Iudæorum ſub Cyro; 121. à libertate vſque ad annos Græcorum; 145. ab annis Græcorum vſque ad Machabæos; 165. à Machabæis vſque ad Christum, efficient ſummam annorũ 591. quos pro huius ſexti interualli duratione ſuperius aſſignauimus. Ex qua etiam duratione, nec non aliorum quinque interuallorum conſurgit ſumma annorum 3950. ab exordio mundi, ad natiuitutem Chriſti.

Alia quoque ratione poſſet huius interualli duratio computari per Danielis Hebdomadas cap. 9. quatenus à captiuitate Babylonica & excidio Hieroſolymæ per Nabuchodonoſor ad Hebdomadas Danielis fluxerunt anni 138. Ab hiſce autem Hebdomadibus ad Natiuitatem Chriſti 453. qui ſimul iuncti faciunt annos 591. Verùm quia hęc materia magis ſpectat ad Chronologiam particularem, de quà contra Iudæos acturi ſumus infra libro 4. ſect. 7. libenter illi ſuperſedemus; breuiterque tantùm, quot annorum Hiſtoriam vnuſquiſque Veteris Teſtamenti liber complectatur, ex dictis colligemus.

Liber Geneſis cõtinet tempus ab orbe condito vſque ad annum 2310. quo contigit mors Ioſephi, in qua terminatur liber Geneſis.

Liber Exodi cõprehendit annos 145. qui effluxerunt à morte Ioſephi, vſque ad erectionem tabernaculi anno 2. Exodi à Moyſe factam, in qua terminatur liber Exodi.

Leuiticus non expanditur vltra menſem, videlicet ab erectione tabernaculi, quæ contigit menſe primo anni 2. Exodi, prima die menſis, vſque ad diem, quo præcepit Dominus Moyſi numerare populum, datumque eſt initium libro Numerorum, qui fuit primus dies ſecundi menſis eiuſdem anni 2. Exodi.

Liber Numerorum incipiens à prima die menſis ſecundi, anni ſecundi egreſſionis ex Aegypto, vſque ad initium menſis vndecimi, anni quadrageſimi ab eadem egreſſione cõtinet annos fere 39. ſiue annos 38. & menſes decem.

Liber Deuteronomij cõplectitur hiſtoriam duorum dumtaxat menſium, vndecimi videlicet & duodecimi menſis dicti anni quadrageſimi ab Exodo, quo Moyſes ſeruus Dei mortuus eſt.

Liber Ioſue, qui mortuo iam Moyſe inchoatur circa initium primi menſis, anni ab Exodo 41. mundi verò 2495. comprehendit 18. annos ducatus Ioſue, quibus populo Iſraeli præfuit.

Liber Iudicum, qui à morte Ioſue ad obitum Samſonis deducitur cõtinet annos 298. quibus etiam comprehenditur liber & hiſtoria Ruth.

Liber I. Samuelis ſiue Regum narrans geſta Heli, Samuelis & Saulis cuius morte finitur, cõplectitur annos 80.

Liber II. Samuelis ſiue Regum geſta refert Dauidis ab inito regno ad eius mortem per annos 40. qui extenduntur vſque ad lib. 3. cap. 2. verſ. 12.

Liber III. Regum texens hiſtoriam Regum Iuda & Iſrael ab initio regni Salomonis ad finem vitæ Ioſaphat comprehendit 126. annos.

Liber IV. complectitur hiſtoriam annorum 304. nempe à morte Ioſaphat vſque ad annum vndecimum Sedeciæ in quo deſinunt libri Regum.

Libri Paralipomenon non continent diuerſum tempus ab eo, quod libris precedentibus continetur: niſi quod ſub finem habeatur mentio aſſertæ à Cyro Iudæorum libertatis, quæ fuit poſt annos à caſu Sedeciæ 60. anno mũdi 3419

Libri duo Eſdræ inchoantur ab anno primo monarchiæ Cyri, quo ſoluta eſt Iudeorum captiuitas & terminantur circa annum ſeptimum Artaxerxis Longimani; ac proinde annos 72. quibus Eſdras à pręfato anno 7. Artaxerxis vixit. Hinc vſque ad hiſtoriam Machabęorum per annos plus minuſue 150. nihil in ſacris Biblijs expreſſum habemus.

Libri Machabęorũ à principatu Mathathiæ, qui incepit anno Græcorum 145. vſque ad mortem Simonis non ampliori quàm 32. circiter annorum periodo

riodo extenduntur. Hinc rursus vsque ad Christum nihil tradunt sacra eloquia.

En igitur sacra totius Veteris Testamenti, librorumque eius Chronologia, quam probabiliorem puto, magisque consentaneam numero annorum, quem sacræ litteræ consignant; duo tantum in illa supersunt vltimo loco diligẽter animaduertenda; Primò sunt aliqui canones, siue regulæ diuersis temporibus cõciliandis valde vtiles.

Primus est, in Chronologia annum subindè à principio, subindè à fine computari; siue quod idem est, eamdem rem subindè vno anno posterius consignari, v. g. ab egressu Hebræorum ex Aegypto, vsque ad templum Salomonis, subindè numerantur anni 479. scilicet cõpleti, subindè 480. scilicet inchoati, inchoatus enim erat annus 480. cùm cœpit fabrica templi. Quo circa vnus annus additus, vel demptus in Chronologia, nullam affert temporum diuersitatem, ac proindè non est æstimandus, præsertim in aliquo particulari interuallo.

Secundus est, quo per Synecdochen, pars anni, mensis, vel diei ponitur pro integro anno, mense, vel die. Sicut Christus dicitur tribus diebus fuisse in sepulchro, quia per partem diei primæ & tertiæ fuit in sepulchro, solo autem die secundo integro in eodem mansit.

Tertius, quod aliquandò numerentur anni, quibus filius regnauit cum patre, aliquandò verò anni quibus solus ipse regnauit post patrem.

Quartus, quod quandoque interregnum iungitur annis sequẽtis Regis vel Iudicis, quandoque non, vti ostenditur Iudic. cap. 3.

Quintus, quod in consignandis etiam annis Scriptura plerumque rotundum perfectumque numerum assignat, etiam si illi aliquid desit vel supersit; computat enim per denarios, centenarios & millenarios.

Sextus, S. Scriptura annorum numerum consignans subindè intelligit eorũ terminum, non quod integrè in tali loco, vel actione exacti sint, sed quod actio ibidem sit terminata. Sic Exodi 12. 40. dicitur, Habitatio filiorum Israel in Aegypto fuit 430. annorum id est 430. anno terminata est, ait S. August. lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 24. In Aegypto enim habitarunt tantum 215. annos. Sic Iudith cap. vlt. 28. dicitur permansisse in domo viri sui 105. annos, id est vsque ad annum vitæ suæ 105. nam puellares annos egit in domo parentum non viri. Sic Iud. 1. 4. dicitur Dalila septem dies conuiuij fleuisse, id est vsque ad septimam diem; nam flere cœpit post tertiũ conuiuij diem.

Secundum notandum est, quod sicut Iudæi & Christiani suam Chronologiã incipiunt ab Adamo, vel à Noe, vel à diluuio, vel ab Abraham, vel ab ingressu Iacob in Aegyptum, vel à morte Ioseph, vel à seruitute Aegypti sub Pharaone, vel ab exitu ex Aegypto, vel à Iosue & Iudicibus, vel à Regibus, vel à Templo Salomonis, vel à captiuitate 10. tribuum, vel à transmigratione Iechoniæ, vel à captiuitate Babylonica, vel à libertate sub Cyro, vel ab Hebdomadibus Danielis, vel à Machabæis; sicut, inquam tàm Iudæi, quã Christiani, præfatis alijsque similibus æris in conficiẽda Chronologia supputandisque annis vtuntur; ita Ethnici sua tempora principaliter supputant primò à Nino, & Semiramide, qui prima Monarchiæ Assyriorum fundamenta iecerunt; Secundò, à diluuio Ogygis, ac regno Inachi & Phoronei regum; Tertiò à bello & excidiò Troiæ. Quartò ab initio Olympiadum; Quintò ab origine vrbis conditæ. Sexto ab imperio Persarum. Septimò ab annis Græcorum, siue Seleucidarum. Octauò ab annis Iulianis.

Quia autem ex huiusmodi ætarum connexione, vel synchronismo omnino etiam dependet nexus historiæ sacræ cũ Prophana, ideo placet hic illas breuiter inter se componere; quod forsan infra in vltima huius libri sectione fusius iterum præstabimus.

Igitur Ninus præcipuus Monarchiæ Assyriorũ conditor vixit tempore Abraham,

ham, cum ex Eusebio 43. imperij ipsius anno natus sit, qui fuit mundi 1949. vndè si huic numero subducātur dicti 43. anni, quos exegerat Ninus, quando natus est Abraham, remanebit annus mundi 1906. sub cuius initio regnare cœpit Ninus. Cum iam antea Nembrod siue Belus eius pater regnasset annos 65. Quare incipiendo ab ipso stetit Monarchia Assyriorum per annos 1578. vsque ad annū mundi 3419. quo Cyrus Chaldæorum hostis & Iudæorum amicus, Chaldæos euertit, & Monarchiam ad Persas transtulit, ideoque Iudæos è Babylone liberauit.

In huius insuper Monarchiæ decursu notandum est alias duas fuisse insignes æras; Prima est Nabonassar, qui regnauit anno 9. Ioatham Regis Iuda, Olympiadis 5. anno 4. Ab hoc enim, captâ Babyloniâ, constituta est æra dicta Nabonassaræa, alijs verò æra Babyloniorum, quæ incipit ab anno 15. Ioatham. Huius æræ, siue anni Nabonassar meminit Ptolomæus qui floruit sub Adriano Imperat. lib. 3. Almag. cap. 8. testaturque se ab illo priscas habuisse obseruationes Astronomicas vsque ad sua tempora. Quis autem fuerit hic Nabonassar, dubium est inter doctores, Genebrardus enim in Chronologia & alij putant fuisse Salmanasar, alij verò vt Torniellus, Cornelius à Lapide in c. 1. Ezech. fuisse Baladan regem Babylonis, de quo lib. 4. Reg. cap. 20. 12. & Isaiæ cap. 39. vers. 1. fit mentio.

Altera æra est Nabulassar, siue Nabopolassar, qui fuit Nabuchodonosoris magni pater, vndè Iosephus lib. 10. Antiquitatum cap. 11. vocat eum ex Beroso Nabuchodonosorem seniorē. Etsi enim aliqui Nabonassar confundant cum Nabopolassar, putentque hos duos vnum esse eumdemque, ex eo fortasse decepti, quod Chaldaicè idem, aut ferè idem sint hęc nomina, Nabonassar, Nabonesor, Nabuchodonosor, Nabopolassar, Nabopolnassar; melius tamē alij docēt Nabonassar aliū esse à Nabopolassar: ille enim hunc antecessit 123. annis; vt patet cum ex alijs, tùm maximè ex Ptolomæo, qui lib. 5. Almagesti c. 14. asserit annū 5. Nabopolassar fuisse 127. à Nabonassaro, qui vt diximus cœpit regnare anno 9. Ioatham regis Iuda, Olympiadis quintæ anno 4. ante Alexandrum Magnum anno 412. Ab hoc igitur Nabopolassar, id est à Nabuchodonosore seniore euersam esse Niniuen, anno 13. Iosiæ Regis Iuda, cum asserat S. Hieronymus præfatione in Ionam; colligaturque ex Tobia cap. vlt. vers. 16. & ex Iosepho libro 9. Antiquitat. cap. 11. vti ostendit Cornelius à Lapide cap. 1. Ieremiæ v. 2. & cap. 1. Ezechielis vers. 1. exinde idem auctor putat æram Babyloniorum alteram, siue Nabopolassaris esse constitutam, perindè vt Persarum constituta est ab anno 1. Cyri. Græcorum à 1. Alexandri. Nabopolassar enim euersa Niniue, quæ erat Sedes Regum Assyriorum, eorum monarchiam euertit, & trāstulit in se, ac Babylonios, perinde ac Cyrus ad Persas, Alexander ad Græcos.

Hac etiam æra præfatus Cornelius locis citatis docet vsum fuisse Ezechielem cap. 1. dum ait, *Et factum est in trigesimo anno, in quarto, in quinta mensis.* Sicut enim Daniel, Esdras, & Nehemias consignant sua monumenta per annos Cyri, Darij, Artaxerxis regum Persarū; quia inter eos degebant, eisque erant subiecti: ita & Ezechiel per initium regni Chaldęorum sua oracula consignat; quia inter Chaldæos agebat, eisque cum omnibus Iudæis, ipsaque Iudæa erat subditus. Id ita esse patet ex eo quod Nabopolassar, teste Iosepho lib. 1. contra Apion. regnauit 19. annis. Ei successit filius Nabuchodonosor Magnus, qui cœpit regnare anno 4. Ioakim. Porro Ioakim regnauit annis 11. à quibus demendo annos quatuor, quibus ante Nabuchodonosorem regnauit Ioakim cum patre eius Nabopolassar, remanent anni Ioakim septem: quibus addendo annos 5. Sedeciæ (idem enim est annus quintus Sedeciæ, & quintus transmigrationis Ioachim siue Iechoniæ) habebuntur

buatur anni 30. per quos incipit Prophetia Ezechielis.

Sub annum Iacobi 88. qui fuit mundi 2197. natus est enim Iacob anno mūdi 2109. contigit celebre illud diluuiū Ogygis, quo terra Attica ita vastata est, vt per annos 199. vsque ad Cecropem sine Rege & penè deserta fuerit: de quo meminit Eusebius lib. 10. præparat. Euāgel. cap. vlt. & S. Augustinus lib. 18. de ciuitate Dei cap. 8.

Excidium Troiæ post decennalem Græcorum obsidionem contigit ex Eusebio, quē sequitur Salianus & alij plures, anno vltimo Ahialon Iudicis circa annum mundi 2765. Quamuis S. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. contra Iulianum putet Troiam expugnatam fuisse regnante apud Hebræos Iudice Abesān, pro quo Cyrilli codex corruptè habet Esebon: Sed hoc in tanto numero & computu priscorum annorum exigua est differentia, facileque concordari potest, si dicatur, Troiam à Græcis obsessam fuisse per decem annos: Quare sub Abesan cœpisse obsideri, & hoc velle Cyrillum; sub Ahialon verò fuisse captam, & hoc velle Eusebium.

Olympiades, siue anni Iphyti regis, qui eas instituit, vel restaurauit, sub annum 40. Azariæ siue Oziæ regis Iudæ computari cœperunt, circa annum mundi 3176. Vnde sequitur primos tredecim reges præcessisse initium Olympiadum.

Roma vero condita est à Romulo, qui primus in ea regnauit, sub annum decimum, vel vndecimum Ioatham regis Iuda, mundi vero 3199. Quare Olympiades antecedunt Romæ conditionem annis 23. Asarias enim siue Osias rex Iuda sub cuius annum 40. cœperunt regnauit 52. annos lib. 4. Reg. 15. Sub idem tempus cum Sardanapalus obsessus in Niniue ab Arbace Mediæ Præfecto, seipsum cum regia totaque gasa combusisset, Arbaces Mediæ se regem fecit, Baladan verò qui alio nomine dictus est Nabonassar Babyloniam occupauit, à quo constituta est Aera Nabonassaræa superius dicta, quæ incipit ab anno 15. Ioatham; subsequitur autem Olympiades 27. annis. Romæ vero conditionem 4.

Anno 69. transmigrationis Iechoniæ, qui fuit Balsasar regis Babyloniæ 34. & vltimus, cū appropinquaret terminus 70. annorum desolationis Hierusalem, & captiuitatis Babylonicæ, Cyrus rex Persarum cum Dario Medo auunculo suo obsidet Babylonem. Balsasar autem rex vrbis munitione fretus, vacās conuiuijs bibit vinum cum suis principibus, vxoribus & concubinis, ex vasis templi Hierusalem, laudando idola sua: quapropter videt manum scribentem in pariete, *Mane, thekel, phares*, quam scripturam cum magi Babylonis, neque legere, neque interpretari valerent, solus Daniel eam perturbato regi legit, & interpretatur significare ipsum regno deturbandum, idque à Deo dandum Medis & Persis. Quod rei probauit euentus, nam eadem nocte Medi & Persæ fluxu Euphratis alio ducto, per siccum alueum Babylonem ingressi, Balsasar regem populumque interficiunt, vrbem turremque destruunt, regnum suscipit Darius Medus annos natus 62. Cyrumque præcessit, quia senior, quia auunculus, quia potentioris regni dominus; hanc enim triplicem rationem assignat S. Hieronymus. Verumtamen Cyro primum tribuitur Monarchiæ Persarum fundamentum circa annū mundi 3419. in quem incidit sub eodem Cyro libertas Iudæorum ex Babylone in Iudæam remissorum.

Monarchia Persarum cum stetisset annos 203. nam Cyrus anno 27. regni sui cœpit Babylonem, & Balsasarem occidit, tumque factus est Monarcha, tantumque per tres annos regnauit vt Monarcha, vti ostendimus supra, tandem desijt in Dario Codomanno quartodecimo Persarum rege. Septimo enim anno, regno & vita spoliatus fuit ab Alexandro Magno; tumque à Dario, & Persis ad se & Græcos Monarchiam transtulit circa annum Mundi 3622. factusque

que Monarcha regnauit alios sex annos: Dum igitur Danielis cap. 11. vers. 2. dicitur. *Ecce adhuc tres reges stabunt in Perside, & quartus ditabitur opibus nimijs super omnes: & cum inualuerit diuitijs suis concitabit omnes aduersum regnum Græciæ*. Imperitè Iudæi ex hoc loco numerant tantum quinque reges Persarũ; nam vt docent S. Hieron. Eusebius, Ioseph, Thucydides, Diodorus, Herodotus & alij, vniuersim fuerunt quatuordecim, vt diximus supra. Daniel autem, quatuor tantum numerat, primos videlicet quatuor, qui proximè Cyro successerunt, Cambyses, Smerdes, Darius & Xerxes, prætereundo alios nouem reges, quia, vt ait S. Hieronymus spiritui prophetico non fuit curæ ordinem historiæ prosequi, sed tantum ea attingere, quæ ad eius scopum pertinent. Scopus autem eius hic erat, describere regnum Græcorum puta Alexandri, eiusque successorum Seleucidarum, & Ptolomeorum: Transit ergò à Xerxe ad Græcos; quia cum ipsi Xerxem tam infami clade ceciderunt, tum cœperunt se erigere, atque Xerxis & Persarum opibus & regno inhiare. Hunc esse Xerxem omnes cõsentiunt, cuius tantæ fuerunt opes & copiæ, vt flumina ab exercitu eius siccata ferantur, naues quoque decies centum millia numero habuisse dicatur, inquit Iustinus lib. 2. Histor. Regnum Græcorum in Syria ab initio Monarchiæ Alexandri Magni, vsque ad illud eis ademptum per Pompeiũ & Romanos anno vrbis 691. Cicerone & Antonio consulibus durauit annos 267. in Aegypto vero annos 300. vsque ad Cleopatram celebrem illam M. Antonij triumuiri cõcubinam; nam cùm ab Augusto Cæsare in prælio victus occubuisset Antonius; Cleopatra verò, ne in manus Augusti veniret, aspidum morsu seipsam interemisset; mox Augustus totam Aegyptum sibi & Romanis subiugauit, tuncque cœpit esse Monarcha anno mundi 3921. qui fuit Olympiadis 187. annus tertius, Vrbis conditæ 724.

Anni Iuliani, siue Aera annorum Iulianorum, qui videlicet à correctione Calendarij Iulij Cæsaris decreto facta numerari cœperunt, incidit in annum mundi 3907. præceditque Christi Domini natiuitatem 43. annis, qui natus est anno mundi 3950. Tantum de Veteri testamento, eiusque Chronologia ab Adamo vsque ad Christum: Iuxta cuius rationem, temporumque in ea interualla, regulari possunt, quæ passim à nobis in hoc opere ex alijs authoribus adducta sunt circa particularia, quibus vel aliquæ personæ vixerunt tempora, vel res aliquæ contigerunt, vel Monarchiæ inceperunt ac durauerunt. Exemplum sit in Aristotele, quem libro 2. huius operis sect. 5. cap. 13. retulimus natum anno à creatione mundi 4735. cum tamen iuxta præallatum annorum computum dicendum sit eum floruisse circa annum ab eadẽ creatione mundi 3622. quo Alexander, cuius ipse magister fuit dedit principium Monarchiæ Græcorũ: & sic de alijs, quæ, quia extra nostrum institutum erat minutius alijs in locis examinare, facile reduci possunt ad stabilitæ hic Chronologiæ tempora, vel interualla.

CAPVT LXIV.

De Sancto Iesu Christi Euangelio secundum Matthæum.

POstquam egimus de sacræ Scripturæ libris ad veteris testamentũ pertinentibus, nunc sequuntur libri Noui testamenti, primumque occurrit, Sanctum Iesu Christi Euangelium secundũ Matthæum, quia teste Hieronymo de Scriptor. Ecclesiast. B. Matthæus, (qui & Leui à B. Marco, & B. Luca appellatur) Alphæi filius, ex Publicano Apostolus, primus inter quatuor Euangelistas, Euangeliũ scripturæ tradidit: quod inscribitur Sanctum Iesu Christi Euangelium secundum Matthæum. Quem etiam titulum putant nonnulli suo Euãgelio esse præfixum à S. Matthæo, æquè ac suo à SS. Marco, Luca & Ioanne. Sed

longè

longè verius est, titulum cuicumque Euangelio esse præfixum non ab ipsis Euangelistis, sed ab Ecclesia; id enim satis indicare videtur similitudo inscriptionis: siquidem eadem est inscriptio, siue titulus cuiusque Euangelij, mutato dumtaxat nomine Euangelistæ, qui illud conscripsit.

Atque hinc pro authoritate huius Euangelij, quod plures hęretici negant apud Sixtum Senensem libro. 7. suæ Bibliothecæ desumitur irrefragabile argumentum; ex Traditione videlicet vniuersalis Ecclesiæ Dei viui; quæ cum sit columna, & firmamentum veritatis, errare non potest. Vnde merito S.August. postquam latè docuisset lib.33. contra Faustum cap.6. etiam in libris humanis dignoscendis, an sint Hippocratis, an Platonis, vel Aristotelis, regulam esse, antiquam & continuatam traditionem ab eorum temporibus deductam concludit; *Quare, si quæratur à nobis, vndè sciamus, Apostolorum esse istas litteras, breuiter respondemus, & fundatissimè Ecclesiæ attestatione, à temporibus Apostolorum, vsque ad hæc tempora perducta; quæ Nouum Testamentum ab Apostolis, & Euangelistis scriptum, semper credidit, & credendum proposuit*. Quod ergò D.Augustinus generatim asseruit, id speciatim de integro S. Matthæi Euangelio dici potest. Regula, vel norma per quam veram S.Scripturam à falsa & suppostitia segregare debemus, eiusque genuinam mentem & sensa explanare, est traditio Vniuersalis Ecclesiæ; sed eadem Ecclesia, media sua traditione diuina, & vniuersali, atque Spiritus Sancti assistentia, semper habuit à sui exordio, & etiam nunc habet in Canone S.Scripturæ Euangelium Matthæi integrum, & purum à sui principio vsque ad finem, pro vt nunc extat in Latina vulgata, & communiter legitur in Ecclesia Dei, tam in Concilijs, officijs diuinis, SS. Patribus, quam alijs rebus sacris; ergò sine hæresi manifesta reijci non potest, non solùm totum Matthæi Euangelium, sed nec vlla pars eius.

Mattheum Græcè scripsisse suum Euangelium docet Caietanus, eo quod nomina Hebraica Græcè interpretetur. Verum hęc sentētia merito reprobatur; cum S. Hieronymus, S.Augustinus, Eusebius cæterique omnes vno ore affirment S. Matthæum scripsisse Hebraicè, vt pote rogatum à Iudæis, vt abiturus ad gẽtes, quæ prædicauerat ore, eis scripto relinqueret. Sic S. Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis in Matthæo asserit, se eius Euangelium Hebraicè cōscriptum vidisse Cæsareæ in Bibliotheca S. Pamphili Martyris, indeque illud se descripsisse; sic ex Nicephoro lib.16. cap.37. diuina reuelatione inuentum est Euangelium eius Hebręum sub Zenone Imperatore ad pectus S. Barnabæ in Cypro, quo illud sua manu exaratum asportauerat. Iam tamen Hebręus S.Matthæi textus intercidit. Vnde Nicolaus Quintus Pontifex quinque ducatorum millia, Euangelium Matthæi Hebraicum ad se afferenti promisit, vt refert Ioannes Echius in homil. de S. Matthæo. Nam quod nobis obtrusit apostata Sebastianus Munsterus, quasi à Iudæis acceptum, viris probis & doctis, vel ex authore hęretico, & traditoribus Iudæis, de falsitate suspectum esse, & in se spurium olere, docet Gretserus. Porro Matthęus cùm scripserit Hebraicè, vult Sanctus Hieronymus loco citato, eum in citandis sententijs ex veteri testamento sequutum fuisse Hebraicam veritatem; sed interpres Græcus eius loco in Græca sua translatione substituit versionem Græcam Septuaginta Interpretum. Euāgelium enim Hebraicè scriptū à S.Matthæo illico conuersum esse in linguam Gręcam, vt pote tunc apud Gentes, quas Apostoli adituri erant, celeberrimam & latissimè patentem, communiter asserũt Patres, quamuis dissentiãt inter se à quo facta sit talis conuersio, dum S. Athanasius in Synopsi tribuit illam S. Iacobo Apostolo; Anastasius Sinaita lib.8. Hexameron SS. Lucæ & Paulo, Theophilactus S. Ioanni Apost. Sixtus Senensis S. Barnabæ, alij vero ipsi Matthæo. Sed parum interest, cuiuscumque enim sit, ita

ita recepta est illa translatio, ac si ea lingua primum scriptum fuisset Euangelium Matthæi. Hinc & S. Hieronymus iussu S. Damasi corrigens quatuor Euangelia, ac inter illa Euangelium S. Matthæi, illa correxit iuxta textum Græcum non Hebræum, atque illa Græcæ fidei reddidit, vt ipse ait præfat. in Euang. ad Damasum, vndè prius ab alio eo antiquiore interprete, minus tamen Latino expressa fuerant, vt conferenti textum Græcum cum Latino Vulgatæ editionis nostræ clarè apparebit.

An autem S. Matthęus scripserit Hebræa dialecto pura, quali scripserunt Moyses & Prophetæ; an verò in captiuitate Babylonica per Chaldæos corrupta, puta Syriaca, non constat certò. Cùm enim Iudæi tempore Christi loquerentur Syriacè, non purè Hebraicè; quare Syriaca tunc eis erat vernacula, indè putant aliqui Syram editionē esse authographum S. Matthæi. Verum hoc parum esse verisimile docent alij. Patet enim cætera in nouo testamēto ex Grȩco conuersa esse in Syrum, idemque omnino videtur horum & illorum fuisse interpres. Idem constat ex eo, quod Hebræa, quæ citantur in Græco autographo, discrepent à Syris vocibus, quæ in Syra versione S. Matthæi nunc habentur. Nam Matthæi 27. 8. pro Hebræo *haceldama*, id est ager sanguinis, Syrus iam habet *agurefca dema*, vbi manifestè græcizat, dum ex ἀγρὸς, id est *ager*, format *agurefca*; & sic de cæteris: Hinc etiam colligitur textum Syriacum, æque ac Latinum Euangelij S. Matthæi non ex Hebræo, sed ex Grȩco traductū fuisse. Putantque Syri Interpretem, qui nouum testamentum ex Græco in Syrū vertit, fuisse S. Marcum Euangelistam. Sed hoc valde incertū; cum enim vterque Cyrillus, Clemens Alexandrinus, S. Athanas. Damascenus, Theodoret. S. Ephrem & alij plures, qui in Syria, vel vicina Aegypto vixerunt & scripserunt, illius non meminerint; videtur Syrus Interpres præfatorum Patrum ætate posterior.

Cum ex dictis occasio, quæ S. Matthęum impulit ad scribendum Euangelium Hebraicè, fuerit ne Apostolis consilium ineuntibus de dispersionē ac profectione ad Gentes, Iudæi carentes fortè doctoribus fidei, carerent etiam doctrina vt docet author operis Imperf. in Procem. dubitant doctores de anno quo id cōtigerit; Baronius enim censet Matthæum scripsisse anno Christi 41. Cornelius autem à Lapide, anno à natiuitate Christi 37. ab eiusdem passione 4. Sāctus autem Irenæus lib. 3. cap. 1. ait Euāgelium hoc scriptum eo tempore quo SS. Petrus & Paulus Romæ prȩdicabant; sed omnino improbabiliter; cùm enim S. Petrus non venerit Romam ante annum secundum Claudij Imperatoris, Paulus non antè annum tertium Neronis; sequeretur quod decimo octauo vel vigesimo ab ascensu Christi in cælum anno scripsisset S. Matthęus, quod liquet esse falsum. Baronij igitur, vel Cornelij & aliorum opinioni in hac re standum est.

Proprium habuit Matthæus argumentum demonstrare Christum verum Messiam ex progenie Dauid, idque eo consilio, vt qui ad Hebrȩos scriberet secundum carnem Christum expectantes, eum iam venisse & ex Abraham stirpe, & semine Dauid exortum cùm primis esse ostenderet; quod ab eo fieri viginti duabus demonstrationibus, vel notis latè prosequitur Georgius Ederus lib. 3. suæ Oeconomiæ, & Alphonsus Salmeron tomo 3. tractat. 25. in principio: notatque B. Petrus Damianus serm. de S. Matthæo, quod, vt Moyses à Genesi mundi exorsus est veterem legem, sic Matthæus nouam, id est, Euangelium æternum à Genesi Christi mundi conditoris inchoat, dicens; *Liber Generationis Iesu Christi*; vt quantò conditor ipse eminentior est mundo, tantò historia Euangelica legem veterem antecellat. Inde etiam Ezech. 1. & Apocal. 4. significatur Matthęus facie hominis, quia humanitatis Christi generationem, & opera describit.

Iam quo ad libri partitionem, Euangelium S. Matthæi à varijs variè fuit diuisum & interpunctum; nam à vetustioribus Latinis, secundum S. Hilarij partitionem diuiditur in Canones 33. & secundum alios in Canones 67. apud recẽtiores verò Latinos in 28. capita; apud Græcos autem iuxtà Euthymium, in capita 68. iuxta Suidam, in titulos 68. & capita 355. Ammonius similiter & Eusebius in capita 355. illud distinguunt.

Videamus iam quid contra sacram huius libri authoritatem obijci possit. Primò dicitur cap. 1. vers. 5. *Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Iesse*. At hoc verùm esse non videtur, cum inter Salmon & Iesse patrem Dauid maius fuerit interuallũ, quam tres dumtaxat generationes patiantur. Insuper ibidem habetur vers. 8. quod *Ioram genuit Oziam*; cum tamen Ioram proximè genuerit Ochosiam; Ochosias Ioam; Ioas Amasiam; Amasias autem Azariã, siue Osiam (erat enim binomius) vt patet 1. Paralip. 3. 11. Præterea vers. 12. dicitur: *Iechonias autem genuit Salathiel*; vbi obijcit Porphyrius; quod hic Iechonias pater Salathielis, non fuerit Iechonias filius Iosiæ, de quo dictum est versu præcedenti, sed Iosiæ nepòs ex patre Ioakim siue Ieconia; ac consequenter hic recenseri tantùm tredecim generationes, non quatuordecim, cum tamen idem Matthęus vers. 17. quatuordecim numeret; qua in re videtur à seipso discordare; nec non etiam à S. Luca qui à Dauid vsque ad Christum connumerat quadraginta tres generationes; cum Matthęus ab eodem Dauide vsque ad Christũ solum referat viginti octo: imo vt statim obijciebatur viginti septem.

Respondetur ad primum potuisse Salmonẽ extrema ætate genuisse Booz, grandiores enim ætate patres tunc filios procreabant, & Booz grandi ętate genuisse Obed, qui quoque in vltima ętate genuit Iesse patrem Dauid, vt inter Salmon & Iesse tres circiter annorum centuriæ intercesserint. Ad secundum dicitur, Ioram genuisse Oziam, non immediatè sed mediantibus tribus dictis generationibus; siue quod idẽ est Ozias dicitur filius Ioræ quantùm ad sanguinem, & stirpem, secundum morem etiã scripturæ. Ideo autem ex D. Hieronymo tres medios, scilicet Ochosiam Ioam & Amasiam omisit S. Matthęus, quia ei propositum erat tres tesseradecades generationum pręcisè assignare, vt dicitur vers. 17. & quia Ioram se miscuerat impijssimæ Iezabeli, & Achab, eius sororem Athaliam impiam, in vxorem accipiens. Iurauerat enim Deus se omnem posteritatem Achab ob impietatem & idololatriam deleturum 3. Reg. 21. 22. Posteritas autem in S. Scriptura computatur vsque ad quartam generationem, vt patet Exodi 20. 5. lib. 4. Reg. 10. 30. Deletur ergò hic, dũ à S. Matthęo omittitur & obliteratur.

Ad tertium respondet S. Hieronymus, hunc Iechoniam qui dicitur pater Salathielis, alium esse à Iechonia filio Iosiæ, de quo vers. 11. pręcedenti fit sermo: pręcedens enim dictus fuit Ioakim & Ieconias, ac corruptè Iechonias, fuitque pater huius; hic enim propriè dictus fuit Ioachin & Iechonias; Iosias enim genuit Ioakim siue Ieconiam; Ioakim autem genuit Ioachin siue Iechoniam. Quare hic supplenda est vna generatio, nimirum vt ante vers. 12. addatur *Ieconias autem genuit Iechoniam*; quã omisit S. Matthęus, ne bis idem nomen Iechoniæ repeteretur, vti censet S. Augustinus lib. 2. de consens. Euangelist. cap. 4. Quamuis alij id tribuant Scriptorum vitio & ignorantiæ, putantium scilicet eundem esse Ioakim, & Ioachin, siue Ieconiam & Iechoniam, pręsertim cum Ieconiam quoque Iechoniam vocari viderent, quare alterum quasi redundantem expunxerunt. Verum ad saluandam omnimodam Vulgatæ editionis nostræ incorruptionem, melior est prima responsio; vel quod Iechonias pater Salathiel fuerit quidem genitus à Ioakim immediatè, mediatè verò à Iosia, vt ad secundum diximus.

Ad

Ad vltimum quod dicitur S. Matthęum in texenda Christi Genealogia discordare à S. Luca Resp. Matthęum texere Genealogiam Christi per Ioseph patrem, Lucas per B. Mariam Matrem, atque adeò vtramque coire in Dauide, sed ab eo diuidi per duos eius filios Salomonem & Nathan, in duos ordines vtrinque descendentiũ continuè vsque ad Ioseph & Mariam. Per Salomonem deducit Matthęus, per Nathan Lucas; sed de hoc redibit sermo infra tàm vbi de Euangelio S. Lucæ, quam cap. 76. vbi breuem annorum & gestorum Christi Chronotaxim adducemus. Ideo autem ex Patribus tàm accuratè S. Matthęus per tres generationum tesseradecades genealogiam Christi deducit, vbi per generationes accipiendæ sunt & numerandæ personæ omnes tam generantes, quam genitæ, quia voluit triplicem veluti populi Iudaici statum recensere, primum quasi Democraticum ab Abraham vsque ad Dauid sub singulis Patriarchis & Iudicibus; secundum quasi Monarchicum sub regibus, vsque ad captiuitatem Babylonicam: tertium quasi Aristocraticum sub ducibus & Pontificibus à captiuitate Babylonica vsque ad Christum: Et significare triplicem hunc populi statum & regimen tertiò immutatum, quartò debuisse per Christum mutari, & in Christo, qui regnum attulit æternum, terminari.

Obijciunt secundò multa referre Matthęum, quæ tamen nullus alius Euãgelista recenset, vnde videntur hac ratione suspecta. Huiusmodi sunt Historia Magorum, venientium ad Christum cum muneribus, & occisio infantium iussu Herodis. Respondetur hanc obiectionem nullius esse momenti, ad infirmandam Euangelistarum authoritatem, cum vna ex præcipuis causis, ob quam Deus voluit, diuersa Euangelia conscribi à diuersis Euangelistis, ea fuerit, vt quæ vnus prætermisit, alius referret, & è côtrà. Deindè cum Euangelistarum scopus & propositum fuerit, non omnia dicta, factaque Christi enarrare, sed pauca è multis, quæ ostenderent Iesum B. Mariæ filium esse Christum, siue Messiam in lege & Prophetis olim promissum, & nunc ad homines à peccato morte & inferno redimendos missum: ipsumque non esse merum hominem, sed verum Deum, verumque hominem in vna persona filij Dei subsistentem: Hinc sicut sępè non seruant ordinem temporis in recensendis Christi dictis & factis; ita etiam multa silet vnus, quæ alij exprimunt. Imo ne omnino idem dicere videantur, verbis discordant, sed sensu concordant, in eodem Christi facto, dictoue narrando.

CAPVT LXV.

De Sancto Iesu Christi Euangelio secundùm Marcum.

QVod spectat primò ad huius Euãgelij authoritatem, semper habitum fuit Canonica scriptura excepto vltimo capite, de quo nonnulli olim dubitarunt teste S. Hieronymo Epist. 150. ad Hedibiam quęst. 3. eo quod in eo inserta forent quędam apocrypha Manichæismum redolentia, quæ refert idem Hieronymus lib. 2. contra Pelag. ante medium. Erantque hęc: *Et illi satisfaciebant dicentes: Seculum istud iniquitatis & incredulitatis substantia est, quæ non finit per immundos spiritus veram Dei apprehendi virtutem: idcirco iam nunc reuoca iustitiam tuam.* Verùm his iam sublatis, non licet amplius dubitare de eius fide ex Concilio Tridentino sess. 4. vbi iubet libros integros recipi cum omnibus suis partibus pro vt in Ecclesia Catholica legi consueuerunt; legitur autẽ caput vltimum Marci, pro vt habetur in Vulgata, ab antiquissimo & immemorabili tempore in diebus celeberrimis Resurrectionis & Ascensionis; deindè idẽ exponitur à vetustissimis Patribus tam Gręcis quàm Latinis. Quare etiam Caluinus lib. institut. illud admittit vt partem Euangelij: vt non sit opus in hac re probanda diutius immorari.

Quis

Quis autem & qualis fuerit S. Marcus; conueniunt omnes primò eum fuisse natione Hebræum ex tribu Leui. Addit Beda eum fuisse Sacerdotem Aaronicum. Multi etiam grauissimi Scriptores putant Marcum hunc eumdem esse cum Ioanne Marco, qui fuit consobrinus Barnabæ, cum eoque & Paulo profectus est ad prædicandum gentibus Actor. 12. & 13. quem proinde Marcum intelligit Paulus epistol. ad Philemon. & Colossens. 4. & 2. Timoth. 4. Falsò tamen, vt constat tum ex Martyrologio Romano, quod de Euangelista quidem meminit vigesima quinta die Aprilis; de altero verò vigesima septima die Septẽbris. Tum ex eo quòd eodem tempore quo Ioannes Marcus adhærebat Paulo & Barnabæ in Græcia, noster hic Marcus adhærebat S. Petro Romæ, & ab eo missus est prædicatum, primò, Aquileiā, deinde Alexandriam, vti ex Eusebio & alijs rectè ostẽdit Cardinal Baronius tomo 1. Annal. Verius est etiam Marcum non fuisse vnum ex 72. Christi discipulis, vti voluerunt Origenes, Epiphanius & Dorotheus, sed eũ tantùm post mortem Christi à S. Petro conuersum & baptizatum fuisse; nam ipse eum vocat filium suum (spiritualem) epistol. 1. c. 5. 13. dicens: *Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone* (Romæ) *coelecta, & Marcus filius meus*. Ita ex alijs Patribus idem Baronius: qui etiam demonstrat Marco Anachoretæ, non Euangelistæ contigisse, quòd aliqui falsò de eo ferunt pollicem sibi præcidisse, ne Episcopus, aut Sacerdos fieret.

S. Irenæus hæresi 51. censet Beatum Marcum à D. Petro iussum, anno ab Ascensione Domini decimo, suum scripsisse Euangelium; alij tamen verosimilius docent, cum Romæ rogatu à Christianis conuersis à S. Petro id præstitisse anno Christi 45. Claudij Imperatoris 3. ex Euseb. in Chronico, paulò antequam pergeret Alexandriam, vbi Ecclesiam Christianam fundauit, & sanctissimè per nouemdecim annos gubernauit, ac inter discipulos adeò pietate, puritate & sanctitate eximios habuit, vt toti orbi fuerint admirationi cæterisque Ecclesijs perfectionis exemplar & speculum. Cum ibidem S. Marcus Apostolatus, doctoratus & Euangelistæ lauream Martyrij corona decorasset octauo Neronis anno, inde corpus eius à Mercatoribus translatum est Venetias anno Domini 827. vbi summa religione colitur, adeòque Senatus insignia S. Marci, puta Leonem pro stemmate vsurpat, atque cum quippiam mandat vel imperat, asserit S. Marcum id mandare.

Maior difficultas est inter Doctores, qua lingua Euangelium conscripserit Marcus, Latina an Græca? Multi enim censent eũ Latina scripsisse, quod pluribus probat Baronius anno Christi 45. Ex aduerso Marcum Græce scripsisse disertè asserit S. Hieronymus præfat. in Euang. S. Augustinus lib. 1. de consensu Euangelistarum; vtramque sententiam conciliant alij dicentes S. Marcum vtraque lingua, scilicet Græca & Latina scripsisse Euangelium: ita tamen, vt ex Cornelio à Lapide argumento in Euang. S. Mar. primitùs Græce scripserit, sed illicò, vel per se, vel per aliquem suũ interpretem, Græcum in Latinum conuerterit, & vtrumque Romanis tradiderit. At Paganinus Gaudentius Professor Pisanus in dissertatione, quam hac de re scripsit ad Magnum Hetruriæ Ducem, contrarium contendit, scilicet Sanctum Marcum primitus Latinè Euangelium scripsisse Romæ, deindè Græcè Aquileiæ, vbi diu conseruatũ fuisse eius authographum, deinde Venetias translatum anno Christi 1472. docet Cornelius loco citato. Nonnulli autem censent Autographum Marci Latinum, iniuria temporum perijsse, sicut perijt Euangelium Hebræum S. Matthæi; quodque nos habemus in Vulgata, fuisse ex Græca editione translatum, vti pluribus exemplis probat Franciscus Lucas Brugensis; & Cornelius à Lapide loco citato.

Proprium habuit argumentum D. Marcus Christum Regem & Imperatorem

rem esse demonstrare, quod facit summam eius potestatem describens, ac obsequium, quod illi tanquam omnium Imperatori reliquæ potestates impendunt. Quasi diceret, ex Edero lib. 3. part. Theologic. Cuicunque omnes parent potestares, is re vera summus est Imperator; verùm Christi potentiæ omnes aliæ potestates sunt subiectæ: Est ergò summus Imperator & Dominus omniũ Christus: vbi præfatus author demonstrat minorem enumerando viginti veluti species, siue officia summæ quæ fuit in Christo potentiæ. Ideo autem facie Leonis designatur B. Marcus, quia ipse à terribili & forti rugitu Ioannis Baptistæ, quasi Leonis, inchoat suum Euangelium, vt in cap. 1. Ezechielis docet S. Hieronymus, S. Gregorius & alij passim. Quod S. Augustinus lib. 1. de consensu Euang. cap. 2. Marcum vocat breuiatorem Matthæi, non ita intelligendum est, quasi eum in compendium redegerit, vt volunt nonnulli, sed quia breuius secundùm quæ acceperat à S. Petro, narret ea quæ Matthęus sępius fusius prosequitur. Dicitur sępius: nam subindè Marcus vberius, quàm Matthęus historiam aliquam enarrat, vti patet in narratione negationis, qua Petrus ter Christum negauit; quędam etiam clarius, quàm Matthęus explicat: quare in historijs Christi enarrandis Marcus fusior est, quàm Matthęus, sed in doctrinis referendis parcior.

Obijciunt primò ad infirmandam huius Euangelij fidem; quod in principio capit. primi dicitur: *Initium Euangelij Iesu Christi, filij Dei, sicut scriptum est in Isaia &c.* cum tamen testimonium ibi citatum non sit Isaiæ, sed Malachiæ: Respondetur, Priorem quidem sententiam vers. 2. esse Malachiæ cap. 3. vers. 1. posterior autem est Isaiæ cap. 40. 3. quē ideò solum citat Marcus, pro vt in Vulgata legitur, quia Isaias erat maior, & notior Propheta, eiusque testimonium magis quadrabat proposito Marci; nullum autem in hoc esse mendacium satis patet, ex eo quod nulla ponatur particula exclusiua, qua denotetur tribui soli Isaiæ, in quo mendacium consisteret, sed absolutè Isaiæ applicatur, non negando esse aliquid quod alteri Prophetæ possit conuenire. Vel dicendum est, secundo idem in re dicere Malachiam, cum eo quod dicit Isaias; nam Angelus missus à Deo ad præparandam viã Christo non alius fuit quam Ioannes voce sua clamans, prædicansque pœnitentiã, quæ corda hominũ præpararet ad Christi prædicationem & gratiam. Quare, cùm hoc vnum, sit quasi duorum Prophetarum idemque oraculum, vno eodemque sensu de vno eodemque Ioanne prolatum, licet alijs & alijs verbis, quæ se mutuo confirmant & explicant: Indè Marcus hìc, cęterique Euangelistæ cùm duos Prophetas, vel duas pluresque sententias eiusdem libri, vel diuersi è veteri testamento citant, quasi vnum idemque testimonium proferunt, citato vno dumtaxat Propheta; pręsertim qui potior est, vel cuius vltima sunt verba proposito magis conuenientia, & clariora, vt contingit in præsenti.

Secundo obijciunt haberi c. 2. v. 26. Quod Dauid introierit in domum Dei, ibique panes propositionis manducauerit sub Abiathar principe Sacerdotum; cum tamen lib. 1. reg. cap. 21. 6. dicatur expressè Achimelech Sacerdotem, qui erat pater Abiathar, dedisse ei illos panes: igitur cum Marcus aduersetur libro Canonico, qualis est primus liber Regum, nequit Marci textus esse verus. Respondetur primò Abiathar simul cũ patre Achimelech sacerdotio functum esse. Vnde quod Dominus loco citato Marci Abiathar principem Sacerdotum pro Achimelech appellet, nihil habet dissonantiæ cum textu citato Reg. 1. ambo enim fuerunt illic, cum veniens Dauid panes petijt & accepit, vnde rectè vtrique, vel sub vtroque id contigisse dici potest. Secundò & certius liquet ex scriptura tam patrem quàm filium fuisse binomium, & vtrumque nunc vocari Abiathar, nunc Achimelech, vt patet lib. 2. Reg. 8. 17. 1. Paralipomen. 18. vers. 16.

vers. 16. & cap. 24. vers. 6.

Tertiò cap. 15. vers. 25. dicitur: *Erat autem hora tertia: & crucifixerunt eum:* cum tamen Ioannis cap. 19. vers. 14. habeatur oppositum, nempe hora quasi sexta, nondum esse crucifixum, sed tantum iudicatum; ergò Marci, vel Ioannis textus corruptus est. Huic difficultati varij variè respondent, aliqui enim censent ex Marco corrigendũ esse Ioannem, scribendumque ibi, *hora quasi tertia.* Ex aduerso alij volunt ex Ioanne corrigi Marcum, vt in eo legatur; *erat autem hora sexta.* Verum obstant omnes codices Græci, Latini, Syri, Arabici, qui in Ioanne habent: *hora quasi sexta:* & in Marco: *Erat autem hora tertia;* vndè relictis his, alijsque similibus responsionibus: facilè respondetur, Christum crucifixum fuisse *hora tertia*, vt ait Marcus, sed finiente; hoc est inchoante, *hora sexta*, vt ait Ioannes; finis enim horæ tertiæ, rectè vocari potest *quasi hora sexta*, vt loquitur Ioannes. Nam Hebræi diem æquè, ac noctem in quatuor partes, siue vigilias & excubias militares diuidebant, quas etiam horas nuncupabant, scilicet primam, tertiam, sextam & nonam, quarum quælibet ternas nostrates horas complectebatur. Prima incipiebat ab ortu Solis, durabatque tres horas, quibus finitis incipiebat tertia, ac totidem horis durabat, scilicet vsque ad meridiem, quando inchoabat sexta; & finiebatur tribus post meridiem horis, cum incipiebat nona durabatque vsque ad vesperam. Tertia igitur non inchoãte, sed finiente, ac definente in sextam, siue quasi hora sexta, puta in meridie crucifixus est Christus, inchoante vero nona mortuus. Sed de hoc iterum infra cap. 76.

Quartò dicitur cap. 16. vers. 2. *Et cum transiisset Sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum. Et valde mane vna Sabbathorum, veniunt ad monumentum orto iam Sole:* Matthæi autem cap. 28. habetur: *Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum.* Vbi videtur esse manifesta antilogia, quomodo enim erat vesper, vel vespera si lucescebat, imo vt Marcus ait, *orto iam Sole?* Huic pariter obiectioni varias adhibent solutiones sacri interpretes de quibus videri possunt; breuiter interim respondeo, *Vespere*, siue *Vesperam* Sabbati esse noctem quæ sequebatur Sabbatum, quæ nox lucescit, id est terminatur & desinit in lucem in prima Sabbati, id est manè diei Dominicæ, quæ prima, vel vt loquitur Marcus, vna dies est post Sabbatum; siue transacto iam Sabbato. Hebræi enim Sabbatum aliaque festa inchoabant à vespera præcedente, & terminabant in vespera sequente Leuit. 23. 32. quare hęc nox sequens non erat nox finiens Sabbatum, sed inchoans diem Dominicum. Indicat ergò Matthęus, quod mulieres, *vespere Sabbati*, id est transacto Sabbato, siue profunda iam nocte, cum illucesceret dies Dominica, vel, *vespere Sabbati*, id est nocte quæ sequitur Sabbatum iam valde procedente ad auroram, cum scilicet illucesceret dies Dominica, venerint ad monumentũ; cui non repugnat, quod Marcus dicat eas venisse *orto iam Sole*, siue oriente diluculo, Ioannes autem, *manè cum adhuc tenebræ essent:* cum aurora sit confinium lucis, & tenebrarum. Aut certè dici potest tenebras fuisse dum domo egressæ sunt, lucem autem & Solem ortum, vt habet Marcus, cum venerunt ad monumentum. In sacra enim Scriptura plerumque eadem verba significant vnum & eumdem actum nunc inchoatum, nunc continuatum, nunc perfectum & consummatum.

Vltimò contendunt Anabaptistæ infirmare huius Euangelij fidẽ, ex eo quod inter eius initium & finem multa confusè & præpostere habeantur, contra ea quæ Mattheus scribit. His fauet Erasmus obijciens Marcum, scripsisse Euangelium secundum quod à Petro audiuit. Respondetur iam pridem Papiam huic argumento satisfecisse dicendo Marcũ non ordinem temporum, sed historiæ & narra-

narrationis veritatem curasse, vt habetur apud Eusebium lib. 3. hist. cap. 33. *Marcus*, inquit, *qui interpres fuit Petri, quæcunque tenebat memoria, scripsit quidem accuratè: sed tamen non eo ordine, quo erant à Domino dicta, factaue. Neque enim Dominum audierat ille quidem, neque erat eum comitatus &c.* Quod autem fuerit interpres S. Petri, & iuxta quod illum referentem audierat, breue scripserit Euangelium, vt ait D. Hieron. in Catal. Script. Eccles. non est contra rationem Scriptoris Canonici, cùm ad ea quoque, quæ à Petro didicerat scribenda, à Spiritu Sancto fuerit impulsus, ac directus.

CAPVT LXVI.

De Sancto Iesu Christi Euangelio secundum Lucam.

SAncti Lucæ Euangelium semper habitum fuit sacra & Canonica Scriptura, excepto capite vigesimo secundo; vbi quidam in dubium reuocatunt historiam illam de sudore Christi sanguinis, & Angelica apparitione, & consolatione, teste S. Hilario lib. 10. de Trinitate, & S. Hieronymo lib. 2. contra Pelagianos; scilicet ne Christo animi passionem & dolorē tribuere viderentur. Qua etiam de causa nonnulli Catholici præpostero zelo in suis codicibus, ex illis verbis eiusdem Lucæ cap. 19. *Videns ciuitatem fleuit super illam*, abraserūt verbum *fleuit*, vt testatur S. Epiphanius in ancorato: Verùm cū hoc naturæ Christi Domini nihil repugnat; iamque cōmuniter omnes codices Græci, Latini, Syri, Arabici, id ipsum habeant; semperque Græci & Latini Patres, nec non etiam sexta Synodus Constantinopolitana act. 9. hanc Historiam de sudore Christi sanguinis, vt diuinam agnouerint; rectè Concilium Tridentinū sess. 4. definiuit hoc caput vigesimum secundū inter canonicas diuinitusque inspiratas scripturas collocari debere. Neque Hilarius & Hieronymus locis citatis contrarium docent, sed tantum monent, non in omnibus codicibus suo tempore fuisse, & propterea non ita certæ fidei habitum.

Porro B. Lucas huius Euangelij author, fuit, vt eius scripta indicant, natione Syrus, ex nobili ciuitate Antiochia; quidam putant eumdem fuisse cum Lucio, quem Paulus suum cognatum vocat Roman. 16. vers. 21. diuersum tamen à Lucio Cyrenensi, de quo actor. 13. Nam Lucas fuit Antiochensis, non Cyrenensis. Deindè Martyrologium Romanum die 22. Aprilis ait Lucium hunc fuisse e primis Christi discipulis, quod Lucæ non conuenit. Nec enim Lucas vidit Christum in carne, sed quæ à Paulo & Apostolis audiuit de Christo conscripsit, vt ipse ait cap. 1. vers. 2. Vndè passim Patres Lucam vocant discipulum Apostolorum: ac nominatim Pauli comes assiduus fuit Lucas. Cum enim aliquot annis abfuisset ab eo, aliò amandatus, vti ostendit Cornelius à Lapide Act. 16. 10. vsque dum Paulus perambulando varias regiones redijt in Græciam; nauigaturus in Græciam, indèque Romam Act. 20. 3. tunc Paulus inter alios socios huius itineris, qui illo versu nominantur, assumpsit & Lucam, vti ibi significat Lucas vers. 5. & 15. deincepsque fuit assiduus comes S. Pauli, vsque ad prima vincula, quæ Paulus Romæ subijt anno Neronis secundo: quare ibi Lucas finit acta Apostolorum præsertim Pauli. Inde teste S. Epiphanio Lucas discedens à Paulo adhuc vincto profectus in Dalmatiam, Galliam, Italiam, Macedoniam, vbique prædicauit Euangelium, ac tandem apud Patras vrbem Achaiæ anno ætatis 84. illustri martyrio coronatus est, anno Christi 61. Neronis 5. S. Petri Romæ sedentis 17. vti docet Baronius ad annum Christi iam dictum. Fuit etiam B. Lucas (vt ait D. Paulus ad Colossens. 4. 14.) Medicus; vndè sicut Apostoli è piscatoribus piscium, piscatores hominum facti sunt; ita ille de medico corporum in medicum versus est animarum: cuius liber, quotiescumque legi-

legitur in Ecclesijs, toties eius medicina non cessat: inquit S. Hieron. in Epist. ad Philom. fertur quoque pictorem fuisse; ac teste Nicephoro Hist. Eccles. libro 2. cap. 43. Christi primùm, eiusque Matris, Principumque Apostolorum effigiem pingendi arte adumbrasse.

Causa autem cur post Matthęum & Marcum Lucas scripserit Euangelium; non solum fuit vt confutaret pseudo-Euangelistas in Syria & Græcia iam suborientes; sed etiam vt prolixius scriberet dicta & facta Christi ab alijs Euangelistis prætermissa, ac præsertim eius infantiam, & pueritiam, eiusque præcursoris Ioannis Baptistæ annuntiationem, conceptionem, natiuitatem, præsepe, fascias, pastores, circumcisionem, præsentationem in templo, inuentionē inter Doctores; S. Magdalenæ, Zachęi, & vnius è duobus in cruce latronibus conuersionem; apparitionem Christi factam duobus discipulis in Emmaus, parabolas Pharisæi & Publicani, Samaritani, ouis errantis, drachmæ perditæ, filij prodigi, Lazari & diuitis epulonis, aliorumque similium: Quia tamen ex B. Petro Damiano serm. de S. Matthęo, circà Sacerdotalem Domini stirpem, atque personam magis occupatus cęteris videtur, inde inter quatuor Cherubinorum facies, siue effigies, tertia bouis illi tribuitur, propter maximam Sacerdotij victimam; vel etiam quia ipse incipit à Sacerdotio Zachariæ, cuius præcipua victima erat bos; vel denique quia bouis labores in Euangelio subijt, ac crucis mortificationem iugiter in suo corpore pro Christi nominis honore portauit, vti de eo canit Ecclesia. Porro Lucā Græci sermonis peritum fuisse, eoque suum Euangelium scripsisse conueniunt omnes.

Circa tempus quo D. Lucas suum scripsit Euangeliū, Euthymius & Theophilactus procemio in Lucam, aiunt ipsum scripsisse quindecim annis post Ascensionem Christi; puta anno Christi 49. sed hoc videtur improbabile; tunc enim Lucas necdum adhęserat Paulo, ei enim adhęsit Troade anno Christi 51. vti ex Actis Apostolor. cap. 16. 10. rectè colligit Baronius; vnde censet ipse Lucam scripsisse in comitatu Pauli anno Christi 58. ex eo quod S. Hieronymus dicat Lucā scripsisse in Achaia, & Bęotia, vbi illo anno erat Paulus. Probabilius tamen est citius à Luca scriptum fuisse Euangelium, si assentiamur S. Hieronymo lib. de Script. Ecclesiast. in Luca; Tertulliano lib. 4. contra Marcionē cap. 5. Primasio & alijs docentibus Paulum 2. Corinth. 8. vers. 18. per fratrem, *cuius laus est in Euangelio*, intelligere Lucam, quod & disertè asserit S. Ignatius, S. Lucæ conciuis, & quasi coętaneus, qui sic scribit ad Ephesios: *Vt testatur Lucas, cuius laus est in Euangelio*; Nam epistola secunda ad Corinth. scripta est anno Christi 58. quare si tum laus Lucæ erat in Euangelio, necessum est dicere scripsisse quidem Lucam post annum Christi 51. Sed aliquot annis ante annum Christi 58.

Præcipuum quod contra huius Euāgelij fidem obijci solet, est, quod Lucas cap. 3. vers. 36. Cainan genealogiæ Christi inseruerit inter Arphaxad & Sale; cum tamen omittatur in textu Hebræo & Vulgato Interprete Latino, Genes. 11. 12. vbi dicitur, quod Arphaxad genuerit Sale. Relictis varijs solutionibus, de quibus videri possunt Interpretes ad hunc locum, breuiter respondeo rectè S. Lucam inter Arphaxad & Sale constituisse Cainan, indeque nihil falsitatis eius Euangelio inesse. Quod enim in Hebræa & Vulgata editione hęc generatio non extet; non propterea veritate caret; præterita enim est à Moyse, quē in modum Matthęus, aliquot generationes, vt diximus supra, præterijt in Genealogia Christi, à Septuaginta verò interpretibus, & S. Luca diuino spiritu addita. Cum minus incommodi sit asserere, Cainān à Moyse pręteritum, vel omissum fuisse ob causas nobis incognitas (si quidem aliud est aliquid reticeri; aliud quod verum negari, aut quod falsum est exprimi) quàm in Lucam irrepsis-

repsisse, aut falsò poni in sacro S. Lucæ textu, & ita in eo suspectam facere fidem, omnium exemplarium Latinorũ, Syrorum, Persicorum, Aegyptiorum, Aethiopicorum, Arabicorum, Græcorum, quæ Cainan constanter interserunt Arphaxad & Sale; ita vt iuxta legitimum verumque sensum Arphaxad dicatur genuisse Sale Genes. 11. non immediatè, sed mediatè, siue generando Cainan, vt habetur ex 70. Interpretibus & S. Luca.

CAPVT LXVII.

De Sancto Iesu Christi Euangelio secundum Ioannem.

QVod pertinet primum ad huius Euangelij fidem, etsi initium capitis 8. quo Adulteræ historia continetur, non fuerit olim certæ fidei, fortasse quod aliqui SS. Patres in multis corruptis & mutilatis codicibus illam non videntes, nihil de illa certi statuere voluerunt; docet enim D. Augustinus lib. 2. de adulterinis coniugijs cap. 7. eam historiam ab inimicis veræ fidei erasam fuisse de nonnullis codicibus: Nihilominus tamen iam dubium esse non debet post Ecclesiæ definitionem in Concilio Trident. sess. 4. quin ea & historia sit & Euangelica: Quod enim propter rationem allatam, quo ad aliquos doctores, minus notæ traditionis fuerit pars ista scripturę, non affertur præiudicium Ecclesiæ, quin ex antiquioribus & numero pluribus exemplaribus, nec non etiam Patribus tàm Græcis quàm Latinis traditionem explorans, non à sacris libris reijciendam, sed illis annumerandam esse definire potuerit. Cum ad eam pertineat veram S. Scripturam à falsa & suppositia segregare, & indicare, eiusque genuinam mentem & sensa explanare. Quo sensu sapienter S. Augustinus lib. contra epistol. Manichæi, quam vocant fundamenti, cap. 4. ait, *Euangelio non crederem nisi me Ecclesia Catholicæ commoueret authoritas.*

Porro B. Ioannes huius Euangelij author, fuit Apostolus, B. Iacobi Maioris item Apostoli frater, filius Zebedæi & Salomes, à Christo peculiariter dilectus; cui (vt est in Euang.) Christus in cruce moriturus, matrem suam commendauit; cum qua in diuisione Apostolorum (vt probat Cardinalis Baronius tom. 1.) profectus est Ephesum; vnde sub Domitiano Imp. vinctus, Romam missus est, & in dolium feruentis olei iniectus, à quo illæsus exiens, in exilium relegatus est in Insulam Pathmos; vbi quæ in Apocalipsi continentur vidit & scripsit. Ab exilio liberatus, sub Imp. Nerua, Ephesum redijt, vbi sub finem vitæ rogatus ab Asiæ episcopis, aduersus Cherinthum, aliosque hęreticos, & maximè Ebionitarum dogma, tunc temporis pullulans, qui negabant Christi diuinitatem, aut ante Mariam fuisse, Græcè scripsit Euangelium, anno Christi 99. post eius ascensionem 66. qui fuit post excidium Ierosolymæ per Titum 27. Neruæ Imper. primus. Ita vt vltimam manum & coronidem Euangelijs totique scripturæ sacræ suo Euangelio S. Ioannes imposuerit.

Proprium eius argumentum, non solum fuit ea quæ Matthæus, Marcus & Lucas de Christo omiserant supplere, plenè enim prosequitur acta eius primo prædicationis suæ anno, quæ alij tres ferè prætererunt; sed potissimũ de Diuina Christi natura & originè plura enarrare. Quare licet cæterorum tempore sit postremus, dignitate tamen & sublimitate materiæ est primus. Vndè & Aquilæ cæteris auibus superuolitanti cõparatur: Ezechiel. 1. & Apocalips. 4. Et ex eo Patres omnia penè argumenta cõtra Arrianos: Doctores verò Scholastici totam materiam de Trinitate, deque Deo trino & vno hauserunt. Miracula autem Christi quæ solus Ioannes commemorat sunt hęc: conuersio aquæ in vinum in Cana Galilææ cap. 2. Prior expulsio vendentium è templo, ibidem vers. 15. filij Reguli infirmi sanatio c. 3. paralytici ad probaticam piscinam curatio,

ratio, cap. 5. cæci nati illuminatio cap. 9. Lazari à morte suscitatio cap. 11. prostratio Iudæ & Satellitum in terram, cũ venirent vt caperent Iesum cap. 18. effluxio sanguinis & aquæ è latere Christi iam mortui, & lancea perfossi cap. 19. potestas remittendi peccata per insufflationem Spiritus Sancti data Apostolis post resurrectionem, cap. 20. multiplicatio pisciũ Apostolis piscantibus, c. 21.

Circa stylum B. Ioannis aduertendũ est, quod etsi omnium consensu in Græcia Græcis Græcè scripserit Euangelium, tamen quia ipse genere & gente, ac primæuæ natiuæque linguæ amore, æque ac elegantia erat Hebræus; hinc magis Hebræis quam Græcis phrasibus & idiotismis abundat. Sic more Hebræorum, id quod per affirmationem dixit, iterum per negationem contrarij asserit, iterat & confirmat, præsertim vbi res est grauis; vt Ioann. 1. vers. 20. vbi Ioannes Baptista rogatus à Iudæis, an ipse esset Christus, *Confessus est & non negauit, & confessus est, quia non sum ego Christus.* & vers. 3. *Omnia per ipsum* (Verbum) *facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Sic etiam Hebraizat, dum sæpè particulam *&* sumit pro *sicut*, vt passim facit Salomon in Prouerbijs, vbi simile simili comparat per copulam *&*, quæ proinde similitudinis est nota, idemque valet quod *sicut*.

Obijcitur primò cap. 2. vers. 20. dici: *Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc*; Quod tamen verificari nõ potest de Salomone, qui in ædificatione templi septem dumtaxat annos cum dimidio impendit 3. Reg. 6. Neque de restauratione facta per Zorobabelem, qui tot etiam annos non impendit. Respondetur præfata Iudæorũ verba Ioannis 2. non intelligi de templo Salomonis primò à Salomone ædificato, nec de eodem post reditum è captiuitate Babylonica reædificato à Zorobabele & socijs, anno primo Cyri Regis Persarum, vsque ad annum 6. Darij Histaspis, quod spatium multi falsò putant fuisse 46. annorum, de ijsque hic loqui Iudæos. Sed intelliguntur de templo hoc reædificato ab Herode Ascalonita, qui vt regnum Iudææ sibi suisque posteris assecuraret, & à Iudæis haberetur verus Messias templum eis nouum erexit, anno regni sui 18. teste Iosepho lib. 15. Antiquit. cap. 14. Quare cum Christus natus sit sub annum regni Herodis 35. sequitur à cæpto hoc tertio Herodis templo, vsque ad natiuitatem Christi fluxisse sexdecim annos, quibus addendo annos 30. vitæ Christi, habebuntur 46. anni, qui dicuntur hic: Anno enim 30. quo Christus Baptizatus est, hæc Christi cum Iudæis disputatio contigit. Nec refert quod Iosephus loco citato asserat Herodem octo annis perfecisse templi fabricam: Loquitur enim tantùm de illo, quoad primarias partes, scilicet Sanctũ, & Sanctum Sanctorum, quibus tamen postea ornandis tam intrinsecè quàm extrinsecè laboratum est, vsque ad annum Christi 30. teste eodem Iosepho lib. 20. cap. 8. Ita vt prædictorum verborum sensus sit: Per 46. annos in hoc tẽplo erigendo & ornando laborarunt, & etiamnum laborant tot hominum millia; & tu solus tantumdem spatio tridui efficies?

Obijcitur secundò cap. 19. vers. 14. haberi, *Erat autem Parasceue Paschæ*; cum Christus crucifixus est: at hoc dici non potest, nam ex Mattheo, Marco & Luca constat Christum crucifixum esse primo die Azymorum, hoc est postridie Paschæ, quo agnum immolauerant. Respondetur Ioannem per Parasceuen Paschæ non intelligere pridie Paschæ, quo agnus immolabatur, vt Græci perperam interpretantur: sed primum diem Azymorum vocat parasceuen Paschæ, id est pridie Sabbati Paschalis: hoc enim quia incidebat intra octauam Paschæ cæteris Sabbathis erat solemnius, ideoque dicebatur magnum vt habetur ibid. vers. 31. Sensus ergò est: Erat feria sexta, siue dies Veneris, in qua fiebat Parasceue, id est præparatio ciborum, & rerum necessariarum ad sequentem diem Sabbathi: illo enim vt pote sanctissimo, nec

cibos coquere nec quid aliud facere licebat. Vnde S. Marcus cap. 15. vocat illum diem voce Græca *προσάββατον*, id eſt *antè Sabbathum*.

CAPVT LXVIII.

De libro Actuum Apoſtolorum.

ETſi aliqui veteres heretici, de quibus videri poteſt Philaſtrius in Catal. Pamelius in annotat. librum Act. Apoſtolorum extra S. Scripturæ canonem collocarint; nunquam tamen de illo in Eccleſia Catholica dubium fuit, quin ſit liber ſacer, ac diuinitus inſpiratus; vnde etiam ſemper inter protocanonicos libros annumeratus eſt. Eius author eſt S. Lucas Medicus Antiochenus, inter omnes Euangeliſtas linguæ Græcæ, vt potè patrij idiomatis, peritiſſimus. Antiochia enim, vt potè à Græcis, puta ab Antiochis Alexandri Magni ſucceſſoribus condita & gubernata, eorum idioma Græcum ſuſceperat, eſto & proprium haberet, puta Syrum, vt potè Syriæ metropolis. Beatus igitur Lucas cùm prius Græco idiomate eleganter Euangelium ſcripſiſſet, deindè ſcripſit Actus Apoſtolorum vſque ad biennium Romæ commorantis Pauli, id eſt, vſque ad quartum Neronis annum.

Inſcribitur hic liber à Græcis *πράξεις*, à Latinis *Actus*, à Syro *hiſtoria Apoſtolorum*; vnde ſatis patet præcipuum illius argumentum eſſe, Apoſtolorum geſta; non quidem omnia, ſed præcipua magiſque illuſtria circa Euangelij promulgationem, & propagationem; præſertim D. Pauli; cuius etiam cùm B. Lucas non ſemper ita fuerit indiuiduus comes, quin interdum ab eo abfuerit, vt notauimus ſupra; ideò plura, licet grauiſſima prætermittens, aut obiter attingens, ea tantum, quibus interfuit, diſtinctè atque integrè ſcribenda ſuſcepit. Hinc ſequitur, hunc librum viginti ſeptem annorum circiter acta complecti. Tot enim fluxerunt ab Aſcenſione Chriſti in cælum, quæ contigit anno eius 34. à quo orditur Lucas, vſque ad annum quartũ Neronis, vbi finit, qui incidit in annum Chriſti 60. Ita S. Hieronymus de Script. Eccleſiaſt. Quamuis Card. Baron. tom. 1. Annal. biennium, puta finem biennij, carceris S. Pauli conſignet anno quinto Neronis, qui fuit annus Chriſti 61. ita vt 28. annorũ hic texatur hiſtoria, quot pariter libri ſunt capita. Vnde etiam ſequitur, eodem anno Chriſti 60. vel 61. librum hunc à Luca eſſe conſcriptum, vel perſcriptum & finitum. Circa cuius partitionẽ plura videri poſſunt apud Ederum in Oeconomia Bibliorum lib. 4. & alios interpretes.

CAPVT LXIX.

De Epiſtolis B. Pauli.

B. Paulus Apoſtolus, qui Saulus ante ſuam conuerſionem dictus eſt, ſcripſit epiſtolas ad diuerſos numero quatuordecim, ad Romanos vnam, ad Corinthios duas, ad Galatas vnam, ad Epheſios vnam, ad Philippenſes vnam, ad Coloſſenſes vnam, ad Theſſalonicenſes duas, ad Timotheum duas, ad Titum vnam, ad Philemonem vnam, ad Hebræos vnam.

Quod pertinet primò ad harum epiſtolarum fidem, ſemper habitæ ſunt Canonicæ diuinituſque inſpiratæ ſcripturæ, vnicà epiſtolà ad Hebræos excepta, circa quam duplex olim mota eſt quæſtio, prior de authore, poſterior de authoritate eius; quæ tamen ita connexæ ſunt, vt pauci ſint qui de vno dubitauerint, & non de altero. Primum igitur ex antiquis Hæreticis Marcion, Tatianus, Arius, eorumque ſequaces, teſte Euſebio lib. 3. Hiſt. cap. 29. Hieronymo præfat. in epiſt. ad Titum, Theodoreto præfat. in epiſtolam ad Hebræos, canonicam huius epiſtolæ authoritatem negauerũt. Ex nouis autem hæreticis Lutherus in prologo epiſt. ad Hebræos, hanc pariter epiſtolam nec eſſe Pauli, nec vllius Apoſtoli, contendit. Luthero ſubſcribunt omnes Lutherani, & alij huius temporis here-

hæretici, exceptis Caluinistis, inquit Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 17. Caluinus enim in Instit. impressâ anno 1554. cap. 8. §. 216. docet hanc epistolam esse verè Apostolicam, & errare in hac parte Lutheranos, tamen an Pauli sit, an alterius Apostoli, vt Barnabæ, aut Lucæ, dubitat idem Caluinus ibid. c. 10. & 16. Quapropter Ministri Caluinistæ in ea confessione quam obtulerunt Pissiaci, artic. 3. ponunt hanc epistolam in numerum diuinarum Scripturarum, sed tanquam auctoris incerti. Et Vvitacherus libro contra Bellarm. suorum de hac re sententiam exprimens ait: *De authoritate nullius libri, qui pertinet ad nouum Testamentum dubitamus, nec verò de authore, præterquam epistolæ ad Hebræos*, de qua subdit: *Cum authorem huius epistolæ Spiritum Sanctum intelligimus, & supernataneum est, tàm anxiè, ac curiosè de calamo quærere, & sine certo argumento aliquid affirmare temerarium.*

Præter hos manifestos hæreticos, Catholicos etiam quosdam, & præsertim Latinos de authore huius epistolæ dubitasse, & propterea eam minoris fecisse, testis est Eusebius lib. 3. histor. cap. 3. nec non D. Hieronymus lib. de Script. Eccles. in Paulo; vbi dicit: Hanc epistolam à quibusdam Latinorum negari esse Pauli, sed vel Barnabæ, vel Lucæ, vel Clementis Romani Pontificis. Nostris etiam temporibus Erasmus, & quod mirum est Caietanus, vir alias de Catholica Ecclesia bene meritus, Erasmi nouitatibus nondum detectis nimio adhærens ad initium comment. in eamdem epistolam docet illam non esse Pauli, & consequenter nec esse tanquàm canonicam recipiendam.

Nihilominus tamen contra vtrumque errorem dicendum est, Epistolam ad Hebræos esse canonicam, & pro scriptura sacra habendam, atque etiam ab Apostolo Paulo conscriptam. Ad cuius rei probationem primum facit authoritas Scripturæ 2. Petri cap. 3. Vbi D. Petrus ad Hebræos inter gentes dispersos scribens ait, Paulum ad eos de patientia & longanimitate scripsisse: *Et Domini nostri longanimitatem, salutem arbitremini, sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis*: quod non potest nisi de hac epistola intelligi, in qua cap. 10. 12. & 13. Hebræos ad patientiam hortatur.

Secundo habemus Summorum Pontificum, & antiquiorum Conciliorum authoritatem, quæ ex hac epistola tanquam diuina, & à Beato Paulo Apostolo conscripta assumunt testimonia ad probandas & confirmandas fidei veritates. Clemens Romanus epist. 1. illud citat, *sine fide impossibile est placere Deo*, Hebr. 11. & rursum Paulo hanc epistolam tribuit in Canon. Apost. can. vlt. Eusebius quoque lib. 3. Hist. cap. 32. refert Clementem eam citasse tanquam Apostoli Pauli in quadam sua epistola ad Corinthios. Ex quibus apparet, quàm inepte Erasmus ad finem annotat. in hanc epistolam, eius authorem Clementem facere conatus sit. Euaristus epist. 2. producit in testimonium, illud, *Non est creatura vlla inuisibilis in cõspectu eius*, Hebr. 4. Hyginius illud Hebr. 2. *In eo enim, in quo passus est ipse, & tentatus, potens est & eis, qui tentantur auxiliari*. Sother epist. 1. illud Hebr. 1. *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis*. Et sic de alijs multis, donec tandem Innocentius I. in epist. 3. ad Exuperium, & Gelasius I. expressè hanc epistolam posuerunt in canone Diuinarum Scripturarum nomine Pauli.

Ex antiquioribus Concilijs Nicænũ videtur hanc epistolam pro Canonica habuisse, dum in responsione quadam Episcoporum, Philosopho cuidam contradicenti, per Leontium data, citatur illud Hebr. 4. *Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti*. Concilium quoque Ephesinum I. in declaratione primi Anathematismi Cyrilli, profert illud Hebr. 2. vers. 16. *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit, &c.* Conciliũ Constantinopolitanum Act. 1. illud c. 13.

Obe-

Obedite præpositis vestris: Nicenum II. act. 6. illud cap. 1. *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius*; & illud cap. 11. *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei*. Denique à Cõcilio Laodiceno can. 59. & Carthaginensi 3. can. 47. inter quatuordecim Epistolas Canonicas D. Pauli ea pariter ad Hebræos enumeratur; quod etiam expressè definiuit Concilium Florentinum, & Tridentinum sess. 4.

Tertio probatur ex communi consensu omnium Græcorum Patrum, teste B. Hieronymo epistola 126. & 129. Vnde etiam omnes, qui inter illos S. Scripturæ canonem exponunt, hanc epistolam cum cæteris Paulinis numerant, vt Origenes apud Eusebium lib. 6. cap. 18. hist. & ipse Eusebius lib. 3. cap. 3. Gregorius Nazianzenus in carmine de canone Scripturæ, Athanasius in Synopsi, Epiphanius heresi 76. Damascenus libro 4. cap. 18. Quod si nonnulli Patres ex Latinis, vel vt loquitur Eusebius libro 3. cap. 22. & 33. *in Romana Ecclesia*, dubitauerunt an hęc epist. ad Hebręos esset Canonica; falsum est tamen, quod inde inferunt aliqui, Ecclesiam videlicet Romanam, illam reiecisse; vt patet, tùm ex eodem Eusebio libro citato, vbi refert eam tanquam à Paulo Apostolo conscriptam, fuisse à Clemente Romano Pontifice approbatam; tùm etiam ex eo quod præcipui Patres Latini, Hilarius lib. 12. de Trinitate, Ambrosius libro 2. de Cain cap. 2. & de fide cap. 7. Hieronymus in epist. ad Dardanum, Augustinus lib. 2. doct. Christ. cap. 8. & alij deinceps omnes, eam vt canonicam scripturam & Paulinam agnoscunt, frequentissimeque citant. Quis enim paucorum Latinorum dubitationem anteponat certissimæ confessioni omniũ aliorum? aut dicat Ecclesiam Romanam reiecisse? quod Clemens, alijque Romani Pontifices approbauere; vno forsan excepto Caio, qui Gręcus fuit: quo adhuc antiquior fuit Clemens; vnde siue de antiquitate, siue de multitudine Patrum agatur, cum vtraque steterit sẽper pro diuina epistolæ ad Hebręos authoritate; quodque eius author sit Sanctus Paulus, merito Ecclesia illam pro scriptura canonica habendam esse declarauit.

Argumenta quæ primum fiunt contra Canonicam huius epistolæ authoritatem, reducuntur ad hoc, quod in illa plura contineri videntur doctrinæ fidei repugnantia: Nam cap. 1. vers. 5. probatur Christum esse filium Dei, ex illis verbis lib. 2. Reg. cap. 7. *Ego ero illi in Patrem*, quæ ad litteram intelliguntur de Salomone, & non de Christo, solùm autem ex litterali sensu desumuntur argumenta firma.

Cap. 6. vers. 4. videtur author epistolæ excludere eos, qui semel peccauerunt, dum ait: *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, iterum renouari ad pænitentiam*: & cap. 10. vers. 26. *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis iam non relinqui pro peccatis hostiam*. Et cap. 12. vers. 17. Esau non inuenisse pœnitentiæ locum.

Cap. 9. vers. 4. dicitur, fuisse in arca vrnam auream habentem manna, & virgam Aaron quæ fronduerat, & tabulas legis: cum tamen lib. 3. Reg. cap. 18. solæ tabulæ referantur fuisse in arca.

Respondetur in epistola ad Hebręos nihil penitus haberi quod sit doctrinæ fidei contrarium; vnde ad illud cap. 1. dicitur primò illum locum lib. 2. Reg. ad litteram accipi tam de Christo, quàm de Salomone. Secundò versum hunc ad litteram loqui de Salomone, allegoricè verò de Christo. Nec indè sequitur Apostolum infirmo vti argumentó ad probandum Christum esse filiũ Dei, vt potè quod petitur ex sensu mystico, & allegorico, nam vt suo loco diximus argumentum ex sensu allegorico petitũ æque firmum est, atque petitum ex sensu litterali, si constet illum talis loci esse sensum allegoricum, sicuti hic constat, notumque erat Iudæis, maximè ijs, qui ad Christum conuersi erant; sciebant enim Salomonem fuisse typum Christi; & hæc de Salomone dicta esse non propter

propter se, sed propter Christum.

Ad aliud cap. 6. & 10. respondetur non magis hęc loca pugnare cum doctrina fidei de receptione peccatorum ad pœnitentiam quacumque hora ingemuerint, quam pugnent verba Domini Matth. 12. vbi dicit, peccatum in Spiritum Sanctum non remitti, neque in hoc sęculo, neque in futuro. Apostolus enim non de quocunque peccatore loquitur, sed de eo qui peccat in Spiritum Sanctum, id est, qui voluntariè oppugnat cognitam & exploratam veritatem, respectu cuius pœnitentia dicitur impossibilis, id est valdè difficilis. Tres etiam alias causas addunt Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 17. cur talia peccata dicantur irremissibilia non absolutè sed secundum quid. Secundo respondent omnes ferè veteres Patres Apostolum loqui de renouatione ad pœnitentiam, quæ fit in Baptismo, non ad eam, quæ fit in reconciliatione post baptismum; vndè passim ex hoc loco docent & probant Baptismum æque ac confirmationem, non posse iterari. Eundem habet sensum secundus locus cap. 10. de quo vide Bellarminum loco citato, & alios interpretes in epist. ad Hebręos.

Ad illud ex cap. 12. dicitur, Esau duobus modis non inuenisse locum pœnitentiæ: vno modo apud patrem suum, quia res ab eo perdita erat irrecuperabilis: altero modo apud Deum, quia non rectè pœnitentiam egit, vt Chrisostomus hunc locum interpretatur. Apostolus igitur deterrere volens homines à lapsu, proponit incertum exitum pœnitentiæ. Quamuis non desint multi interpretes qui putent pœnitentiam ibi non significare dolorem ob peccatum commissum, & Deum offensum; sed tantum pœnitentiam, quam quæsiuit Esau, & non inuenit, humanam fuisse, qua scilicet quis pœnitens non peccati, sed damni, quod fecit, vel incurrit, v.g. venditionis factæ, eam rescindere, & retractare cupit, sed plerumque non potest.

Tandem ad illud cap. 9. omissis varijs alijs solutionibus breuiter respondetur, prępositionem *in*, ibi more Hebręorum amplè sumi, & complecti tàm ea quæ propriè in arca erant, vti erant tabulæ legis, quàm quæ iuxta arcam erant, vti erant vrna & virga. Sicut enim sunt varij modi habendi, ita sunt & inexistendi. Vide ibi Cornelium à Lapide.

Iam sunt alia argumenta, quibus aduersarij probare conantur authorem huius epistolæ non esse D. Paulum. Primò quia non habet initio pręfixum nomen Pauli, vt habent omnes aliæ epistolæ. Secundò, quia author huius epistolæ cap. 2. ponit se in numero eorum, qui ab Apostolis in fide confirmati sunt, dicit enim: *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem; quæ cum initio cæpisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt confirmata est in nos, contestante Deo signis & virtutibus &c.* At D. Paulus Galat. 1. constanter affirmat, se non ab homine nec per hominem, sed à Christo per reuelationem didicisse Euangelium; nō igitur Paulus huius epistolæ author est. Tertiò ex diuersitate styli, siquidem oratio huius epistolæ videtur longè copiosior, & ornatior, quā cęterarum. Quartò non est verisimile, Paulum ad Hebręos epistolam misisse, qui non Iudęorum, sed gentium erat Apostolus destinatus.

Respondetur ad primū cum D. Hieron. pręfat. in epist. Pauli; si ideo epistola ad Hebręos non est Pauli, quia non habet pręfixum nomen Pauli; sequi, nullius esse, quia nullius habet nomen. Quid quod epist. 1. S. Ioannis nec eius nomine pręnotatur, & tamen Ioannis esse minimè dubitatur: sicut è contra Euangelia quędam Thomæ, Bartholomæi, Iacobi & aliorum nomen pręferunt, quæ tamen ab omnibus reijciuntur. Vndè satis patet, ex hoc quod Paulus in alijs epistolis nomen suum pręfigit suos salutando, hic autem illud tacet, non posse sumi efficax argumentum ad negandum S. Paulum huius epistolæ authorem esse. Pręsertim cum iustis de causis potuerit nomen suum huic

huic epistolæ non præfigere. Primò quia, vt loco citato Hieronymus docet, sciebat nomen suum inuisum Hebræis esse, quamuis ad fidem iam conuersis, propterea quod ipse præ cęteris legem veterem esse abrogatam acerrimè disputabat: cuius legis illi adhuc æmulatores erant, Act. 21. Secundò, quia, vt idem Hieronymus docet in cap. 1. ad Galatas, dicturus erat in hac epistola ad Hebręos, Christum esse Apostolum confessionis nostræ, noluit initio se more solito Paulum Apostolum vocare, ne videretur se cum Christo aliqua ex parte conferre. Tertio quia, ex Theodoreto pręfat. comment. in hanc epist. Paulus non erat Apostolus Iudęorum, sed gentium, vt ipse fatetur Galat. 2. hac de causa noluit more solito incipere Paulus Apostolus, sed nudam doctrinam exponere, non quasi Apostolus & Magister, sed vt amicus & socius. Vndè in fine epistolæ ait: *Rogo autem vos fratres, vt sufferatis verbum solatij, etenim perpaucis scripsi vobis &c.* quasi dicere velit, non molestè feratis, si ego, qui proprius Apostolus vester non sum, per litteras vos cohortari volui. Id enim feci, vt vos consolarer, non vt imperarem. Addè quartò Paulum prudenter nomen suum subticuisse, ne tàm Hebræos, quàm Gẽtiles offenderet, si enim se vocasset Paulum, cum illud Gentile & Romanum esset nomen, displicuisset Iudæis, quasi ex Saulo Paulus, ex Iudæo factus esset Gentilis & Romanus: Sin Saulum se vocasset, Gentilibus visus fuisset à Gentibus ad Iudęos, & à Christianismo ad Iudaismum velle redire. Tandem nota, D. Paulum ob allatas aliasque similes causas, ita nomen suum initio epistolę subticuisse, vt tamen seipsum, & nomen suum Hebręis sufficienter indicarit cap. vltimo vers. 23. & seq. dum ait: *Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum: cum quo (si celerius veneris) videbo vos: salutate omnes præpositos vestros, & omnes Sanctos: Salutant vos de Italia fratres.* Roma enim, quæ erat caput & metropolis Italiæ scripsit epistolam ad Hebręos, vt dicetur infra.

Ad secundum quo maximè nituntur Centuriatores, respondetur nullius esse momenti; primùm enim, D. Paulus hęc dicit non de se, sed de hominibus sui temporis. Deindè etiam si hęc dicat de se; nullum est absurdum, quod qui Euangelium plenissimè didicerat per reuelationem, tamen confirmaretur in fide, vel potius salute, id est salutis prædicatione, auditis miraculis Petri & aliorum Apostolorum. Tertio author huius epistolæ non dicit, se ab ijs, qui Christum audierunt, & viderunt, fidem, seu Euangelium suum accepisse: sed tantùm ab ijs se fuisse confirmatum: cùm enim à Christo pergendo Damascum, fuisset immediatè instructus: voluit tamen postea conferre cum Apostolis, vt scribit ad Galatas 2. *ne forte in vacuum currerem*, aut *cucurrissem* toto triennio, quod inter conuersionem suam, & collationem cum Apostolis intercessit.

Ad tertium dicitur, maiorem illam elegantiam huic epistolæ conuenire: primum quia ab Apostolo Paulo Hebraicè scripta est: quæ lingua cum esset illi veluti naturalis, in ea erat eloquentior. Secundò quia creditur de Hebræo in Gręcum versa à Clemente Romano, vel D. Luca, quorum stylus erat elegantissimus. Sed de hoc redibit sermo infra.

Ad quartum respondetur D. Paulum prętermisisse quidem consuetam salutationem initio epistolæ, quia non erat Iudęorum Apostolus, sed gentium, vt dixi in responsione ad primum; non tamen propterea à scribendo abstinuisse: sicut enim, vt dicit Theodoretus, non fuit illi commissum baptizare, & tamen ex abundanti ministerio baptizabat; ita etiam pro sua singulari charitate Hebręis quoque scripsit, cum ad gentes missus fuisset: adeo vt etiam dixerit: *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis*, Romanorum 9. & iterum c. 15. *Nunc igitur proficiscar in Hierusalẽ ministrare Sãctis.* Vnde satis patet quàm insulsa sit hæc obiectio, Apostolicique pectoris charitatẽ ignoranter offendat.

Stabi-

Stabilità primùm canonica epistolæ ad Hebræos authoritate, quodque D. Paulus eam scripserit: Secundò quæritur num plures epistolas, quā quatuordecim dictas scripserit. Di enim Thomas, Glossa, Lyranus, Caietanus & alij ad cap.4. vers. 9. 1. epistolæ ad Corinthios, vbi habetur: *Scripsi vobis in epistola: ne commisceamini fornicarijs*: putant id intelligi debere de alia anteriori epistola ad Corinthios scripta, quæ intercidit. Insuper ad Colossenses 4. 16. dum dicitur: *Et cum lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite vt in Laodicensium Ecclesia legatur, & eam, quæ Laodicensium est, vos legatis*. Censet Philastrius lib. de heresibus cap.90. Paulum scripsisse ad Laodicenses, velleque ibi vt ea epistola colossis legatur. Sixtus Senensis lib.2. Biblioth. in Paulo, hanc epistolam ad Laodicenses refert, eamque probat Faber Stapulensis.

Nihilominus communis est Patrum sententia & traditio D. Paulum non plures, quàm quatuordecim epistolas scripsisse, quæ in corpore Bibliorum habētur. Vndè ad locum citatum 1.Corinth. cap. 5. dicendum est cum Theodoreto, Chrisostomo, Theophylacto & alijs non fieri mentionem in illo alterius epistolæ ab ea, quam tunc idem B. Paulus scribebat; sed illa verba, *Scripsi vobis in epistola &c.* referri ad vers.2. eiusdem capitis: *nam & nos aliquando scribentes, quam scribimus epistolam, indicamus; dicimusque idem velle nos agere, quod scripsimus, vel, hoc, & hoc contigit; sed verum est quod scripsimus &c.*

Ad alium locum ex epistola ad Colossenses, Respondent primò aliqui per eam epistolam, quæ ibi Laodicensium dicitur, intelligi primam epistolam ad Timotheum, quam B. Paulus ad eum per Tychicum Diaconum ex Laodicea misit; quod ex Vatabli translatione non obscurè significari videtur, qui præfatum locum sic vertit: facite, vt hęc epistola legatur in Laodicensium Ecclesia, & eam, quæ scripta est ex Laodicea, vt vos quoque legatis; cum etiam Gręcus textus legat καὶ τὴν ἐκ Λαοδικείας; hoc est *&* eam, *quæ ex Laodicea scripta est*. Secundò respondent alij loqui B. Paulum de epistola non sua ad Laodicenses data, vel ex Laodicea à se scripta, sed de ea, quam ipsimet Laodicenses ad Paulum, vel certè ad Colossenses ipsos, vt vult Theodoretus scripserunt; in qua quędam inerant, quæ ad rem Colossensium pertinerent, ac proinde ab eis eam legi voluit Apostolus. Quæ responsio non minus, quàm præcedens videtur colligi ex textu Græco, qui sic habet, vt statim notauimus, καὶ τὴν ἐκ Λαοδικείας; id est, & eam, quæ ex Laodicea, scilicet ad me, vel ad vos scripta est, legite. Ita Chrisostomus, Syrus, & Theodoretus. Quæ autem à Sixto Senensi citatur, & circumfertur extra sacrorum Bibliorum canonem epistola ad Laodicenses scripta, primò non esse illam, de qua Paulus meminit, ex eo patet, quia eadem penitus continet, quæ fusius in scripta ad Colossenses habetur. Inanis enim fuisset repetitio, & frustatoria nugacitas eam legere, vt B. Paulus eisdem Colossensibus præcipit. Deindè suppositiam esse hanc epistolam constat, tùm ex stylo, tum ex breuitate, tum quod, vt statim diximus eadem contineat, quæ epistolą ad Colossenses, vnde ab aliquo partim ex ea, partim ex alijs Pauli epistolis consarcinata videtur; tum denique quia veteribus incognita fuit. Imo S. Hieronymus lib. de Script. Eccles. in Paulo ait: *Legunt quidam epistolam ad Laodicenses, sed ab omnibus exploditur*. Feruntur etiam sub eiusdem B.Pauli nomine breues quędam epistolæ ad Senecam, quas idem Hieronymus libro citato in Seneca non videtur contempsisse; sed Ecclesia Catholica illas in Catalogo Scripturarum non posuit, ac propterea B. Pauli eas esse non censuit.

Tertiò quòd attinet ad epistolarum Pauli obiectum, duplex in genere spectant, doctrinam scilicet & mores Christianos; ita vt prior pars cuiusque ferè epistolæ dogmatica sit, in qua res fidei docet Apostolus; posterior Ethica in qua

qua informat mores fidelium, non per continuos discursus & tractatus, vti fecit Aristoteles, aliique in suis Ethicis, sed mistim & per varias gnomas, siue breues sententias, sæpe sine ordine congestas, more epistolico, & more veterum Hebręorum vt patet in Prouerbijs, Ecclesiaste, Ecclesiastico; nec non Gręcorum, vt patet ex Phocylidę, Hesiodo, Theognide.

Quartò communis est doctorum sententia, omnes has epistolas, scriptas fuisse græcè, vt pote ad Gręcos, excepta epistola ad Romanos, & ad Hebręos, de quibus adhuc sub iudice lis est, authoribus hinc indè controuertentibus. Salmeron enim tomo 1. prolegomeno 35. in fine, censet epistolam ad Romanos latinè esse scriptam. Cardinalis verò Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei, Cornelius à Lapide argumento in epist. ad Roman. aliique plures existimant scriptam esse Græcè, & postea versam in Latinum à Tertio, qui eius amanuensis fuit, vt dicitur cap. 16. v. 22. vel alio interprete, quem dicit Cornelius, Paulum semper ad manum habuisse. Vtrumque probabiliter sustineri potest ob rationes, quas vtriusque sententiæ authores adducunt. Similiter aliqui cum Origene & Clemente Alexandrino apud Eusebiũ lib. 6. histor. cap. 11. & 18. censent epistolam ad Hebręos græcè fuisse scriptã, ita vt sententia & res sit Pauli, phrasis verò & stylus sit S. Lucæ & Clementis, ideoque sit elegantior alijs Pauli epistolis. Verùm quia sic non tam Paulus, quam Lucas, aut Clemens huius epistolæ esset author & scriptor agiographus, vt pote scribens & concinnans singulas huius epistolæ sententias, non ex se, sed ex instinctu Dei, eoque dictante: Dicendum est cum Hieronymo, Theodoreto, Oecumenio & alijs tam veteribus quam modernis Scriptoribus, Paulum scripsisse hanc epistolam hebraicè, vt pote Hebręum Hebręis, Hebraicè inquam, non purè sed corruptè, puta Syriacè, vti locuti sunt Iudæi post reditum è captiuitate Babylonica, & tempore Christi. Et hęc est causa, vt notauimus supra, cur inter hanc ad Hebręos & alias Pauli ad alios epistolas, magna sit styli dissimilitudo, quod Paulus hanc epistolam Hebræo, id est, suo vernaculo eloquio disertissime scripserit: quæ etiã pari eloquentia versa est in Gręcum à Luca, vti censuit Clemens Alexandrinus apud Eusebium loco citato, vel potius à Clemente Romano, ex Eusebio, Hieronymo, Theodoreto & Oecumenio.

Vndè non est mirum, si in ea testimonia ex veteri testamento iuxta editionem 70. & non iuxta veritatem Hebraicam proferantur. Cum enim Paulus in autographo Hebræo citasset scripturam iuxta textum Hebræum, Græcus Interpres substituit versionem Septuaginta, vt potè Græcis notiorem. Ita textum Hebræum citauit Paulus in Syra, id est, Antiochena Synodo Act. 13. vers. 35. & 40. vbi tamen D. Lucas Gręcis Græcè scribens, versionem Septuaginta substituit: id ipsum quoque fecit interpres Sancti Matthęi cap. 13. ver. 14. & alibi, vt ibidem Iansenius Gandauensis annotauit. Præterquam quod Baronius tomo 1. aliique multi volunt illo tempore versionem Septuaginta fuisse vulgatam apud omnes, tam Iudæos, quam Græcos, & è græco, in Syrum idioma fuisse conuersam, illamque citasse Paulum: vndè & Iosephus & Philo, Hebræi licet, Septuaginta tamen sequuntur & citant potius quam Hebræa ipsa authographa.

Extat in Biblijs regijs textus Syriacus huius epistolæ, quem ipsum Pauli authographum esse multis probare conatur Albertus Vvidmanstadius, qui primus nouum testamentum Syriacè in Europa imprimi curauit, & Guido Fabricius, qui illud in latinum conuertit, atque Matthæus Galenus Duacensis Cãcellarius, qui in huius epistolæ cõmentarijs Syrum præ græco sequitur & explicat. Verum hoc parum probabile videtur viris doctis existimantibus textũ hunc Syriacum recentiorem, & ex græ-

eo traductum esse, præsertim cùm idem, suique per omnia similis extet in omnes Pauli & aliorum Apostolorum epistolas, omniaque Euangelia; quæ non dubium est primitus conscripta esse Græcè pro maiori parte, non Syriacè, atque in Syriacum à Syro quodam interprete esse conuersa: quem licet Syri putent fuisse S. Marcum Euangelistam, tamen verius est non Marcum, sed alium Marco longè posteriorem fuisse, vt notauimus supra capite 64. Idem quoque iudicium ferendū est de hac epistolâ purè Hebraicè impressâ; videlicet non esse autographum S. Pauli, quin potius illud à quopiam Hebræo ex latino vel græco in Hebræum esse traductum.

Quintò quantùm ad locum, & tempus, quibus hę epistolæ scriptę sunt, hic videtur esse ordo. Primò scripta est à Paulo epistola prior ad Thessalonicenses Corinthi anno Christi 52. & non Athenis, vt habent Græca, & Syra exemplaria in fine epistolæ.

Secundò posterior ad Thessalonicēses scripta est, paulò post primam, cum adhuc Apostolus Corinthi degeret, anno Christi 53. & non Athenis vt habent biblia Græca, & Latina Regia, aut Laodiceę, vt habent Syra, aut Romæ, vt docent Oecumenius, & Athanasius in Synopsi.

Tertiò, prior ad Corinthios scripta est Ephesi anno Christi 57. & non Philippis, vt habent Græca, Syra, & Regia Latina in fine epistolę.

Quartò prior ad Timotheum scripta est Laodiceæ, post primam ad Corinthios anno Christi 57. & non in Macedonia.

Quintò, secunda ad Corinthios scripta est Nicopoli anno Christi 58. cum scilicet Apostolus Epheso, vbi primam scripsit epistolam, post tumultum Demetrij, cedere coactus, relicto Ephesi Episcopo Timotheo, venit Troadem, vt in hac epistola ait cap. 2. vbi non inueniens Titum, perrexit in Macedoniam, ex Macedonia perrexit in Gręciam, mari scilicet Aegeo Cycladas adnauigans attigit Cretam, vbi Titum reliquit, ad Tit. 1. v. 5. Inde tandem in Græciam Nicopolim, vbi scilicet statuerat hiemare, & quiescere, deuenit, ad Tit. 3. vers. 12. scriptam tamen Philippis in Macedonia at missam per Titum, & Lucam, habent Græca, Syrus, & Latina Complutensia; quod probabilitate nō carere docet Cornelius à Lapide arg. in hanc epistolam.

Sextò, epistola ad Galatas scripta est probabiliter anno 58. Nam de tempore, & loco scriptionis huius epistolæ nihil certi ex ipsa, vel aliunde definiri potest; estque quo ad hoc omnium epistolarum Pauli incertissima. Scriptam Romæ habent in fine Syrus, Græca, Hieronymus cap. 5. sed negant Chrysostomus & Baron. tom. 1. quia non meminit vinculorum, vti solet in alijs Romę scriptis; vnde eam scriptam volunt ante epistolam ad Romanos, idque vel Ephesi, vel in alia vrbe Græciæ.

Septimò, epistola ad Romanos scripta est Cenchris apud Corinthum anno Christi 58. cum iam S. Petrus Roma iussu Claudij abijsset in Britanniam; vnde mirum non est, quod Paulus hac epistola Petrum vt porè Roma absentem non salutet.

Octauò, epistola ad Titum scripta est anno Christi 58. ac consequenter ante prima vincula, Nicopoli in Epiro, vt docent Græca, Syra, S. Hieronymus & alij, id est in vrbe, aut loco potius propinquo & subiecto Nicopoli, cum scilicet eo pergeret Apostolus, & vicinus esset Nicopoli. Hoc enim significat cum ait cap. 3. *Festina ad me venire Nicopolim ibi enim* (non dicit hic, sed ibi, scilicet, quo iam proximè tendo) *statui hiemare*.

Nonò, de secunda ad Timotheum, quando scripta sit, difficultas est inter Doctores. Chrysostomus enim, Theodoretus, Theophylactus, Anselmus, & ex modernis Cornelius à Lapide putant Paulum Christum suspirantem, & animā iam penè expirantem hanc vltimam epistolam, quasi cycneam vocem edidisse, cum Romæ ageret in secundis vinculis, & proximus esset morti, vt colligitur

c. 4. v. 6.

c.4. v.6. quæ cõtigit anno Christi 69. qui fuit Neronis 13. At Baronius ex cap. 4. vers. 17. & 18. scriptam existimat hanc epistolam, è primis vinculis, anno Christi 59.

Decimò, epistola ad Ephesios scripta est Romæ anno Christi 59. missaque è carcere per Thichicum Diaconum, vt patet cap. 4. vers. 1. & cap. 6. v. 20.

Vndecimò, epistola ad Philippenses scripta est Romæ anno Christi 60. qui fuit secundus vinculorum Pauli, quo anno scripsit pariter ad Colossenses, & Philemonem; quibus omnibus præfigit nomen tam suum, quam Timothei, qui litteris Pauli anno præterito accersitus, 2. Timoth. 4. 21. ante hyemem Romam venerat. Omnes ergò hæ epistolæ scriptæ fuêre è primis vinculis, quæ contigerunt anno Neronis 4. non è secundis quæ contigerunt anno Neronis 14. Nam cap. 1. ad Philippenses vers. 25. dicit se mansurum in carne ad commune Christianorum gaudium, & profectum: vbi satis insinuat se liberandum vinculis. Prima ergò vincula intelligit, non secunda; cum è secundis non fuerit liberatus, sed Martyr occubuerit.

Scripta est quoque epistola ad Hebræos, vt habetur cap. vlt. vers. vlt. ex Italia, scilicet Roma, non anno Neronis 14. cum Romam ex Hispania secundo redijt martyrio coronandus, vt volunt aliqui; sed cum in primis vinculis causam suam feliciter apud Neronem perorasset, eiusque liberandi spes optima affulgeret, anno eius quarto, Christi 60. vt colligitur cap. vlt. vers. 23. vbi ait: *Cognoscite fratrem nostrum Timotheũ dimissum, cum quo (si celerius venerit) videbo vos.*

Sic vltimæ sex epistolæ scriptæ sunt à D. Paulo Romæ è vinculis: ideoque plenæ sunt spiritu: anhelans enim ad martyrium, eiusque desiderio æstuans illas scripsit, quasi vltimas, & cygneas suas cantiones.

Sextò, cum ita se habeant D. Pauli epistolę quantum ad ordinem temporis, quo fuerunt scriptæ, notandum est tamen in Biblijs Vulgatæ editionis talem ordinem non seruari in illis digerendis, sed potius Ecclesiam ordinem doctrinæ, quam temporis attendisse. Quatenus talis ordo est in erudiendo homine Christiano, vt prius necessitas diuinæ gratię demonstretur, & hoc præstatur in epistola ad Romanos ex D. Augustino epistola 105. ad Sixtum. Deindè quod primum est ad salutem necessarium, & à diuina gratia habet originem, traditur, nẽpè vnitas fidei in epistolis ad Corinthios ibi enim Apostolus studet sedare eorum dissidia, ac diuersas factiones, quas potissimùm circa Euangelij prædicatores, circa diuina Sacramenta, & Sacramentorum ministros, arrogantes quidam mundanæ sapientię professores excitauerant. Similiter in epistola ad Galatas, grauiter eos obiurgat, & à legis Mosaicæ seruitute, in quam seducti per pseudoapostolos relapsi fuerant, ad Euangelicam libertatem, fideique vnitatem reuocat. Sequitur epistola ad Ephesios, post eam quę scripta est ad Galathas, quia sicut ibi Galatæ reuocantur ad fidem, ita hic Ephesij confirmantur in fide: ibi carnales legis obseruantiæ, ab illis, qui eas suscipere cœperant, remouentur; hic, ne suscipi debeant, prædamnantur. Prescribitque Paulus in ea formam christianę vitę, quam ab eo Ephesij, in fide iam instructi, postulauerant. Quasi in medio epistolarum locatã ait Hieronymus pręfat. in ipsam; quia sicut cor est in medio animalis, & occulto loco reconditum, sic ea epistola profundis quęstionibus inuoluta, medio loco posita est.

Philippenses etiam hortatur, vt in fide Christi persistent, & pergant, nec vinculis suis turbentur, aut animis cadant, & pręsertim clerum ad mutuam cõcordiam, & ad tuendam Ecclesiasticam veritatem aduersus Pseudoapostolos Iudaismum ingerentes, & diuisionem Ecclesię molientes, docendo legalia Moysis seruanda esse cum Euangelio. Colossenses pariter, multis adhuc Iudaicis, & Gręcis superstitionibus implicitos corrigit;

rigit; ostendens non esse aliunde accessum ad Deum, quam per Christum. In prima, quam ad Thessalonicenses scribit Apostolus, constantiæ eorum in fide congratulatur, eosque in ea confirmat: vt pro ea tuenda secum fortiter Iudæorum, & Gentiliũ persecutionem ferant. In secunda verò docet, necdum instare diem iudicij, vt quidam falsi, & fraudulenti doctores persuaserant eis, metumque instantis iudicij eis adimit, & docet quod prius oporteat venire Antichristum: cuius qualitates, vitam, & mores hic describit. Quantum vero ad particulares status attinet, Episcopos instruit, & sæculares; Episcopos in epistolis ad Timotheum & Titum, vbi vitam Hierarchicam, & Episcopalẽ in typo, & exemplari exactissimo adumbrat; Sęculares verò in epistola ad Philemonem, cui Onesimum seruum fugitiuum, & compilatorem concilians, Domini erga seruum, & serui erga Dominum, officium demonstrat. Vltimo tandem loco, postquam in præcedentibus actum est de gratia, fide, Sacramentis, & alijs ad corpus mysticum Ecclesiæ pertinentibus, in epistola ad Hebręos demonstrat Apostolus dignitatẽ capitis ipsius Christi, cuius doctrinæ cedere debeat lex Mosaica, vt scilicet eos à Iudaismo omnino, integrè & perfectè transferat ad Christianismum, in eoque confirmet. Vnde satis patet admirabili doctrinę ordine fuisse digestas ab Ecclesia D. Pauli epistolas.

CAPVT LXX.

De Epistola Catholica B. Iacobi Apostoli.

Post quatuordecim D. Pauli epistolas sequuntur aliæ septem, nimirũ vna S. Iacobi, duæ S. Petri, tres S. Ioannis, vna S. Iudę; quarum etsi duæ tantùm in Vulgatis Biblijs correctis Catholicarum titulum prę se ferant, videlicet prima S. Iacobi, & vltima S. Iudę; à Sacris tamen Scriptoribus, & SS. Patribus Catholicę omnes cõmuniter appellantur, & in Græcis Biblijs inscribuntur Καθολικῆ. Vbi vox Catholica non sumi debet, prout opponitur hæretico, vel erroneo, quasi diceretur, vel significaretur, Epistolas has Christianas esse & orthodoxas, non hæreticas, & erroneas, sed priuato, & particulari, idemque est catholicum quod vniuersale & commune, ita vt sensus sit, quod Epistolæ hæ non sunt particulares & priuatę, v.gr. ad vnam gentem, aut ciuitatem, vel amicum, nec tractant particularia negotia, sed sunt vniuersales, & Oecumenicæ, tractantque res omnibus fidelibus communes. Similes imo eędem fuere epistolę encyclicæ siue circulares, quas Episcopi de rebus grauibus & publicis scribebant, & mittebant ad omnes totius Orbis Ecclesias.

A multis etiam Patribus pręfatę epistolę vocãtur interdum Canonicę, quod licet aliqui Scriptorum imperitia factũ esse putent, quasi commutatis aliquibus mediarum syllabarũ litteris pro Catholicis epistolis, Canonicas posuerint; nihilominus non video cur ita vocari non possint, vel quia fidelibus Apostolicum canonem, regulam, normam & formam rectè credendi & christianè viuendi pręscribunt; vel quia canonicam S. Scripturę, veritatisque à Deo reuelatę dignitatem authoritatemq; obtinent, vt de singulis infra probabimus. Pręclarè enim D. Hieronymus epist. 103. ad Paulinum ait: *Iacobus, Petrus, Ioannes, Iudas septem epistolas ediderunt, tàm mysticas, quam succinctas; & breues pariter ac longas: breues in verbis, longas in sententijs; vt rarus sit, qui non in earum lectioni caecutiat.*

Cum ex dictis superiori capite in collocandis epistolis D. Pauli in Biblijs, non sit seruatus ordo temporis, sed doctrinæ; in epistolis tamen Catholicis nõ ita se habet; siquidem S. Iudas ponitur vltimus, qui attento ordine doctrinæ deberet primus esse, cum totus sit in fide orthodoxa commendanda, quæ cæterarum est virtutum spiritale fundamẽtum; S. autem Ioannes in charitate, S. Iacobus

cobus in oratione, & patientia, S.Petrus in sanctitate christiana fidelibus pariter commendanda. In illis etiam non est seruatus ordo dignitatis, penes authores secundarios: sic enim præponi debuissent epistolę S.Petri, vt potè Principis Apostolorum (dixi penes authores secundarios) quia si earum dignitas & authoritas attendatur penes authorem primarium qui est Spiritus Sanctus, nullus inter eas est ordo; sed omnes sunt pares, & æquales. Dicendum est igitur has epistolas in sacris Biblijs collocari, seruato temporis ordine, quo ab Apostolis fuerunt scriptæ, sola Iudæ epistola excepta. Tantum de epistolis Canonicis in communi; iam de illis in particulari.

Ex nouis hęreticis soli Lutherani negant dininam epistolæ S. Iacobi authoritatem; Caluinus enim lib.3. Instit. cap.17. §.11. & Caluinistæ illam admittunt vt Canonicam. Erasmus quoque asserit, eam non redolere grauitatem Apostolicam. Verum iam de fide est hanc epistolam esse canonicam, partemque genuinam sacræ Scripturæ. Etsi enim quidam olim dubitarint, an re vera talis esset, teste Eusebio lib.3. hist. cap.25. & D. Hieronymo lib. de viris Illustribus in Iacobo; Nobis iam non licet aliud sentire, post decreta Summorum Pontificum & Conciliorum; post vnanimem SS. Patrum, tàm Græcorũ, quam Latinorum consensum, quorum testimonia refert Iodocus Coccius in thesauro Catholico lib.6. Vndè ad argumentum Lutheri reijciētis hanc epistolam, quod ipsa commendans opera bona, aduersetur doctrinæ eius, nos sola fide iustificari; Respondetur ex Diuo Augustino libro de fide & operibus cap.14. S. Iacobum suam scripsisse epistolam, contra eos potissimum, qui solam fidem ad salutem sufficere putabant, occasionem ex Paulo nacti in epistola ad Romanos, & Galatas, vbi mirum in modum fidem effert; quam hęresim cum renouauerit Lutherus, mirum non est, si ad erroris sui defensionem Iacobi epistolam à canone S. Scripturæ resecauit. Quod autem D.Iacobus cōmendet opera bona, & exercitium virtutum præsertim pietatis, & charitatis, nihil contradicit D. Paulo, qui efferendo fidem Christi locis citatis, deprimit quidem opera legis, sed non excludit, imo includit opera ex fide manantia; sicut arbor non excludit, sed includit fructus quos progignit, & portat.

Loquendo iam de authore huius epistolæ, cum Concilia æquè ac Patres, totaque Ecclesia eam ascribant S. Iacobo; certum est ipsius esse. Sed cum duo inter Apostolos fuerint Iacobi: vnus filius Zebedæi, frater S. Ioannis, occisus ab Herode, Actor. 12. 2. qui cognominatur Maior. Alter Alphæi, qui fuit frater Domini Galat. 1. 19. & à S.Marco cap.15.40. Minor, siue ætate, siue vocatione, siue statura, siue quo alio respectu cognominatur, fuitque primus Ierosolymorum Episcopus. Dubium est, vtrius sit hæc epistola. Aliqui enim illam tribuunt Iacobo Zebedæi, citantque pro sua sententia inter alia multa epistolam Sixti III. de malis doctoribus, quæ extat tomo 5. Bibliothecæ SS. Patrum. Quod nomen cum multos viros deceperit, rectè notant ibidem doctores Parisienses in vltima editione, Bellarm. de Script. Eccles. Baronius & alij, Epistolam hanc falsò ascribi Sixto III. Pontifici, cum sit Pelagiani cuiuspiam. Omnia enim tribuit libero arbitrio, & gratiæ nihil.

Verum alij passim, & veteres & recentiores hanc epistolam tribuunt S. Iacobo Alphæi, primo Ierosolymorum Episcopo. Ita S. Hieronymus in Catalogo Scriptor. Eccles. in Iacobo, Eusebius lib.2. Hist. cap.22. vel 23. S. Ambros. lib.7. in Lucam cap.9. S. August. in cap.2. epist. ad Galat. Hic Iacobus fuit frater Iudæ & Simonis Apostolorum, vt patet ex epist. Iudæ vers.1. ac Ioseph iusti, qui oppositus fuit S.Matthiæ in sorte Apostolatus Actor. 1. 23. Matth. 13. 55. filius fuit Alphæi, qui alio nomine dictus est Cleophas, & Mariæ, quæ à filio cognominata est Iacobi, à marito Cleo-

Cleophæ; quãuis nonnulli putent Cleopham fuisse patrem Mariæ, & consequenter auum Iacobi. Quod aliqui distingunt Iacobum Apostolum ab Episcopo Ierosolymæ, tresque faciunt Iacobos, primum Zebedæi, secundum Alphæi, ambos Apostolos, tertium Episcopum Ierosolymæ, qui fuerit author huius epistolæ, refellitur à D. Hieronymo, Eusebio, Clemente Alexandrino & alijs quos citant & sequuntur Cardinalis Baronius tomo 1. Bellarm. de Script. Ecclesi. Suares 3. p. tomo 2. disputat. 5. sect. 4. & Cornelius à Lapide in epist. S. Iacobi cap. 1. vers. 1.

Quantum ad huius epistolæ argumentum; primùm in ea animantur fideles ad constantiam in persecutione, quã patiebantur à Iudæis & gentibus: deindè commendantur opera bona; & exercitium virtutum, præsertim pietatis & charitatis. Cum enim primi Hæresiarchæ, præsertim Simon Magus, palam docerent occasionem ex Paulo nacti, nõ requiri opera fidei ad meritum, & ad salutem, vt notauimus supra, debuit ex officio pastorali S. Iacobus, quasi Ierosolymæ & Iudeæ episcopus, eis, quasi gregis sui lupis, palam omni conatu se opponere. Simon enim Magus erat Samarita, suosque errores spargebat in Samaria, quæ vicina est Ierosolymæ, eòque eosdem deriuabat. Vnde colligendum est hanc epistolam scriptam esse post epistolam S. Pauli ad Romanos; quam cũ ille scripserit anno Christi 58. sequitur post illum annum hanc scriptã esse à Iacobo, ac consequenter non diu ante mortem, & martyrium, quod obijt ipse anno Christi 63. Quâ autem linguà, dicetur in solutione vltimi argumenti.

At contra huius epistolæ authoritatem non desunt Lutheranorũ argumenta. Primò obijciunt Eusebium affirmare lib. 2. hist. cap. 23. hanc epistolam, & illam Iudæ esse adulterinas. Respondetur mendacium esse hoc, non argumentum; hęc enim sunt Eusebij verba loco citato: *Sciendum*, inquit, *est quod à nonnullis non recipiantur*. & addit: *Nos tamen scimus etiam istas cum cæteris ab omnibus penè Ecclesijs recipi*. Deinde etiam si secundum aliam versionem legeretur: *Sciendum quod vt spuria, & adulterina arguitur*: nihil fauet aduersarijs, debebant enim aduertere aliud esse spurium, aliud argui, & accusari tanquàm spurium: accusari enim tanquam adulterinum, potest accidere legitimæ proli: esse vero spurium non potest accidere eidẽ: primum diceret Eusebius secundum allatam versionem, asserens, *quod vt spuria & adulterina arguitur*: non autem secundum.

Obijciunt secundò multa in hac epistola contineri contraria doctrinæ Apostolicæ; nam cap. 1. & 2. vocat legem libertatis legem testamenti veteris; quã tamen Paulus ad Galat. 4. vocat legem seruitutis: deinde cap. 2. iustificationem non fidei soli, sed operibus adscribit; cum Paulus Roman. 3. dicat, hominem iustificari ex fide sine operibus. Respõdetur hanc epistolam nihil penitus aberrare ab analogia doctrinæ Apostolicæ. Ad primum enim, rectè notant interpretes ibi, Iacobum non loqui de lege vetere, sed de noua, cùm eam legem libertatis appellat. Ideo autem aduersarijs visus est Iacobus loqui de lege vetere, quia mentionem facit decalogi præceptorum, & ipsi falsò putant, legem nouam non continere vlla præcepta, sed solas promissiones gratiæ fideique prædicationem. Ad secundum dicitur, Apostolos non pugnare inter se: nam D. Paulus loquitur de prima iustificatione, qua homo fit iustus ex iniusto: Iacobus verò loquitur de secunda iustificatione, quà quis ex iusto fit iustior, atque adeò de operibus quæ fiunt cum fide, & auxilio gratiæ Dei; cùm Paulus loquatur de operibus quæ fiunt sine illis, solis viribus naturæ, & liberi arbitrij.

Tertiò obijciunt, authorem huius epistolæ testimonia proferre ex epistolis Petri & Pauli, atque adeo non esse illis authoritate parem. Respondetur primò eiusmodi consequentiam falsam esse; ex

hoc enim quod vnus Scriptor Canonicus proferat alterius Scriptoris Canonici testimonia, vt in Propheta Michæa cap.4. Isaiæ testimonia c. 2. de Christo expressa habemus, male infertur non esse aurhorem Canonicum, aut non esse eiusdem cum alio authoritatis. Secundò respondetur, non citari in hac epistola vlla loca Petri, vel Pauli; sed inde aduersarios esse deceptos, quod viderint ad marginem libri è regione verborum Iacobi, loca quædam Petri vel Pauli annotari. Sicut etiam in marginibus epistolarum Pauli notantur quędam loca ex epistolis Petri & aliorum Apostolorum. Nec enim eiusmodi annotationes positæ sunt ab Apostolis, sed ab Ecclesia; nec significant vnam Apostolum ab alio citari, sed tantùm eamdem vtrobique esse Spiritus Sancti conspirantem, sibique similem sententiã. Voluit enim Deus hanc consensus harmoniã,& quasi concentum in epistolis æquè,ac in Euãgelijs existere, ad indubitatum veritatis Euangelicæ testimonium, vt nemo de ea dubitare possit, dum omnes Apostolos & Euangelistas, locis licet & temporibus disiunctos, idem tamen de ea scribere & constanter asseuerare videt.

Obijciunt quartò, Epistolæ huius authorem non se vocare Apostolũ Christi; illam ergò non scripsit Iacobus Apostolus; præsertim cum D. Hieronymus in comment. cap. 1. ad Galatas dicat; *Grauiter errare eos, qui dicunt, Iacobum istum esse vnum ex duodecim*. Respondetur varias ob causas S. Iacobum vocasse se seruum Christi, non Apostolum, de quibus videri potest Cornelius à Lapide in cap. 1. huius Epistolæ; ex hoc autem sumi non potest efficax argumentum ad probandum S. Iacobum Apostolum non fuisse huius epistolæ authorẽ; si quidem D. Paulus, quantumuis Apostolus, in epistola tamen ad Philippenses, in vtraque ad Thessalonicenses, & ad Philemonem, non vocat se Christi Apostolum, sed aut seruum, vt facit Iacobus, aut nihil addit: Ioannes quoque nec in Epistolis, nec in Apocalypsi Apostolum se nominat. Ad illud D. Hieronymi, quod Erasmus adducit, manifestum est mendacium; Hieronymus enim non dicit errare eos, qui sentiunt hunc Iacobum esse vnum ex duodecim, sed eos, qui dicunt hunc Iacobum esse fratrem Ioannis, & quem Herodes capite plecti iussit. Esse autem hunc nostrum Iacobum vnum ex duodecim, videlicet Iacobum Alphæi, idem Hieronymus docet & probat in libro aduersus Heluidium.

Obijciunt vltimò hanc epistolam destitutam esse hebraismis, quos non est verisimile defuisse D. Iacobo Apostolo Hebræo, si esset author huius Epistolæ. Respondetur hanc epistolam destitutam esse Hebraismis; quia ab Apostolo scripta est Græcè; tùm quia lingua Græca eo tempore erat communis, etiã Iudæis, præsertim dispersis, vt superiori capite notauimus; tùm quia Iacobus hanc epistolam, etsi primariò scripserit Iudæis, secundario tamen scripsit gentibus: quorum lingua tùm latissimè patens, erat Græca.

CAPVT LXXI.

De Epistolis Beati Petri Apostoli.

S. Petrus Apostolorum princeps, qui Bethsaidæ in Galilæa natus, piscatuque victitans, à Christo vocatus, factus est eius in terris vicarius, totiusque Ecclesiæ Pastor & Pontifex, scripsit duas epistolas; de quarum prima nullus vnquam dubitauit, teste Eusebio lib. 3, histor. cap. 3. quo circa semper inter protocanonicos S. Scripturæ libros reposita est: At de secunda, eodem Eusebio teste cap. 25. nonnulli olim dubitarunt & nostroque sęculo Lutherani omnes illã negant. Verum iam ad fidem pertinet hanc epistolam esse Sancti Petri, esseque Canonicam scripturam; hic est enim sensus omnium Sanctorum Patrum tùm Græcorum, tum Latinorum, qui eius testimonijs vtũtur ad dogmata fidei Catholicæ confirmanda; quique catalogũ libro-

librorum Canonicorum contexendo, in eo collocant hanc epistolam. Refert eos exactè & fusè Iodocus Coccius in Thes. Cathol. tomo 1.lib.6. Vnde meritò Ecclesia idipsum definiuit in Cōcilio Carthag. III. cap.47. Florentino & Tridentino sess.4.

Nec refert quod obijciunt aduersarij, hanc epistolam stylo valde dissidere à prima, ac proinde non esse à B. Petro Apostolo conscriptā. Respondetur enim primò, hanc diuersitatem styli esse valdè tenuem,& quæ vix,ac ne vix quidem apparet, si quis penitius vtramque epistolam inspiciat,vt fatentur ipsimet Cēturiatores. Deindè certum est authores in modo scribendi non ita sibi constare, vt omnimodā semper in scribendo vniformitatem retineant: an non pleraque Augustini, Hieronymi & aliorum Patrū opera stylum diuersum habent, quæ tamen tanquam germana eorum opera ab omnibus agnoscuntur: igitur etiam si hęc secunda epistola aliquantulum à prima in stylo differre videatur, non tamen propterea sequitur,eam non fuisse ab eodem S. Petro conscriptam. Quod ex eius initio satis confirmatur: *Simon Petrus, seruus & Apostolus Iesu Christi*: & vers.18.vbi ait se transfigurationi Domini in monte Thabor interfuisse: cùm enim tres tantùm Apostoli interfuerint, & satis apud omnes constet, hanc epistolam non esse Ioannis, aut Iacobi, debet necessario illius author esse Apostolus Petrus. Quod argumentum est omnino demonstratiuum, supposita semel Canonica huius epistolæ authoritate.

Scripta est vtraque epistola Romæ; de prima, in qua Romam Babylonem vocat cap.5. 13. quamque ibidem v.12. dicit misisse per Siluanum, siue Sylam; de hac, inquam, scriptam fuisse Romæ sub annum vt videtur à natiuitate Christi 45. quo anno Petrus Romam appulit, eoque ex Antiochia cathedram Pontificiam transtulit; colligitur ex eo,quod in fine epistolæ inducit S.Marcum salutantem fideles: S. Marcus autem Roma discessit missus à S. Petro Alexandriam anno Christi 45. cùm prius Romæ suū scripsisset Euangelium.Hic annus Christi 45. fuit Claudij Imper. tertius, Pauli à conuersione decimus; quare scripta est hęc epistola ante omnes Pauli epistolas, vt rectè notat Card. Baronius. Secunda autem scripta est sub annum Christi 69. quo D.Petrus Martyrio laureatus est: nam cap. 1. 14. ait: *Certus quod velox est depositio tabernaculi mei*: Vnde liquet scriptam esse Romæ,e carcere forsan Mamertino, in quo fuit D. Petrus per nouem menses vltimos vitæ; vti habent acta Sanctorum Processi & Martiniani. Liquet quoque scriptam fuisse 14. annis circiter post primam: cùm vt diximus primam scripserit anno Christi 45.

Quantùm iam ad harum epistolarū argumentum. Prima, quæ scripta est primariò ad Christianos e Iudæis ad Christum conuersos, qui dispersi erant per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, & Bithyniam, vt patet ex titulo epistolæ & cap.3.6. Secundario autem ad Christianos è gentilismo conuersos, vt satis patet ex cap.2. 10. vbi gentium vocationem ex Osee cap. 2. 10. confirmat & celebrat; duplex habet argumētum. Primum ad fidem spectat: secundum ad mores. Primò enim laudat admirabile Dei consilium & beneficium de verbi Incarnatione, passione, redemptione, vocatione Iudęorum, & gentiū ad Christi gratiam, & gloriam æternā. Deinde à fide transiens ad mores, eos ad Christi normam & disciplinam efformat; docetque Christianos debere obedire Regibus, Principibus, & Magistratibus licet Ethnicis; seruos Dominis, vxores maritis, adolescentes senioribus, fideles pastoribus, & doctoribus; ac vicissim quid viri vxoribus, pastores fidelibus debeant ostendit. Præ cæteris tamen patientiam, & Christi patientis exemplum inculcat, singulis ferè capitibus, eo quod Christiani tunc noui, ob nouam Christi religionem, ac fidem vbique multa à Iudæis, & gentibus paterentur. Secundæ autem epistolæ, scri-

ptæ ad eosdem ad quos prima scripta est, vt patet ex illis eius verbis cap. 3. *Hanc ecce vobis charissimi secundam scribo epistolam*, triplex est veluti argumentum iuxta tria eius capita. Primò enim admirans Christi gratiam & œconomiã, constantiam in eius fide Christianis cõmendat. Secundo hæreticos eam impugnantes confutat. Tertiò inculcat, & depingit finem mundi, diemque iudicij, quem hæretici fabulosum nunquamque futurum dicebant, eiusque certitudine, vicinitate, & terrore incitat fideles, vt fidem illibatam conseruent, eaque dignã vitam agant in omni sanctitate, & iustitia.

Passim interpretes docent vtramque etiam epistolam fuisse scriptam Græcè, vt potè ad Græcos, scilicet Cappadoces, Asianos, Bythinios, Ponticos. Nec refert quod notat Baronius tomo 1. videri ex S. Hieronymo primam epistolam à S. Petro scriptam esse Hebraicè, sed conuersam in Latinum à S. Marco; verba enim D. Hieronymi hoc non sonant, qui tantum dicit S. Petrum variasse stylum; stylumque secundæ epistolæ diuersum esse à stylo primę, quod verum esse potest, etiam si dicatur vtramque epistolam eadem lingua Græca, vel Latina ab eo fuisse conscriptã, vt notauimus supra.

CAPVT LXXII.

De Epistolis B. Ioannis Apostoli.

Beatus Ioannes Apostolus, postquã ex insula Pathmos, vbi in exilium à Domitiano relegatus fuerat, Ephesum redijsset, cum iam senex contra Cherinthum, & alios hæreticos Euangelium scripsisset, scripsit etiam Græcè tres Epistolas. Quarum prima Canonicam semper obtinuit authoritatem; communisque fuit omnium sensus authorem eius fuisse S. Ioannem Apostolum, vti habet eius inscriptio. De secunda autem & tertia dubitarunt olim nonnulli, putantes eas non esse Ioannis Apostoli, sed alterius cognomento, Ioannis, qui se non Apostolum, sed Seniorem, Græcè Presbyterum vocat; ita refert Eusebius lib. 3. hist. cap. vltimo; atque ita censet Erasmus, & dubitat Caietanus. Quibus fauere videtur Papias apud eundem Eusebium docens duos fuisse Ioannes, vnũ Apostolum, & alterum, qui senior dicebatur; cum enim auctor harum Epistolarum non Apostolum, sed seniorem se nominet: verisimile esse videtur duas has breuissimas epistolas à Ioanne seniore, non ab Apostolo Ioanne scriptas esse.

Verum nunc de fide est vtramque esse Canonicam Scripturam; scriptam à S. Ioanne Apostolo; id patet primò ex definitione Ecclesiæ in Concil. Laodiceno cap. 59. Carthaginensi III. cap. 47. Florentino, & Tridentino sess. 4. Secundo ex Patribus Græcis & Latinis, qui duarum harum epistolarum sententias quasi S. Scripturæ citant. Tertiò styli, & rerum similitudo arguit has duas epistolas eiusdem esse authoris, cuius est prima, puta S. Ioannis Apostoli. *Certè*, inquit Baronius ad ann. Christi 99. *si quando ex facierum similitudine filios eodem parente genitos licuit iudicare, tres illas epistolas verbis, sententijs, stilo, charactere, vnam eamdemque præ se ferentes imaginem, ab vno eodemque authore esse conscriptas quiuis facilè poterit intelligere.* Quod tamen argumentum absolutè non est efficax, sed supposita tantum Ecclesiæ traditione ac definitione; sicut enim diuersitas styli non arguit sufficienter diuersitatem authorum, vt superiori capite notauimus, ita nec styli, & rerum similitudo vnitatem; siquidem nullus impostor est, qui talem non possit similitudinem in suis operibus mentiri.

Ad obiectionem respondetur, hanc qualitatem Senioris, quam assumit author huius epistolæ, non pugnare cum qualitate Ioannis Apostoli; tum quia illo æuo presbyter & episcopus pro eodem vsurpabantur, vt docet S. Hieronymus epist. 85. ad Euagrium; & fusè ostendit Cornelius à Lapide 1. Timoth. 4. 14. tum quia S. Ioannes iam decrepitus & Apostolatus dignitate & ætatis plenitudine om-

omnium Christianorum erat senior. Vltimus enim Apostolorum vixit vsque ad imperium Traiani, mortuus circiter anno ab Incarnatione Christi 101. qui fuit à Passione eiusdem 68. Adde nullum alterum Ioannem, eo tempore memorari, pręter Apostolum, & ideo narratio Papiæ loco citato viris doctis videtur omnino incerta, nec vllo authore suffulta; sed esto certa esset, nihil inde sequeretur, cum Papias non dicat, has epistolas non esse Ioannis Apostoli, sed solùm duos Ioannes nominat, vter autem epistolas scripserit, tacet. Vnde satis patet coniecturam ex hoc desumptam leuiorem esse, quàm vt opponi debeat, nedicam præponi tot Conciliorum, Pontificum, & Patrum authoritati, qui has epistolas Ioanni Apostolo tribuunt.

Primam epistolam nonnulli veteres scriptam putant nominatim ad Parthos, melius tamen alij docent non distinctæ, certæue Prouinciæ missam fuisse, sed vniuerso fidelium cætui, siue ad omnes fideles vbivis degentes; qua de causa eam Ambrosius 1. de pænit. cap. 10. generalem epistolam appellat. Agitur in ea potissimum de triplici virtute Theologica. Secundam verò cuidam fæminę re, & nomine electæ, & eius liberis specialiter fuisse scriptam ex principio epistolæ apparet, vbi Ioannes iam senior sic ait, *Senior electæ Dominæ, & natis eius.* Quod enim Serarius secutus Oecumenium contendit, per electam non significari certam personam & matronam, sed Ecclesiam aliquam Asiæ, minus probatur alijs interpretibus communiter docentibus per talia verba intelligi particularem aliquam matronam, qui etiam causas adducunt cùr eam Apostolus vocet Electam, & Dominam. Argumentum epistolæ est, laudare primùm Electam, eiusque familiam à fide, & charitate; deinde docens non esse recens mysterium, quod apud nos est, rursum eos ad dilectionem hortatur, præcipitque vt in doctrina fidei sibi tradita permaneant, ideoque caueant hæreses, & hæreticos tùm subnascentes, quasi Antichristos, adeò vt nec Aue eis dicant. Tertia denique epistola scripta est Caio, qui vulgò is creditur esse, quem B. Paulus ad Romanos 16. 23. hospitem suum vocat. Pari enim modo S. Ioannes in hac epistola Caium suum ab hospitalitate cōmendat, quod fideles peregrinos hospites excipiat, foueat benignè, lautèque habeat; ex aduerso accusans Diotrephis inhospitalitatem & arrogantiam, quod fideles non suscipiat, & suscipientes ex Ecclesia eijciat.

Circa tempus, & locum, quo scriptæ fuerunt istę epistolæ; dicendum est B. Ioannem illas scripsisse Ephesi, indeque misisse; Ephesi enim, vt potè Metropolis Asiæ, S. Ioannes ab exilio rediens, iam senio penè confectus, residere solebat. Cum autem inde sit ferè certum S. Ioannem in senio has epistolas scripsisse; patetque ex ipsis eius verbis, quibus se Seniorem vocat, fideles verò filiolos, ac quasi senex non aliud penè quam charitatem commendat: quo tamen anno præcisè illas scripserit incertum est. Baronius id contigisse putat anno Christi 99. qui fuit Clementis Pōtificis septimus, Neruæ Imperatoris primus; sub quod etiam tempus videtur scripsisse Euangelium; cum quo magna est epistolarum consonantia.

CAPVT LXXIII.

De Epistola Catholica B. *Iudæ Apostoli.*

Diuinam quoque huius epistolæ authoritatem, de qua nonnulli olim dubitarunt, pertinaciter nostro tempore negant Hæretici Lutherani; rationes eorum sunt; quod in ea citetur liber Enoch apocryphus, & altercatio Michaelis cū diabolo de corpore Mosis, quæ nusquā in Scriptura extat. Sed iam de fide est hanc epistolam esse Canonicam Scripturam; quam vt talem citant Patres Grǽci, & Latini, referuntque in canonē Sacrorum librorum, qui illum contexerunt; ac tandem ita definiuit Concilium Tri-

Trident. ſeſs. 4. poſt Florentinum in epiſt. Eugenij ad Armen. Romanum ſub Damaſo, Laodicenſe cap. 58. & Cartaginenſe III. can. 47.

Ad argumentum reſpondetur, citationem Prophetiæ Enoch, quæ ex D. Hieronymo, cap. 1. Epiſt. ad Titum tantum in libro apochrypho habetur, nihil quicquam de huius epiſtolæ authoritate detrahere: vt enim præfato loco ait Hieronymus, & Auguſt. lib. 15. de ciuitate Dei cap. 23. & lib. 18. cap. 38. etiam in apochryphis libris eſt aliquid veri; qualis eſt ſine dubio ſententia illa Patriarchæ Enoch quam hic adducit Apoſtolus: ſecundò reſpondetur etiam valde veriſimile eſſe, Iudam non citaſſe dictã prophetiam ex libro Apocrypho, ſed ex Canonico ab Enoch diuinitus ſcripto, qui etiam ſi perijſſet, traditione tamen inter Iudæos illa Prophetia citata à Iuda conſeruabatur.

Author huius epiſtolę fuit D. Iudas, cognominatus Thaddæus frater SS. Iacobi Minoris, & Simonis Apoſtolorum, & Ioſephi qui fuit competitor Matthiæ, cum ſors Apoſtolatus cecidit ſuper Matthiam. Act. 1. Quantum ad eius argumẽtum eſt confutare hæreſes iam tùm natas Simonis Magi, Nicolaitarum & Cherinthi, ac mox ex iiſdem naſcituras. Vnde prẽmiſſa ſalute hortatur fideles, vt contra eos pro vocatione, & fide ſua viriliter certent, eò quod ipſi ſint Apoſtatæ, ſimiles Sodomitis & Angelis Deo rebellibus, cum eiſque perdendi, & perituri. Deinde v. 8. eorum libidines, rebelliones, blaſphemias, & maledicta incuſat, propoſito S. Michaelis exemplo, qui licet iuſtam haberet cauſam, nõ fuit tamen auſus maledicere Sathanæ. Tertiò verſ. 11. comparat eos Caino, Balaamo, Core ſeditioſo, eoſque vocat nubes ſine aqua, arbores autumnales, fluctus feri maris, ſydera errantia, de quibus prophetauit Enoch minans eis acre Dei iudicium, cum ſint murmuratores, pleni concupiſcentijs, ſuperbi, auari. Vndè quarto verſ. 17. hortatur fideles, vt Apoſtolorum fidei, & doctrinæ conſtanter inſiſtentes, hæreticis reſiſtant; orationem, charitatem, miſericordiam, zelum animarum, ac caſtitatem colant.

De loco & tempore quo ſcripta eſt hæc epiſtola nihil certi habetur. Aliqui enim cenſent idcircò hanc epiſtolam in ordine Biblico eſſe vltimam, eo quod vltimo ſit edita; ac proinde poſt illas S. Ioannis, ab eo ſcriptas paulò ante mortẽ anno Chriſti 99. Onuphrius in Chronico vult S. Iudam cum fratre Simone Chananæo oppetijſſe mortẽ anno Chriſti 64. atque adeò ſuam epiſtolam ſcripſiſſe, ante ſecundam Petri, ſcriptam anno 68. Probabilius tamen Cardinalis Baronius docet oppoſitum; hanc videlicet epiſtolam poſt mortem S. Petri fuiſſe editam, atque adeo poſt ſecundam eius epiſtolam, poſtque annum Chriſti 68.

Extat hæc Epiſtola Syriace, non in Biblijs Regijs, ſed ſeparatim, quam in Latinũ vertit Etzelius Societ. Ieſu Theologus, extat & Arabica, quam in Latinum vertit quidam hæreticus.

CAPVT LXXIV.

De Apocalypſi B. Ioannis Apoſtoli.

CVm Beatus Ioannes ſuam ante Euangeliũ ſcripſerit Apocalypſim; variæ ſolent adduci rationes ab interpretibus Sacris; cur tamen in ordine Biblico ponatur vltimo loco. Quarum potiſſimam puto, quod ſicut libri veteris teſtamenti, ratione materiæ diuiduntur in legales, hiſtoriales, Sapientiales, & Prophetales, ſic etiam libri noui teſtamenti, alij ſunt Legales, vt Euangelia; alij hiſtoriales, vt Acta Apoſtolorum; alij Sapientiales, vt omnes epiſtolæ Apoſtolicæ; ac denique Prophetales, qualis eſt liber Apocalypſis. Vndè abſolutis tribus prioribus librorum generibus, rectè vltimo loco ſuccedit Apocalypſis.

Hanc antiqui hæretici, vt Marcioniſtæ, teſte Tertulliano, lib. 4. contra Marcionem, & Alogiani, teſte Epiphanio, hæreſi 51. & 54. reiecerunt. Hęretici verò

verò nostri temporis parum in hac re sibi constantes videntur; cum enim Lutherus & Caluinus Apocalypsim, neque pro prophetico, neque pro Apostolico libro habuerint; à suis tamen Patriarchis degenerantes Magdeburgẽses, Augustinus Marloratus, & Theodorus Beza, quos sequuntur moderni Caluinistę, pro canonica illius authoritate acriter pugnant, vt ex ea probent Romanam Ecclesiam esse Babylonem, & consequenter Pontificem Romanum esse Antichristum, sed perperam, vt suis locis ostendunt Sacri Interpretes; imo dum Pontifici putant eruere vnum oculum, sibi alterum, imò vtrumque eruunt. Eorum enim seruum arbitrium, ac fidem solam iustificantem planè destruit, libertatem verò arbitrij, æque ac charitatis, aliarũque virtutum opera, & merita astruit Apocalypsis.

Non defuerunt etiam nonnulli olim Catholici, qui de huius libri auctoritate, vel authore dubitarint. Quidam enim Caius vetustus author apud Eusebium lib. 3. hist. cap. 28. audacter hunc librum reprobauit, affirmans esse fictionem, & commentum Cherinthi Hæretici Chiliastæ. Sanctus quoque Hieronymus in epistola 129. ad Dardanum testatur ita Græcos de Apocalypsi dubitasse contra commmunem Latinorum sententiam, sicut Latini de epistola ad Hebræos contra communem Græcorum consensum dubitabant. Gregorius Nazianzenus in Catalogo librorum sacrorum, eius non meminit, ita vt hoc suo silentio, eam non esse sacrum librum videatur innuere: Dionysius verò Alexandrinus apud præfatum Eusebium lib. 7. cap. 23. licet canonicum librum esse censuerit, dę eius tamen authore nonnihil dubitauit, sit ne Ioannis Apostoli, an alterius Ioannis cognomento Theologi, discipuli B. Ioannis Apostoli, & Euangelistæ, cum in omnibus gręcis codicibus habeatur, *Reuelatio B. Ioannis Theologi.*

His tamen non obstantibus dicendum est primò Apocalypsim esse librũ Canonicum; est de fide, vt patet ex definitione Ecclesiæ in Concilio Romano sub Gelasio I. Carthaginensi III. Florentino, & Tridentino sess. 4. cùm prius etiam in pluribus alijs Concilijs Apocalipsis vt diuinitus scripta, citata reperiatur. Concilium Nicęnum II. ait: Benedictus Deus, qui per Sanctum Apostolum dixit, Ego sum A. & Ω. Apocalyps. cap. 1. Item in Concilio Ancirano canone vlt. citatur Apocalypsis nomine Ioannis vt liber Canonicus, & in Concilio Toletano IV. Can. 16. Accedit consensus maioris & melioris partis Patrum Græcorum Dionysij cap. 3. Eccles. Hier. Justini in Dialogo cum Triphone; Irenæi lib. 5. circa finem, Clementis Alexandrini lib. 2. Stromat. cap. 5. & lib. 2. Pædag. cap. 19. Origenis homil. 1. in Exod. Nazianzeni orat. 32. & 35. Epiphanij hęresi 51. & 76. Chrysostomi homil. 3. in Psal. 91. Cyrilli Alexandrini lib. 6. de adorat. & spiritu, & aliorum plurimorum, quos citant Coccius in Thesauro lib. 1. Cardinalis Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 19. Dominicus Grauina Cathol. præscriptionum lib. 4. Quocirca Græcos, qui Hieronymo teste in epistola ad Dardanum, Apocalypsim non recipiebant, & paucos, & obscuros fuisse necesse est. Expresse enim Andreas Cesariensis in Apocalypsim de authoritate huius libri differens, ait, *Beatos illos viros Gregorium Theologum, Cyrillum Alexandrinum, multosque his vetustiores Papiam, & Ireneum, Methodium, & Hyppolitum, diuinum fideque dignum esse, non uno in loco tradere.* Et Epiphanius locis citatis inter hæreticos recenset eos, qui sacram Ioannis Apocalypsim tanquam Canonicam non recipiunt: adeò inualuerat inter Patres Grecos huius libri fides, & authoritas. Quod insuper obijcitur Nazianzenum in Catalogo librorum sacrorum huius non meminisse respondetur, cùm ipse non expresse doceat, ipsum non esse Canonicum, sed tantum illum omiserit, argumentum hoc ab authoritate negatiua petitum, Catholicorum reliquorum senten-

tentiam minimè posse labefactare. Deinde dico ipsum Apocalypsim in suo Catalogo, fortè non prætermisisse, sed malitiosè ab aliquo abrasam fuisse; cum certum sit eam à Gregorio Nazianzeno pro Canonica Scriptura fuisse agnitam, orat. enim 32. citata, quæ fuit habita in præsentia 150. Episcoporum, *Angelos vocari præsides Ecclesiarum*, ait, *quemadmodum in Apocalypsi Ioannes docet me*; & orat. 35. tanquam scripturæ testimonium citat illud cap. 1. *Qui erat, qui est, & qui venturus est &c.* ad probandum filij consubstantialitatem cum Patre. Quod etiam in specie de illo docet Andræas Cæsariensis loco superius citato, quem sequitur Aretas eius successor c. 1. & 2. in Apocalypsin, vbi citans præallegatum Nazianzeni locum ex orat. 32. ait. *Quidam veterum librum hunc alienū dicunt à dictione, & lingua Ioannis dilecti, ipsum ad alium referentes: sed non est ita. Siquidem Gregorius Theologus hunc inter germanos, & legitimos connumerauit, sicut me docet, inquit, Ioannis Apocalypsis.* Vnde satis patet dubitati non posse, quin S. Gregorius Nazianzenus agnouerit Apocalypsim esse librum Canonicum, & à Ioanne Apostolo conscriptum.

Quantùm ad Patres Latinos, omnes vnanimiter docent inter Sacros, & diuinos libros eam esse referendam, vt testatur Hieronymus in epistola iam citata ad Dardanum de terra promissionis. Ex quo Seuerus Sulpitius lib. 2. historiæ Sacræ, meritò asseruit librum hunc, nonnisi impiè & stultè respui: impiè propter Ecclesiæ definitionem: stultè verò, quia abire contra communem omnium sensum intolerabilis est insaniæ, ex Augustino epistola ad Ianuarium.

Dico secundò. Licet aliqui, inter quos est Dionysius Alexandrinus loco superius citato apud Eusebium, Apocalypsim tribuant Ioanni, non Apostolo, sed alteri Presbytero, & Christi discipulo, qui inde Theologus vocetur; tamen certum est eius authorem esse Ioannem Apostolum, & Euangelistam. Huic etiam eam attribuunt Concilia, & Patres iam citati, & plusquam centum Interpretes qui in Apocalypsim scripserunt quouis sæculo, citati ab Alcasar notat. 26. & à Cornelio à Lapide prolegom. in Apocalypsim.

Nec refert quod in Greco hic liber inscribatur, Apocalypsis vel Reuelatio Ioannis Theologi, quia cognomen Theologi appropriatum fuit Sancto Ioanni ob sublimitatem eius doctrinæ, qua de verbi diuinitate, altissimisque mysterijs profundissimè disseruit: vt pluribus demonstrat Cardinalis Baronius ad annum Christi 97. putatque Alcazar, primum nomenclaturæ huius authorem, scilicet, qui nomen Theologi tribueret S. Ioanni, fuisse Sanctum Dionysium Areopagitam in epistola decima, quæ inscribitur, *Ioanni Theologo, Apostolo & Euangelistæ exulanti in Patmo.*

Non obstat secundò, quod author huius libri sæpe repetat: *Ego Ioannes*: quod putat Erasmus multum abesse à modestia Ioannis Apostoli; atque adeo hunc librum non scripsisse. Respondeo enim primò, Ioannem in Euangelio vocauisse se dilectum discipulum, qui supra pectus Domini in cœna recubuit: hoc autem videtur multò magis cum eius modestia, quam repetitio sui nominis pugnare: deinde falsum est repetitionem hanc immodestiam aliquam arguere, quandoquidem ter tantum in toto libro inuenitur, vbi Daniel, qui erat Propheta modestissimus, octies in sua prophetia nomen suum repetijt: hoc autem fecit Ioannes, vt suam Apocalypsim contra Cherinthum, & Ebionem sui temporis hæreticos, magis confirmaret, eorumque dogmata contra diuinitatem Christi Domini cum maiori authoritate confutaret.

Tertiò tandem nullius momenti est, quod hic liber stylo differat ab Euangelio, & epistolis S. Ioannis. Cùm alia prorsus hic materia tractetur, scilicet prophetia, quæ alio etiam stylo scribi debuit, quam historia vel Ethica.

Quod attinet ad locum & tempus, qui-

quibus scripta est Apocalypsis; Ioannes Annius, Alphonsus Salmeron, & aliqui alij volunt eam fuisse conscriptam ante excidium Ierusalem per Titum. Verior tamen sententia docet id contigisse diu post illud. Primò enim conscripta est post relegationem S. Ioannis in Patmos, vt ipse ait cap. 1. vers. 9. hęc autem relegatio facta est à Domitiano, qui regnauit post Titum euersorem Ierosolymæ. Deindè cap. 2. vers. 13. facit mentionem Antipæ Martyris, qui sub eodem Domitiano passus est, vt habet Martyrologium Romanum 11. Aprilis; Quamobrē Irenęus lib. 5. sub finem, S. Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiast. Eusebius in Chronico, alijque plures, quos sequitur Baronius ad annum Christi 97. constanter asserunt S. Ioannem scripsisse Apocalypsim in insula Pathmos, quæ sita est in mari Asiatico & Icario, non longè à Candia, siue Creta, dum ibi exularet à Domitiano relegatus, & damnatus ad metalla, sub finem imperij eius, nimirum sub annum Christi 97. qui imperij Domitiani fuit 14. & penultimus.

Hinc sequuntur duo; primùm Apocalypsim scriptam esse 25. annis post euersam Ierusalem à Tito. Euersa est enim anno Christi 72. Apocalypsis autem scripta est anno Christi 97. Secundum, Ioannem scripsisse Apocalypsim, antequam scriberet Euangelium. Hoc enim scripsit reuersus ab exilio Patmos, vt docet S. Hieronymus & alij, sub annum Christi 99. (biennio post Apocalypsim) qui fuit annus Neruæ post Domitianum imperantis, primus. Deinde biennio post mortuus est S. Ioannes scilicet anno à Natiuitate Christi 101. ab eius passione 68. qui fuit Traiani Imperatoris secundus, cum ageret annum vitæ 106. vt tradit S. Hippolitus lib. de consummat. sæculi; vel, vt alij, 99. vel potius, vt Baronius, 93.

Inscribitur hic liber Apocalypsis, quod est nomen Gręcum, & latinè sonat reuelationem; notatque D. Hieronymus in epist. ad Galatas lib. 1. cap. 1. proprium esse scripturarum sacrarum: ita vt nemo sapientum sæculi hoc vsurpauerit in prophanis scripturis, quod nō sine speciali Dei consilio videtur factū, vt & ipsum nomen huius libri esset omnino singulare atque sacrum, qui eodem D. Hieronymo teste in epist. ad Paulinum, *tot habet sacramenta, quot verba*. Dum ergò S. Ioannes sic incipit: *Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere seruis suis, quæ oportet fieri cito: & significauit mittens per Angelum suum seruo suo Ioanni*: horum verborum sensus videtur esse; Hęc est, vel hic incipit prophetia Iesu Christo à Deo Patre non ænigmaticè, sed palam & apertè reuelata. Pater enim clarè loquitur Christo filio suo. *Quam dedit illi*, nimirum Christo, in sua conceptione, à prima cuius momento plenus fuit omni scientia, sapientia, gratia & virtute; *Deus palam facere*; id est, vt eam reuelaret, non apertè, sed per ænigmata & symbola, *seruis suis*; Christianis; mediante primùm Angelo, S. Ioanni, deindè per eum fidelibus. Ita vt hic liber, licet in re sit Apocalypsis, in modo tamen & phrasi respectu nostri sit Epicalypsis, id est, occultatio & velamen; dixi respectu nostri, quia Christo Domino, cui primùm reuelata sunt huius libri mysteria, fuit, & quo ad rem, & quo admodum Apocalypsis non Epicalypsis. Notandum tamen ita prophetias in hoc libro contentas, obscuras esse, vt multa etiam in eo sint præcepta vitæ clarissima; & pręsertim exhortationes ad perseuerantiam & patientiam tempore persecutionum.

Indè primò consentiunt omnes Interpretes, Apocalypsim esse librum omnium librorum S. Scripturæ obscurissimum & difficillimum; in eoque legendo vsurpandum esse, quod Aristoteles lib. 3. Rethor. refert Socratem lecto Heracliti, qui σκοτεινός, id est, tenebrosus, & obscurus vocatus est, libro pronuntiasse: Laudo quæ intelligo, laudo etiam quæ non intelligo.

Secundò consentiunt omnes præcipuum huius libri argumentum esse quid propheticum; quamuis inter se mirè va-

rient in illo determinatè assignãdo. Quidam enim, vt Ticonius, & ex eo Primasius, Beda, alijque plures existimant in Apocalypsi generaliter tantùm describi dissidia & bella inter probos & improbos, ac vtrorumque finem & exitum. Secundò Arias Montanus censet describi pugnam carnis & spiritus in quolibet homine. Tertiò putant alij, & verius, particulatim in Apocalypsi describi futuros Ecclesiæ per varias ętates euentus, non omnes, sed illustriores tantum aliquos; qua in re adhuc diuisi sunt; nam Lyranus, Antoninus & Aureolus putãt, Apocalypsim post monita Angelorum, id est, Episcoporum Asiæ, à cap. 4. ad finem futura prædicere per sex visiones, hac serie. A cap. 4. vsque ad 8. primam visionem septem sigillorum ad Iuliani Imperatoris tempora extendunt. Secundam septem tubarum cap. 8. & seq. ad Mauritium. Tertiam draconis & duplicis bestiæ cap. 12. & 13. ad Carolum Magnum. Quartam Phialarum cap. 15. & seq. vsque ad Henricum Imperatorē. Quintam Babylonis cap. 17. vsque ad Antichristum. Sextam denique, quæ finis libri clauditur, ad extremum iudicium, saluandorum gloriam, & damnatorum supplicia referunt. Abbas autem Ioachimus, Vbertinus & Seraphinus volunt describi in Apocalypsi septem Ecclesiæ status, scilicet, primum fundationis eius in Apostolis. Secundum persecutionis sub gentilibus Imperatoribus. Tertium prosperitatis sub Constantino. Quartum diuisionis sub hereticis. Quintum tranquillitatis & incremēti sub Carolo Magno, & deinceps. Sextum vltimæ persecutionis sub Antichristo. Septimum extremi Iudicij. Tandem Alphonsus Salmeron præludio 7. in Apocalypsim, cui subscribit Ludouicus Alcazar docent in Apocalypsi describi tantùm prima Ecclesiæ tempora, & sigillatim bellum Ecclesiæ cum Synagoga, & cum Gentilitate, ac de vtraque triumphum. ita vt à cap. 6. ad 12. agatur de Synagogæ & Iudaismi abrogatione: inde verò vsque ad cap. 20. de excidio Gentilismi, & Ecclesiæ Romanæ, præsertim primitiuæ, erectione & regno.

Verum istæ sententiæ communiter non placent; prima quia nimis generalis; secunda quia mystica & tropologica; tertia, quia licet ingeniosa, tamen quo ad omnes explicandi modos, partim violenta est, partim incerta, solidæque expositioni non satisfacit, vt rectè ostendit Cornelius à Lapide prolegom. in Apocalypsim. Vndè tàm ipse, quam alij interpretes communiter docent, argumentum Apocalypseos esse duplex. Primo enim, vsque ad cap. 4. exhortatur S. Ioannes fideles suos, ac corripit corrigitque mores septem Episcoporum & Ecclesiarum Asiæ. Vnde huc vsque historica & Ethica est Apocalypsis; deinceps vero prophetica. Secunda enim, & longe potiori parte, scilicet à cap. 4. vsque ad finem libri, prophetat S. Ioannes de rebus in Ecclesia futuris, maximè sub finem mundi tempore Antichristi: vbi etiam more prophetico subinde tēporis ordinem inuertit, vt rectè notat præfatus Cornelius, ex quo sic se habet totius Apocalypsis Chronotaxis.

Primò, tribus primis capitibus referuntur septem epistolæ, & monita Christi ad septem Episcopos & Ecclesias Asiæ Minoris.

Secundò cap. 4. & 5. S. Ioannes per visionem videt librum septem sigillis signatum in quo descripta erant, quæ ab eius tempore vsque ad finē mundi euentura sunt, & maximè sub tempora Antichristi. Nam septem sigilla continent ea, quæ futura sunt partim completè, partim inchoatè antè Antichristum: ipse verò liber signatus complectitur futura tempore Antichristi. Porro sigilla aperiri incipiunt cap. 6. & finiuntur c. 10. vers. 8. ibi enim apertis iam sigillis reseratur liber; quamobrem à cap. 11. vsque ad finem Apocalypsis, recensentur ea, quæ in libro signato repręsentata erant.

Tertiò, cap. 6. in primo sigillo, per equum album denotatur victoria Apostolorum & prædicatorum Euangelij de gentilismo, & gentibus Christo subactis & subi-

& ſubigendis. Secundo ſigillo, per equũ rufum repręſentantur decem fidelium perſecutiones à decem Imperatoribus Romanis vſque ad Conſtantinum. Tertio ſigillo per equum nigrum adumbratur arrianiſmus, & hęreſes, quæ poſt perſecutiones Imperatorum, cæperunt ſub Conſtantino Magno Eccleſiam Dei oppugnare. Quarto ſigillo per equum pallidum ſignificatur Mahomet, eiuſque ſecta quæ etiamnum Eccleſiam perſequitur. Quinto ſigillo prodeunt animæ Sanctorum Martyrum, petentes perſecutionum finem & vindictam. Sexto ſigillo, tranſit Ioannes ad tempora nouiſſima: vndè videt ſolem obſcurari, lunam rubeſcere, ſtellas de cælo cadere &c. quapropter deinceps vſque ad finem libri agit de temporibus nouiſſimis, nimirum de tempore Antichriſti.

Quartò cap. 7. ſignantur electi Iudæi & Gentiles, ne plagis Dei, eiuſque ſeptem Angelorum, iam iam in orbem, id eſt, in impios immittendis tangantur. Quæ ſignatio pertinet ad ſextum ſigillum de quo cap. 6. præcedit enim plagas, quæ ſeptimo ſigillo continentur: atque adeo præcedet Antichriſtum, intellige inchoatè. Iudæi enim incipient cõuerti & ſignari ante Antichriſtum, plenè autem & vniuerſim conuertentur & ſignabuntur poſt illum.

Quintò cap. 8. & 9. aperitur ſeptimum ſigillum, prodeuntque ſeptem Angeli ſeptem plagas immittentes in orbem, id eſt, in impios non ſignatos. Has plagas in genere & breuiter prædixit Chriſtus Dominus Matth. 24. Marci 13. Lucæ 21. verum Ioannes hic particulatim eas enarrat.

Sextò cap. 10. S. Ioannes videt Angelum glorioſo habitu iurantem, quod amplius non erit tempus, id eſt, quod inſtet finis mundi: mox reboant & conſonant eidem ſeptem tonitrua. Deindè verſu 8. apertis iam ſeptem ſigillis iubetur librum anteà ſignatum, nunc verò apertum deuorare. Quare terminantur hic ſigilla & prior pars Apocalypſis, complectens ea quæ præuia erunt Antichriſto; incipitque ſecunda, quæ eſt ipſe liber, ſiue materia libri. vndè

Septimò cap. 11. recenſet ea quæ libro continebantur, quæ omnia ſpectant ad tempus Antichriſti. prędicit enim magnam Eccleſiæ & fidelium partem tradendam Antichriſto, ac contra eum certaturos Eliam & Enoch, quaſi duces belli ſacri contra Antichriſtum. Quorum quia hoc capite cœpit hiſtoriam, ne cogatur eam repetere, hinc totam hoc loco pertexit Ioannes, agitque de eorum morte, martyrio, reſurrectione & aſcenſione in cælum; quorum proprius locus videtur eſſe, vt ponantur cap. 19. ante verſum 11. nimirum ante prælium quod Chriſtus Dominus geſturus eſt contra Gog & Magog, & Antichriſtum, ſiquidem paulò antè eorum ſtragem occidentur Elias & Enoch, reſurgent & aſcendent in cælum.

Octauò deſcribit bellum dæmonis cum fidelibus & Eccleſia per Antichriſtum toto cap. 12. Nono cap. 13. deſcribit Antichriſtum, eiuſque mores & pręcurſorem, ſub ſpecie & ſymbolo duarũ beſtiarum. Decimo cap. 14. deſcribit gloriam Virginum, qui generosè reſiſtent Antichriſto. deinde ea occaſione diem iudicij, & pœnas reproborum in gehenna ſummatim attingit. Vndecimo cap. 15. & 16. deſcribit ſeptem plagas nouiſſimas. Duodecimò, poſt has ſequetur excidium Babylonis, de quo agit cap. 17. & 18. vbi per Babylonem deſignatur non Eccleſia Romana, vt perperam intelligunt hæretici, ſed vrbs Roma, non quæ eſt, aut fuit, ſed quæ erit in fine mundi, quando nimirũ ex Chriſtiana tunc rurſum fiet Etnica, Pontificemque Romanum & fideles ei adhærentes eijciet, perſequetur, & occidet vti dicitur verſ. 6. vnde vocatur meretrix: quia omnium Deorum cultu, ſuperſtitionibus & vitijs imbuta, quaſi meretrix proſtituta cunctis gentibus, gentium dijs ſedebit. Deindè poſt enarratum initio cap. 19. iubilum & exultationem Sanctorum, incipit referre præliũ Chriſti extremum contra Antichriſtum, Gog

& Magog; eiusque relationem perficit cap. 20. & mox post horum stragem, describit Christum venientem ad iudiciū extremum; capite verò 21. & 22. gloriam cælestis Hierusalem Martyribus, & Sanctis generosè certantibus in illo die præparatam. Scopus enim & finis præcipuus, quē in hoc opere spectauit Ioannes, fuit vt per hęc omnia, fideles tùm sui temporis, tum deinceps futuros excitaret ad constantiam in fide & pietate, ac ad Martyrium sub Domitiano, alijsque persecutoribus fortiter obeundum.

Superest vltimo loco notare, B. Ioannem non Hebraicè, nec Latinè sed Gręcè scripsisse Apocalypsim, quia scribit eam septem Episcopis & Ecclesijs Asiæ vt patet cap. 1. ver. 8. Insuper Syriaca versio noui testamenti, quæ extat in Biblijs Regijs, in sola Apocalypsi desideratur. Illa tamen Romæ extat in Bibliotheca Vaticana, æque ac versio Arabica.

CAPVT LXXV.

Afferuntur ex dictis variæ diuisiones sacræ Scripturæ, seu librorum Canonicorum.

PRimum ratione temporis diuidi potest in Vetus & Nouum testamentum, siue in libros Veteris ac Noui testamenti, illos scilicet, quos Spiritus Sanctus ante & post Christi Domini Incarnationem dictauit. Vbi notandum Scripturam vocari testamentum, Hebraicè berith, Græcè verò διαθήκην, Metonymicè, quatenus nempe res contenta pro continente, vel res significata pro signo accipitur, secundum satis communem loquendi modum. Instrumenta enim Notariorum, quibus contrahentium voluntates significantur, communiter appellantur contractus aut testamenta, quorum tamen sunt signa tantum & testificationes. Cum autem testamentum etiam dupliciter accipi possit, primò latè, siue quatenus confunditur cum pacto & fœdere, quod à morte vel vita abstrahit, certas tamen conditiones vltrò citròque requirit; secundò magis strictè, siue quatenus est vltima testatoris voluntas qua bona sua heredibus legat, atque adeò vim non habet, nisi per mortem ipsius testatoris. Putant aliqui S. Scripturam dici testamentum primo dumtaxat modo, si quidem ex parte Dei continet promissionem vitæ æternæ, & aliorum bonorum: ex parte verò hominum conditiones bene viuendi, & mandata Dei ad amussim obseruandi; non autem secundo: Sic enim ea pars scripturæ, quæ Vetus dicitur, propriè testamentum appellari non posse videtur: quandoquidem mors testatoris, nempe Dei non intercessit, neque potuit intercedere.

Probabilius tamen eum alijs dicendum est S. Scripturam tam Veterem quam Nouā vtroque modo vocari posse testamentum, siue scripturam testamentariam; quatenus, supposito etiam quod ad validitatem testamenti, propriamque eius rationē ex Apost. Hebr. 9. mortem testatoris intercedere necesse sit (de quo dubitant multi in testamento diuino, & hæreditate ab eo prouenienti, quę in hoc ab humana differt apud August. serm. de verbis Dom. secundum Ioannem; quod, *nullus*, inquit, *in terra possidet hæreditatem Patris, nisi mortui, Nos verò viuo patre nostro possidebimus, quod donabit, quia pater noster mori non poterit. Plus addo & plus dico, & verum dico, ipse pater erit hæreditas nostra)* adhuc potest dici Vetus testamentum vituli morte & sanguine fuisse dedicatum, sicut Nouum morte & aspersione sanguinis Iesu Christi; vndè rectè Theodoretus loco citato epist. ad Hebręos ait: *Quia natura diuina est immortalis, per hostiarum sanguinem impleuit Deus mortis figuram, & testamentum confirmauit.* Vel insuper, cum Vetus testamentum vmbra fuerit & typus Noui, satis fuit ad eius confirmationem mors Christi typica in immolatione victimarum prę-signata, cuius postea reali ac vera morte nouum erat confirmandum; qua in re potissimum nouum testamentum præ-

cellit

cellit Veteri; sed tam de hac, quam de alijs Noui testamenti prærogatiuis videri potest Barrad. lib. 1. in Euang. cap. 2. Cornelius à Lapide procem. in Euang. alijque plures ibidem.

Secundò ratione authoritatis duo distingui debent librorum genera in Biblijs: quidam enim dicuntur Canonici, quia eos à Spiritu Sancto, tanquam præcipuo authore prodijsse, per Ecclesiam constat; alij verò Apocryphi, id est, occulti, de quibus an à Spiritu Sancto manarint, incertum & occultum est: ideoque à sacrorum librorum catalogo, eo nomine meritò reijciuntur. Pro Canonicis, constans est omnium Catholicorum sententia, omnes illos, qui in Latina vulgata Bibliorum editione continẽtur, esse Canonicos, præter orationem Manasse Regis Iuda, cum captus teneretur in Babylone, duos posteriores libros Esdræ, & duos etiam posteriores Machabæorum, qui propterea in fine Bibliorum, extra scilicet seriem Canonicorum librorum, sepositi sunt, quos sancta Synodus Tridentina suscepit, & pro Canonicis suscipiẽdos decreuit sessîon. 4. vbi, post recensitum illorum numerum, scilicet, quadraginta quinque ex Veteri testamento, & viginti septem ex nouo, hęc verba subduntur: *Si quis autem libros illos integros cum omnibus suis partibus, pro vt in Ecclesia legi consueuerunt, & in veteri vulgata editione habentur, non receperit pro sacris & Canonicis Anathema sit.*

Porro libri Canonici sunt duplicis etiam generis, alij enim vocantur Protocanonici, alij Deuterocanonici, primi scilicet & secundi ordinis; priores sunt de quibus in Ecclesia Dei nunquam à Catholicis hactenus dubitatum fuit, sed nec vnquam dubitabitur: dixi à Catholicis, quia constat quosdam eorum à nõnullis hæreticis fuisse reiectos, vt à Manichæis totum vetus testamentum, tanquàm à malo authore & principio conscriptum. Posteriores verò sunt, de quibus nonnunquam ab aliquibus Catholicis dubitatum fuit, sed tamen amplius non dubitatur, nec vnquam ab vllo Catholico dubitabitur. Protocanonici sunt infrascripti; *Pentateuchus, siue quinque Moysis libri, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium; libri Iosue, Iudicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, duo Esdræ, Iob, Psalterium centum quinquaginta Psalmorum, Prouerbia, Ecclesiastes, Cantica Canticorũ, quatuor Prophetæ Maiores, & duodecim Minores; quatuor Euãgelia, Acta Apostolorum, Epistola tredecim D. Pauli, omnes nempè excepta solà ad Hebræos, prima Petri, & prima Ioannis.*

Deuterocanonici verò sunt ex Veteri testamento; *Esther, Tobias, Iudith, Baruch, Sapientia, Ecclesiasticus, hymnus trium puerorum Daniel. 3. historia Susannæ, & Draconis Daniel. 13. Itemque oratio Azariæ, sicut & oratio Ieremiæ circa finem Threnorum, Machabæorum primus & secundus.* Ex nouo testamento *caput vltimum Marci ab eo loco, surgens autem Iesus, & ex cap. 22. Lucæ, historia de sudore Christi sanguineo, & de confortatione eiusdem Christi per Angelos, Ioannis 8. historia de muliere adultera, & ex prima epistola eiusdem hæc verba, tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum sunt. Item tota epistola ad Hebræos, epistola Iacobi & Iudæ, secunda Petri, secunda & tertia Ioannis, & denique Apocalypsis eiusdem.* Qui tamen omnes libri non sunt minoris authoritatis, quàm alij primi ordinis; etsi enim nonnulli Catholici eos aliquando in dubium reuocauerint, postea tamen ab omnibus recepti sunt, & traditione Apostolica commendati, quæ cum initio non ita perspecta aut explorata esset, sensim tamen Spiritu Sancto Ecclesiæ suæ affulgente, ab eadem in sacrorum librorum numerum sunt relati, cuius est tanquam regulæ certæ & infallibilis de ea re, sicut & de singulis alijs ad fidem pertinentibus statuere. Vide superius dicta cap. 30. huius Sectionis.

Quod pertinet ad aliud genus librorum in Biblijs contentorum, qui dicuntur Apocriphi, cũ hæc vox, quæ Græca est,

eſt, & rem occultam, ac reconditam latinè ſignificat, ab Eccleſiaſticis Scriptoribus non eodem ſemper modo vſurpetur. Interdum enim Apocryphos vocant eos libros, quorum author ignoratur, interdum qui errores admixtos habent; interdum quorum authoritas in Eccleſia latet, ſeu in quibus ipſa ſolidam & plenam authoritatem non agnoſcit. Cum, inquam, præfata vox tot habeat ſignificationes, in præſenti diuiſione non ſumitur primo modo, ſic enim multi etiã libri Canonici deberent dici apocryphi, quorum authores ſecundarij neſciuntur, dixi authores ſecundarij, quia ſi doctores illi, qui in prima acceptione vocem *apocryphum* vſurpant, vellent ſolùm librum aliquem apocryphum tunc iudicari, quando ignoratur author primarius ſiue quando incertum eſt an à Deo prodierit, ſic talis acceptio coincidit cum tertia, etiam ſi de authore ſecundario talis libri certò conſtaret. Non ſumitur adhuc ſecundo modo, ſic enim libri non tam apocryphi quam pſeudographi dicendi ſunt, quales ſunt illi, quos enumerat Gelaſius Papa diſtinct. 15. Can. *Sancta Romana Eccleſia*; & in vnum collegit Bellarm. lib. 1. de Verbo Dei cap. 20. & fuſius Magiſter Grauina lib. 4. Cathol. præſcript. de Verbo Dei ſcripto. Tertio igitur modo ſumitur hic vox apocryphũ quæ, vt notauimus, cum ſignificet obſcurum, & occultum, meritò accommodatur libris, quorum authoritas in Eccleſia latet, vel qui licet à nonnullis Patribus in numero librorum Canonicorũ ſint habiti, nunquam tamen publico Eccleſiæ calculo ſunt approbati, ſed potius negatiuè circa illos ſe habet, cuiuſmodi ſunt, Oratio Manaſſe, liber tertius, & quartus Machabæorum nec non Eſdræ.

Tertiò librorum veteris teſtamenti duplex iterum eſt Canon, Eccleſiæ Catholicæ vnus, quem ſtatim adduximus alter Hebræorum, qui, vt refert D. Hieronymus in prologo galeato, triplicem faciunt ſacrorum librorũ ordinem. Primo ordine continentur quinque libri Moyſis, quos Hebræi propriè Thorat id eſt legem appellant, vt ſunt, Bereſith, quem nos Geneſim dicimus; Veelle Semoth, qui Exodus appellatur; Vaijcra, id eſt Lèuiticus; Vaiedabber, quem Numeros vocamus: Ellehaddebarim, qui Deuteronomium prænotatur. Secundum ordinem faciunt Prophetarum, & incipiunt ab Ieſu filio Naue, qui apud eos Ioſue ben Nun dicitur. Deinde ſubtexunt Sophetim, id eſt, Iudicum librũ & in eumdem compingunt Ruth: quia in diebus Iudicum facta eius narratur hiſtoria. Tertius ſequitur Samuel, quẽ nos Regum primum & ſecundum dicimus. Quartus Melachim, id eſt Regũ, qui tertio & quarto Regum volumine apud nos continetur. Quintus eſt Iſaias, ſextus Ieremias, ſeptimus Ezechiel, octauus liber duodecim Prophetarum Minorum, qui apud illos vocatur Thereaſar. Tertius ordo Hagiographa poſſidet, & primus liber incipit à Iob; ſecundus à Dauid, quem quinque inciſionibus, & vno Pſalmorum volumine cõprehendunt: Tertius eſt Salomon, tres libros habens: Prouerbia, quæ illi Miſle, id eſt, parabolas appellant: Quartus Eccleſiaſtes, id eſt Cohelet: Quintus Canticum Canticorum, quem titulo Sirhaſſirim prænotant: ſextus eſt Daniel: Septimus Dibrehaiamim, id eſt verba dierum, qui liber apud nos Paralipemenon primus, & ſecundus inſcribitur. Octauus Eſdras, qui & ipſe ſimiliter apud Græcos, & Latinos in duos libros diuiſus eſt. Nonus Eſther. Atque ita fiunt veteris legis libri viginti duo: id eſt Moyſis quinque; Prophetarum octo, Hagiographorum nouem. Quanquam nonnulli Ruth, & Cinoth, id eſt Threnorum librum, à Prophetalibus ſeparantes, & inter Hagiographos collocantes, numerent priſcę legis libros viginti quatuor; alij verò viginti ſeptem, à quibus quinque libri duplices æſtimantur, Samuel, Melachim, Dibrehaiamim, Eſdras, Ieremias, cum Cinoth, id eſt lamentationibus ſuis.

Vnde etiam apud eoſdem Hebræos ori-

originem habuit triplex ratio supputandi libros Canonicos iuxta numerũ Hebraicarum litterarum. Prima per viginti, & duas litteras; vt quemadmodum viginti duo elementa sunt, quibus omnia quæ dici, scribique possunt Hebraicè, comprehenduntur; ita viginti duo sint volumina, quibus continentur omnia, quæ de diuinis rebus sciri, & enunciari queant. Altera supputatio eorum, qui viginti quatuor libros veteris testamenti distinguunt, fit etiam iuxta eumdem litterarum numerum, fit tamen repetita littera Iod in honorem diuini nominis. Solent enim Iudæi nomen illud Dei quadriliterũ, quod apud ipsos propter Dei reuerentiam lingua, & voce proferre nefas est, triplicata littera Iod more Chaldaico conscribere hoc modo. ''' Tertia tandem aliorum supputatio, qui viginti septem libros numerant, fit iuxta numerum viginti septem characterum Iudaicorum, resultantem ex viginti duobus simplicibus elementis, quibus constat totum Alphabetum Hebraicum, & ex quinque finalibus, sex repetitis & duplicibus litteris. Quinque enim sunt apud Hebræos geminatæ, siue biformes litteræ, quæ in fine dictionũ aliter scribuntur, quam in principio, & in medio, videlicet Caph, Mem, Nun, Pe, Sade.

Quartò tam veteris quàm noui testamenti Canon, seu librorum ordo, à Sacris doctoribus ratione materiæ diuidi solet in quatuor classes, nempè Legalium, Historialium, Sapientialium, & Prophetalium. Veteris testamenti legales sunt quinque libri Moysis, in quibus præcipuè explicatur lex diuina. Historiales qui ad narrationem rerum gestarũ principaliter referuntur, sunt octo, videlicet, liber Iosue, Iudicum, Ruth, Regum libri quatuor, Paralipomenon duo, Esdræ primus & secundus, qui dicitur Nehemias, Thobias, Iudith, Iob, & duo primi Machabæorum. Sapientiales, siue Parænetici, & exhortatorij, qui scilicet monita salutis continent, & doctrinam virtutum, quas populus Dei in vita ac moribus obseruare debet, sunt quinque, videlicet Prouerbia Salomonis, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus. Prophetales denique sunt numero 17. (si Baruch à Ieremia separetur) videlicet Psalterium Dauidis, Prophetia Isaiæ, Ieremiæ, Baruch, Ezechielis, Danielis, Osee, Ioelis, Amos, Abdiæ, Ionę, Michææ, Nahum, Habacuc, Sophoniæ, Aggęi, Zachariæ, Malachię, à quibus præcipuè futura prędicuntur: dico pręcipuè, quia in omnibus quędam intermiscentur, quę ad alia, quam ad finem pręcipuum pertinent. In legalibus enim aliquę narrantur historię. In Historicis verò quędam de lege diuina, sicut & in Sapientialibus aliquando futura prædicuntur, & in Propheticis aliqua ad salutis monita spectantia continentur. Ex nouo autem testamento libri legales sunt, quatuor Euangelia: Historialis vnicus est, qui Acta Apostolorum inscribitur. Sapientiales quibus hominum fidelium mores instruuntur, sunt Apostolorum epistolę, omnes numero 21. videlicet Beati Pauli quatuordecim; B. Petri Apostoli duæ: B. Ioannis Apostoli tres: B. Iacobi Apostoli vna. B. Iudæ Apostoli vna. Prophetalis liber vnus est, nimirum B. Ioannis Apostoli Apocalypsis.

Quintò veluti ratione formæ, siue diuersi generis orationis, libri Sacri Veteris præsertim testamenti diuiduntur in Poeticos, siue Carmineos, & in oratione soluta scriptos; Poetici secundum opinionẽ multorum sunt quinque duntaxat, Iob, Dauid, Prouerbia, Ecclesiastes, & Cantica. Sextò tandem libri sacri, tam veteris, quam noui testamenti, ratione diuersorum idiomatum quibus primùm conscripti fuere, diuidi possunt in Hebraicos, Chaldaicos, Græcos, & Latinos. Ex veteri testamento omnes libri primum editi sunt Hebraicè, exceptis Iudith, Tobia, & quibusdam partibus libri Esdræ, & Danielis, qui Chaldaicè scripti sunt, vt testatur D. Hieronymus præfat. in Danielem: vbi cum ijs adhuc reponit quasdam partes Ieremię,

sub-

subiungitque librum Iob Arabicis vocibus permixtum esse: quia tamen præfati libri maiori ex parte lingua Hebraica scripti sunt, ideo Hebræi censentur. A dicto etiam numero excipiuntur liber Sapientiæ, & liber secundus Machabæorum, quos suo loco diximus probabiliter fuisse Græcè originaliter scriptos. Tota Scriptura noui testamenti Græca est, præter Euangelium S. Matthæi, nec non epistolam ad Hebræos, quam etiam probabilius est primo fuisse editam Hebraicè, aut Syriacè: quia hæc lingua eo tempore inter Iudæos communis erat, & Hebraica vocabatur, quamuis non esset germana Hebraica, sed corrupta ex commixtione multarum vocum Chaldaicarum cum Hebraicis; & denique Euangelium S. Marci, quod ab eo Latinè editũ fuisse diximus ex Baronio tom. 1. Annal. Tantum de præcipuis, ac Theologo magis necessarijs Sacræ Scripturæ diuisionibus: si quidem aliæ innumeræ per ordinem ad diuersa pro vniuscuiusque arbitratu multiplicari possunt.

CAPVT LXXVI.

Breuis Noui testamenti, librorumque eius Chronotaxis.

CVm Historia Euangelica Noui testamenti duas principales habeat partes; quarum vna complectitur acta Christi Domini ab eius Conceptione vsque ad gloriosam in Cœlos Ascensionem: altera verò Acta Apostolorum post eamdem: incipiendo à prima, in qua solent quatuor Euangelia recto ordine temporis digeri, & inter se ordinari, vt sic vna vitæ Christi historia efficiatur, prænotanda sunt aliqua, quæ huic rei facem aliquam præferre possunt.

Primò diligenter aduertendum est ex D. Chrysost. præfat. in Math. homil. 1. Euangelistas quidem in illis principalibus causis, in quibus & vita nostra, & & prædicationis summa consistit, nusquam aliquem illorum, vel in minimo discrepare; nempè quod Deus homo factus sit, quod mirabilia operatus, quod crucifixus, quod mortuus, quod sepultus, quod resurrexit, quod ascendit in cœlum, quod iudicaturus est, quod salutaria præcepta constituit, quod non contrariã legem intulit priori, quod Filius Dei est, quod Vnigenitus, quod Germanus & verus, quod eiusdem cum Patre substantiæ, & quæcunque sunt talia. Cæterum cum Euangelistarum scopus, & propositum fuerit, non omnia dicta, factaque Christi Domini enarrare, sed pauca è multis, præcipua è communibus seligere vt per ea doctrinæ, & vitæ Christi imaginem, & quasi ideam nobis proponerent. Inde etiam sequitur eos sæpè non seruare ordinem temporis in referendis Christi dictis, & factis; multa etiam prætermittere vnum, ac silere, quæ alij exprimunt. *Nam si vnus*, inquit Chrysost. *vniuersa dixisset, superfluus iã fuisset numerus cæterorum: sin varia omnes inter se scripsissent, ac noua omnia, nullum potuisset conuenientiæ apparere documentum. Propterea & communiter multa dixerunt, & nihilominus quisque propriũ aliquid ac speciale conscripsit, vt neque superfluus esse videretur & temerè adiectus, & accuratam, & exactam Euangelicæ veritatis narrationem exhiberet.*

Vndè secundò non audiendi sunt illi, qui temporis ordinem ab omnibus Euangelistis vbique seruatum esse contendunt. Etsi enim B. Ioannes, qui reliquis serius scripsit, id sibi proposuisse videatur, vt res ordine narraret; vnde solus per Paschata & aliquos dies festos prædicationis Christi tempus distinguit; cœteri tamen vix curarunt quid quo loco ponerent, modo vera referrent; ideoque sæpius à temporis ordine recesserunt, dum vel omissa recolunt, vel quod postea gestum est, ante præoccupant, vt ait D. August. lib. 2. de consensu Euangelist. cap. 21. Quod certè negari non posse videtur. Primò quia trium Euangelistarum, qui Ioannis incarcerationis meminerunt, nullus eam suo loco refert. Lucas enim cap. 3. 19. eam anticipat occasione correptionis Herodis. Mathæus

verò & Marcus serius referunt occasione decollationis eiusdem Ioannis. Insuper, in tentationibus Christi referendis eundem Matthæus & Lucas ordinem non seruant: ita vt necesse sit, vel alterutrum temporis ordinem non seruasse, vel quater Christum tentatum, & quidem bis eadem tentatione, quod à veritate Historię Euangelicæ videtur omnino alienum. Tandem qui ab Euangelistis, nihil non suo positum loco esse volunt, in eas angustias rediguntur, vt pleraque Christi facta & miracula, quæ nemo non eadem credidit, contra omnium iudiciũ, contra communem sensum diuersa facere cogantur; vt historiam Hæmorroissæ, Centurionis, dæmonum in porcos immissorum, & alias plures.

Tertiò notandum est ex D. Augustino lib. 2. de consens. Euangelist. cap. 12, non propterea dissentire Euangelistas, etiam si eadem non ijsdem verbis efferant, nec eodem loco, vel ordine, & modo narrandi; imo potius quod ita se habeat, quodque cum vnus sufficeret Euãgelista cuncta narrare; quatuor tamen sint qui Euangelia conscripserint, docet Chrysostomus loco iam citato, hinc maximè Euangeliorum veritatem elucescere. *Si enim*, inquit, *ex toto, & in omnibus consonarent, & cum nimia diligentia, atque cura vsque ad tempora & loca omnia, vsque ad singula æqualiter verba concurrerent; nemo inimicus credidisset vnquam, quin illi communi ad decipiendum consilio congregati, quasi ex humana quadam conspiratione Euangelium conscripsissent. Non enim simplicitatis fuisse tam sollicitam consonantiam indicarent. Nunc verò quæ videtur in rebus exiguis dissonantia, ab omni illos suspicione defendit, & satis clarè scribentium existimationem tuetur. Si verò aliquid de temporibus, ac locis variè dixerint, nihil quidem dictorum præiudicat veritati*. Nam si diligenter inter se conferantur Euangelistæ illi, qui idem Christi factum, dictumue narrant, quique proinde in Biblijs ad marginem adnotari solent, clarè constabit in his etiam omnibus maximam illorum esse concordiam.

Hinc quartò, & si diuino planè consilio factum sit, vt admiranda Saluatoris nostri acta, dictaque non ab vno sed à quatuor Scriptoribus commendarentur fidei nostræ; semper tamen probata est eorum diligentia, qui concordias siue harmonias Euangelicas contexere, hoc est vnum veluti è quatuor Euangelijs Euangelium, siue Monotessaron cõficere conati sunt, vt per hanc mutuam Euangelistarum inter se collationem, tum quę varia à varijs referuntur, suo quęque tempori reddita, plenam & integram Christi historiam vno contextu legendam offerrent; tùm vbi eadem vel facta vel verba à multis referuntur, se inuicẽ illustrarent, & explicarent. Qua autem ratione, vel methodo id præstandum sit non conuenit inter omnes. Aliqui enim existimant istam Euangelistarum inter se collationem ita fieri debere, vt proprius cuiusque Euangelistæ ordo nusquam interturbetur, vel quia sunt in ista sententia, quod nullus vnquam Euangelista ab accurato temporis ordine recesserit; vel quia licet contrarium agnoscant, religioni tamen ducunt, quem quisque secutus sit ordinem inuertere, satiusque existimant fine vlla textus transpositione, quæ per anticipationem, vel recapitulationem ab vnoquoque dicta sunt indicare. Quam Euangelia connectendi rationem amplexus est Cæsar Becillus Vrbinas Presbyter congregat Oratorij de Vrbe; & alij à fortiori existimantes, cum eadẽ res à pluribus Euangelistis narratur, eorum verba inter se misceri non debere, vt plena, & cohærens historia habeatur; sed vel distinctis in columnis simul prospicienda proponi debere, vel vnum locum sub altero distinctè collocari; primum modum secutus est Alanus Copus secundum præfatus Becillus.

Verùm vt priorum opinio videtur omnino falsa, qui temporis ordinem ab omnibus Euangelistis vbique seruatum esse contendunt, ita posteriorum religio prępostera: licet enim magni faciendus sit, quem quisque Euangelista ordinem

nem tenuit: eum tamen integrum, & illibatum habere non possumus, nisi cũ vnumquemque seorsim legimus. At vbi de quatuor Euangelijs in vnum coniungendis agitur, non iam de cuiusque proprio, sed de communi, hoc est de temporis, & rerum ipsarum ordine vnicè curandum est; cum hac sola ratione continuam, & coherentem Saluatoris historiam habere possimus, qui harmoniarum Euangelicarum scopus ac finis esse debet; altera autem talis sit, vt & eadem res frequenter sit repetenda, & nouo labore opus, vt deprehendatur, quid in eadem historia narranda quisque Euangelista singulare habeat, quid cum alijs commune. Vnde præferenda omninò est aliorum sententia, qui ad optimam concordias Euangelicas contexendi rationem, quatuor sequentia præcepta desiderant. I. Vt quæ à quatuor Euangelistis scripta sunt suo quęque ordini reddantur, quantauis transpositione ad id præstandum opus sit. II. Cum eadem res à pluribus narratur, ita ex plurium verbis oratio contexatur, vt qui hanc historiam, prout à multis narratur, nosse voluerit, sæpius eam legere necesse non habeat. III. Ita id fiat; vt primo statim intuitu appareat quid ex quo Euangelista desumptum sit. IV. Quæ ad connectendam historiam necessaria non sunt, ita ad marginem reijciantur, vt nullius Euangelistæ verbum omittatur, nec vllum quod Euangelistæ non sit, adijciatur.

Quæ omnia præcepta in nullis ex hactenus editis Euangeliorum concordijs melius obseruata videntur, quam in ea quæ à Ioanne Rubo anno 1575. Duaci typis mandata est, cuius tamen primus author absolutè censendus non est, cum hæc Rubi concordia nihil aliud sit, quàm Cornelij Iansenij Episcopi Gaudauensis Euangelica concordia anno 1549. in lucem primum edita, sed à Ioanne Rubo postmodum commodiùs ordinata. In vtraque enim idem numerus capitum 150. In vtraque idem ordo rerum gestarũ, quem semel tantùm correxit Rubus, sed malè, dum ex vno leptoso duos facit, contra communem Interpretum sententiam. Solummodò cũ Iansenius quindecim prioribus Alphabeti litteris vsus esset ad significandum quid vnicuique Euangelistæ proprium, quid cum alijs & cum quibus, atque cũ quot commune: ita vt quatuor primæ A. B. C. D. singulos Euangelistas solos loquentes designarent: sex quę sequuntur E. F. G. H. I. K. binos. Quatuor aliæ L. M. N. O. ternos, & postrema P. omnes simul: Ioannes Rubus ex tot litteris solas quatuor primas retinuit, toties rem & verba repetens, quoties in diuersis Euangelistis reperiuntur, sed semel tantùm in contextu, reliquis in marginem reiectis. Meritò igitur præfatorum doctorum concordiæ Euangelicæ cæteris præferri solent; vnde etiam nos hic eorumdem ordinem subsequemur, in hac nostra breui noui testamenti Chronotaxi, cuius quia exacta notitia potissimum dependet ex anno Christi natalitio.

Quintò notandum est varias esse de illo doctorum sententias. Prima enim censet Christum natum anno 41. Iuliano qui fuit annus 40. regni Augusti, Herodis 36. Romæ conditæ 749. Olympiadis 193. annus quartus. Anni Iuliani incipiunt ab anno quo Iulius Cesar reformauit Calendarium, qui fuit vitæ, & regni eius penultimus: anno enim sequente occisus, successorem reliquit Augustum Cæsarem: hinc fit vt anni Iuliani semper vno anno antecedant annos Augusti; Huic sententiæ, quã sequuntur plures insignes Chronologi, quæque valdè conuenit eum historijs sacris & prophanis, quia potissimum obstat, quod Lucę 3. v. 1. & 23. de Christo cum baptizaretur anno 13. Tiberij Cæsaris, dicatur: *Iesus erat incipiens quasi annorum triginta*; cum iuxta hanc sententiam fuerit annorum 32. saltem inchoatorum. Nam Augustus regnauit 57. annos. Ergò Christus nascens anno 40. Augusti, cum eo vixit annos 17. quibus addendo 15. Tiberij habebuntur 32. Respondent eius authores, Christum dici quasi vel cir-

circiter 30. annorum, quia erat 32. quatenus sicut in alijs rebus, ita in annis Christi numerum rotundum neglectis paucorum annorum minutijs vsurpare potuit scriptura. Hinc etiam à nonnullis olim Christus dicebatur passus cum esset 30. annorum.

Secunda tenet Christum natum anno 42. Iuliano, qui fuit 41. Augusti Cęsaris, ab Actiaca victoria 29. Regni Herodis 37. Vrbis conditæ 750. Olympiadis 194. annus primus: ita sentit Seuerus Sulpitius, cui Tertullianus, S. Irenæus & S. Hieronymus fauere videntur.

Tertia docet Christum natum anno 43. Iuliano, qui fuit 42. Augusti, Herodis 38. Vrbis conditæ 751. Olympiadis 194. annus secundus. Ita Clemens Alexandrinus, Cassiodorus, Zonaras, Marianus Scotus, Baronius, Salianus, Toletus, Genebrardus, Salmeron, Serrarius, Scaliger, alijque plures; & sic habet Martyrologium Romanum die 25. Decembris si excipias annum Vrbis conditæ, quem numerat 752.

Quarta asserit Christum natum anno 44. Iuliano, qui fuit 43. Augusti, Herodis 39. Vrbis conditæ 752. ita Sanctus Epiphanius, Eusebius, Orosius, Nicephorus, Hermannus Contractus, Copernicus, Onuphrius, Gerardus Mercator. In eamdē inclinant Franciscus Suares tom. 1. in 3. part. Disput. 6. Sect. 1. Sigonius in Sulpitium, Maldonatus, & alij recentiores.


Quinta putat Christum natum anno 45. Iuliano, qui fuit 44. Augusti. Ita Ioannes Lucidus, & Dionysius Abbas Exiguus cum suis asseclis.

Sexta tandem affirmat Christum natum anno Iuliano 46. qui fuit 45. Augusti, Herodis 41. Vrbis 754. &c. ita Paulus Middelburgensis Episcopus Sēpronienfis, Petrus de Alliaco, Bellarminus, ac nouissimè Dionysius Petauius in Ration. temporum.

Quæ omnes sententiæ, cum suas habeant coniecturas, suas quoque difficultates, de quibus videri potest Henricus Philippi quęst. Chronolog. cap. 8. & sequentibus, alijque recentiores Chronologi, nihil in re tàm ancipiti certo definiri posse videtur; & licet Ecclesia quotannis canat Christum natum anno Vrbis 752. non tamen idcircò vetat, quin inter doctos hanc rem in disputationibus ventilare liceat, & in varias sententias probabilibus argumentis suffragantibus distrahere: quamuis etiam plures earum fortasse ad concordiam inter se reuocari possint, quatenus earum diuersitas circa annum Olympiadum, Vrbis conditæ, Imperij Augusti Cæsaris, regni regis Herodis, quibus Christus natus est, plerumque oritur, quod alij ab alijs diuersam iniere rationem in huiusmodi annis supputandis, quæ tamen in re vna & eadem reperitur, de quo vide Baronium in apparatu num. 103. & sequentibus.

Verum quidquid sit de hoc, ex pręfatis sententijs probabiliores videntur, prima secunda & tertia. Secunda tamen, & tertia magis sunt communes, & plures habent authores; nos sequemur hic tertiam, quam Cardinalis Baronius in apparatu num. 106. dicit non solùm omnium authorum attestatione firmatam atque stabilitam haberi, sed potissimum Lucæ Euangelistæ testimonio, dum baptismum Christi contigisse narrat anno quintodecimo Imperij Tiberij Cæsaris, quando cap. 3. ait: *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta*. Ex multis namque sensibus horum verborum, qui à Patribus afferuntur, eum maximè præferendum & eligendum putat, qui asserit Christum Dominum tempore sui baptismi, anno decimoquinto Imperij Tiberij Cæsaris, iam explesse trigesimū annum, & inchoasse trigesimum primū per tredecim dies; quo posito si cæteri anni Christi ad suum principium reducantur, plane inuenietur ipsum natum sub C. Cornelio Lentulo, & M. Valerio Messalino Coss. Augusti Imperatoris ab inito triumuiratu 41. à nece Iulij Cæsaris 42. ab Vrbe condita 751. Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ anno secundo.

Supereſt vltimo loco notandum, pleroſque recentiores Chronographos Baronium arguere, quod ex eodem principio & verum Natiuitatis Christi annum ducat, & initium Aeræ Christianæ quam Dionyſius Exiguus Abbas introduxit, Iuſtiniani tempore: quæ licet vtu hodie recepta ſit à cunctis Chriſtianis, tamen contendunt eam iuſto minorem eſſe, quidam vno, alij duobus, nonnulli quatuor, aut quinque, vel etiam pluribus annis. Conſentiunt plures, Chriſtum quidem natum eſſe, ſicut ait Baronius, Lentulo & Meſſalino Coſs. &c. ſed hanc epocham duobus annis præcedere Dionyſianam quam Baronius ſequi profeſſus eſt: ex cuius computo dicendus eſſet Chriſtus natus Cornelio Lentulo & Calpurnio Piſone Conſulibus, Olymp. 194. ann.4. Vrbis 753. qui verò hodie numeratur vulgo annus Domini milleſimus ſexcēteſimus ſexageſimus ſextus, ſit à vero Natiuitatis eius anno mil. ſexcen. ſexageſimus octauus. Atque hinc queruntur Baronium vtramque hancce Aeram miſcentem, in multis hiſtoriam tam Eccleſiaſticam quam prophanam turbaſſe: vſque dum perueniens ad Diocletianum Auguſtum duobus Conſulum paribus omiſſis recta deinceps Chronologia progreſſus eſt. Sunt tamen alij, qui etiam ab ipſo initio eius computandi rationem comprobent. Verum quidquid ſit de hoc, de quo vide Spondanum in apparatu; nec non de æra Chriſti Dionyſiana, ſiue vulgari, vtrum verum annum Chriſti natalitium attingat, ſitque eum illo confundenda, vel non? de quo vide Henricum Philippi in Synopſi Chronologica cap. 18. Anni in hac noſtra Chronotaxi adſcripti non æræ noſtræ vulgaris ſunt, ſed ætatis Chriſti.



Prima pars Chronotaxis Noui Teſtamenti, complectens hiſtoriam Vitæ Chriſti.

Infantia, Adoleſcentia & Iuuentus Chriſti.

Siue

Acta eius à conceptione vſque ad annum trigeſimum completum, quandò à Ioanne baptizatus eſt.

ANno à creatione mundi ſecundum veritatem Hebraicam 3950. qui fuit à Noe annus 2894. à diluuio 2001. à repromiſſione 1926. ab ingreſſu Iacob in Aegyptum 1711. à morte Ioſeph 1640. à ſeruitute Aegypti ſub Pharaone 1584. ab Exodo 1496. à Ioſue & Iudicibus 1456. à Regibus 1100. à templo Salomonis 1017. ab Olympiadibus 774. hoc eſt Olympiadis 194. anno 2. à Roma condita 751. à captiuitate 10. tribuum 724. à tranſmigratione Iechoniæ 601. à captiuitate Babylonica 591. à libertate ſub Cyro 531. ab Hebdomadibus Danielis 453. ab annis Græcorum 310. à Machabæis 165. à ſubiecta Iudæa per Romanos 62. ab annis Iulianis 43. Auguſti Cæſaris circiter 42. Regis Herodis 29. inchoato, Verbū quod erat in principio apud Deum Caro factum eſt, puta Dei filius factus eſt homo, vt homines Dei filios efficeret Ioann. 1. idque hoc modo & ordine contigit.

Archangelus Gabriel miſſus à Deo, nunciat Zachariæ conceptionem B. Ioānis Baptiſtæ, qui Chriſti præcurſor futurus erat: quare Eliſabeth eius vxor concepit S. Ioannem. Idem Gabriel poſt ſex menſes die 25. Martij anni iam dicti, nunciat B. Virgini conceptionem filij Dei, conſenſum præbet illa, concipitque, ac in ea Verbum caro factum eſt. Tum viſitat Eliſabetham poſt duos vel tres dies, ac ipſam cum Ioanne implet Spiritu Sancto; eumque manſiſſet cum illa, quaſi menſibus tribus, poſtea reuerſa eſt in domum ſuam, ante natiuitatem Ioannis, ſecundum opinionem ali-

aliquorum, quia B. Virgo venit sexto mense à concepto Ioanne vt patet Lucæ 1. vers.26. & mansit quasi mensibus tribus, ergò discessit inquiunt ante nonum mensem finitum, ac proindè ante partum Elisabethę. Contrarium tamen æque est probabile, imo probabilius, B. Virginem mansisse vsque ad partum & natiuitatem Ioannis die 24. Iunij, illique interfuisse; par enim est credere Virginem ad hoc potissimum mansisse per tres menses, vt Ioannem orbis miraculum, & Christi sui præcursorem cerneret, amplecteretur & benediceret, ac vicissim vt Ioannes iam natus matrem Domini, & in ea Christum Dominum cerneret, salutaret, & veneraretur; vnde ad rationem dubitandi respondetur particulam illam *quasi*, qua vtitur Euangelista significare hic non diminutionem sed augmentum, q.d. mansit circiter per tres menses, & paulo amplius. Adde potuisse nasci Ioannem in fine triũ mensium, multæ enim proles nascuntur nono mense necdum expleto.

Nascitur deindè Christus in Bethleẽ die 25. Decembris eiusdem anni, ac die octaua, puta prima die Ianuarij circumciditur, vocaturque Iesus, id est, Saluator Lucæ cap.1. & 2. Genealogiam eius ex Patriarchis & regibus texit Matthęus cap.1. & Lucas cap.3. Quia autem Porphyrius & Iulianus apostata Lucam falsitatis arguebant, eo quod Ioseph non fuerit filius Eli, vt ipse ait, sed Iacob, vt ait Matth. cap. 1. quodque insuper Lucas cæteros Ioseph, & Eli progenitores plane alios nominet ab ijs, quos nominat Matthæus, præter Salathiel & Zorobabel; paulo diligentius hęc difficultas examinanda est.

Primo soluit illam D. Augustinus lib.2. de consensu Euangelist. cap.3. dicendo Ioseph fuisse filium naturalem Iacob, sed adoptiuum Eli; Verum id retractat lib. 1. retract. cap. 7. & meritò. Cum hic naturales quęrantur filij, non adoptiui: alioqui enim Iesus Dauidis, & Abrahæ non esset naturalis filius, sed tantum adoptatus.

Secundo respondent alij Ioseph fuisse filium naturalem Iacob, sed legalem Eli: nam ex lege veteri Deuter.25.5. fratri sine liberis mortuo (vti videtur fuisse Eli) frater superstes (vti hic videtur fuisse Iacob) debebat suscitare semen, id est filios, quorum frater mortuus sine liberis, censebatur esse pater Legalis. Nimirum Iesca, ait Euthymius, nupsit Mathat, ex eoque genuit Eli, deinde eadem nupsit Mathan, ex eoque genuit Iacob. Porro Eli mortuus est sine filijs: quare vxorem eius iuxta legem accepit frater eius Iacob, ex eaque genuit Ioseph, qui proindè fuit filius naturalis Iacob, sed legalis Eli: sic ergo Lucæ 3. Eli vocatur pater legalis Ioseph: ita veteres passim, quos fusè citat Maldonatus cap.3. in Lucam, & Suares 3. parte quæst.27. art.1.

Verum, licet hæc responsio sit probabilis, ob tot Patrum qui eam adhibẽt authoritatem, vndequaque tamen non videtur satisfacere, si diligentius examinetur. Primo enim coguntur asserere quod Eli & Iacob fuerint tantùm fratres vterini, quia scilicet habuere eandem matrem Iescam, nam patres habuere diuersos: pater enim Eli fuit Mathat, vt ait Lucas; pater verò Iacob fuit Mathan, vt ait Matthæus; ac reliqui omnes horum duorum aui & abaui, plane alij & diuersi sunt apud Lucam, ab ijs, quos assignat Matthæus. Lex autem iubens fratri defuncto sine liberis suscitari semen, loquitur de fratribus non vterinis sed germanis ex eodem patre prognatis. Hi enim soli retinebant nomen & hæreditatem patris. Deindè Iesca hic videtur impertinenter induci. Esto enim in ea velut matre cōueniant vterini fratres Iacob & Eli, tamen conuenire nequeunt in Mathat & Mathan, cæterisque eorum antecessoribus vsque ad Dauidem. Nihil ergo illi hic adducunt ad propositum, scilicet ad genealogiam B. Mariæ & Christi, ita vt ostendatur Christum ex semine Dauid secundum carnem esse prognatum. Si enim Iesus natus est ex Iesca & Mathat, idem non

potuit

potuit gigni à Iesca ex Mathan: quomodo ergo Iesus dicitur filius tàm Mathan, quam Mathat.

Verosimilior ergò ac probabilior responsio est, Mathan fuisse communem auum Iosephi & B. Virginis: Iacob verò qui fuit pater Iosephi, ac Eli siue Ioachim, qui fuit pater B. Virginis, fuisse fratres, non germanos, vt docent aliqui, sed sororios; quatenus Iacob fuit frater S. Annæ, quæ fuit vxor Eli siue Ioachim, ex quibus genita est B. Virgo: quare dum vnius genealogia describitur, alterius quoque describitur. Nam B. Virgo per matrem Annam naturaliter descendebat ex Iacob, Mathan & Salomone; per patrē verò Eli siue Ioachim, descendebat ex Mathat & Nathan. Diuus igitur Matthęus texit Genealogiam Christi per Ioseph patrem, vel quod idē est, genealogiam B. Virginis eiusque filij Christi per matrem scilicet S. Annā, quæ fuit filia Mathan, Soror Iacob, & consequenter amita Ioseph, qui fuit filius Iacob, deindè nupsit Eli siue Ioachim, ex eaque genuit B. Mariam: Lucas verò texit eamdem genealogiam per B. Mariam matrem, vel quod idem est, per eius patrem, puta per Eli, id est Ioachim, vt ostendatur Christum tam per patrem putatiuum, quam per matrem veram descendere ex semine Dauid; in quo vtraque coit genealogia, sed ab eo diuiditur per duos eius filios Salomonem & Nathan in duos ordines vtrinque descendentium continuè vsque ad Ioseph & Mariam. Per Salomonem deducit Matthæus, per Nathan Lucas. Eli ergò dicitur pater Ioseph, pater id est socer; quia duxit eius filiam, scilicet B. Mariam Virginem in vxorem, ideoque Lucas non vtitur verbo *genuit* vti Matthæus, sed verbo *fuit*, quia scilicet Ioseph ad quem ibi pronomen *qui* potest referri, non fuit filius, sed tantùm gener Eli, siue Ioachim. Eli enim breuitatis causa, & per apocopen pro Eliachim ponitur; Eliachim autem idem est apud Hebræos quod Ioachim. Sic Ioachim rex Iuda vocatur Eliachim 4. Reg. 23. 34. & 2. Paralip. cap. 36. vers. 4. ac Eliachim Pontifex vocatur Ioachim Iudith. cap. 4. vers. 11. Porro duæ hæ genealogiæ Christi series, quas Matthæus texit per Salomonem & Lucas per Nathan, iterum coēunt in S. Anna, quæ vt diximus fuit filia Mathan, & soror Iacob patris Iosephi. Anna enim nupsit Eli siue Ioachim, qui descendit ex Nathan. Anna autem fuit mater B. Virginis, quæ nupsit Iosepho, qui fuit filius Iacob, Mathan, Eleazar &c. vsque ad Salomonem. Quod totum clarius patebit ex sequenti tabula.



TA-

TABVLA

Genealogiæ Christi ex SS. Matthæo & Luca.

DAVID
Ex quo geniti.

Genealogia Christi ex S. Matthæo.	Salomon Roboam Abia Iosaphat &c. Eliud Eleazar Mathan ex quo geniti	Nathan Mathata Menna Mesca &c. Leui Mathat	Genealogia Christi ex S. Luca.

Sobe quæ genuit Elisabetham vxorem Zachariæ & matrem Ioannis Baptistæ.	Iacob ex quo geniti	Anna quæ nupsit – Eli, id est Ioachim ex quibus genita.

Cleophas vel Alphæus cuius vxor Maria ex quibus geniti	Ioseph cuius vxor Maria Mater Iesu Christi.

Salome vxor Zebedæi ex quibus geniti. Iacobus maior, Ioãnes Euangelista.	Maria. Matt 28. vers. 1.	Iacobus minor Apostolus, frater Domini, dictus Alphæi primus Episc. Ierosolymæ Marci 15.40. Gal. 1. Actor. 1. 13.	Ioses seu Ioseph Matt. 27. 56. Marc. 15. 40.	Iudas Apostolus cognomento Thaddæus & Lebbęus frater Iacobi minoris Author Epistolæ Canon. Matt. 10. 3. Luc. 6. 16. Act. 1. 13.	Simeon siue Simon Mar. 6. 3. qui successit Iacobo fratri suo in episcopatu Ierosolymæ, Martyrque occubuit anno 10. Traiani cum annum ageret 120.

Ex hac ergò tabula liquet B. Virginem per matrem S. Annam descendere per Mathan ex Salomone, æque ac descendit Ioseph; per patrem vero Eli siue Ioachim descendere ex Nathan, qui fuit frater Salomonis & filius Dauid. Rursum ex ea pater S. Annam fuisse sororem Iacob, & amitam Ioseph, ideoque B. Mariam Virginem per matrem Annam, & Iosephum per patrem Iacob, eumdem habere auum Mathan, eosdẽque cæteros proauos vsque ad Salomonem & Dauidem: quare Matthæum, dum texit genealogiam Iosephi per Iacob & Mathan, texere quoque genealogiam Mariæ & Christi, qui per matrem, & auiam Annam recta descendit ex Mathan, & cæteris vsque ad Salomonem. Tantum de Genealogia Christi, de qua vide Christophorum à Castro de Deipara cap. 1. Petrum Garsiam Galarça lib. 8. Euangel. institut. cap. 3. & Cornelium à Lapide in cap. 3. D. Lucæ.

Die 13. ab ortu Christi, videlicet die 6. Ianuarij proximè sequentis, Magi duce stella exciti veniunt ex Arabia, vt probabilius docent aliqui, in Bethleẽ, ibi Christum adorant, eique munera offerunt aurum, thus & myrrham; & fugientes Herodem, per aliam viam reuertuntur in regionem suã Matth. 2. 1. Quod enim dicunt aliqui Magos expleto biẽnio, aut quindecim mensibus à natiuitate Christi primum aduenisse, nullum habet fundamentum, quo enim argu-

mento

mento probari possit, vt cætera taceam, Christum post tantum temporis spatiũ, in Natiuitatis suæ diuersorio à Magis repertum fuisse.

Die 40. ab ortu Christi, nimirum die 2. Februarij, quasi die Purificationis puerperæ lege præscripto, B. Virgo puerum Iesum offert in templo, quem S. Simeon in vlnas accipiens Messiam prædicat, æque ac Anna Prophetissa Lucæ 2. 22. Herodes autem videns quoniam illusus esset à Magis iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius à bimatu & infra, hoc fine, vt inter eos & Christum occideret; sed is iam Angeli monitu à Ioseph & Maria abductus erat in Aegyptum: vnde postea mortuo Herode reducitur die 7. Ianuarij, moraturque in Nazareth, vnde Nazaræus cognominatur Matth. 2. 23.

Verum quoto Christi anno Innocẽtes occisi sint, atque adeò contigerit fuga Christi in Aegyptum, suusque indè reditus, nihil certi ex Euangelio habetur, diuersaque sunt Chronologorum placita. Aliqui enim putant Herodem paulo post abitum Magorum, cum audisset Christum in templo præsentatũ à S. Simeone & Anna Messiam fuisse celebratum, sub Pascha, cum Christus tantum esset trium mensium, occidisse infantes; cuius rationem adducunt, quod Scriptura insinuet tunc Herodem peremisse paruulos, cum vidit se à Magis deceptum, hoc autem eo tempore facile percipere potuisse videtur. Secunda sententia Baronij, Spondani & aliorum docet Innocentes anno primo nati Christi nedum expleto Martyrij coronis exornatos; & occisorum puerorum terminos fuisse à biennio ante Magorum aduentum vsque ad tempus, quo Christum natũ Herodes ab illis audierat dicentibus; *vbi est qui natus est rex Iudæorum?* aut certè quò pueros iugulari præcepit. Tertia Barradij & Emmanuelis Sa est, illo ipso die anno redeunte occisos fuisse Innocentes, quo Ecclesia eorum festum celebrat.

Quarta denique sententia Cornelij cap. 2. S. Matthæi, & aliorum est, Herodem non statim, siue mox à Purificatione, nec eodem anno, quo venere & abiere Magi, occidisse Infantes, sed anno sequenti, qui erat secundus à nato Christo, non quidem expletus, sed inchoatus, sub Pascha, decimoquinto circiter mense ab ortu Christi & stellæ; ideoque infantes bimulos occidit, hoc est eos, qui intra biennium à tali ortu nati fuerant. Docet hæc eadem sententia paulò post Herodem, quinque diebus ante mortem suam, quæ contigit sub Pascha anni regni eius 37. ex Iosepho lib. 17. Antiquit. cap. 10. & 11. occidisse filium suum Antipatrum, cum duos primos scilicet Alexandrum & Aristobulũ prius necasset. Vndè Macrobius lib. 2. Saturnal. cap. 10. inter iocos Augusti hunc refert: *Cum audisset, inquit, inter pueros quos in Syria Herodes Rex Iudæorum intra bimatum iussit interfici, filium quoque eius occisum, ait: Melius est Herodis porcum esse quam filium; quia Iudæi porcos non mactabant.* Omnes prædictæ sententiæ cum aliquos habeant eximiæ authoritatis patronos, sua probabilitate non carent: nec fauet tertiæ vsus Ecclesiæ, quæ tantum celebrat SS. Innocentum festũ mox à Natiuitate, quia propter Christum fuere occisi, vt eius Natiuitatem iisdem condecoret, & exornet.

Mortuo Herode cùm Christus ex Aegypto reuersus in Galilæam in ciuitatem suam Nazareth, ibi maneret, factus duodennis cum parentibus Ierosolymam ascendit in die solemni Paschæ; vbi ab illis perditus est; sed post triduũ repertus in templo inter doctores, cum eisdem iterum reuersus est in Nazareth, & erat subditus illis; & proficiebat sapientia & ætate, & gratia, apud Deum & homines Lucæ 2. 42. Ab hoc autem duodecimo anno vsque ad trigesimum Christus delituit, & artem fabrilem exercuit, non solum vt insigne humilitatis orbi daret exemplum, sed quia congruũ erat, vt fabrilem cum patre putatiuo exerceret, qui mundi est cum naturali patre

patre fabricator. Lucæ 3. 23. Marci 6. 3. Matth. 13. 55. Cætera quæ ex libro Apocrypho, qui inscribitur *Infantia Saluatoris*, alijsque similibus à nonnullis afferuntur, reijcit Ecclesia.

Virilis Christi ætas.

Et primum eius acta à Baptismo, usque ad proximum Pascha, puta acta per tres menses proximos, scilicet ab initio Ianuarij anni 31. Christi usque ad 25. Martij.

ANno 15. Imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæā, Tethrarca autem Galileæ Herode, Philippo autem fratre eius Terrarca Itureę, & Traconitidis regionis; & Lysania Abylinæ Tetrarcha sub Principibus Sacerdotum Anna & Caipha; S. Ioannes Baptista in deserto iuxta Iordanem, iussu Dei cæpit prædicare pœnitentiam, & baptizare, viamque Christo præparare; ne si ex abrupto sine indice aut teste fide digno Christus in Iudæa appareret, ab omnibus sperneretur. Lucæ 3. vers. 1. Vbi notandum tam operosè ipsum hic principes, tàm sæculares quàm Ecclesiasticos, puta Pontifices Annam & Caipham enumerare, primò vt distinctè, & solidè tempus, & annum, quo prædicare cępit Ioannes; indeque Christus assignet. Secundò, vt significet iam defecisse sceptrum à Iuda per Herodem alienigenam, eiusque filios Tetrarchas, ac Tiberium & Romanos Iudeæ imperantes; ac proinde venisse iam Messiam siue Christū, cuius prædicationis exordium ipse hoc capite recenset.

In illis ergò diebus, cum baptizaretur omnis populus; venit & Iesus à Nazareth Galileæ, & baptizatus est à Ioanne in Iordane; tumque à Deo declaratus est quis esset scilicet filius non Ioseph, sed Dei; nam Spiritus Sanctus in eum specie columbæ descendit, & vox Patris intonuit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Et ex hac voce Ioannes testatus est, ipsum esse Messiam Patribus promissum, id est, Redemptorem & Saluatorem mundi, Matth. 3. 16. Marci 1. 9. Lucæ 3. 21. Ioann. 1. 23. Tunc autem ex D. Luca vers. 23. *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta*; vbi notandum participium, *incipiens*, non referri ad illa verba *annorum triginta*, sic enim redundaret particula *quasi*, sed ad prædicationem publicam Iesu, ad quam missus erat à Patre. Similiter particula, *quasi* qua vtitur Euangelista, idem significat quod *circiter*, *plus minusue*; vnde cum non definiat an Iesus pręcisè fuerit annorum 30. duntaxat inchoatorum, non verò expletorum, nos tanquā probabiliorem sequuti sumus Baronij sententiam intelligentis præfatum locū de expleto anno ætatis trigesimo, ac trigesimo primo per tredecim dies inchoatos, quando baptizatus est à Ioanne die 6. Ianuarij, eadem scilicet die qua ante triginta annos puer adoratus fuerat à Magis. Cum enim Augustus regnauerit 57. annos, ergo Christus nascens anno eius 42. cum eo vixit quindecim annos; quibus si addantur alij quindecim Tiberij, habebuntur supradicti triginta anni.

Illicò à baptismo, puta eadem die 6. Ianuarij Christus secessit in desertum, vbi, vt se ad opus prædicationis præpararet, per quadraginta dies vacauit orationi, & ieiunio, post quos esuriens tentatus à Diabolo eum superauit, ac Angeli ei, vt domino suo ministrauerunt. Matth. 4. 1. Lucæ 41. Marc. 1. 12. Cæpit ergo Christus ieiunium quadragenarium die 7. Ianuarij, finijt die 40. quæ fuit 15. Februarij, quo die, victo tentatore diabolo reuertitur in Galilæam, & quindecim diebus manet in Nazaret, ait S. Epiphanius hæresi 51.

Die 56. à baptismo, scilicet die prima Martij (erat enim ille annus Bissextilis, ac consequenter Februarius habebat 29. dies, cum esset annus Iulianus 74.) Iudæi legatos miserunt ad Ioannem rogantes, an ipse esset Messias, negauit ipse, & postero die, qui fuit 2. Martij, Ioannes videns Christum ad se venientem

tem eumdem digito demonstrauit dicens : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Idem fecit dixitque Ioannes postridiè, puta die 3. Martij, coram duobus discipulis: vnde illi visitarunt Iesum, vnusque ex eis Andreas fratrem suum Petrum ad Christum adduxit. In sequenti crastino, puta die 4. Martij, Iesus iuit in Galileam, ibique vocauit Philippum, qui Nathanaelem adduxit. Fuit hoc crastinum dies secunda ab aduentu Andreæ & Petri ad Christum: inde die 3. puta die 5. Martij, Christus vocatus ad nuptias in Cana Galileæ, mutauit aquã in vinum; hocque primum eius fuit miraculum, quo se, quis esset mundo patefacit: ita hæc per singulos dies enarrat, & consignat S. Ioannes cap. 1. & 2. Vnde rectè S. Epiphanius hæresi 51. ait præfatas nuptias factas die 60. à baptismo Christi; quamuis audiendus non sit in illo, quod contra reliquos Patres, & communem Ecclesiæ sensum, opinatur Christum baptizatum fuisse à Ioanne, die 8. Nouembris, ac proinde inde sexagesimo die, scilicet die 6. Ianuarij factas esse has nuptias in Cana, ibique Iesum aquam in vinum vertisse, scilicet in festo Epiphaniæ, quo ante 30. annos, Magi duce stella venerant ad Christum in Betleem, ibique eum adorarant. Additque in memoriam tanti miraculi, etiamnum eodem die vndecima mensis Tybi (quæ apud nos est sexta Iannarij) quosdam fontes in vinum conuerti.

Quod etiam dedit occasionem alijs, qui Christum baptizatum fuisse credunt à Ioanne anno ætatis 31. die 6. Ianuarij, vti habet Ecclesiæ & Patrum traditio, opinandi sequenti anno, qui fuit Christi 32. recurrente eadem die sexta Ianuarij, nuptias hasce celebratas in Cana. Verùm illas eodem anno, quò baptizatus est Christus, puta duobus mẽsibus à baptismo Christi, contigisse liquet ex historia gestorum Christi, quam per singulos dies locis statim citatis pertexit S. Ioannes. Idcirco autem Deus idem miraculum conuersionis in vinum quotannis renouare forsan voluit; quod Ecclesia illo die istud miraculum celebret, esto illo die non contigerit; voluit enim Ecclesia tria miracula, quibus primùm Christus se mundo patefecit, eodẽ Epiphaniæ, id est Apparitionis Christi die recolere, & celebrare; scilicet primò, aduentum & adorationem Magorum duce stella: secundò, baptismum Christi in quo vox Patris intonuit: *Hic est filius meus dilectus*: tertiò, conuersionis aquæ in vinum in Cana: E tribus hisce duo priora contigerunt eodem die, scilicet 6. Ianuarij, tertium verò post duos menses contigit, die quinta Martij. Vnde quod in illo die canit Ecclesia: *Hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias*; idem est, ac si diceret: hodie eius rei memoria apud fideles recolitur, & in Ecclesia publicè quotannis celebratur. Ita Card. Baronius tom. 1. Annal. imo S. Augustinus serm. 127. de temp. S. Maximus serm. de Epiphania, alijque plures.

Priusquam autem vlterius progrediamur, stabiliendũ est hic tempus prædicationis Christi, siue quod idem est, quot ab eius baptismo vsque ad passionem & mortem anni interfluxerint, atque adeò quot circiter annos inter mortales vixerit; cum res ista in magna etiã sententiarum varietate posita sit. Sunt enim qui duo tantùm Paschata adscribant, vt nonnulli veterum, qui Christũ vnico tantùm anno prædicasse existimauerunt. Sunt qui tria, vt Epiphanius eiusque recentiores aliquot secuti. Sunt qui quatuor, vt vulgò ferè omnes. Sunt qui quinque vt Saliger & eius asseclę. Verum primam opinionem explodit S. Ioannes qui tria Paschata distinctè nominat. Postrema nullo satis idoneo niti videtur fundamento, & multum temporis nullis rebus gestis illustre relinquere cogitur. Quod verò secundam & tertiam attinet, duo præsertim controuersiam faciunt. Primum, an dies festus, de quo Ioannes cap. 5. vers. 1. sit Pascha. Deinde an inter primum Pascha de quo Ioannes cap. 2. 12 & confricationem spicarum, de qua Matth. 12. 1. Marc. 2. 23. & Luc. 6. 1. annus intercesserit. Vtrumque

affir-

affirmant qui quatuor Paschata tuentur, negant qui tria. Nos hæc quatuor Paschata prædicationi Christi tribuemus, longè communiorem sententiam Baronij & aliorum sequuti; quamuis etiam non ægrè hæc Chronotaxis paucis tantùm alitèr dispositis ad eorum opinionẽ accommodari possit, qui tribus tantùm Paschatis tempus prædicationis Christi definiunt.

Annus primus prædicationis Christi.

Siue

Acta eius à primo Paschate post baptismum vsque ad Pascha secundum, nimirum acta à die 25. Martij anni 31. Christi, vsque ad finem Martij anni 32.

PEractis nuptijs in Cana, Iesus cum matre, & suis redijt domum, puta in Nazareth, quę quia altiori loco sita erat, hinc Iesus ex illa proficiscens Capharnaum, quæ vrbs erat loco decliuiore ad mare Galileæ, dicitur eo descendisse. Causa descensus fuit, quod Christus nollet in Nazareth, vt potè vrbe ignobili & exili, prædicationis, & doctrinæ suæ sedem constituere; sed ad hoc destinabat Capharnaum, vt potè vrbem ob mare & merces celebrem, & populis frequentem; hic autem descensus, & hoc iter Christi contigit ante incarceratiouẽ Ioannis Baptistæ, vt clarè colligitur ex Ioann. cap. 3. 24. & cap. 4. 1. vndè alius etiam fuit hic Christi descensus, ab illo, de quo agit Matth. cap. 4. 13. ille enim contigit post incarcerationem Ioannis, cum Christus de facto habitationem suã transtulit Capharnaum, ibique publicam suæ doctrinę & prædicationis scholam aperuit. Hic autem fuit obiter, & quasi in transitu, vt eamdem dumtaxat ibi præpararet, & quasi inchoaret, indeque pergeret Ierosolymam, ad instans Pascha celebrandum, quod fuit tertio mense Nisan, siue Martio; post Christi baptismum, qui contigit die 6. Ianuarij. Cum ergo Christus Capharnao Ierosolymam aduenisset, & ibi inuenisset in Templo ementes & vendentes, flagello eos eiecit, ac prædicans, pluraque miracula patrans multos ad credendum in se pellexit; è quibus vnus fuit Nicodemus princeps Iudæorum, cui Christus spiritalis regenerationis per baptismum & fidem in Christum crucifigendum, necessitatem ostendit. Ioann. 2. vers. 13. & cap. 3. vers. 1. Vbi notandnm aliam esse hanc eiectionem vendentium è Templo, cuius meminit Ioannes, ab illa, de qua agit Matth. cap. 21. illa enim contigit paulò ante passionem Christi; hæc verò initio prædicationis eiusdem: hanc enim piè & rectè & ordine congruo, Christus à religione, & domo Dei ordiri voluit, ex ea eijciendo vendentes illam profanantes. Cæpit itaque Christus anno ætatis 31. sub Pascha per se prædicare, & per Apostolos sub initium Aprilis in Iudæa baptizare: quare multi à Ioanne, ipso probante & impellente, ad Christũ transierunt. Vndè Ioannes quasi suo defunctus officio, cum Herodem ob adulterium reprehenderet, sub Decembrem ab eo coniectus est in vincula. Ioannis 3. 22. & 23. Matth. 14. 3. Marci 6. 17. Lucæ 3. 19.

Qua de causa Christus Herodem fugiens, à Iudæa initio anni 32. (vt patet ex eo quod ipse ait Ioann. cap. 4. 35. *Adhuc quatuor menses sunt, & messis venit*) perrexit in Galilæam, ac in itinere transiens per Samariam, mulierem Samaritanam, & per eam cæteros Samaritanos conuertit, ac post biduum prosequens iter in Galilæam, à Galilæis benignè exceptus est. Igitur sub initium Februarij reuersus in Canam Galileæ ibi rogatus à Regulo, filium eius febricitantem sanauit, fuitque hoc secundum Christi ibidem miraculũ, quod plura alia secuta sunt, quibus ipse prædicationem suam in Capharnao confirmauit. Matth. 4. 12. & 13. Marci 1. 14. Ioan. 3. 22. & cap. 4. vers. 1. 4. 45. & 46.

Inde ambulans iuxta mare Galileæ, per miraculum capturæ piscium, Petrum & An-

& Andream, mox Iacobum, & Ioannē Zebedæi filios ad sui sequelam euocauit, eosque piscatores hominum efficit. Matth. 4. 18. Lucæ 5. 1. Marci 1. 16. Vbi notandum quoad seriem historiæ, & vocationis Apostolorum, multa in præfatis Euangelistarum locis esse supplenda ex S. Ioannis cap. 1. iam dicta; scilicet quod post baptismum Christi à Ioanne susceptum, postque eius ieiunium 40. dierum in deserto, & trinam Satanæ tentationē, Iudæi miserunt legatos ad Ioannem Baptistam, qui rogarent eum, an ipse esset Christus. Respondit Ioannes, se non esse Christum. Postridiè venit rursum ad Ioannem Iesus, tuncque de eo turbis dixit Ioannes: Ecce hic est Christus. Quo audito duo discipuli Ioannis contulerunt se ad Iesum, è quibus vnus fuit Andreas, qui illicò fratrem suum Simonem Petrum adduxit ad Christum; moxque Christus vocauit Philippum, qui ad eundem secum adduxit Nathanaelem, ita vt Christus iam quinque discipulos haberet nunc nominatos, qui cum ipso interfuerunt nuptijs in Cana Galileæ: ijdem mox relicto Christo rediere ad suam piscationem. Inde Iesus rediit in Iudæam, vbi habuit colloquium cum Nicodemo, quod recenset Ioannes cap. 3. ibique baptizabat & patrabat miracula, quibus dum inclaresceret, timens inuidiam Scribarum, & Pharisæorum, quorum accusatione iam captus erat ab Herode Ioannes Baptista, iterum reuersus est in Galilæam, ibique vocauit Petrum & Andream, Iacobum & Ioannem, vti narrant Matthæus Marcus, & Lucas locis citatis. Quare solus Ioannes enarrat acta primi anni prædicationis Christi, alij autem tres Euangelistæ inchoant ab anno secundo prædicationis, qui fuit ætatis Christi 32. cum congregauit Apostolos.

Vndè etiam patet aliam esse hanc vocationem Petri & Andreæ ab ea quā recenset Ioannes cap. 1. 36. ibi enim Andreas à Ioanne Baptista necdum ab Herode capto, missus est cū socio ad Christum, cumque familiariter nosse cæpit, non tamen ei discipulum stabilem se addixit, sed ad sua retia rediit: hic verò capto iam Ioanne, Andreas & Petrus vocati à Christo se ei discipulos dedunt nec amplius ad propria sunt reuersi. Est igitur hęc secunda Apostolorum vocatio. Tertiam addit S. Augustinus, Lyra, Maldonatus, & alij scilicet eā, qua post miraculosam piscium capturam vocati à Christo, ei totaliter adhæserunt, vti refert S. Lucas cap. 5. vers. 10. Sed verius est illam apud Lucam vocationem, eamdem esse cum hac Matthæi c. 4. vers. 18. Sed Matthæus succinctè vocationis substantiam assignat, eamque quasi per cōpendium perstringit; Lucas verò more suo eiusdem seriem & historiam particulatim & prolixè enarrat, vti ostendit Cornel. Iansenius cap. 26. Concordiæ Euangelicę.

Cum ergò Christus quatuor ad se præfatos Apostolos vocasset iuxta mare Galileæ superioris, quod alio nomine vocatur mare Tiberiadis, item lacus, vel stagnum Genesaret, cui adiacet Capharnaum vrbs maritima, in qua Christus relicta sua patria Nazareth habitationem sibi delegerat ad prædicandum domi discipulis suis, & in Synagogis per sabbatha omnibus Iudæis, indeque sua, siue eius ciuitas appellata est; cum eisdem quatuor Apostolis Synagogam Capharnai introiuit, vbi prædicans dæmoniacum à dæmone liberauit; deinde egrediens de Synagoga, cum venisset Iesus in domum Petri, socrum eius à febribus, multosque alios à varijs morbis liberauit. Postridiè orandi causa secessit in desertum, vbi à Petro, & mox à turbis eum quærentibus repertus, vt eas fugeret, iussit discipulos transfretare, & in naui obdormiens, orta tempestate, à discipulis excitatus, ventis imperauit, & mari. Marci 1. 21. 29. 32. 42. Lucæ 4. 23. 31. 38. 42. Matth. 8. 14. 16. 18. 24. Hæc autem & sequentia videntur contigisse initio Martij anni Christi 32. ante Pascha.

Transfretato cum discipulis mari Galileę peruenit Christus in regionem Ge-

Gerasenorum, vbi duos dæmoniacos sanauit, permittens dæmonibus id postulantibus, vt in porcos introirent, qui in eos ingressi eorum duo millia in mari submerserunt; quare rogatus ab incolis vt discederet, non ex humilitate quod se præsentia Christi indignos æstimarēt; sed ex diffidentia & timore, ne Christi præsentia maiora eis dāna infligeret, rursus traijciens mare rediit Capharnaum, vbi paralyticum, per tectum ad se submissum, curauit. Matth. cap. 8. 28. & cap. 9. 1. Marci 5. 1. & cap. 2. 1. Lucæ 8. 26. & cap. 5. 18.

Indè egrediens ad mare, Matthæum ad telonium sedentem ad sui sequelam euocauit, qui relictis omnibus surgens secutus est eum, & fecit ei conuiuium magnum in domo sua; vbi cùm multi peccatores & publicani discumberent cum Iesu, & discipulis eius, murmurabant Pharisæi, & Scribæ eorum, videntes quia manducaret cum publicanis & peccatoribus; tuncque contigit disceptatio de ieiunio; accesserunt enim ad Iesū discipuli Ioannis & Pharisæi ieiunantes dicentes: quare discipuli Ioannis ieiunant frequenter, & obsecrationes faciunt, similiter & Pharisæorum; tui autem edunt, & bibunt? quibus respondit Iesus, nunquid potestis filios sponsi, dū cum illis est sponsus, facere ieiunare. Hæc autem Christo loquente, interim venit vir, cui nomen Iairus princeps Synagogæ Capharnaensis, rogans eum vt intraret domum suam, ibique filiam in extremis laborantem per manuum impositionem sanaret; verùm cum in itinere, in quo & hæmorrohissam à fluxu sanguinis, quem patiebatur à duodecim annis, curauit, mortua esset puella, illā postea à morte suscitauit. Et inde id est, ab Iairi domo, ad suam quam Capharnai, vt diximus conduxerat, & inhabitabat se se recipiens duos cæcos illuminauit, qui sequuti fuerant eum clamantes & dicentes: Miserere nostri fili Dauid. Quibus egressis cum oblatus esset illi, & homo mutus dæmonium habens, cùm liberauit mirantibus turbis. Matth. 9. 9. 18. & 27. Marci 2. 14. Lucæ 5. 27. & cap. 8. 41. Vbi notandum ex Iansenio quo ad dæmoniacum mutum de quo hic agitur ex Matth. cap. 9. diuersum esse ab illo, de quo Lucas cap. 11. vers. 14. nam de illo agit Matthæus cap. 12. vers. 22. licet Maldonatus vtrobique vnum, eumdemque esse velit.

Annus secundus prædicationis Christi.

Complectens acta eius à secundo Paschate post baptismum vsque ad tertium, puta à fine Martij anni 32. Christi, vsque ad finem Martij anni 33.

Post hæc quæ superiùs diximus in Galilæa gesta, Christus ex ea profectus ascendit Ierosolymam ad secundum Pascha; etsi enim qui tria duntaxat Paschata prædicationi Christi tribuunt, existiment diem festum, cuius meminit Ioannes cap. 5. vers. 1. fuisse festum Pentecostes; melius tamen alij censent fuisse Pascha. Primò quia Pascha erat festum festorum: ergò cum absolutè dicat Ioannes: *Erat dies festus*, intelligit Pascha: hoc enim per excellentiam vocatur festum. Secundò quia cap. 4. v. 35. eiusdem S. Ioānis dixit Iesus adhuc quatuor menses restare vsque ad messem, ergò tunc necdum erat Pascha, sed festum grande primo futurum erat Pascha: igitur illud hic intelligitur; nam in Iudęa messis fit inter Pascha, & Pentecosten. Tertiò quia Christus non potuit tam multa præstare à Pascha, vsque ad Pentecosten, quod est spatium septem tantum hebdomadarum, qualia sunt illa, quæ ex Ioanne à cap. 2. vsque ad cap. 5. & Mattheo à cap. 4. vsque ad cap. 14. huc vsque retulimus; igitur anteriùs illa gesta sunt; scilicet à Ianuario vsque ad Pascha. Quartò tandem, quia, vt habet communis doctorum sententia Christus post baptismum suum tres annos cum dimidio prædicauit; vnde oportet in Euangelijs quatuor inueniri Paschata huius temporis, siue horum trium annorum

norum cum dimidio; primum Pascha expressit Ioannes cap. 2. 13. secundum cap. 5. 1. tertium cap. 6. 4. quartum paulo ante mortem cap. 19. v. 14.

Cum ergò Christus venisset Ierosolymam ad secundum Pascha, ægrotum per 38. annos decumbentem ad probaticam piscinam sanauit; iussitque ei grabatum tollere die Sabbathi: quare illud opus quasi Sabbathi violationem reprehendunt Iudæi; sed Christus multis id ipsum defendit Ioann. 5. 2. Sic cum paulo post suum è Iudæa reditum, puta sub finem Aprilis eiusdem anni 32. abijsset per sata Sabbatho, id est per segetes albescentes & maturas, Pharisæos taxantes eius discipulos, quod famentes in Sabbatho vellerent spicas, confutat Lucæ 6. Matth. 12. 2. Marci 2. 23. Quam rem, siue spicarum confricationem non contigisse ante Pascha, cum satis inde liqueat, quod segetes non essent maturæ nisi post Pascha, commodius quam hic hęc historia videtur non potuisse collocari, ita vt inrer primum Pascha, cuius meminit S. Ioannes cap. 2. 12. & hanc confricationem spicarum, de qua solum agunt tres alij Euangelistæ locis statim citatis, annus intercesserit. Exindè transiens Christus, cum alio Sabbato intrasset in Synagogam, cuidam manum aridam restituit, vt hunc errorem Pharisæorum, & Scribarum, scilicet, Sabbatho non licere ægros sanare, iterum iterumque confutaret. De quo indignati statim cum Herodianis consilium fecerunt aduersus Iesum, quòmodo eum perderent; qui vt eorum iram declinaret, contulir se cum discipulis suis ad mare, vbi turbam docuit, & plurimos ægros, ac à diabolo possessos curauit. Matth. 12. 9. & 15. Marci 3. 1. & 7. Lucæ 6. 6.

Postea sub medium Maij secessit in montem, & pernoctans in oratione, manè duodecim Apostolos elegit: quo facto descendit è fastigio montis ad locum in eo decliuiorem & campestrem, ibique sedens, sermonem, qui in monte cognominatur, ac summam vitæ Christianæ, & perfectionis Euangelicæ complectitur, habuit partim ad discipulos, partim ad totam turbam eorum qui venerant, vt audirent eum, & sanarentur à langoribus suis: Vndè electio Apostolorum à Christo facta est in cacumine montis: sermo verò habitus est in descensu montis, siue in loco campestri, vt communius docent interpretes, quamuis Maldonatus putet habitum in ipso monte, quodque Christus è loco campestri rursus conscenderit montem, ibique legem nouam promulgarit. Marci 3. 13. Lucæ 6. 12. & 17. Matth. 5. 1. vbi notandum vnam & eamdem esse concionem, quam Matthæus cap. 5. & Lucas 6. recensent, vt satis patet ex eodem vtriusque argumento, eodem initio & fine eodem. Ideò autem Matthæus vocationem Apostolorum quæ hunc sermonem antecessit, reijcit in c. 10. quia nec dum ipse suam à Christo vocationem enarrarat; hanc enim narrat c. 9. Certum est autem Matthęum, vti & cæteros Apostolos, huic sermoni Christi interfuisse, ex Marci cap. 3.

Christus finito iam sermone in medio montis, vt diximus, vbi planities erat campestris, descendit in subiectam & imam vallem, siue in agrum Capharnaensem vbi leprosum mundauit ad se venientem & dicentem Domine si vis potes me mundare. Deinde vrbem Capharnaum ingressus ibidem seruum Centurionis paralysi liberauit: postridiè verò cum iret in ciuitatem Galileæ, quæ vocatur Naim duobus milliaribus distans à monte Thabor in ingressu eius filium viduę vnicum qui defunctus efferebatur à morte suscitauit. Matth. 7. r. & 2. Marci 1. Lucæ cap. 5. & cap. 7. vers. 1. & 11. Vbi cum tres Euangelistę leprosi curationem ijsdem verbis & circumstantijs describant, dubitari non debet, quin idem sit miraculum à tribus narratum. Idem dicendum est de historia Centurionis qnam Capharnai contigisse narrāt Matth. cap. 8. & Lucas cap. 7. quamuis Lucas paulo aliter rem gestam narret; in quo etiam miraculo serui Centurionis habetur primus ingressus Christi in

in Capharnaum à reditu eius secundo è Iudæa, superiora enim in via contigerunt. Cum autem Matthæus narret in principio cap.8. quod contigit Capharnaum statim à secundo reditu Christi, deinceps à vers. 14. vsque ad finem cap. 9. narrat ea per hysterologiam siue inuerso ordine, quæ statim à primo reditu contigere, & recto historiæ ordine anteponendæ forent, & inserenda cap. 4. Matth. statim post versum 22. itaque hic interrumpitur narratio Matthæi. Ideo autem ipse ordinem inuertit, quia voluit initio prædicationis Christi, Breuiarium conscribere doctrinæ editum ab eo in monte, ac deinde miracula, quibus eandem Christus, tam ante sermonem, quàm post eum confirmauit, pertexerere; miraculum autem curationis Socrus Petri contigit Capharnai: vbi & contigit curatio leprosi & serui centurionis, sed hæc post sermonem, illud ante eum, & quæ sequuntur, vt dixi. Tandem etiam miraculum filij viduæ suscitati rectè hic collocari, patet tum ex eo quod Lucas illud narret, cum aliqua consequentiæ significatione cap.7. tum etiam, quia fama orta ex hoc miraculo videtur fuisse occasio sequentis legationis missæ à Ioanne ad Christum.

Præfata enim miracula audiens Ioannes in carcere, misit ad eum duos discipulos, vt ab eo discerent, ipsum esse Messiam, quibus ad Ioannem regredientibus, Christus laudat Ioannem, taxatque Scribas, & Pharisæos, quod nec Ioanni, nec sibi crederent; quamobrem eis præfert publicanos, & meretrices pænitentes Lucæ 7. 18. & 24. Matth. 11. 2. & 7.

Vnde prandens apud Simonem Pharisæum mulieri peccatrici pænitenti peccata condonat, eamque Simoni præfert Lucæ 7. 36. Mox Capharnai dæmoniacum, cæcum ac mutum sanat; ac Pharisæos hæc miracula quasi magica arte facta carpentes, confutat. Matth. 12. 22. 24. Lucæ 11. 14. 15. Marci 3. 21. vbi notandum historiam mulieris peccatricis hic relinqui ab omnibus harmoniarum Euangelicarum authoribus; quam tamen (si peccatrix illa eadem sit cum Maria sorore Lazari, vt communior fert opinio.) volunt aliqui alio tempore & loco contigisse: tum enim Christus versabatur in Galilæa, soror autem Lazari habitabat in Bethania propè Ierosolymam. Quare secundum hos dicendum Lucam hanc historiam suo ordine non retulisse, sed per anticipationem hoc illustre pænitentiæ exemplum subiunxisse verbis Christi de peccatoribus & Publicanis, præ Pharisæis pænitentiam amplexantibus, & ad Ioannis baptismum accurrentibus. Melius tamen docent alij Magdalenam bis vel ter vnxisse pedes Iesu, de quo infra.

Cum igitur Christus ita Pharisæos reprehenderent, tunc accidisse exclamationem mulieris de turba dicentis illi: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti*, constat ex Luca cap. 11. vers. 27. tum proximè sequitur aduentus Matris, & fratrum Christi quærentium loqui ei, vt secum abducerent in Nazareth, dicebant enim quoniam in furorem versus esset, quod quidam non de furore, sed de animi deliquio interpretantur aiuntque cognatos Christi veritos ne tum ex inedia, tum ex circumstantis aeris tepore, quem faciebat nimius turbæ concursus, animo deficeret, voluisse eum ex ea domo in qua premebatur alio abducere. Quamuis etiam intelligi possit eos dixisse de furore, sed fictè & simulatè, vt eum è manibus Pharisæorum, ne ab eis opprimeretur, facilius eriperent; his enim vel similibus de causis B. Virginem euocasse Christum, nemo pius dubitare potest. Quod si fratres, idest cognati voluerunt eum comprehendere quasi eum verè furere putarent, *neque enim fratres eius credebant in eum*, inquit Ioannes cap. 7. 5. (licet postea plures ex eis crediderint) dicendum est eos celasse hoc suum consilium B. Virginem, illamque adduxisse secum specie honoris, vt facilius & secretius Christum euocarent, secumque abducerent. Verum Christus significanti adesse cognatos foris respondet, fratres & cognatos suos

esse

esse eos, qui audiunt & custodiunt verbum Dei Matth. cap. 12.46. Marci 3.31. Lucæ 8.19. Qui tamen Lucas id referens post parabolam seminantis, videtur ordinem temporis non seruasse; non solùm quia Matthæus & Marcus exclamationẽ mulieris, tùm proximè aduentũ Matris & fratrum Christi immediatè superioribus subijciunt, tanquàm facta anteqũam Dominus è domo exiret; sed etiam quia dicit Matthæus, *adhuc eo loquente*; item quia illud, *foris*, quo omnes vtuntur, significant Dominum adhuc in domo fuisse. Mattheus autem cap. 13. 1. & Marcus cap. 4. 1. referunt eum è domo vadentem ad mare, ibi turbam docuisse per varias parabolas, Seminis, Zizaniorum, Sinapis, Fermenti, quas postea domi discipulis explanauit, addens alias thesauri absconditi, pretiosę margaritæ, & sagenæ missę in mare.

Et factum est, cum consummasset Iesus parabolas istas transijt indè, scilicet ex domo sua, quam habebat Capharnai, ad alias vrbes, & castella vt latius Euangelium disseminaret; & veniens in Nazareth patriam suam, ibique prædicans, à suis non est auditus, imò vrbe expulsus & ferè præcipitatus. Matth. 13. 54. Marci 6.6. Lucæ 4.16. In hoc etiam loco decollatio S. Ioannis collocari debet. Etsi enim non constet de eius tempore; certum tamen est mortem eius poni debere post discipulorum eius legationem ad Christum iam dictam, & ante opinionem Herodis de Christo, de qua statim, quod esset Ioannes suscitatus.

Christus igitur à suis expulsus, vicinas vrbes cæterosque Galilæę vicos, & ciuitates, euangelizando, cum discipulis & mulieribus aliquabus perambulat, vidensque turbas, quia erant vexatę, & iacentes sicut oues non habentes pastorem, duodecim Apostolos mittit binos ad regnum Dei prædicandum, & sanandum ægros: illi vbique prædicant, dæmones pellunt, ægros oleo vngentes sanant. Idem facit Iesus Galilęam obeundo. Matth. cap. 10. 1. & cap. 11. 1. Marci cap. 6. vers. 7. & 12.

Quocirca Herodes hęc audiens suspicatur Iesum esse Ioannem paulò ante à se occisum; & iam à morte suscitatũ. Lucæ 9.7. Matth. 14. 1. Marci 6.4. vnde eius insidias declinans Iesus, secessit cum suis trans mare Galileæ in desertũ Bethsaidæ sic dictum, non quod ab eadem parte ripæ esset, sed quod interiecto mari, seu lacu, è regione esset; ideoque satis perceperunt qui Iesum abeuntem videbant, eum in desertum illud secedere, ad quod cum pedestre iter esset nonnihil circumeundo, turbæ vndique illuc properarunt, multi currendo & præueniendo, multi sequẽdo; super quas misertus Iesus, quinque millia virorum pauit quinque panibus hordeaceis, & duobus piscibus: quare cum vellent eũ regem creare, iubens discipulis transfretare, ipse solus vespere fugit in montem orandi causa: sed discipulis in mari periclitantibus, ambulans super mare Petrum ad se venientem, sed fide titubantem cum iam mergeretur erexit, & tempestatem sedauit, ac appellens in terram Genesareth, omnes ęgros tactu fimbriæ sanauit. Matth. cap. 14. v. 13. 22. 24. 34. Marci cap. 6. v. 30. 45. 48. 53. Lucæ cap. 9. 10. Ioann. 6. 1. 15. 18.

Postridie, multis eum ob multiplicationem panum sequentibus, siue, non quia viderant signa, sed quia manducauerant ex panibus & saturati erant, eos traduxit ad desiderandum panem spiritualem & cęlestem, qui dat vitam mundo, & sine quo nemo viuere potest, atque hunc panem se esse asserit: nam suã carnem esse cibum, & suum sanguinem esse potum qui confert vitam ęternã ait Ioann. 6. 24. Qui Ioannes cum non soleat narrare ab alijs narrata, pręsertim quæ facta sunt in Galilęa, hic tamen id fecit, tùm vt occasione multiplicationis quinque panum, quibus saturatæ sunt turbæ subijceret disputationem de pane cęlesti; tum quia propositum eius fuisse videtur describere Paschata, & ideò cum tertio isto Paschate Christus Dominus manserit in Galilęa, quæ tempore Paschali ab eo gesta sunt describit.

Tertius

Tertius annus Prædicationis Christi:

Continens acta eiusdem à tertio Paschate, vsque ad instans Pascha quartum, puta suscitationem Lazari; hoc est acta Christi à fine Martij anni 33. ætatis eiusdem, vsque ad initium Martij anni 34.

TErtio hoc Paschate Iesus non ascendit Ierosolymam, vt ibi iuxta legem festum celebraret, quia sciebat sibi strui insidias, & parari necem ante tempus moriendi sibi à Patre præfinitū; remansit ergò in Galilæa, vbi scribis discipulos eius arguentibus, quod illotis manibus manducarent, docet non illa, quæ in os intrant, sed quæ de corde exeunt, hominem contaminare. Matth. 15. 1. Marci 7. 1. Ioannis 7. 1. Vbi notandum D. Ioannem hîc omittere ea, quæ ex statim dicendis gessit Christus hoc tertio anno prędicationis suæ à Paschate vsque ad Septembrem, puta gesta sex mensium, cum enim illa exactè iam narrassent alij tres Euangelistæ, refert ea tantùm quæ deinceps contigerunt à festo Scenopegiæ, quod celebratur in Septembri, vsque ad proximè sequentem Martium.

Sub initium Maij anni 33. vt videtur, e Galilæa abijt in partes Tyri & Sidonis, vbi Chananææ filiam victus matris precibus, à dęmone liberauit, inde regressus in Galilęam multorū languores sanauit, ac surdum & mutum digitos in aures immittens, & linguæ saliua cōtingens curauit. Matth. 15. v. 21. & 29. Marci 7. 32.

Mox misertus turbæ se sequentis & famentis, quia iam triduo perseuerauerat secum, rursum quatuor millia virorum pauit septem panibus & paucis pisciculis; deindè conscensa naui cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha, in fines Magedan. Matth. 15. 32. & 39. Marci 7. 10. & cap. 8. 1. vbi curiositatem Pharisęorum signum de cęlo petentium retundit. Rursum transfretans monet discipulos, vt caueant à fermento, id est, hypocrysi Pharisęorum; ac veniens Bethsaidam cęcum extra vicum illuminat: inde accedens ad partes Cęsareæ Philippi ob Petri fidem, quā, interrogatis discipulis, quem dicerent homines esse filium hominis, respondit: *Tu es Christus filius Dei viui*: eum petram Ecclesiæ futurum promittit: mox crucis mortem se Ierosolymæ subiturum prædicit, quam cum Petrus exhorresceret, à Iesu reprehenditur, doceturque, cuique, qui saluari velit, suam crucem esse tollendam. Matth. 16. 1. 13. 21. Marci 8. 11. 22. 27. 31. Lucæ 9. 18. 22. Id videtur accidisse sub finem mensis Iulij: Nam

Octaua exinde die, quæ fuit sexta Augusti (hac enim die Ecclesia recolit memoriam transfigurationis Christi) transfiguratur coram Petro, Iacobo, & Ioanne; ac resplendens vt Sol, cum Elia & Enoch de sua morte colloquitur. Accessit vox Patris: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui; ipsum audite*. Postridie, puta die 7. Augusti descendens de monte ad turbas, sanauit dæmoniacum, quem discipuli sanare nequiuerant, eò quod hoc genus dæmoniorum, non pellatur nisi oratione & ieiunio. Proficiscens per Galilęam, rursum prędicit suam mortem & resurrectionem, vndè contristati sunt vehemēter discipuli. Ingrediens autem Capharnaum iussit solui publicanis didracma, vnum pro se, & alterū pro Petro. Matth. 17. 14. 22. 24. Marci 9. 13. 29. Lucæ 9. 37. 44.

Ibi accipiens puerum & statuens eū in medio discipulorum, reuelauit & redarguit ambitionem eorum, qui in itinere de primatu contenderant: docuitque valde cauenda esse scandala, ac modum quo corripiēdus est proximus peccans; eique si peccarit, veniam esse dandam, idque probat parabola serui immisericordis, à quo herus omne debitū iam remissum repetijt. Matth. 18. 1. 6. Marci 9. 32. 41. Lucæ 9. 46. & cap. 17. 1.

Indè, cum esset in proximo dies festus

stus Iudæorum Scenopegia, id est Tabernaculorum fixio, quo scilicet Iudæi die 15. mensis Tisri siue septimi, quæ illo anno videtur incidisse in diem 29. Septembris, figebant tabernacula, quæ ex lignis, ramis, pellibus vel linteis raptim construebant, in iisque per septem dies habitabant, in memoriam protectionis diuinæ, quæ patres eorum peregrinantes in deserto, per 40. annos in tabernaculis habitantes manna aluerat, & duce columna ignis & nubis duxerat in terram promissionis: cum, inquam, appropinquaret tale festum Christus ascendit Ierosolymã ad illud, sed occultè. Matth. 19. Ioannis 7. 2. sunt qui ponunt hoc loco, cùm scilicet Christus pergeret ad hoc festum Scenopegiæ, historiam repulsus eius à ciuitate Samaritanorum, Luc. 9. melius tamen ab alijs collocatur infra, cum Ierosolymam ad quartum & vltimum Pascha proficisceretur: In præfato igitur itinere ad festum Scenopegiæ decem leprosos mundauit. Ingressus autem Ierosolymam vltimo die festi tabernaculorum, puta die sexta Octobris, tanta gratia concionatus est, vt ministri ad eum capiendum missi, ipsi capti fuerint; vespere verò exijt in montem Oliueti, Matth. 19. 1. Ioann. 7. 2. 14. & cap. 8. 1. Lucæ 9. 51. & cap. 17. 11.

Ex monte Oliueti postero die diluculo iterum venit in templum, vbi mulierem adulteram, pudefactis scribis eã accusantibus, absoluit: mox docens, se esse Dei filium, cùm Iudæi eum quasi blasphemum lapidare vellent, secretò exijt è templo. Inde cæcum à natiuitate die Sabbathi oculos luto ex sputo obliniens, illuminauit: mox asserens se esse bonum pastorem de eo, ac de mercenario & quibus fusè disseruit. Ioann. cap. 8. 2. 12. & cap. 9. 1. & cap. 10. 1.

Discedens Ierosolyma, peragrat vicos & vrbes Iudææ, ac designans septuaginta duos discipulos, misit illos binos instar Apostolorum cum mandatis in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipse venturus. Quos cum gaudio ad se reuertentes, modestiæ admonet, & felices prædicat, ac spiritu exultans celebrat Dei sapientiam, quæ sua arcana reuelat paruulis, illaque à superbis sapientibus abscondit. Lucæ 10. 1. 17. Matth. 11. 25. Cum autem Matth. 5. & 10. Marci 3. & 6. Lucæ 6. duodecim Apostolorum nomina distinctè habeantur, hic tamen quinam fuerint præfati 72. discipuli, nihil dicitur; quodque de illis referunt Hyppolitus ac Dorotheus, dubium & incertum vide Baron. tom. 1. Cum etiam huc vsque rerum gestarum ordo ferè certus sit: cæterarum quæ deinceps sequuntur probabilis quidem ordo, sed non omnino certus est.

Christus à legisperito tentatus, quæ sit via ad vitam æternam, mandatum dilectionis Dei & proximi assignat: & instante illo quis sit proximus, id ipsum declarat per parabolam Samaritani, qui vulnerati curam suscepit. Lucæ cap. 10. 25.

Mense Nouembri factum est, dum proficisceretur Iesus & discipuli eius, Euangelizantes per vicos & castella, vt ipse Iesus intrauerit in quoddam castellum puta Bethaniam; vbi hospitio exceptus à Martha & Magdalena, pium huius officium sollicito illius ministerio præfert. Lucæ cap. 10. 38.

Cum esset in quodam loco orans Christus, vt cessauit, petente vno ex discipulis, tradit eis orationem dominicam & modum orandi; monetque perseuerandum esse in oratione, cuius vim per parabolam importune noctu petẽtis panes pro hospite amico, ostendit. Lucæ cap. 11. 1. 5. & cap. 18. 1.

Hoc etiam tempore, cum Dominus populum doceret, inuitatus à quodam Pharisæo ad mensam Pharisæorum, lotiones, superbiam, hypocrisim & alia similia eorum vitia inter prandendum redarguit Lucæ 11. 37. Quam eamdem Domini redargutionem cum habeat & Matth. cap. 23. sed alio tempore & loco, dicendum vel Dominum similia sæpius dixisse, vel Matthæum more suo ea coniunxisse verbis Christi, quæ etsi alio tempore dicta, habebant cum his, quæ

cum

tum ab eo dicebantur, affinitatem.

Multis postea turbis circumstantibus, Christus docet, fugiendam esse hypocrisim, nec timendos esse homines, qui corpus possunt occidere, sed Deum, qui animam potest perdere: Interpellatus autem à quodam dicente: *Dic fratri meo vt diuidat mecum hæreditatem*, auocat ab auaritia, & sollicitudine temporalium, & ad curam æternorum, spemque diuinæ prouidentiæ, ostendens huius vitæ breuitatem, & aduentus Domini incertitudinem, multis adhortatur Lucæ 12. 13.

Christus occasione Galilæorum cęsorum à Pilato, & aliorum oppressorum ruina turris Siloe, suadet pœnitentiam; & ad hoc adhibet fici infrugiferæ, ideoque succidendæ parabolam. Lucæ 13. 1. Docens autem in Synagoga, sanat mulierem per decem & octo annos incuruatam Sabbatho, ideoque Iudæos obmurmurantes ratione clara confutat, ac per parabolam grani sinapis, & alteram fermenti, demonstrat Euangelicam prędicationem à paruis initijs ad magna incrementa processuram. Ibid. vers. 10. & seq.

Facta autem sunt Encænia in Ierosolymis, hoc est festum dedicationis tẽpli, quod celebrabatur die 25. mensis Casleu, quam Chronologi censent illo anno incidisse in diem septimam Decembris. Ad hoc cum venisset Christus, rogatus à Iudæis, vt clare ediceret, an ipse esset Christus, respondit, opera sua id ipsum demonstrare, sed illos non credere, eo quod ex ouibus suis non essent; tollentibus autem illis lapides, vt in eũ iacerent, illorum iræ & perfidiæ se subducens, abijt iterum trans Iordanem in Bethabara, vbi Ioannes baptizarat. Ioannis 10. 22. 40. 41. Hic ponenda esse Encænia, post quæ, vt narrat Ioannes, abijt Dominus trans Iordanem, videtur colligi ex hoc quod habetur Lucæ 13. dictum Christo à Pharisæis, *Exi hinc quia Herodes vult te occidere*, id enim cõtingere non potuit in Iudæa, in quã ius nullum erat Herodi; sed in Peræa quæ trans Iordanem erat, & ditionis Herodis. Huncque ipsum locum significant Matthęus & Marcus, cum dicunt Dominum venisse in fines Iudęæ trans Iordanem. Quamuis enim significare videantur locum respectu Galileæ trans Iordanem, non tamen significant, sed respectu Iudeæ, vt & Ioannes; nam certum est ab omnibus significari locum in quo Ioannes primum baptizabat. Non desunt tamen multi qui sequentia festo Encæniorũ præcontigisse putent, vsque ad tres parabolas, ouis errantis, drachmæ perditæ, & filij prodigi.

Cum igitur Christus, quęrentibus Iudęis eum apprehendere in festo Encæniorum, iterum abijsset trans Iordanem, in eum locum, vt diximus, vbi erat Ioannes baptizans primum, multique etiam cum illo confluxissent, illos more suo docuit, & curauit. Ioann. 1. Matth. 19. 2. Marci 10. 1.

Rogatus à quodam, an pauci saluarentur, affirmauit; ideò arctam virtutis viam cuique esse capessendam, idque citò ne clauso cęli ostio frustra illud pulsemus. Eodem die Pharisęis suadentibus secessum Christo, eo quod Herodes mortem ei machinaretur, respondit se non ab Herode, sed à Ierosolymitis & Pharisęis ipsis occidendum esse, ideoque Ierusalem, & Iudęam à Tito euertendam prędicit. Lucæ cap. 13. 12. & 31.

Inuitatus à quodam principe Pharisęorum ad mensam, die Sabbathi sanat hydropicum, idque licere demonstrat, ac docet inuitatos humilitatem, vt nouissimum locum capessant: inuitantes verò misericordiam in pauperes & egenos. Vnde inducit parabolam inuitantis ad cænam, qui, diuitibus se excusantibus, vocauit pauperes vndequaque collectos, quo significat Iudęis ob superbiam reiectis, gentes humiles ad cęleste Christi epulum vocandas. Lucæ 14. 1.

Cum autem irent turbæ multæ cum illo, docet, eum, qui suus velit esse discipulus, debere terrenis affectibus renuntiare, ac suam crucem tollere; ideoque

que instar ædificantis & bellantis debere prius vires suas explorare ac sumptus computare, an ad tam ardua sufficiant. Lucæ 14. 25. deinde murmurantes Phariseos, quod peccatores reciperet, confutauit tribus parabolis, scilicet ouis errantis, drachmæ perditæ & filij prodigi Lucæ 15. Discipulos verò hortatur ad studium beneficentiæ, & honorum operum per duas parabolas villici iniqui, & diuitis epulonis Lucæ 16. 1. quibus tacitè taxat Phariseorum auaritiam. Ibidē disputat cum Phariseis de diuortio ac cælibatum præfert coniugio. Quam disputationem hoc loco contigisse, & cum ea coniungendam esse illam, quam describunt Matth. 19. 3. & Marcus 10. 2. satis patet ex eo, quod post pauca, quæ solus Lucas narrat, coincidunt tres in eamdem narrationem de paruulis, & diuite & alijs quæ sequuntur.

Christus igitur monet discipulos de cauendis scandalis, de fide vt grano synapis, de seruo arante; deinde interrogatus à Phariseis, quandò venit regnum Dei? describit suum aduentum ad Iudicium; aitque eum fore inopinatum, vti fuit diluuium tempore Noe, & incendium Sodomæ tempore Loth. Quare ad eum omnes sanctè viuendo se comparare debere, quia ex eodem loco vnus tunc assumetur, alter relinquetur. Lucæ cap. 17.

Per parabolam viduæ, sua importunitate extorquentis ab iniquo iudice iustitiam, docet semper esse orandum. Per parabolam verò Publicani pœnitentis, ideoque iustificati præ superbo Phariseo, docet humiles exaltari, & superbos humiliari. Item per exemplum paruulorum, quos ipse sibi oblatos, manibus impositis benedixit. Lucæ 18. v. 9. & 15. Matth. 19. 13. Marci 10. 13.

Adolescentem diuitem seruantem Dei mandata, hortatur ad consiliū paupertatis Euangelicæ, nudusque nudum Christum sequatur, si velit esse perfectus: sed ille re tam ardua perculsus, resilit. Vnde ostendit Christus, quam difficile sit diuitem saluari, quamque sapientes sint, qui omnia Dei amore relinquunt, vt Christum sequantur, quibus proindè centuplum & vitam æternam promittit. Matth. 19. 13. Marci cap. 10. 17. 23. Lucæ 18. v. 18. 24.

Deinde per parabolam operariorum diuersis temporibus conductorū ad colendam vineā, docet in cœlo primos fore nouissimos, & nouissimos primos, multos enim esse vocatos, paucos verò electos. Matth. 20. 1.

Quartus annus Prædicationis Christi.

Complectens acta eius à suscitatione Lazari vsque ad Ascensum Christi in cælum.

SVscitatio hęc Lazari contigit paulò ante quartum & vltimū Pascha, quo crucifixus est Christus, imò, vt statim dicetur, ipsa fuit causa vel potius occasio necis Christi. Ipse enim vixit 33. annos, & tres menses, qui à natali eius excurrunt vsque ad Pascha. Quapropter quartus hic prędicationis annus, quo mortuus est Christus, fuit tantùm inchoatus, non completus, duosque dumtaxat menses complectitur, scilicet Martium, & Aprilem, ac initium Maij; quibus omnia illa contigerunt, quæ à suscitatione Lazari, vsque ad Ascensionē Christi in Euangelijs narrantur. Christus enim suscitauit Lazarum post initium Martij, crucifixus est die 25. Martij; resurrexit die 27. Martij; ascendit in cælum die 5. Maij, anno ætatis suæ 34. inchoato per quatuor menses.

Christus ergò Lazarum mortuum quatriduanum in Bethania à morte suscitat; quo miraculo permoti multi cū in eum crederent, Pontifices & Pharisæi illi inuidentes cogunt contra eum Concilium, in quo Caiphas Pontifex prophetat expedire, vt Christus pro populo moriatur. Quare Christus eorum iras declinans ad paucos dies abijt in regionem iuxta desertum, in ciuitatem quæ dicitur Ephrem. Mox instante Pascha-

te,

te, ascendit Ierosolymam; ac in via malè exceptus à Samaritanis cum Ioannes, & Iacobus vellent eos perdi fulmine, docuit suum spiritum non esse vltionis sed charitatis; huc autem transferendum esse, quod Lucas c.9. narrauit de Christo à ciuitate Samaritanorum repulso, suadere videntur, hæc eius verba: *Factum est autem dum complerentur dies assumptionis eius*; quę satis apertè significant profectionem illam non longè abfuisse à morte Christi; quod initium assumptionis eius; assumi enim nihil aliud quam ad Deum recipi. Accedit etiam quod ait, *Iesum firmasse faciem suam, vt iret in Ierusalem*; quod denotat firmam animi constantiam ad certam mortem proficiscentis. Fatendum tamen ex ciuitate Ephrem, quo Christus ante concesserat, rectum iter non fuisse per Samariam; sed facilè fieri potuit, vt varias ob causas à cõsueto itinere Christus deflecteret. Cur autem Lucas suo loco id non retulerit, causa afferri potest, quod cum duo insignia Christi monita idem Lucas ante narrasset, quorum prius ad vitandam ambitionem, alterum ad vitandam inuidiam hortabatur, commodum esse locũ credidit adijciendæ monitionis aduersus vltionem. In eadem via Ierosolymam versus edixit Apostolis, instare sibi crucem & mortem, seque vltrò ad illam pergere. Ioann. cap. 11. verſ.17. 46. 54.65. Matth. 10. 17. Marci 10. 32. Lucæ cap.9. 51. cap.18.31.

Ioannes & Iacobus filij Zebedæi opinantes Christum ascendere Ierosolymã regni sui ineundi causa, per matrem postulant, vt in regno hoc post eum primas obtineant, vno ad dexteram, altero ad sinistram sedente; sed Iesus pro regno calicem pasionis eis propinat. Matth. cap.20. v.20. Marci 10.32. Lucæ 19.11.

Iesus transiens per Iericho Zacheum publicanum se inuitantem conuertit, indè pergens Ierosolymam, duos cæcos quorum vni nomen erat Bartimæus, illuminat, ac ante sex dies Paschæ, scilicet die veneris ante Dominicam Palmarum venit Bethaniam. Lucæ 18.35. & cap.19. 1. Matth. 20. 29. Marci 10. 46. Ioann. 12. 1. Vbi notandum, quod cum miraculum cæci sanati, quod ante Zachęi historiam Lucas commemorat, idem videatur cum eo quod narrant Matthæus & Marcus, Lucam per anticipationem illud retulisse, & sic quidem narrasse, quasi ante ingressum Iericho contigerit, cum contigerit tantum post egressum; quod satis esset scire; circa Iericho id contigisse. Similiter Matthęus duos cęcos commemorat; sed quia alter altero nobilior, vnius tantum meminerunt Marcus, & Lucas, cuius & nomen exprimit Marcus.

Postero die, quo Christus Bethaniam venit, puta Sabbatho, ferunt ei cœnam ibi, cęnauitque cum Lazaro, Martha ministrãte; Magdalena verò vnguentum nardinum in caput eius effundente; quod ęgrè ferens auarus Iudas, à Iesu corripitur. Ioann. 12. 2. 4. Hic autem quæri solet, an eadem sit mulier, quę hic Matth. 26. Marci 14. & Lucæ cap.7. verſ. 32. Christum vnxit? siue an vna fuerit Magdalena, an duę, an tres? S. Chrysostomus homil. 81. in Matth. opinatur fuisse duas: Origenes, Theophylactus, & Euthymius in caput 26. Matth. opinantur fuisse tres; scilicet primam, de qua agit Lucas cap.7. secundã, quæ biduo ante passionem Christum vnxit Matth. 26. 7. tertiam quæ sex diebus ante Pascha & passionẽ, super Christi caput alabastrum nardi effudit Ioan. 12. Hos secuti Iodocus Clictoueus, & Iacobus faber libellos scripsere de tribus Magdalenis: sed eorum sententiam doctè refellit Ioannes Roffensis lib. de hac re edito. Dicendum est ergò vnam eamdemque fuisse mulierẽ, scilicet Mariam Magdalenam sororem Martæ & Lazari, quæ Christum tribus distinctis vicibus vnxit, vti narrãnt Lucas, Matthęus, Marcus & Ioannes: prima in domo Simonis Pharisæi Lucæ 7. Secunda in Bethania ante sex dies Paschæ in domo Lazari à mortuis excitati Ioãnis 12. vbi Martha mensæ ministrante, Maria eius soror pedes Iesu vnxit, & Iudas ei

detra-

detraxit. Tertia apud Simeonem cognomento leprosum, quo accedens mulier habens alabastrum, vas scilicet ex alabastro factum, effudit super caput recumbentis biduo ante Pascha; quando non vnus Iudas, sed & cœteri discipuli indignati sunt, ac tunc dominus secundam pro illa habuit defensionem à prima diuersam. Matth. 26. & Marci 14. de quo vide Cardinalem Baronium tom. 1. num. 25. & sequentibus. Quamuis etiã probabilitate non careat opinio aliorum, qui docent Magdalenam non ter, sed bis duntaxat vnxisse Iesum, putantes vnam esse in Bethania cænam & vnctionem à tribus Euãgelistis Matthęo, Marco & Ioanne narratam. Ita vt Maria primum pedes vnxerit, quod narrat Ioãnes, postea totum effuderit vnguentum super caput fracto vasculo, quod solum memorant Matthęus, & Marcus. Biduũ autem illud, quo ante Pascha dicunt factam fuisse in Bethania cœnam in domo Simonis leprosi, cuius ambo meminerunt; cum suam dicat Ioannes factam fuisse ante sex dies Paschæ, biduum, inquam, illud, non ad conuiuiũ sed concilium referendum putant, nec posse dici eo tempore conuiuium factum esse; quod scilicet eo ipso die sit factum concilium Ierosolymis Sacerdotum, ad quos Iudas proditurus Iesum accessit.

Postero iterum die, quo ex D. Ioanne cœnauit Christus cum Lazaro in domo eius iuxta dictam Baronij sententiã, Dominica videlicet Palmarum, quæ illo anno incidit in diem 20. Martij, Bethania abiens Bethpage, illinc asino vectus pallijs discipulorum strato, populo cum ramis palmarum applaudente clamanteque *Osanna filio Dauid*, quasi triumphans & Messias Ierosolymam ingreditur; cumque appropinquaret, secundò eius excidium prædicens illacrimauit. Matth. 21. Marci 11. 1. Lucæ 9. 29. & 41. Ioann. 12. 12.

Vrbem ingressus primò templum adijt, ex eoque ementes, & vendentes eiecit, multosque ægros sanauit, frendentibus idcircò Pharisæis: Cum autem quidam Gentiles, ex his qui ascenderant, vt adorarent in die festo desiderarent videre Christum; per parabolam grani frumenti, quod moriens copiosè resurgit, prædicit instantem sibi passionem, & vox de cęlo missa eum clarificat, vt exaltatus à terra omnia trahat ad semetipsum. Matth. 21. 12. 15. Marci 11. 15: Lucæ 19. 45. Ioann. 12. 20.

Eadem die scilicet vespere Dominicæ Palmarum vrbe egressus iuit Bethaniam; postero mane, nimirùm feria 2. siue die Lunæ 21. Martij in vrbem regrediens maledixit ficui ficubus carenti: Indè cum tota die docuisset in templo vespere rursus exiuit Bethaniam. Matth. 21. 17. Marci 11. 11.

Postero mane, quæ fuit feria tertia siue dies Martis 22. Martij in vrbem reuertens, cum ficum à Iesu maledictam, arefactam discipuli mirarentur, quanta esset vis viuæ fidei & orationis ostendit. Inde more suo docens in templo, Pharisæos sibi obstrepentes confutat, eisque excidium intentat; primo per parabolã duorum filiorum; vnius patri obedientis, alterius inobedientis, secundò agricolarum conducentium vineam, & occidentium heri filium, ac consequenter vineæ hæredem. Vtraque enim hæc parabola significat Ecclesiam Dei, à Iudęis Christum occisuris ad Gentes transferendã. Hi in hunc modum oratione Domini debellati ac profligati, rursus vt eum capiant in sermone, captiosas ei proponunt quęstiones de censu, nimirum an liceret tributum dari Cęsari, nec ne? de resurrectione mortuorum, de mandato legis maximo; quibus cum Dominus prudẽtissimè satisfecisset, ipse illos vicissim de Christo, cuius filius esset, interrogat: & cum ea occasione de diuinitate filij Dei disseruisset; ad populum conuersus, multa aduersus hypocrisim, superbiam auaritiam aliaque vitia Pharisæorum locutus est: quæ cum perorasset, & contra Gasophylacium sedens, offerentes pecuniam inspiceret, laudauit præ cæteris pauperem viduam, quæ duo æra minuta obtulisset. Inde egressus, cum discipuli nobi-

nobilem templi structuram admirarentur, eiusdem ruinam prædixit, Matth. cap. 21. cap. 22. cap. 23. & 24. Marci c. 11. & 12. Lucæ cap. 20. & cap. 21.

Ierosolymis verò egressus Dominus, cum peruenisset ad montem Oliueti, ibique è regione templi sederet: interrogantibus eum secretò Petro, Iacobo, Ioanne, & Andrea de ijs quæ de templo prædixerat, deque aduentu ipsius & consummatione sæculi, multa signa futura significauit, diem tamen fore incertum; ideoque cuique vigilandum esse, vt ad eum se comparet, docet varijs parabolis, Virginum sapientum, & fatuarum, serui pigri, furis, diluuij Noe. Matth. 24. 3. 36. Marci 13. 3. 32. Lucæ 21. 7. 34. Denique modum ac formam iudicij vltimi graphicè depingit Matth. 25. 31.

Hos cum consummasset Iesus sermones, dixit discipulis suis feria quarta siue die Mercurij 23. Martij; scitis quia post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur vt crucifigatur. Quibus dictis è monte Oliueti venit Bethaniam, vbi cum esset in domo Simonis Leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrũ vnguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis. Quam vnam eamdemque fuisse mulierem, eamque Mariam sororem Lazari, quæ ante sex dies Paschę item Bethanię vnxit pedes Iesu in domo Lazari iam supra notauimus. Cur autem quæ prius semel atque iterũ vnxerat pedes, iam tertiò vnctura Dominum caput illius vnguento aspergat: nulla melior (vt interim de mysterio sileamus) videtur ratio, quam illa, quod Iudam indignantem & oblatrantem audierat: rata enim inde offensum esse Iudam, quod præter consuetudinem pedes vnxisset, ne vlterius offensionis eamdẽ occasionem præberet, quod & cęteri frequentius in conuiuijs facticare consueuissent, ipsa sibi absque alio scandalo caput Domini vnguento vngere concessum putauit. At nihilominus non vnus Iudas vt prius, sed omnes qui aderant discipuli indignati sunt. Quamuis solus Iudas inde occasionem sumpserit de eo Iudæis vendendo, qui constituerunt ei pretium triginta argentorum. Matth. 26. 1. 3. 14. Marci 14. 1. 10. Lucæ 22. 1.

Feria quinta, siue die Iouis, 24. Martij, Luna 14. præmittit Petrum & Ioannem Ierosolymam, vt ibi parent Pascha, id est necessaria ad cęnam Agni Paschalis, quos ipse secutus, vespere cum duodecim discipulis cœnam Agni celebrauit, illam ipsam etiam Iudæis cęteris celebrantibus. Nec enim audiendi sunt illi, qui Pascha intercisum fuisse tradunt, dicuntque alia die Agni comestionem, alia verò festum ipsum esse celebratum; aut non commune cum cæteris Dominum Pascha egisse, sed priuatum, illudque anticipatum. post cœnam pedes discipulorum lauit, & de humilitate seruanda eosdem admonuit, ac denique Sacramentum augustissimum Eucharistiæ instituit, illudque discipulis distribuit. Probabiliusque est Iudam vna cũ cæteris Sacratissimam Eucharistiam participasse: buccella tamẽ illa intincta ipsi porrecta non fuit Eucharistia: sed potius panis ille, qui iuxta ritum Hebræorum, vt notat Cardinalis Baronius initio secundæ mensæ intingebatur in pultem, seu embamma ex lactucis agrestibus cõfectum: sicque intinctio illa, ex more, Eucharistiam præcessit. Vnde dicendum est, rem gestam eo esse ordine, quo à Ioanne recensetur: nimirum post pedum ablutionem de sua proditione Iesum sermonem habuisse, tunc & Ioanni de proditore roganti signum illud per intinctã buccellam dedisse. Sed quod dicit, acceptą buccella continuò exisse; id quidem non ita accipiendum est, vt tunc temporis statim, & nulla interposita mora, abierit; sed quod velut furore quodã percitus, non expectauerit prolixam illam mirificam post cœnam habitam à Domino orationem: nam S. Lucas apertè testatur, Iudam cum cæteris permansisse vsque ad finem communicationis Eucharistiæ, post quam nihil iam videbatur esse reliquum in mensa, secundum Iudæorum ritum, quo potuerit panis intingi:

tingi, sicque dici illum panem intinctum fuisse Eucharistiam: nam Euangelistarum testimonio constat, non simul vtrũque, sed seorsum, primoque panem, inde verò vinum suis verbis sacrasse, ac propinasse. Nox aduenerat, cum Iudas, peracta cęna, è mensa exijt, & ad perficiendum quod in animo habebat, festinauit. Cum sic ille recessisset, contendentes rursũ de primatu discipulos pręcepto humilitatis repressit, ac nouum dilectionis mandatum edidit: comprehensionem sibi instantem ac discipulorum fugam, Petroque constantiam suam iactanti trinam negationem prædixit: inde męstis discipulis valedicens, longum sermonem amore, & spiritu ęstuantem habuit. Matth. 26. 17. 20. 26. Marci 14. 12. 17. 22. Lucæ 22. 7. 14. 19. 21. 24. 26. Ioannes à cap. 14. vsque ad 18.

Series Passionis Christi.

POst hymnum gratiarum actionis dictum, sermonemque absolutum, Christus cum suis eadem nocte, cænaculo, & vrbe egressus secundum consuetudinem abijt in montem Oliuarum, quo cùm peruenisset, ingressus in villam quę dicitur Gethsemani, vbi erat hortus, seorsim cum Petro, Ioanne, & Iacobo oraturus secessit auulsus ab illis iactu lapidis. Ex viua apprehensione instantis passionis, cœpit pauere, tędere, contristari, & mœstus esse (eas enim communes cœteris animi passiones prudens volensque suscepit) vnde Patrem, rogans, vt, si possibile esset, à se calicem passionis transferret; eumdem sermonem non semel sed iterum ac tertio repetijt, cum interdum dormientes discipulos excitaret. Ei verò sic oranti apparuit Angelus confortans eum, sed cũ prolixius oraret, in agonia positus est, factusque sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Venit interim Iudas cum militum cohorte, quibus signum dederat (ne noctis tenebris decepti, in alium quempiam manus injecerent) vt, quem ipse osculatus esset, tenerent ac ducerent. Cumque osculatus eũ esset, ipse Dominus se vltrò obtulit illis, rogans quem quærerent, seque ipsũ manifestans; retrorsum abeuntibus illis, atque in terram cadentibus; iterum eosdem eodem modo interrogans, tandem se ab illis teneri permisit; Petrumque gladium stringentem cohibuit, & Malcho seruo principis Sacerdotum amputatam aurem restituit. Discipuli dehinc omnes relicto eo fugerunt; & qui sequebatur eum adolescens amictus sindone super nudo, cum teneretur, ea relicta nudus aufugit. Creditur hic fuisse Ioannes, veste adhuc cęnatoria indutus. Matth. 26. Marci 14. Lucę 22. Ioannis 18.

In hunc modum Dominus noster Iesus Christus prensus, ac vinctus, primò ad Annam ducitur, non quod ipse esset tunc Summus Sacerdos, eo quippe Caiphas munere fungebatur, sed quoniam tunc ipse Anna pręfectus erat magno Concilio septuaginta duorum Seniorum, quod Sanedrim appellabant, cuius officium erat de propheta atque doctrina cognoscere, & iudicare. Vnde Anna Pontifex iure ex officio Christum interrogabat de discipulis eius atque doctrina. Cum autem responderet Iesus se nihil vsquam in occulto esse locutum, sed palam docuisse populum; hac dicendi libertate in deteriorem partem accepta, vnus ex ministris inflixit illi alapam. At quoniam non erat liberum Annę absque magno illo consilio causã iudicare, ac ferre sententiam, misit Iesum ligatum ad Caipham Summum Sacerdotem, apud quem comitia haberentur. Cum igitur ad Caipham Summum Pontificem Christus perductus esset, quo magnum illud Septuaginta duorũ seniorum summo mane cogendum Concilium erat, atque hoc expectaretur, viri qui tenebant Iesum illudebant ei; Et quoniam quæstio de eo habenda erat an esset propheta, id prius illi experturi, velantes eum, percutiebant faciem eius, & interrogabant eum dicentes, Prophetiza, quis te percussit? & alia multa blasphe-

phemantes dicebant in eum; Quæ cum ante coactum concilium Lucas accidisse dicat, Matthæus vero atque Marcus post sententiam mortis in eum latam, dicendum est easdem contumelias à perfidissimis atrocissimisque ac procacibus illis ministris iterum repetitas esse aduersus Dominum Iesum.

Interim Petrus, qui Iesum sequebatur à longè, cum introductus fuisset ab alio discipulo, qui Ioannes putatur, in atrium summi Sacerdotis: ibi tertio requisitus ab ancilla ostiaria & Iudæis, an Christi foret discipulus, tertio negauit. Sed cantante gallo, & aspiciente Christo, recordatus Petrus verbi quod dixerat ei: priusquam gallus cantet bis, ter me negabis: egressus foras, facti pænitens, fleuit amare. Hęc omnia die Iouis nocte gesta sunt. Ioannis 18. Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. Vbi notandum primò, Euangelistas sibi inuicem non aduersari, dum Matthęus & Lucas à Domino dictum Petro narrant: Priusquam gallus cantet, ter me negabis: Marcus verò dicat: Priusquam gallus cantet bis, ter me negabis: Nam duplex fertur gallicinium primum post sextam horam noctis, secundum post horam decimam in quarta vigilia. Secundò dùm dicitur, quod conuersus Dominus respexit Petrum, Lucæ 22. vers. 61. cum tunc Christus intus & sursum fuerit, Petrus verò foris & deorsum; & præterea Christus ligatus ita vt ei non vacaret è loco superiori deorsum respicere; dicendum cum Augustino de gratia Christi cap. 45. respexisse Petrum non corporalibus oculis, sed in mente & voluntate, quia latenter subuenit, cor tetigit, memoriam reuocauit, interiore gratia sua visitauit Petrum. Prædicta tandem Petro contigisse in atrio Caiphæ summi Sacerdotis probabilius est: nam etsi ex verbis Ioānis in domo Annæ primum facta esse videantur: tamen verba illa de Petro prius narrata ea occasione vidētur, quod cum de eo semel dicere cœpisset ipsum & alterum discipulum secutos esse Iesum, cætera quæ postea contigerunt Petro, eidem orationi simul iunxit.

Feria sexta siue die Veneris, 25. Martij, mane coacto Concilio, Principes Sacerdotum, & omne Concilium quęrebant falsum testimonium contra Iesum, vt eum morti traderent: & non inuenerunt, cum multi falsi testes accessissent. Nouissimè autem veniunt duo falsi testes, & dixerunt: Hic dixit: possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud. Verum cum hęc & alia ab alijs dicerentur, nec conuenientia essent eorum testimonia, nec Christus ad ea responderet: summus Sacerdos Caiphas, cupidus mortis Iesu, vt qui antea in alio eorumdem cōuentu, Christum occidendum esse, sententiam tulerat, moræ impatiens, paucis causam absoluturus, sic captiosè demum Iesum alloquitur: Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis si tu es Christus filius Dei; cui respondens Iesus: Tu dixisti. Tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua dicens: blasphemauit, quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam, quid vobis videtur? respondentes illi dixerūt: Reus est mortis; eundemque plectendum tradiderunt Pontio Pilato Romanorū pręsidi. Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, detestans quod patrarat grande scelus. Illi inito consilio emerunt agrum in sepulturam peregrinorum: quod ex pretio sanguinis emptus esset, appellatus est Acheldama, hoc est, ager sanguinis. Iudas verò in desperationem tanto crimine actus, abiens laqueo se suspendit, sicque suspēsus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius. Lucæ cap. 22. & 23. Matth. 27. Marci 15. Ioan. 18. Vbi notandum vnicum Caiphæ & Sacerdotum examen ac iudicium fuisse, non duplex; quod satis apparet, si conferantur cū Luca quæ Matthęus & Marcus narrant: vnicum enim discrimen est, quod Lucas à toto Concilio interrogatum refert Iesum, an esset Christus? Matthęus verò & Marcus id tantum à

Caipha factum aiunt; quod leue est, cùm alij post Caipham idem à Christo postulasse potuerint, vel Lucam Concilio tribuere, quod ab eius capite factum fuerat, vsitatissimo tropo.

Cum ergò Principes Sacerdotum, iuxta sententiam datam introducturi Iesum essent ad Pilatum, foras manserunt nolentes ingredi prætorium, ne contaminarentur. Vnde Pilatus ad eos foras exiens, & rogans causam cur eum adduxissent, cum nullam idoneam inueniret, in eos refundere iudicium cupiens, dixit: Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate eum. Quod videntes Iudæi nouas ingerunt accusationes, maiestatis reum Iesum faciunt, calumniantes quod subuertisset Iudæos, prohibuissetque tributum dari Cæsari seque ipsum Christum regem esse dixisset. Vnde his commotus Pilatus, ingressus Prætorium vocato ad se Iesu, rogat eum an verè Rex sit Iudæorum? asserit ille, sed addit regnum suum esse cæleste non mundanum, à quo proinde sibi timere non debeat Tiberius Cæsar, eiusque Præses. Quare innocentem & sanctum esse Iesum Pilatus agnoscens, varijs modis eum absoluere & dimittere satagit. Primò enim cum à Iudeis eum accusantibus, quod Iesus Galilæus esset, audisset, ad Herodem Galilææ Tetrarcham, qui opportunè Ierosolymis aderat, Iesum amandauit, qui vehementer gauisus est, quod multa de eo audisset, & iamdiu eum videre optasset. Sed cum multa rogaret, necquicquam Christus responderet, signa & mirabilia ab eo expectaret, & nihil tale videret, quasi fatuum quemdam ac morionem illudens, veste alba indutum ad Pilatum remisit, quibus officijs se inuicem prouocantes Pilatus & Herodes, scissam olim amicitiam redintegrarunt. Ioannis 18. v. 29. 33. Lucæ 23. vers. 23. 46, 8. Matth. 27. v. 11. Marci 15. v. 2.

Secundò Pilatus Iesum ad se remissum liberare studet, componens eum cum Barabba seditioso homicida, vt de more in Paschate vnum à morte liberaturi, Iesum eligant & liberent: at illi Pōtificum suggestu Barabbam liberari postulant. Iesum verò crucifigi. Matth. 27. 15. Marci 15. 6. Lucæ 23. 17. Ioan. 18. 39. Tertiò, Pilatus videns Iudæorum in Christum rabiem, vt eam sedet, iubet eum flagellari, ac flagellis deformatum, & coronâ spineâ, vesteque purpurea, velut fictum pictumque regem, illusum, Iudæis spectandum exhibet, vt tam afflicti misereantur: at illi crudeliores effecti contentis vocibus iterum petunt eum crucifigi, minanturque Pilato illum non habendum amicum Cæsaris, si Iesum, qui se regem fecit, impune dimittat. Quocirca Pilatus sedit pro tribunali, nullamque putans relictam esse facultatem eum liberandi, cum Iudæi importunius acclamarent, maiorque tumultus fieret, contestans se rem aggredi iniquissimam, accepta aqua coram populo lauit manus dicens: Innocens ego sum à sanguine iusti huius: vos videritis: cui respondente populo: sanguis eius super nos & super filios nostros, tunc Pilatus dimisso Barabba tradidit Iesum eis crucifigendum, licet paulo antè ab vxore monitus esset, ne se morti viri tam iusti immisceret. Matth. 27. Marci 15. Lucæ 23. Ioann. 19.

Ducendus ergò redemptor noster è prætorio in montem Caluariæ exuitur chlamyde, & proprijs induitur vestimētis: Crux, cui affigendus erat, super humeros eius imponitur, quam Iudæi in exitu portæ verentes, ne Iesus illi succumberet, cogunt Simonem Cyrenæum altera ex parte post Iesum portare. Comitabatur eum frequens populus: mulieresque miseratione commotæ lugebant: ad quas Iesus conuersus, quæ euētura illis essent mala prædicens ob imminens vrbi Deicidæ excidiū seipsas potius ac filios suos flere admonuit, Matth. 27. Lucæ 23. Marci 15.

Vt perductus est in montem Caluariæ, antequam cruci affigeretur, propinatum illi fuisse vinum myrrhatum tradit Marcus Euangelista cap. 15. vinum verò felle admixtum eidem tributum, scribit

scribit Matthęus; sed noluisse myrrhatum accipere Marcus ait; licet vinum felle dilutum gustasse saltem, Matthęus narret; diuersa autem admodum hęc inter se fuisse pluribus demonstrat Cardinalis Baronius tom. 1. num. 94. nec non vnde sint deducta. Mox Iesum exuerunt suis vestibus milites, easque in quatuor diuiserunt partes, & quisque militum partem suam accepit: super tunicam verò inconsutilem miserunt sortem. Sic spoliatũ redemptorem mundi cruci affixerunt tribus vel quatuor clauis secũdum opinionũ diuersitatem, hora sexta puta in meridie: crux deindè erecta est, cui affigitur titulus causæ à Pilato scriptus eo ordine quo ponitur à Ioanne nempe Hebraicè Græce & Latinè, vt apparet in parte tituli, quæ Roma extat. Atque ab vtroque eius latere fuere suspensi duo latrones, quasi ipse eorum esset princeps. Matth. 27. Marci 15. Lucæ 23. Ioannis 16.

Tunc pro persecutoribus exorauit dicens: Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Ad hęc Principes sacerdotum, & qui cum eis erant, irridebant eum & blasphemabant, illudebant eidem & milites. Sed cùm & vnus ex latronibus, qui cum eo affixi cruci erant, conuiciaretur ei: mox alter illum blasphemantem redarguens, Christum confessus, se eidem commendauit, qui & ab eo meruit audire: Hodie mecum eris in Paradiso: Matth. 27. Marci 15. Lucæ 23. Vbi quod Matthęus & Marcus narrant latrones improperasse Christo, dicendum cum Augustino per tropum pluraliter dici, quod vnus tantum fecit. Quod pluribus exemplis probat S. doctor lib. 3. de consensu Euangelist. cap. 16. scripturis esse familiare.

Stabat interim iuxta crucem Iesu Maria mater eius, & soror matris eius Maria Cleophe & Maria Magdalene; aderat & Ioannes. Cum vidisset ergo Iesus Matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dixit matri suæ: Mulier ecce filius tuus, deinde discipulo, Ecce mater tua, & ex illa hora accepit eam discipulus in sua. Dum autem hęc agerentur, hora sexta factæ sunt tenebræ super vniuersam terram, vsque ad horam nonam, & obscuratus est Sol; tuncque exclamauit Iesus voce magna dicẽs: Eli Eli lammasabacthani? quod est interpretatum Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? postea dixit sitio. oblatumque tunc acetum accepit; quo accepto, dixit: consummatum est; & iterum clamans voce magna ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum: & hęc dicens, inclinato capite tradidit spiritum. Tunc verò velum templi scissum est in duas partes, à summo vsque deorsum: & terra mota est; & petræ scissæ sunt; & monumẽta aperta sunt: quibus commotus Centurio, multique è populo spectante percussi sunt, & tundentes pectora domum reuersi. Ioannis 19. Matth. 27. Marci 15. Lucæ 23.

Cum appropinquasset initium diei Sabbathi, quem post horam nonam Iudæi publico signo auspicari consueuerant, ne remanerent in cruce corpora Sabbatho, Iudæi adierunt Pilatum, vt iam viuentes adhuc in cruce, ex more, crurifragio necarentur, eorumque corpora tollerentur. Aduenientes ad hoc milites, vtriusque latronis fregerunt crura, idem cum Iesu acturi: sed cum mortuum vidissent, abstinuerunt: vnus tamen militum lancea latus eius aperuit, ac continuo fluxit sanguis & aqua. Mox de cruce depositum Christi corpus, & vnguentis delibutum, honorificè à Iosepho ab Arimathia & Nicodemo sepelitur, aduoluto saxo magno ad ostium monumenti. Interea die Sabbathi inchoato, Principes Sacerdotum & Pharisæi adierunt Pilatum, rogaruntque muniri sepulchrum, & adhiberi custodiam, ne discipuli Iesu corpus auferrent, & resurrexisse falsò iactitarent. Ille verò ad eiusmodi officium, vt perquam diligenter curaretur, datis ad custodiam militibus, illis obtemperauit, qui abeuntes, munierunt sepulchrum, signantesque lapidem, milites ad custodiam reliquerunt.

runt. Ioann. 19. Matth. 27. Marci 15. Lucæ 23.

Supereſſet iam breuiter agere de ipſo tempore Paſſionis Chriſti, quo potiſſimum anno ætatis ſuæ ſit paſſus, verùm id ſatis patet ex dictis; ſuppoſito enim, quod poſt baptiſmũ Chriſti quatuor per annos ſingulos fuerint Paſchata reuoluta; quodque primum à Ioanne recenſitum inciderit in annum Domini trigeſimum primum, neceſſario ſequitur, vltimum, quo paſſus eſt, in annum eius ætatis trigeſimum quartum incurriſſe, ſiue quod idem eſt, paſſum eſſe anno ſuæ ætatis trigeſimo tertio expleto, & amplius tribus menſibus, anno decimo octauo Tiberij Imperatoris. Quod verò ad eius anni Dominicæ paſſionis menſem pertinet: fere omnium fuit ſententia, Dominum noſtrum paſſum eſſe menſe Martij, pauciſſimorum, menſe Aprilis. Sed quota potiſſimum die mẽſis Martij? nihil certi ſtatui poſſe docet Baronius: quamuis iuxta ſupputationem à nobis ſuperius factã probabiliter dici poſſit, ipſum Redemptorem noſtrum fuiſſe cruci affixum vigeſima quinta. Quantum autem ad diem paſſionis, exploratum eſt omnibus, & Euangelij authoritate firmatum, paſſum eſſe Dominum hebdomadis ſexta die, quam Iudæi ſextam Sabbathi, Gentiles diem Veneris, Chriſtiani Græci Paraſceuen, Latini ſextam feriam dicere conſueuere. De hora quoque illius diei ſalutiferi, Euangeliſtarum teſtimonio habetur, cruci affixum fuiſſe Dominum ante horam ſextam; nam poſtquã crucifixus eſt, ab hora ſexta vſque ad horam nonam factæ ſunt tenebræ Matth. 27. Marcus item cap. 15. hora ſexta tenebras factas eſſe ſuper vniuerſam terram affirmat, qui & ait crucifixum Chriſtum hora tertia; nec illi aduerſatur Ioannes cap. 19. quod dicat fuiſſe horam quaſi ſextam, cum in eum Pilatus eſſet laturus ſententiam.

Pro cuius intelligentia notandum eſt, quod ſicut apud Iudæos nox in quatuor vigilias, ita dies in quatuor horas ſeu ſtationes diuidebatur; quamuis diuerſimode id effici quidam velint; alij enim diuidunt in hunc modum, dicuntque à diluculo vſque ad horam diei tertiam, horam eſſe primam: ſecunda à tertia vſque ad horam diei ſextam dicebatur ab ijs hora Tertia, eo quod à tertia initium ſumpſiſſet: Tertiam vero partem eam, quæ ab hora ſexta vſque ad nonam progrederetur, Sextam nuncupabant, quod ſimiliter ab hora ſexta inchoaretur: Quartam denique incipiẽtem à nona, & vſque ad Solis occaſum perdurantem, Nonam itidem ſeu Veſperam dixere. Alij verò hanc ineunt rationẽ numerandi quatuor illas diei partes, quas volunt eſſe æquales, vt ſingulæ quidem trium etiam horarum ſpatio conſtituantur, ſed eædem non à principio, verùm à fine nomen accipiant: ſicque prima pars diei illa, à mane vſque ad tertiam horam producta, Tertia diceretur; Secunda, quæ ad ſextam horam diei perueniens, Sexta nominaretur: Tertia verò pars diei, vſque ad nonam horam deducta, Nona appellaretur: Quarta, quæ vſque ad noctem durans, Veſpera nuncuparetur. Quod igitur Ioannes ait fuiſſe quaſi horam ſextam, cum Pilatus in Chriſtum ſententiam iam proximè dicturus eſſet, ſic accipiendum eſt, vt vltima hora primæ diei partis, quæ Tertia dicta eſt, iam cępta eſſet, & proximè iam inchoanda foret ſecunda pars diei quæ ſexta nominata eſt: ſicque meritò ab Euangeliſta dictum fuiſſe, tunc horam quaſi ſextam, nondum videlicet tertia abſoluta; ac ita eamdem nouiſſimam horam primæ partis diei fuiſſe terminum eius iam deſinentis, & ſecundæ partis, quæ ſexta dicta eſt, iam proximè incipientis: qua ipſa hora Dominus noſter à Pilato ſententiam mortis accepit, ac paulo poſt cruci affixus eſt: quo ſic in cruce pendente, iamque facta hora ſexta, vel appropinquante, quod ait Lucas, tenebræ factæ ſunt, vſque ad horam nonam, qua expirauit, ante Solis verò occaſum ſepultus eſt. Sed iam Reſurrectionis hiſtoriam aggrediamur.

Series

Series resurrectionis Christi.

CHristus Dominus die tertia à morte sua, scilicet Dominica, quæ fuit 27. Martij, è sepulchro gloriosus resurrexit ante auroram, ac lapidem quo sepulchrum claudebatur, per dotem subtilitatis penetrans exiuit: lapidem deindè remouet Angelus, ac custodes exterruit, & in fugam compulit, vt mulieres venturæ sepulchrum ingredi possent: quare mulieres, quæ emerant, vel empta habebant, & parauerant vnguenta ad corpus Iesu vngendum, cum ad sepulchrum peruenissent, illud apertum inuenerunt, quæ prius in itinere valde erant sollicitæ, quis reuolueret illis lapidem ab ostio monumenti. Introeuntes autem in monumentum, cùm iam Christus resurrexisset, eius tantum linteamina repererunt, ac ab Angelis audire meruerunt ipsum resurrexisse. Id ipsæ illico nuntiarunt Apostolis: mox Petrus & Ioannes cucurrerunt ad sepulchrum: secutæ sunt eos mulieres, cum Magdalena. Petrus autem & Ioannes visis tantum Christi linteaminibus, admirantes redierunt domum; eosque rursum secutæ sunt mulieres; sola Magdalena hærente ad sepulchrum & plorante: vbi prima meruit videre Iesum specie hortulani, verùm non agnouit; audiens tamen ab eo *Maria*, illico cognouit. Statim secuta mulieres; eis narrauit se vidisse Iesum, & ecce Iesus omnibus occurrit obuius dicens *Auete*. Hęc est prima Christi resurgentis apparitio, quæ in scriptura habetur, facta Magdalenæ & mulieribus. Matth. 28. 1. 2. 3. 5. 9. Marci 16. 5. Lucæ 29. 1. 3. 4. Ioan. 20. 1. Vbi tamen obseruandum est aliquos alios, paulo aliter ac diximus, ordinare intricatissimam hanc resurrectionis historiam. Volunt enim, cum mulieres ad monumentum peruenissent, vidissentque lapidem (quem Angelus reuoluerat) à monumento sublatum; nec inuenissent corpus Iesu, Magdalenam cucurrisse ad Apostolos, adductisque secum Petro & Ioanne (qui non inuento corpore Christi domum se receperunt) ad monumentum reuersam esse, vbi reliquæ mulieres, quæ ibi remanserant, mente consternatæ duos Angelos vident, qui & Magdalenæ ploranti & in monumentum prospicienti apparentes, cum ab ea lachrymarum causam petissent, illa respondit; *tulerunt Dominum, meum &c.* Quibus dictis retrorsum conuersa, & à monumento paululum secedens, cum vidisset Iesum hortulani specie, mox eum agnoscens, & cum eo collocuta, festinauit nuntiare Apostolis se Dominum vidisse. Interim verò mulieres, quæ ad sepulchrum remanserant, ab ijsdem Angelis accipiunt Christum resurrexisse; & mox à monumento recedentes Christum obuiam habuere: quæ cum Apostolis nuntiassent, nullam ab ijs fidem meruerunt.

Hic autem ordo seruandus videtur, vel omnino seiungendum quod Ioannes narrat de Magdalena, ab ijs quæ reliqui dicunt mulieribus contigisse; inter quas tamen Magdalenam nominant. Non enim credibile est, resurrectionem Christi ab Angelis Magdalenæ indicatam, vt reliquis mulieribus factum est: quando enim id contigisset: non post Christi alloquium; eum statim ad Apostolos ierit nuntiatura se Dominum vidisse: non etiam ante; cum Christum, quem hortulanum putabat, alloquens ploret, & eius corpus à monumento sublatum queratur; quod non fecisset; si didicisset ab Angelis Christũ resurrexisse: eum præsertim Matthæus notet, mulieres quæ id ab Angelo audierant, gaudio magno repletas fuisse, Lucas verò recordatas verborum Christi, quibus promiserat se tertia die resurrecturum.

Mulieribus testantibus Iesum resurrexisse, sibique apparuisse, cum non crederent Apostoli, secundo apparuit ipsi Petro Lucæ 24. 34.

Eadem die puta, Dominica, qua resurrexit Dominus noster duobus discipulis (horum alter Cleophas dictus est, nomen verò alterius silentio præter-

termittitur) euntibus in Emmaus, tertio apparuit, sed vultu diuerso, ita vt nõ cognosceretur ab illis, qui tamen diuinis scripturis ab eo explicatis sensim proficientes, die iam ad vesperam declinante, cum coegissent illum fingentem se longius ire, vna cum ipsis manere; tandem recumbentem simul ad mensam cognouerunt eum, cum enim panem frangeret, & daret illis; oculi eorum aperti sunt. Sic autem manifestè cognitus se confestim ab illorum visu subtraxit. Qui eadem hora surgentes, regressi Hierosolymam, quod Dominum vidissent, testati sunt. Apostoli rursum, quod apparuisset Iesus Simoni, eosdem certiores tradiderunt. Lucæ 24. 13. Marci 16. 12.

Verùm cum præfatis discipulis Apostoli fidem non adhiberent; serò illius diei, vsualis scilicet, qui vsque ad mediam noctẽ extendebatur, quartò Christus illis apparuit in cænaculo foribus clausis, absente Thoma, eisque se palpandum exhibuit, ac cum eis manducauit, deditque potestatem remittendi peccata. Marci 16. 14. Lucæ 24. 36. Ioann. 20. 19.

Quintò, apparuit iisdem octauo die, scilicet die tertia Aprilis, presente iam Thoma, eisque vulnerum cicatrices videndas palpandasque præbuit: quare Thomas prius incredulus, iam credens Christum resurrexisse exclamat: *Dominus meus & Deus meus.* Ioann. 20. & 24.

Sextò, apparuit in littore septem discipulis piscantibus in mari Tiberiadis, ab eisque ex ingenti piscium captura fuit cognitus: Ibidem Petro dixit: *Pasce oues meas*; martyriumque prædixit. Ioannis 21. vbi notandum, dum dicit Euangelista, *Hoc iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis cum resurrexisset à mortuis*, hoc referendum esse ad dierum numerum, vt docet Augustinus. Primò enim diuersis apparuit ipsa die Resurrectionis; secundò post dies octo: & tunc tertiò.

Septimò, cum vndecim discipuli abiissent in Galilęam, in montem quem eis iam ante designarat, ibidem illis apparuit, cæterisque fidelibus, iubens eos euangelizare, & baptizare omnes gentes, ac Euangelium miraculis confirmare. Matth. 28. 19. Vbi notandum apparitionem hanc quam Matthæus describit factam in monte Galileæ, necessariò distinguendum esse ab illa de qua loquitur Lucas Act. 1. quęque immediatè pręcessit ascensionem; cum hęc vltima non in Galilęa, sed Ierosolymis facta sit. Insuper quo plenior sit apparitionũ Christi, & Ascensionis historia, quidam hic addunt ex 1. epistola ad Corinthios, apparitionem factam Iacobo.

Denique quadragesimo à resurrectione die, puta die quinta Maij, illos educens in montem Oliueti, docens & instruens, promittensque Spiritum Sanctum in Pentecoste, data benedictione, in cęlum gloriosus ascendit, sedetque ad dexteram Dei, atque inde Ecclesiam suam gubernat, sensimque illam carpit, & ad se colligit. Marci 16. 19. Lucæ 24. 50. Tantùm de gestis Christi, primaque parte historiæ Noui testamenti ex quatuor Euangelijs, quæ complectitur annos 34. & paulò amplius, quos à conceptione Ioannis Baptistę, ad Christi in cęlos ascensionem numeramus; sequitur iam altera pars.

Altera pars Chronotaxis Noui Testamenti.

Complectens Actus Apostolorum Epistolas, & Apocalypsim.

CVm Christus Dominus post quadraginta à sua Resurrectione dies, ascendisset in cęlum die 5. Maij, paulò post, agente S. Petro, primùm Matthias sorte suffectus est in locum, & Apostolatum Iudæ proditoris. Actor. 1.

Elapsis autem iam ab Ascensione Domini decem diebus, cum complerentur dies Pentecostes, & essent omnes discipuli pariter in eodem loco, descendit super eos Spiritus Sanctus, sub specie venti validi, & linguarum ignearum.

Actor.

Actor. 2. 1. vbi notandum, præfatum locum, in quo id contigit, certo non constare; probabiliter tamen fuisse domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus, fuitque consobrinus Barnabæ, quo Petrus è carcere liberatus se contulit, vbi & cæteros discipulos ad preces collectos reperit. Circa tempus autem, dicitur accidisse cum complerentur dies Pentecostes, puta dies quinquaginta à Paschate, & resurrectione Christi, ita vt iam adesset dies quinquagesima. Pentecoste enim Grecè significat tam dies 50. præuios, quam ipsam diem quinquagesimam, quæ erat festum Pentecostes; voxque *compleri*, ex phrasi Hebræa sumitur in actu inchoato, non perfecto; si quidem die quinquagesima inchoata, puta mane, venit Spiritus Sanctus non verò in Vespera, & fine diei. Sic prima Christianorum Pentecostes incidit in diem Dominicum: in Dominica enim descendit Spiritus Sanctus æquè ac Christus resurrexit; numerando enim à Dominica resurrectionis dies quinquaginta, reperietur quod Dominica septima fit dies quinquagesima, id est Pentecoste. Vnde sequitur, primam Pentecosten Christianorum, quam describit Lucas, fuisse diuersam & distinctam à Pentecoste Iudæorum. Illi enim eam celebrarant in Sabbatho immediatè præcedente: Apostoli verò eam celebrarunt in Dominica subsequenti, vt significaretur legem nouam veteri succedere, veteremque in nouam desinere, illique quasi peracto cursu suo, lampadem tradere.

Cum igitur ait Lucas, *dum complerentur dies Pentecostes*, Pẽtecostes Christiana, non Iudaica intelligenda est. Quẽadmodum enim Christiani differunt à Iudæis in celebrando Paschate, ita & cõsequenter in Pentecoste. Nam Iudæi Pascha celebrabant decima quinta die primi mensis, quæcumque ea sit, indeque dies quinquagesima est eorum Pentecoste, siue ea incidat in feriam primam, siue secundam, siue quam aliam. Christiani verò Pascha celebrant in Dominica, quæ proximè sequitur decimam quintã lunam, siue diem primi mensis, siue Aequinoctij verni, idque in honorem resurrectionis Christi Domini, qui in Dominica resurrexit: atque exindè numerando 50. dies, consequenter Pentecosten celebrant in Dominica: quia in illa pariter descendit Spiritus Sanctus, qui per Apostolos legem nouã promulgauit in Sion. Et hoc enarrat D. Lucas loco citato. Est enim ipse historicus primitiuæ Ecclesiæ, qui eius infantiam, progressum, festa, religionem & alia similia ordine prosequitur. Vnde Euangelio suo hęc Acta subnectere se scribit cap. 1. vers. 1. quasi continuationem historiæ Christi, & Ecclesiæ. Sicut ergò terminat Euangeliũ in primo Paschate Christiano, puta in resurrectione Christi; ita ab illa in Actis numerat primam Pentecosten Christianam, non Iudaicam; præsertim quia ipse hæc scripsit 28. annis post Christi ascensionem in cęlum, quo tempore abolita erat Pentecoste Iudaica, & vbique apud Christianos celebris erat Pentecoste Christiana, cuius originem ipse describit. Quare sicut cap. 1. vers. 3. numerauit 40. dies à Christi resurrectione vsque ad eius ascensionem, ita cap. 2. ab eadem numerat quinquaginta dies vsque ad Pentecosten Christianam, in qua descendit Spiritus Sanctus; siue quod idem est promulgata est lex noua à S. Petro & Apostolis per Spiritum Sanctum apparentem in linguis igneis.

Accepto Spiritu Sancto in Pentecoste, illicò Petrus prædicans conuertit tria millia hominum, Actor. 2. 41. deinde vsque ad finem capitis, describuntur continuæ orationes, synaxis, charitas & & mores sancti primorum Christianorũ, qui omnes vendebant possessiones suas, & pretia earum ponebant ad pedes Apostolorum. Paulo post Petrus ad portam templi speciosam sanans claudum, indeque docens populum se hoc miraculum non sua, sed Christi virtute effecisse, vt in eum credant, conuertit quinque hominum millia: quo circa à Pontificibus incar-

incarceratus, liberè respondet, oportere magis obedire Deo, quàm hominibus; sed inde dimissus cum Ioanne ad suos reuertitur, qui eum audissent quanta ad eos Principes Sacerdotum & seniores dixissent, laudant & inuocant Deũ, impetrantque ab eo libertatem & robur Euangelizandi: in cuius signum terræ motu concussus est locus in quo orabant. Act. cap. 3. & 4. in cuius fine narratur Christianis fuisse cor vnum & animam vnam, nullumque inter eos fuisse egentem, sed ex pretio agrorum & domorum, quod singuli afferebant ad pedes Apostolorum, diuisum fuisse cuique tantum, quantum opus habebat. Inde Petrus cap. 5. Ananiam & Sapphiram suffurantes de pretio agri sui, morte punit. Mox iterum cum cœteris Apostolis, per quorum manus fiebant signa & prodigia multa in plebe, incarceratur; sed ab Angelo Domini per noctem aperiente ianuas carceris, omnes liberati iubentur concionari in templo: Vbi à Magistratu inuenti, & inde ad Conciliũ reducti, grauiter increpiti sunt, sed idem quod prius intrepidè respondent, *Obedire oportere magis Deo quam hominibus*; eorumque causam agit in Concilio quidam Pharisæus, nomine Gamaliel, vndè flagellati tantùm dimittuntur; gaudentes tamen, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati; quem omni die non cessabant in templo & circa domos docere, & Euangelizare. Actor. 5.

Eodem anno videlicet à Natiuitate Christi 34. Tiberij Imperat. 18. paulò post Pentecosten, crescente numero discipulorum, cum factum esset murmur Græcorum aduersus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum; Viduæ enim Hebreæ eo quod Hebreæ essent, arrogauerant sibi honoratiora & locupletiora ministeria, præsertim distribuendi cibos & vestes; viliora autem & tenuiora relegarant ad Græcas; ad sedandũ hoc murmur Apostoli crearunt septem diaconos, qui ministrarent mensis, quæ partim fuere Sacræ partim prophanæ & communes. Primo enim hi primi fideles celebrabant Eucharistiam, deinde Agapen, id est, conuiuium commune omnium fidelium in signum Charitatis. Et ab hoc ministerio nuncupati sunt Græcè diaconi, id est, ministri. Inter præfatos autem septem diaconos præcipuus & quasi Archidiaconus eminuisse videtur S. Stephanus, qui ardenter & assiduè disputans contra Iudeos, eosque conuincens, tandem ab eis lapidibus obrutus, glorioso martyrio coronatur die 26. Decembris. Act. 6. & 7.

Eodem anno sequenti die, puta 27. Decẽbris S. Iacobus frater Domini creatur primus Ierosolymorum Episcopus. Ita statim post Christi ascensum, & missionem Spiritus mirificè creuit Ecclesia, cum Christus ascendens reliquisset tantum duodecim Apostolos, 72. Discipulos, & quingentos Christianos. 1. Corinth. cap. 15. 6.

Anno Christi 35. Tiberij Imper. 19. Iudæi ob Stephanum insanientes persecuti sunt cæteros Christianos qui erant Ierosolymis: hinc illi omnes dispersi sũt per regiones Iudeæ, & Samariæ, præter Apostolos, qui Dei consilio & protectione manserunt Ierosolymæ, vt inibi Ecclesiam à Christo, & à se inchoatam fundarent, & firmarent, ne Iudæi eam à se dispersam & euersam criminarentur, sed potius ipsa ibidem Synagogæ succederet, eamque sepeliret. Vndè quod asserunt aliqui, Apostolos in hac persecutione S. Stephani anno 2. à Christi ascensione dispersos, profectos esse in suas prouincias, Sacro textui directè contrariatur. Philippus igitur non Apostolus sed Diaconus cap. 6. v. 5. primus à Stephano eiusque hæres, quamuis interdũ etiã vocetur ab aliquibus Patribus Apostolus, quia circumibat regiones euangelizando more Apostolico, cum venisset in ciuitatem Samariæ, prædicans ibi Christum, illam ad eius fidem conuertit, in eaque Simonem Magum; quod cum audissent Apostoli qui erant Ierosolymis, miserunt ad eos Petrum & Ioãnem, vt baptizatos à Philippo Sacramento

mento Confirmationis communirent. Videns autem Simon, quia per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, talemque volens emere potestatem grauiter à S. Petro increpatus est. Interim Philippus monente Angelo, surgens & vadens contra meridianum, ad viam quæ descendit ab Ierusalem in Gazam, & ibi Eunuchum Candacis Reginę Aethyopum inueniēs, ad fidem eum conuertit, & baptizauit. Quo facto rapuit Philippum Spiritus, & ex via Gazensi transtulit in Azotū, quæ à Gaza distat quadraginta milliaribus; Actorum cap.8.

Censent multi cum Cardinali Baronio hoc eodem anno, in præfata Ecclesiæ persecutione, Iudæos inuasisse amicissimos Christi, nimirum S.Magdalenā, Martham, Lazarum, Maximinum, Marcellum, & Iosephum ab Arimathia (qui deinde in Britanniā traijciens, ibi Euangelizans Christum in pace quieuit) eosque naui sine velis & remis imposuisse, vt in alto vi ventorum & fluctuum mergerentur. Sed Dei ductu nauis saluis omnibus Massiliam appulit, vbi Christi fidem disseminarunt; ac tandem Magdalena instinctu Dei in præruptum mōtem secessit, vbi pænitentiæ, lachrymis & contemplationi vacans per 30. annos vitam egit Angelicam.

Anno Christi 36. Tiberij Imp. 20. die 25. Ianuarij Saulus conuersus, factus est Paulus. Spirans enim minarum & cædis in Christianos, cęlitus prostratus in terram, Christo se dedidit. Vnde missus ad Ananiam, ab eo est baptizatus: statimque Damasci incipit prędicare Christum, Act.9. Inde abijt in Arabiam; ex qua redijt Damascū. Galat.1.vers.17. Lucas enim, his de Arabia, & triennij temporis spatio prætermissis, tantummodo insidias Iudæorum in illum fabricatas, eiusque clandestinum discessum Damasco, & Hierosolymas accessum recenset: quæ quidem Iudæorum molitiones in Paulum non cum primum recessit Damasco iturus in Arabiam, sed cum illuc reuersus est, antequam iterum inde recessisset, contigerunt.

Anno Christi 37. Tiberij Imperat. 21. S.Petrus visione lintei, in quo erant omnia quatrupedia, & serpentia terræ, audiensque, *Surge Petre occide, & manduca:* cognouit Gentiles admittendos ad Ecclesiam, eisque prædicandum esse Euāgelium. Quare vocatus à Cornelio Centurione, eum cum familia instruxit, & baptizauit, atque ita ostium fidei publicè Gentibus patefecit: Actor.10. Vnde hoc eodem etiam anno D.Petrus Cathedram suam posuit Antiochiæ, quæ erat vrbs gentilis, in eaque sedit septem annos, nec non S.Iacobus profectus est in Hispaniam, cœterique Apostoli in suas prouincias Euangelizatum iuxta Christi præceptum abierunt; cum prius symbolum composuissent, quod ab ijs Apostolorum vocatur, quasi communem fidei tesseram; licet Baronius, quem multi sequuntur, existimet Apostolos per orbem, duntaxat fuisse dispersos post occisum ab Herode Iacobū, anno Christi 44.

Anno Christi 38. Tiberij Imper. 22. Pilatus, Deo vlciscente necem Christi, à Vitellio Syriæ præside exauthoratus, & in ordinem redactus Romam missus fuit, vt coram Imperatore obiecta sibi crimina dilueret: vbi mortuo Tiberio, à Caio Imperat. perpetuo exilio Viennæ Galliæ reclusus, tantis ibi languoribus afflictus est, vt sua se manu trāsuerberarit. Ita Eusebius, Ado & Cassiodorus in Chronico, Iosephus lib. 18. cap.5. Paulò ante Caiphas Pontifex, qui Christum ad mortem condemnarat, vitæ pertæsus pariter violentas sibi manus iniecerat, teste Clemente lib. 8. constitut. cap. 1. sed & Annas socer Caiphæ, malè perijt ex Nicephoro lib.2.cap.10. Tiberius voluit Christum inter Deos referre, sed repugnante Senatu, per edictum accusatoribus Christianorum comminatus est mortem, Tertull. in Apologet. & ex eo Euseb. in Chronico.

Anno Christi 39. Caij Caligulæ Imper. 1. Mortuo Tiberio Cæsare decimo septimo Calēdas Aprilis, anno ætatis 78 suc-

ſucceſsit ei Caius Caligula, qui Herodem Agrippā in vincula à Tiberio coniectum liberauit, eumque pro ferrea catena à Tiberio ei iniecta, ornauit aurea eiuſdem ponderis, ac Regem Iudeæ conſtituit. Paulus elapſis tribus annis ab abitu ſuo in Arabiam, ex ea redijt Damaſcum, vbi prædicans, quæſitus ad vincula à Iudęis & Areta rege, ſporta per murum demiſſus effugit, abijtque Ieroſolymam, vt videret Petrum. Galat. 1. v. 18. & 2. Corinth. cap. 11. 32.

Anno Chriſti 40. Caij 2. Herodes Agrippa Roma proficiſcens in Iudęam per Alexandriam, ibi à ciuibus eodem modo dicitur illuſus quo Chriſtus à Iudæis, quorum rex erat Agrippa, illuſus fuerat. Eodem anno Herodes Antipas patruus Agrippæ, qui Chriſtum veste alba indutum ſpreuerat, ab Agrippa nepote accuſatus apud Caium Cæſarem, Tetrarchia & fortunis ſuis ſpoliatur, ac cum impia Herodiade vxore ſua, perpetuo exilio damnatur apud Lugdunum Galliæ vrbem: vbi vterque mœrore cōtabeſcens interijt; quia Ioannem Baptiſtam occiderat, & Chriſtum Dominum illuſerat.

Anno Chriſti 41. Caij 3. ſi creditur Euſebio in Chronico, quem ſequitur Baronius, S. Matthæus ſcripſit Euangelium Hebraicè; verùm communi doctorum ſententia ferente, Mattheum illud ſcripſiſſe antequam Apoſtoli diſcederent in ſuas prouincias, ſuppoſito ex dictis quod hoc contigerit anno Chriſti 37. tunc pariter aſſerendum eſt ſcripſiſſe Matthęū Euangelium.

Anno Chriſti 42. Caij 4. Cępit fames in toto orbe, prædicta ab Agabo Propheta, diuque durauit, Actor. 11. 28. ſub idem quoque tempus Barnabas & Paulus, euangelizant Antiochiæ per annum integrum, docentque turbam multam, ita vt Antiochiæ primùm diſcipuli cognominati ſint Chriſtiani Actor. 11. 26. Caius Cęſar perſecutus eſt Iudæos iuſto Dei iudicio, eo quòd illi Chriſtum & Apoſtolos perſequerentur. Philo in legat. ad Caiū, & Ioſephus lib. 10. antiquit. cap. 12.

Anno Chriſti 43. Claudij Imperat. 1. Caio Cæſare à militibus Prætorianis occiſo anno Imperij 4. ætatis 29. Succeſſit ei Claudius Druſi Noronis filius, & Liuiæ Auguſtæ nepos, qui Agrippam in regno confirmauit, eique adiecit Samariam & cæteram Iudæam. Hoc etiam anno Thadęus Edeſſam miſſus ad Abagarum, eum cum regno conuertit.

Anno Chriſti 44. Claudij Imper. 2. S. Iacobus ex Hiſpania rediens Ieroſolymam, occiſus eſt ab Herode Agrippa circa Paſcha. Actor. 12. Ab eodem incarceratus eſt S. Petrus, ſed ab Angelo liberatus, euangelizando peragrat Cæſaream, Berithum, Sidonem, Tripolim, Biblum, Orthoſiam, Antandrum, Balanaas, Laodiceam, Cappadociam, aliaſque vrbes & prouincias, vbique Eccleſias, Sacerdotes, & Epiſcopos conſtituens, tandemque Romam ingreditur.

Paulus iturus euangelizatum Gentibus, rapitur in tertium cęlum, auditque arcana verba quæ non licet homini loqui. 2. Corinth. 12. 2.

Hoc eodem anno Baronius alijque plures exiſtimant Apoſtolos ſe diſperſiſſe per orbem poſt necem S. Iacobi; cauſamque diſperſionis fuiſſe perſecutionē Herodis qua occidit S. Iacobum, & incarcerauit S. Petrum, eum & cæteros occiſurus, ſi potuiſſet: quo circa illos periculum fugientes profectos eſſe ad gētes. Verum probabilius eſt quod diximus ſupra, nimirùm Apoſtolos ſub annum Chriſti 37. profectos eſſe in ſuas prouincias, cuius argumentum eſt à poſteriori ſatis efficax, quod occiſo ab Herode S. Iacobo, & incarcerato D. Petro, nulli alij fuerint Apoſtoli comprehenſi, vt potè qui iam in ſuas prouincias abiectant.

Anno Chriſti 45. Claudij Imper. 3. S. Petrus, cum Antiochiæ ſediſſet per annos ſeptem, liberatus è vinculis Herodis, multis locis peragratis Romam ingreſſus, cathedram ibi conſtituit die 18. Ianuarij fundatque Romanam Eccleſiam. Antiochię autem poſt S. Petrū primus Epiſcopus creatur Euodius. ita Eu-

Euseb. in Chronico. Eodem anno Paulus mittitur Euangelizatum Gentibus. Quocirca iussu Spiritus Sancti ordinatus Episcopus, quasi Apostolus ab Antiochena Ecclesia missus, cum Barnaba proficiscitur, obique euangelizando Gentes circumquaque. Actor. 13. 1.

Herodes Agrippa, vlciscente Deo necem S.Iacobi & incarceratione S.Petri, audiens acclamationes populi, *Dei voces & non hominis*, eisque tacitè applaudens, percussus ab Angelo, consumptus à vermibus interijt. Actor. 12. 23. Hanc autem Herodis mortem contigisse 45. Christi anno, Claudij verò 3. non 4. vt vult Baronius, ex eo colligi videtur quod vltra tertium Claudij annum non regnasse, nec vixisse Herodem consentiant Chronologi & Historici. Porrò primus Claudij annus incidit in annum Christi 43. non 42. vti tradit Eusebius. Nam Christus mortuus est anno Tiberij 18. vti omnes consentiunt agens annum ætatis 34. Tiberius autem regnauit 22. annos, cui successit Caius per quatuor annos, Caio successit Claudius. Combinando iam hos annos cũ annis Christi, reperiemus Claudij primum annum incidere in annum Christi 43. non 42. Anno igitur 44. Christi, Petrus è carcere liber, varijs prouincijs peragratis, Romam contendit, ibique cathedram posuit 18. Ianuarij, inchoante anno 45. Christi, & finiente anno Claudij 2. Nã tertius Claudij annus inchoandus erat die 24. Ianuarij eiusdem anni.

Eodem etiam S. Petrus Romæ scribit primam epistolam ad fideles dispersos in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia & Bithynia; & S. Marcus Euangelium; statimque profectus est Alexandriam, vbi Euangelium prædicauit, & Alexandrinam Ecclesiam erexit, rexitque quasi Episcopus mira sapientia & sanctitate.

Anno Christi 46. Claudij Imp. 4. Paulus & Barnabas cum peragrassent Seleuciam, indeque Cyprum nauigassent, ac venissent Salaminam, vniuersamque insulam perampulasent, Paphũ denique venientes, Sergium Paulum Proconsulem ad Christi fidem conuertunt, excæcando Elimam Magum Euangelio resistentem, cuius occasione nomen Sauli in Pauli commutatum est. Inde perrexerunt Pergen Pamphiliæ, & Antiochiam Pisidiæ; vbi in Synagoga concionatur Paulus, sed per Iudæos expulsus, excusso puluere pedum cum Barnaba pergit Iconium. Actor. 13. 4. & sequent.

Anno Christi 47. Claudij Imper. 5. Iconij Paulus prędicando cõuertit multos Iudæos & Gentiles. Quocirca multo tempore ibidem commoratus est, donec concitato à Iudęis tumultu, ab eis lapidatus confugit in Lycaoniam. Actor. 14. 1. & sequent. Inter Græcos ibi conuersos illustrissima fuit S.Thecla, miris laudibus à Patribus celebrata, & nuncupata Apostolica, ac primogenita S.Pauli. Pręter alios scripsit vitam S.Theclæ Basilius Seleuciæ Episcopus sub annum Domini 450. qui Concil. Constantinop. & Chalcedonensi interfuit.

Anno Christi 48. Claudij Imp. 6. Paulus peruenit lystram Licaoniæ vrbẽ, vbi claudum miraculo sanauit: quo circa à turbis acclamatus est Deus, puta Mercurius, & Barnabas Iupiter; cumque eis sacrificare vellent, totis viribus restiterunt. Hic rursum concitata à Iudæis seditione lapidatus, & pene occisus Paulus, Derben fugere coactus est; Indè relegens iter, reuisit & confirmauit fideles in Lystra, Iconio, Antiochia Pisidiæ, ac euangelizans transijt Pisidiam, Pamphiliam, & Attaliam. Actor. 14. 6. & sequent.

Anno Christi 49. Claudij Imper. 7. Paulus post quinquennium in præfata sua peregrinatione & Apostolatu positum, cum Barnaba redijt Antiochiam, ibique biennium cõmoratur Actor. 14. vers. vltimo.

Anno Christi 50. Claudij Imper. 8. Paulus Antiochiæ docet; Petrus autem Romæ, indeque per vrbes & prouincias totius orbis quaquauersum mittit Episcopos & Apostolos, qui Christi fidem pro-

propagent, & Ecclesias vbique fundent & regant.

Anno Christi 51. Claudij Imper. 9. Claudius Imperator Roma expellit Iudæos: quo circa S. Petrus Dei consilio vrbe excedens redit Ierosolymam. Vbi eodem anno celebratum est primum Ecclesiæ Concilium; cùm enim Antiochia grauis orta esset controuersia de seruanda à Christianis lege Mosis, siue an Gentiles Christiani deberent circumcidi, Paulus & Barnabas missi sunt Ierosolymam ad Apostolos & seniores, vt eius decisionem peterent, qui concilia riter statim congregati fuit, diuque ventilata quæstione, tandè Petrus qui huic Concilio præsidebat, eam decidit, primusque tulit sententiam, edicendo legalia Christianis non esse seruanda; cuius sententiam confirmauit illico S. Iacobus, erat enim ipse Ierosolymorum (vbi Concilium hoc agebatur) Episcopus; vndè decebat eum primum post Petrum loqui. Sententiam hanc Antiochiam deferunt Paulus, Barnabas, Silas & Iudas. Actor. 15. Paulò post Paulus & Barnabas ab inuicem separati sunt, cum enim Barnabas vellet socium etiam itineris secum assumere Ioannem, qui cognominabatur Marcus, Paulus autem rogaret eum (vt qui discessisset ab eis de Pamphylia, & non isset cum eis in opus) non debere recipi, facta est inter eos dissensio, ita vt discederent ab inuicem; & Barnabas quidem assumpto Marco nauigauit Cyprum; Paulus verò electo Sila profectus perambulabat Syriam & Ciliciam, confirmans Ecclesias: præcipiens custodire præcepta Apostolorum & seniorum. Hinc D. Lucas deinceps Barnabæ non meminit, sed solius Pauli, cuius discipulus & comes fuit, acta persequitur.

Eodem anno D. Paulus perueniens in Derben, & Lystram, ibi circumcidit Timotheum, sponte tamen; tùm ne Iudæi aliquod illi negotium facesserent, eo quod Timotheum Gentilem asciuisset in socium prædicationis; tùm vt eos demereretur, faciliusque ad Christum traduceret; legalia enim erant mortua, sed needum mortifera. Titum verò, æquè Gentilem, Paulus non est passus circumcidi: quia Iudæi eum ad id volebat compellere ne videretur falsæ eorum sententiæ subscribere, qua docebant circumcisionem esse necessariam ad salutem. Galat. 2. 3. Transeuntes autem Paulus & Timotheus Phrygiam & Galatiæ regionem, vetiti sunt à Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia. Similiter cum venissent in Mysiam, & tentarent ire in Bithiniam, non permisit eos Spiritus Iesu; sed descenderunt Troadem, vbi Paulo visio ostensa est. Vir Macedo quidam erat stans & deprecans eum, ac dicens: *Transiens in Macedoniam adiuua nos.* Quare à Troade nauigauit in Samothraciã, inde Neapolim, indè Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ Ciuitas, Colonia, vbi Lydiam purpurariam conuertit, & dæmonem Pythonem è quadam puella eiecit: vnde ab heris puellæ illius quęstum facientibus ex oraculis Pythonis, accusatus Paulus flagellatur & in carcerem conijcitur: vbi media nocte eo cum Sila orante & laudante Deum; immisso à Deo terræ motu carceris ostia panduntur, & vincula omnium dissiliunt. Quo viso custos carceris in Christum credidit, Paulique & Sylæ plagas lauit: Magistratus verò audiens à Paulo, eum esse ciuem Romanum, veniam precatur, eumque liberum dimittit. Actor. 16.

Egressi Paulus & Silas Philippis, cũ perambulassent Amphipolim & Apolloniam, venerunt Thessalonicam, vbi multos conuerterunt, & mulieres nobiles non paucas. Quocirca Iudæi concitarunt seditionem, & Paulo non inuento Iasonem pertraxerunt ad Tribunal, qui data satisfactione liber abijt. Paulus autem & Silas noctu à fratribus dimissi sunt Beræam, cuius incolæ auidè susceperunt Euangeliũ; sed Iudæis Paulum insectantibus, ipse à fratribus deductus est Athenas. Actor. 17.

Anno Christi 52. Claudij Imp. 10. Paulus Athenis in Areopago prædicans con-

conuertit Dionysium Areopagitam, & insignem matronam Damarim. Actor. 17. vers. 16. Opinantur multi tunc quoque fuisse conuersum S. Hierotheum, quem passim in suis libris celebrat & sequitur S. Dionysius, eumque vocat diuinum suum magistrum. Eodem quoque anno Paulus Athenis profectus Corinthum, multos ibi conuertit, ac inter eos Crispum Principem Synagogę. Quare oraculo Dei monitus diutius ibi euāgelizauit. Ibidem post aduentum Silæ & Timothæi, scripsit priorem epistolam ad Thessalonicenses. Actor. 18. 1. & sequent.

Anno Christi 53. Claudij Imper. 11. Corinthi secundum annū agens D. Paulus, ibidem scripsit alteram Epistolam ad Thessalonicenses. Ibidem etiam Iudæi tumultuantes protraxerunt Paulum ad tribunal Gallionis, qui fuit frater Senecæ Philosophi, & præceptoris Neronis Imperatoris; verum Gallio eos repressit & abegit; vnde Iudæi furentes Sosthenem Archisynagogū, quasi Paulo fauentem corā Gallione verberarunt; nihil autem horum Gallioni curæ erat. Paulus post tumultum multo adhuc tēpore remansit Corinthi. Tandem abiturus in Syriam, ex voto totondit caput in Canchris, qui erat portus Corinthi. Actor. 18. 11. & sequent.

Anno Christi 54. Claudij Imp. 12. Paulus nauigans in Syriam, & cum eo Priscilla & Aquila, per mare Icarium, quod est pars maris Aegæi, appulerunt Ephesum; vbi parum moratus Paulus, relictis Priscilla & Aquila, soluit Cæsaream, inde Ierosolymam, vbi Ecclesiam primigeniam, & cæterarum matricem salutauit: mox reuersus Antiochiam, perambulauit ex ordine Galaticam regionem, & Phrygiam, confirmans omnes discipulos. Actor. 18. vers. 19. Iudæus autem quidam, Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens & potens in scripturis, cum deuenisset Ephesum, ibi à Priscilla & Aquila diligentius adhuc in Christiana fide eruditus, fortiter contra Iudæos illam propugnat, & propagat in Achaiam profectus. ibidem vers. 24. & sequent.

Eodem anno, teste Eusebio in Chronico, qui fuit Olympiadis 207. annus quartus, Philippus Apostolus apud Hierapolim Asiæ ciuitatem, dum euangelium populo nunciaret, cruci affixus lapidibus opprimitur. Occubuit ergò vigesimo anno à Passione Christi sub Claudio, secundum Eusebium, eiusque asseclas; licet Hippolytus tract. de 72. discipulis, asserat eū passum esse sub Domitiano Imperat.

Anno Christi 55. Claudij Imp. 13. Paulus peragratis superioribus partibus Asiæ, iterum venit Ephesum, ibique per tres annos, puta per biennium & tres menses residet, & prædicat Actor. cap. 19. 1. & cap. 20. 31. Ephesi Paulus bestijs obiectus fuit. 1. Corinth. 15. 32. Ibidem Deus virtutes non quaslibet faciebat per manum Pauli: ita vt etiam super languidos deferretur à corpore eius sudaria, & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequām egrediebantur. Actor. 19. 12.

Anno Christi 56. Claudij Imp. 14. Paulus secundum annum agit & prædicat Ephesi: vbi occasione Iudęorum quorumdam exorcistarum, in quos insilijt Dæmon, magna facta est Ephesiorum ad Christum & Paulum accessio. Multique credentium veniebant confitentes & annuntiantes actus suos: & multi etiam ex eis, qui fuerant curiosa sectati, puta magiam, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus: & computatis pretijs illorum, inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium Actor. 19. 13. & sequentibus.

Eodem anno die 13. Octobris moritur Claudius Imper. annum agens ętatis 64. Imperij 13. cum octo mensibus; ex Suetonio in vita Claudij cap. 45. & Dio. lib. 60. Sic igitur defuncto, Agrippinæ vxoris dolo veneno illi propinato, successit in Imperiū Nero filius Agrippinæ, annum agens ætatis 18. excluso Britannico puero, germano Claudij Imperatoris ex Messalina prima vxore filio;

lio; ideoque legitimo Imperij hærede, quem proinde Nero paulo post veneno sustulit; ex Ioseph lib. 20. Antiquit. cap. 5.

Anno Christi 57. Neronis Imper. 1. Sublato iam per mortem Claudij edicto de Iudæis Roma abigendis, Paulus tertium annũ Ephesi agens cogitat Romam, Dei instinctu, inquit Chrisostomus, vt Romanam Ecclesiam cum S. Petro in matricem & caput cæterarum erigeret, ac contra Simonem Magum & Neronem, primam persecutionem in Christianos adornantem, decertaret. Verùm priùs Ecclesias Achaiæ & Macedoniæ visitare, ac Ierosolymam reuerti decernit. Epheso ergò propediem abiturus scribit priorem epistolam ad Corinthios.

Opifices argentarij Dianæ, concitãte Demetrio eorum capite mouent seditionem contra Paulum, quam sedat Alexander. Mox tamen Paulus vocatis discipulis, exhortatus eos valedixit, ac relicto ibidem Timotheo, quem & primum constituit Ephesi Episcopum, profectus est in Macedoniam. Per minorem itaque Asiã iter faciens venit Troadem vrbem, quæ adiacet Hellesponto, vbi quærens Titum, cum non inuenisset, transmisso freto abijt in Macedoniam. Actor. 19. & 20. & 2. Corinth. 2. 12. Ex qua ad Timotheum quem Ephesi reliquerat, hoc anno scripsit priorem Epistolam quà eum instruit in munere pastorali. Deindè obitis & confirmatis Macedoniæ Ecclesijs, per Aegeum mare Cycladas adnauigans peruenit Cretam, ibique reliquit & creauit Episcopum Titum, discipulum charissimum; epist. ad Titum cap. 1. 5.

Anno Christi 58. Neronis Imper. 2. gesta sunt omnia quæ narrat D. Lucas cap. 20. Actor. & deinceps vsque ad caput 28. & vltimum. Paulus enim peragrans Græciam venit Nicopolim, ibique statuit hyemare: vnde ex Creta eò vocat Titum, scribens ad eum Epistolam. Ad Titum cap. 3. 12. Nicopoli quoque videtur scripsisse Paulus epistolam secundã ad Corinthios; mox verò adijsse Corinthũ, ibique in portu Cenchrensi scripsisse epistolam ad Romanos. Inde perrexit Philippos in Macedoniam, mox Troadem, vbi à morte suscitauit Eutychum adolescentem, inde Asson, Mitylenen, Chium, Samum, Miletum; quo seniores Ephesi accersens, eis Ecclesiam commendans vltimum valedixit. Actorum 20.

Mileto Paulus nauigat Coum, Rhodum, Pataram, Tyrum, Ptolemaidem, Cæsaream; vbi Agabus ei vincula Ierosolymitana prædicit; ac tandem sub pẽtecosten, vti statuerat, peruenit Ierosolymam; vbi suadente Iacobo purificans se in templo, à Iudæis capitur ac penè occiditur; sed eripit eum Tribunus; à quo potestate loquendi accepta, populum alloquitur. Actor. 21.

Populus autem audiens à Paulo, ipsum relictis Iudæis missum esse ad gentes, occlamat poscitque eum ad mortem. Quare tribunus iussit induci eum in castra, & flagellis cædi, & torqueri eum, vt sciret propter quam causam sic acclamarent ei Iudæi; verum Paulus dicens se ciuem Romanum ab eis se eximit; posteroque die Tribunus eum solutum statuit in Concilio Sacerdotum, & Primorum, vt causam suam agat. Actor. 22.

In concilium adductus Paulus, positusque inter Pharisæos & Sadducæos, dicens se Pharisæum, & de resurrectione mortuorum iudicari, dissidentibus inter se iudicibus, iudicium euadit; sequentique nocte apparet ei Christus, iubens esse constantem; oportere enim eum & Romæ prædicare. Cùm autem Iudæi in Pauli necem coniurassent, coniuratione detecta Paulus à Tribuno Cæsaream vinctus mittitur ad Felicem prę̃sidem. Actor. 23.

Ibi eum accusat Tertullus orator, defendit se Paulus, adeo vt Felix cupierit à Paulo fidem Christi audire. Disputante autem Paulo de iustitia, & castitate,

tate, & de futuro iudicio, tremefactus est Felix, qui tandem prouinciã cedens Portio festo, volensque gratiam præstare Iudæis, reliquit Paulum vinctum. Actor.24.

Festus ergò cum venisset in prouinciam, & post triduum ascendisset Ierosolymam à Cæsarea, postulantibus Iudæis, vt iuberet perduci Paulum in Ierusalem, noluit illis acquiescere, sed iussit, vt potius ipsi Cæsaream descenderent. Vbi festus auditis illis, & Pauli responsione, rogat eum festus, num caussam dicere velit Ierosolymis; sed Paulus negat, & Romam ad Cæsarem appellat. Festus tamen priusquam ad Cæsarem Paulum mittat, rogat Agrippam regem, vt eum audiat, & quid de eo faciendum sit suggerat Actor.25.

Paulus è vinculis coram Agrippa & festo ita ardenter perorat de sua conuersione ad Christum, prædicatione & persecutionibus Iudæorum, vt festus exclamet eum insanire; Agrippa: *In modico suades me fieri Christianum*. Cui Paulus optare se ait, vt ipse omnesque auditores sibi similes fiant exceptis vinculis, Agrippa pronuntiat Paulum innocentem, sed quia appellarat ad Cæsarem ad eum esse mittendum. Actor.26.

Paulus ergò Romam deducendus Centurioni traditus nauigat Sidonem, indè Cyprum, indè Lystriam, ac tandem naufragium patitur. Apparet ei Christus, omnesque in naui saluos euasuros pollicetur: omnes igitur salui perueniunt Melitam Actor. 27. Ibique viperam è manu illæsa excutit, sanat patrem Publij, & alios, cap.28.

Hoc eodem anno Christi 58. paulo post Pauli aduentum Ierosolymã, Beatissima Virgo agẽs annũ ætatis 72. die 15. Augusti ex Ierusalem terrestri concessit ad cælestem. Etsi enim in Chronico Eusebij habeatur B. Virginem vita & terra decessisse anno Christi 48. ætatis vero suæ 62. vel 63. tamen id verum esse nequit, eo quod S.Dionysius lib.de diuin. nomin. cap.3. scribat se cum Hierotheo eius funeri interfuisse. Dionysius autem anno Christi 48. nec dum viderat Paulum, ac proinde nec dum erat conuersus. Vide Baronium tom. 1. ad annum Christi 48.

Anno Christi 59. Neronis 3. Paulus vinctus ex Melita, cum ibi mansisset per tres menses, nauigat Syracusas, inde Rhegium, indè Puteolos, inde pedestri itinere Romam ingreditur die 6. Iulij. Hospitatus est in domo conducta, quæ postea conuersa est in Ecclesiam S. Mariæ in via lata. Postero die conuocatis Iudæis sui, suæque fidei rationem reddidit: ex quibus aliqui crediderunt, alij non crediderunt. Mansit Romæ cum custodiente se milite biennium, suscipiens omnes libereque prædicans Christum; esto ob Neronis metum, omnes sui eum deseruissent Actor. 28. Astitit etiam illi Christus, eumque confortauit, vt per eum prædicatio impleretur, & audirent omnes gentes, quin & eripuit eũ de ore Leonis, puta Neronis. 2.Timoth. 4. 16. & 17. pluresque è familia eius ad Christum conuersi sunt; de quibus Philipp.4. 22. *Salutant vos omnes Sancti, maximè qui de Cæsaris domo sunt*.

Hoc eodem tempore, cum Paulum in vinculis agentem Philippenses Christiani consolati essent, mittentes ad eum Epaphroditum suum Episcopum cum pecunia vt necessitatibus eius subuenirent; iisdem Paulus gratias egit, scripsitque epistolam per eumdem Epaphroditum. Venit quoque Iconio ad eum Onesiphorus, vt ei ministraret, vti Paulus testatur 2. Timoth. 1. 16. Nam Pauli comites omnes, excepto Luca, metuentes Neronem, cum dereliquerant, vti ipse ibidem ait cap.4. 16. Item scripsit è vinculis epistolam ad Ephesios, quam misit per Tychicum, ad Colossenses, ad Philemonem, nec non ad Hebræos. Vndè illæ cæteris ardentiores, spirant Martyrem & Martyrium.

Cum Lucas hic finiat Acta Pauli in biennio vinculorum eiusdem, puta anno Christi 61. Neronis 5. quid deindè ab eo gestum sit, nec ipse, nec alius authenticè scripsit. Nam Acta Lini, quæ hæc

hæc scribunt, de fide suspecta & apochrypha sunt. Illud tamen constat, Paulum à Neronis vinculis fuisse solutum; hoc enim ipse Paulus testari videtur 2. Timoth. 4. 17. dum ait, *Et liberatus sum de ore leonis*, id est Neronis. Patrumque traditio est, varias indè prouincias euangelizando peragrasse, ac nominatim Hispanias, vti proposuerat Roman. 15. 24. fortasse, vt apud Hispanos iam quasi desertos suppleret locum S. Iacobi, ab Herode capite truncati.

Paulus è primis hisce vinculis à Nerone dimissus, vixit adhuc octo annos, quibus, vt statim diximus in Hispanias aliasque Prouincias peragrando consūptis, Romam rediens, vnà cùm D. Petro, qui eodem etiam tempore Romam redierat, certauit contra Simonem Magum; qui cùm à Dœmonibus in aere raperetur, precibus S. Petri prostratus, fracta coxendice & cruribus, paulò post infelicem animam exhalauit. Quocirca Nero indignans suæ magiæ delitias sibi ablatas, S. Petrum & Paulum carceri mancipat Mamertino. Vbi Paulus scribit epistolam secundam ad Timotheum, vocans eum ad se, vt instantis suæ mortis, & martyrij fit spectator. Inde enim S. Petrus & Paulus educti gloriosum obiere martyrium anno ab Incarnatione Christi 69. ab eius passione & morte 36. die 29. Iunij. S. Petrus in Vrbe crucifixus est, capite deorsum vergente: id enim ipse petierat, ne Christo crucifixo videretur assimilari & æquari; cum Romę sedisset annos 25. Paulus autem extra vrbem anno suę conuersionis 34. ad aquas Saluias capite truncatus: è ceruice recisa pro sanguine lac manault, caput verò terno saltu tres fontes elicuit, qui etiamnum visuntur, multisque sunt saluti. Tantum de altera parte Chronotaxis noui testamenti; nec non de singulis S. Scripturæ libris nunc agendum est de varijs eorumdem editionibus.

CAPVT LXXVII.

De varijs Sacræ Scripturæ, seu Bibliorum editionibus.

CVm omnes libri superius adducti, quos ex Ecclesiæ definitione, pro canonicis admittunt cuncti Catholici, varijs linguis, & idiomatibus editi fuerint; iam videndum est, quænam ex his omnibus Scripturæ Sacræ versionibus sint veræ, legitimæ & authenticę, infallibilisque authoritatis in dirimendis fidei controuersijs, illiusque dogmatibus comprobandis: priusquā tamen ad vniusc. cuiusque examen in particulari deueniā; primùm in hoc capite subijciā illas omnes simul; deinde in sequenti ostendam non minoris, sed æqualis esse authoritatis Scripturam versam in alienam linguam eum ea, quæ est in suo fonte, & originali.

Prima igitur Sacrę Scripturæ editio, est Hebraica veteris testamenti, & Gręca noui. Tota enim vetus Scriptura maiori ex parte, paucisque libris exceptis, de quibus iam supra, edita est à suis authoribus, Hebraicè; Scriptura verò noua Græcè, præter Euangelium S. Matthæi, quod Hebraicè primùm ab illo scriptum fuit; Euangelium S. Marci, quod ab eo Latinè editum fuisse probat Baronius tom. 1. Annal. & Epistolam ad Hebręos de qua ambigitur an primum Hebraicè; an verò Græcè scripta fuerit, vt vt suo loco iam vidimus. Quia autem S. Scriptura ex his originalibus linguis, in alias pluries, & variè à diuersis translata est, ideò etiam multiplices illius inueniuntur editiones, aut versiones; quarum sicut aliquæ ab ipsis authoribus, qui transtulerunt, nomen sumunt; alia enim dicitur Septuaginta Interpretum, alia Symmachi, alia Aquilę, alia Theodotionis, &c. ita etiā & aliæ ab ipsis linguis in quas ab interpretibus conuersæ sunt, denominantur; vnde alia dicitur Chaldaica, alia Syriaca, alia Samaritana, alia Arabica, alia Græca, alia Latina, alia ver-

vernacula, & vulgaris, de quibus omnibus earumque authoritate distinctis capitibus agemus.

CAPVT LXXVIII.

An inhærendum sit Scripturæ conuersæ in alienam linguam, sitque æqualis authoritatis cum ea, quæ est in suo fonte, & originali.

Circa præsentem controuersiam vel difficultatem duas reperio sententias, vel potius errores; Primus est aliquorum Iudęorum illicitum reputantiū verbum Dei in peregrinam linguam transferre; ac proinde illi nullo pacto adhærendum esse; sic in quodam eorum libro Orach Chaym *Via Vitæ* legitur à Rabbinis quibusdam, ob translationem à septuaginta interpretibus factam, tanquam ad expiandum piaculum immane, quotannis indictum fuisse solemne ieiunium; & in Thalmud Hierosolymitano in fine tractat. *Megillath Thaenit*, habetur etiam mundum tenebris circumfusum tribus diebus ob eamdem versionē factam tempore Ptolomæi Regis.

Secundus error est aliquorum hæreticorum existimantium Scripturā versam in alienam linguam saltem non esse ęqualis authoritatis, cum ea quæ est in suo fonte & originali. Pro quo citat Grauina lib. 4. de Sacrorum Bibliorum versione Guillelmum Vvitakerum, Robertum Rollocum, & Iunium.

Nihilominus dicendum est primò, omninò inhærendum esse Scripturę in alienam linguam translatę. Probatur primùm ad hominem contra Iudæos, ex editione seu paraphrasi Chaldaica, quā magnæ apud illos authoritatis extitisse videbimus infra, pluribusque demonstrat Scalante lib. 6. de vtilitate S. Scripturæ ex multis authoribus. Deinde sic scribunt in Talmud. in tract. Sabbath. cap. 9. *Omne quod egressum est ab ore Domini, diuisum est in 70. linguas*: ergò & verbum Dei in scripturis contentū laudabiliter in alias linguas diuidi per interpretationem potuit. Quod idem argumentum aduersus hæreticos vrgeri potest; si enim Scripturæ in alienam linguam conuersæ inhærendum non est, ad quid tot ab ipsis factæ Sacrorum Bibliorum versiōnes, & editiones.

Secundò probatur veluti demonstratiuè ex fine Sacræ Scripturę ad rectam hominum institutionem, & doctrinam à Deo traditæ, vt enim ait Apostolus ad Roman. 15. *Quæcumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt*; si autem semel Scripturæ in alienam linguam cōuersæ nullo modo inhærendum esset, talis certè finis haberi non posset; cum enim longiùs latiusque diuinorum cognitio, quæ in Hebræis, vel Græcis codicibus continetur, sparsa sit, & ad alias plures gentes permearit, pertinuit ad suauitatem diuinæ prouidentiæ, prouidere de modo, quo talis cognitio faciliùs & commodiùs ab illis cōpararetur, qui modus alius esse non potuit, quam si Scriptura ex propria in alienam linguam transferretur; quęcumque enim sunt in sermone, vel scripto aliquo obscura, intellectuque difficilia, talem difficultatem habent, vel ex ipsis rebus per voces significatis, vel ex ipsis vocibus ignotis, quæ proferuntur, vt satis per se patet; quare sicut rerum significatarū obscuritati à Deo prouisum fuit per interpretationis, sermonumque donum, ita etiam & vocum illas significantium obscuritati prouideri debuit per genera linguarum; vnde in veteri testamento dicitur Daniel. 5. *Audiui de te quòd possis obscura interpretari, & ligata dissoluere*; & 1. Corinth. cap. 15. prę̨ter interpretationem ponitur donum linguarum. Meritò igitur vt interpretationi Scripturarum, ita & earundem versioni in alienā linguam licitum esse inhærere tenendum est.

Confirmatur quia Ecclesiastici c. 20. dicitur *Sapientia absconsa, & thesaurus inuisus quæ vtilitas in vtrisque?* esset autem Dei sapientia in Sacris Scripturis exarata, absconsa, & occulta, si ad alias gen-

gentes, per earum translationem ex primigenia & originali lingua non peruenisset. Igitur sicut in ordine naturali prouidit Deus de libro creaturarum, quarum non sunt loquelę, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum, vt egregiè ponderauit D. Chrysostomus homil. ad popul. Antiochen. & D. Augustinus lib. 32. contra Faustũ c. 19. Sic librum Scripturarum quantum attinet ad ordinem supernaturalem gratię, omnibus voluit patefieri, & communicari, vt idem August. docet lib. 2. de doctr. Christ. cap. 5. quod commodius fieri non poterat, quam si ex propria in aliquam alienam linguam conuerteretur, vt per se patet.

Ad illud ergò quod Iudęi dicunt indictum fuisse ieiunium ob Septuaginta Interpretum translationem; Respondetur id accidisse, longè post Christi Ascensionem quorumdam Rabbinorum inuidia & malitia, qui cum cernerent Scripturas vbique gentium 70. Interpretum opera versas tanta gloria diffamari, nec non etiam singulis annis de hac translatione festum ab Alexandrinis celebrari, vt tradiderunt Philo, Iustinus, Rabbi Azarias lib. 3. cap. 8. anniuersariam hanc celebritatem translationisque septuaginta Interpretum auctoritatem superstitiosa ieiunij mœstitia obfuscare voluerunt.

Ad secundum de tenebris, quę orbem inuaserunt translationis tempore; respondetur esse merum Iudæorum commentum; nisi velimus eas cum R. Azaria lib. Imrebinach. cap. 7. per allegoriam exponere de voluntaria Iudæorum afflictione, qui pro felici interpretationis Septuaginta successu triduo ieiunarunt, cum eos ad Ptolomęum Regem destinarunt, sicut etiam factum legimus cũ Philo Iudęus legatus missus est Romam ad Caium Imperatorem.

Dico secundò, ęqualis esse authoritatis Scripturam versam in alienã linguam, cum ea, quę est in suo fonte, & originali. Ista propositio est de fide; Probaturque facilè, quia Sacra Scriptura tam in primigenia, & originali sua lingua considerata; quam in alienam linguam fideliter conuersa est idem penitus verbum Dei; Ergò in vtroque statu est æqualis authoritatis. Consequentia est certa, si antecedens est verum, prout facilè ostenditur: Ad hoc enim vt Sacra Scriptura sub vtroque illo statu dicatur esse idem verbũ Dei, atque adeò ęqualis authoritatis nihil aliud requiritur nisi quod habeat eamdem penitus significationem; sed Scriptura tam in propria, seu primigenia lingua considerata, quàm in alienam fideliter ab interprete translata, cui præter linguarum peritiã, adest etiam speciale Spiritus Sancti auxilium, quod pertinet ad gratiam gratis datam, dirigens, & illustrans mentem interpretis ad veros sensus eruendos, prout 2. Petri cap. 1. dicitur: *Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit, &c. sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.* Scriptura inquam sub vtroque illo statu habet eãdem penitus significationem, vel ordinem & respectum ad rem significatam; ergo etiam est idem penitus verbum Dei formaliter, eiusdemque authoritatis.

Maior huius argumenti, ex qua dependet probatio Minoris, sic declaratur, præsupponendo quod in alicuius linguę verbis, duo possint cõsiderari, siue quod idem est, quod alicuius linguę verbum potest considerari dupliciter, materialiter & formaliter, vbi per verbum materialiter consideratum intelligo ipsummet internum mentis conceptum, sic dictum, quia est materia proxima & immediata verbi externi illum exprimentis, quod ideo appellatur verbum formale, potestque iterum considerari dupliciter, vel materialiter, hoc est quantum ad sonum & articulationem, seu physicam suam entitatem, vel formaliter quantum àd vim significatiuam, secundum vniuscuiusque linguæ vel idiomatis proprietatem. Etsi igitur ad perfectam aliquarum linguarum vnitatem requiratur, quod sint eadem illarũ verba materialia, intelligendo per verbum mate-

materiale ipsosmet conceptus obiectiuos, eademque verba formalia, eamdem externè significationem habentia; non tamen requiritur quod sint eadem verba externa materialiter considerata quantū ad entitatem physicam, aliaque accidentia illam sequentia; Cùm ergò lingua Hebræa & Græca quibus originaliter Sacra Scriptura fuit tradita ita physicè specie differant ab alijs, vt eamdem penitus cum illis significationem, vel respectum ad rem significatam habeant; non est cur negari possit Scripturam tam in suo fonte, quam in versionibus fideliter factis idem esse verbum Dei, eiusdemque consequenter authoritatis, quæ principaliter attenditur penes id quod est formale, & non materiale, prout innumeris declarari posset exemplis. Per quod satis patet ad omnia quæ fieri possent obiecta, quæ solùm procedunt de aliqua distinctione materiali, quæ nihil penitus officit authoritati translationum & versionum diuinorum eloquiorū fideliter, prout supponimus, factarum, Ecclesiæque authoritate approbatarum.

CAPVT LXXIX.

De editione Hebraica, vtrum sit authentica, veramque Scripturam contineat.

Controuersia non procedit vtrum si autographa, seu prima exemplaria tam Hebraici idiomatis pro veteri testamento, quàm Græci pro nouo adhuc extarent, summam promererentur authoritatem, hoc enim satis ex se patet, sed tantum difficultas est, vtrum in codicibus Hebræis qui nunc exstant, & qui sunt tantum autographorum transumpta, contineatur Sacra Scriptura: ita vt illis par fides ac originalibus sit adhibenda; siue quod idem est, vtrum textus Hebraicus vsque in hanc diem incorruptus, & illibatus permanserit qualis fuit editus ab initio.

Circa quod duæ sunt doctorum etiā Catholicorum sententię; prior Caietani, Driedonis lib. 2. de dogmatibus Ecclesiasticis cap. 1. Eugubini annotat. in Pentateuch. Vegæ lib. 15. in Concil. Trident. cap. 9. Montoiæ lib. 2. quæst. 6. Abulensis numer. 24. quæst. 3. Marianæ tractat. de Vulgata cap. 7. & aliorum plurium asserentium ipsa Hebraicæ linguæ transumpta esse omnino incorrupta, Scripturamque Sacram ita continere, vt sint certa fidei regula.

Secunda sententia est codices Hebræos qui nunc extant Iudæorum dolo deprauatos fuisse, ac proinde non esse amplius certam fidei regulam. Ita docent Melchior Canus lib. 2. de locis c. 12. & sequentibus, Lindanus lib. 1. de optimo genere interpretandi Sacram Scripturam; Iacobus de Valentia Episcop. Christopolit. præfat in Psalmos, Leo Castrensis in Apologet. Salmeron. prolegom. 4. alijque plures, qui suam hanc sententiam probant adducendo de facto plura textus Hebraici loca vitiata & corrupta.

Pro decisione difficultatis, componendaque allatarum sentētiarum dissensione notandum est primò aliud esse an Hebræi codices, qui modo exstant, ab Ecclesia approbentur vt regula fidei: aliud verò vtrum sint in se tales, & sine vlla corruptione. Rursus, aliud est dicere textum Hebraicum de industria esse falsatum, aliud in illam errores librariorum, seu transcriptorum ignorantia & negligentia irrepsisse. Et iterum aliud est, eumdem textum in omnibus, & quo ad omnia exemplaria, aliud in quibusdā locis aut libris esse corruptum, & in quibusdam exemplaribus: & hoc vel generali Synagogæ decreto, vel priuatorū Iudæorum malitia.

His prænotatis sit prima conclusio, probabilius est non omnes codices Hebræos, qui modo exstant, esse corruptos opera vel malitia Iudæorum; ista conclusio est ad mentem primæ sententiæ illamque efficaciter probant eius argumenta. Vel enim talis corruptio & deprauatio contigisset ante tempora Christi, vel post? non primum. Quia, si hoc

ita esset, de eo, vt pote grauissimo crimine, à Christo & Apostolis arguerentur, cum de alijs leuioribus soleant reprehendi (vt notat Origenes lib. 8. in Isaiam, & ex ipso Hieronymus in cap. 6. eiusdem Isaiæ) at non tantùm de hoc non sunt reprehensi, sed remissi ad scripturas, vt eas scrutarentur Ioannis cap. 5. *Scrutamini scripturas*. Ad quas etiam, non apparente amplius stella, Magos remissos legimus Matth. 2. ad eruendam inde Natiuitatis Christi veritatem, vt benè ponderauit D. Augustinus serm. 2. de Epiphania dicens: *Quid aliud hic significauit diuina scriptura, nisi apud Iudaeos solos diuinas litteras remāsuras? quibus Gentes instruerentur, illi excitarentur.* Ex his igitur alijsque locis satis colligitur codices Hebræos ante Christum nō fuisse in vniuersum corruptos; imo potius illos tanta religione colebant Iudęi, vt si quando se in aliqua afflictione positos viderent, illos coram Deo expanderent, vt patet lib. 1. Machab. cap. 3. cū dicitur: *Et expanderunt libros legis.* Vel si quando libri Scripturæ in terram caderent, ieiunium solemne & publicum vbique locorum apud ipsos indiceretur, vt insinuat D. August. lib. 15. de ciuit. Dei cap. 13.

Hanc etiam codicum Hebræorum corruptionem vniuersalem post Christi aduentum non contigisse probatur primò, ex hoc quod testimonia illa à Christo Domino & Apostolis relata, omnia fere inueniuntur nunc in Moyse & Prophetis, pro vt ab illis citata sunt. Cui non valet respondere, ita illos citasse, quia spiritu Prophetiæ cognoscebant, esse sic à Iudæis deprauādos. Quis enim audeat affirmare Christum retulisse testimonia in eo sensu, quem postea sciebat corrumpendum? Quare D. Hieronymus cap. 6. in Isaiam ait: *Si quis verò dixerit post aduentum Christi, & predicationem Apostolorum, libros Hebraos fuisse falsatos, risum tenere non potero: vt Saluator, & Apostoli, & Euangelistæ, ita testimonia protulerint, sicut Iudæi falsaturi erant*. citatque Origenem pariter ridentem eos qui talia asserunt.

Secundò si Iudæi codices omnes Hebræos adulterassent, istud dumtaxat in locis, in quibus mentio est de Christo, eiusque mysterijs, fecissent, cùm eum dumtaxat odio prosequerentur. At illa reliquerunt intacta, quemadmodum Hieronymus Epist. ad Marcellam docet, & D. Augustinus 15. de ciuit. Dei c. 13. satisque patebit diligenter consideranti loca omnia, quæ authores secundæ sententiæ contendunt fuisse à Iudæis corrupta & falsata, de quibus vide Ludouicum de Tena lib. 1. Isagoge S. Scripturæ sect. 3. & 4. Igitur dicendum, nec ante, nec post Christi aduentum saltem vsque ad Hieronymi & Augustini tempora non fuisse corruptos omnes codices Hebręos; Quanto magis ipse Hieronymus ad emendationem editionis Latinæ recurrit ad Originalia Hebraica, & ad hūc finem tanto labore Hebraicas litteras didicit, lege prefationem eius in Isaiam, & Epistolas ad Sophonium, Pammachium, & Lucinium.

Quod si dicat aliquis post tempora Hieronymi & Augustini factam fuisse hanc deprauationem; contra hoc sunt primò duæ rationes statim adductæ; secundò quia impossibile est moraliter loquendo Iudæos potuisse id præstare; nam cum multi extarent scripturæ codices, debuissent eos omnes in vnum locum congregare, vt eos simul corrūperent, & deprauarent: at hoc non tam difficile, quam moraliter impossibile satis apparet: Etsi igitur potuerit fieri, vbi se occasio obtulit, vt à quibusdam quædam exemplaria falsarentur & corrumperentur eorum incuria, & ignorantia, vel etiam malitia & dolo: *Absit tamen*, inquit D. August. lib. 15. de ciuitate Dei cap. 13. *vt prudens aliquis, vel Iudaeos cuiuslibet peruersitatis, atque malitia, tantum potuisse, credat, in codicibus tam multis, ac tam longè lateque dispersis, vel septuaginta illos memorabiles viros, hoc de inuidenda Gentibus veritate, vnum communicasse consilium.*

Quod igitur Pater Mariana tract. de

Vul-

Vulgata Editione cap. 7. ait vniuersalem hanc textus Hebraici corruptionem cōtigisse in illa magna congregatione Iudæorum, post vltimum excidium Hierusalem, anno 436. (qui fuit à Christo nato 512.) apud Tiberiadem vrbem, minus probandum est; Licet enim secundum aliquos, pro vt suo loco supra notauimus, tunc temporis puncta, seu moriones Hebraicæ primùm fuerint adiunctæ, vnde etiam aliqua non tam corruptio textus Hebraici, quam varia lectio oriri potuit; nulla tamen ratione constat, ex omnibus mundi partibus, omnes codices etiam, qui erant in potestate Christianorum, fuisse illuc adductos: neque id est verisimile; neque constat adductos fuisse vitiatos, sed potius argumenta iam adducta & statim adducenda contrarium probant.

Tertiò tandem quia vniuersalis illa codicum Hebræorum deprauatio & corruptio videtur omnino repugnare suauitati diuinæ prouidentiæ, qua suæ semper Ecclesiæ Deus prospexit. Non enim verisimile est, Deum id passurum fuisse, vt sua verba ad rectam hominum institutionem scripto tradita ita generaliter falsarentur. Præsertim cum ad hunc etiā finem Iudæos dispersit per totum orbem terrarum, & circumferre eos voluerit libros legis, & Prophetarum vt inimici nostri Christianæ veritati testimonium perhiberent, pro vt docet D. Augustinus Psal. 40. in illa verba, *Benedictus Dominus Deus Israel*, productis verbis ex Genes. 25. *Maior seruiet minori*; *Modo impletum est*, ait, *modo, fratres, vobis seruiunt Iudæi, tanquam capsarij nostri sunt, studentibus nobis codices portant.* Et libro 18. de ciuit. Dei cap. 46. explicans de Iudæis illa verba Psal. 58. disperge illos in virtute tua: Quod etiam asserit Venerabilis Beda in Psal. 56. *Hoc*, inquit, *ad opprobrium pertinet Iudæorum, quod capsarij, id est, librarij nostri facti sunt, quia portant nobis libros suos, sicut solent serui post Dominos: ipsi enim deficiunt portantes, Christiani proficiunt legentes: quod nisi incorrupti seruarentur, quid profuit, Iudæos scriniarios nostros facere, aut qua audacia veteres libros proferemus, si corruptos esse, & deprauatos à Iudæis confiteamur.*

Secunda Conclusio, textus Hebraicus magnæ est authoritatis; ideoque nō ita est abijciendus & deprimendus, vt volunt authores secundæ sententiæ: Ista cōclusio videtur manifestè sequi ex prima; si enim semel verum est, pro vt clarè ostendimus, quod codices Hebræi, qui nunc exstant, non fuerint omnes in vniuersum corrupti & vitiati; quodque errores & defectus qui in illis reperiuntur & notantur, leuiores sint, quam vt fidei Christianæ nocumentum inferant, vel aduersentur, paucisque exceptis mirificè cum vulgata editione cōcordent, nemini dubium esse potest, quin etiam nunc ex illis efficax argumentū ad conuincendos tam Iudæos, quam hæreticos desumi possit; Quemadmodum enim ex aliquibus codicum Hebræorum differentijs cum editione nostra vulgata, argumentamur aliquas esse deprauationes in textu Hebræo, ita ex magna conuenientia circa doctrinam fidei, & morum, quā Catholica credit Ecclesia, argumentari possumus maiori ex parte esse integrū, magnæque authoritatis.

Tertia Conclusio; Etsi textus Hebraicus, quem nunc habemus, sit summæ authoritatis, ea tamen non est Canonica & infallibilis: ideoque absolutè dici non potest nunc, & pro vt in manus nostras deuenit, sacra Scriptura. Notanter dicitur in conclusione *nunc*, vt intelligatur de textu Hebræo pro vt est post tempora D. Hieronymi; nam vsque ad illa fuisse canonicum, infallibilemque scripturam probabilius est; siquidem Ecclesia decreuit per ipsum emendari nouas omnes translationes; nec aliundè melius tunc primū limpidissimi Vulgatæ editionis riuuli fluere potuerunt, quā ex non turbato Hebraici textus fonte, quia ex turbido fonte aqua pura non exit; cum etiam quia plures Sancti Patres, dum summam textus Hebraici authoritatem, atque adeò incorruptionem asse-

afferunt, commodius intelligi non possunt, quàm de illo saltem ante D. Hieronymi tempora.

Conclusio sic explicata probatur primò, quia in scriptura Canonica ne minimus quidem defectus admitti potest: sic enim tota eius certitudo, & infallibilitas rueret: atqui multi defectus, multaque vitia in textu Hebræo, pro vt nūc est reperiuntur; Ergo. Maior huius argumenti videtur esse certa: Minor autem probanda est ex ipsis codicibus, manifestando defectus quos habent. Quod quidem Catholicis facilè persuaderi potest, si cum Vulgata nostra editione textus Hebraicus ad amussim conferatur: cum enim multis in locis, non tantum verbis, sed etiam sensu inter se dissideāt, necesse est in vno vel altero vitiū agnoscere; non in Vulgata editione, quam ex Ecclesiæ definitione in Concilio Tridentino venerari tenemur tanquam purissimam, & omnium quæ exstant editionum verissimam; igitur in textu Hebræo.

Verum quia tàm Iudæi, quàm Hæretici Vulgatam editionem non admittunt, imo reijciunt & reprehendunt, vt hoc argumentum aduersus eos reddatur efficax, duo sunt addenda. Primum, consensus Septuaginta Interpretum cū nostra lectione; duæ enim translationes antiquæ consentientes maiorem videntur promereri fidem, quam soli codices Hebræi. Secundum, ipsa sensus veritas, & proprietas, quæ in lectione nostra facilè inuenitur; in textu autem Hebræo non ita.

Probatur secundo, quoniam Ecclesia non tribuit illi canonicam authoritatem, nam neque eo vtitur in actionibus sacris, nec decreto aliquo expresso eum approbauit; cum tamen proprium sit Ecclesiæ edicere quænam sit scriptura sacra & canonica: etsi enim ipsa suam authoritatem à Spiritu Sancto, primario illius auctore, accipiat: nihilominus quia eiusmodi authoritas latet nos, ideo opus est ad id definitione, & declaratione Ecclesiæ, pro vt suo loco fusius ostēdimus.

Si quis autem inquirat, quot modis corruptio, & deprauatio in hunc textum Hebraicum irrepere potuerit. Respondeo tribus potissimum modis: primò; per negligentiam, & ignorantiam transcriptorum, qui propter similitudinem quarumdam litterarum, seu characterum, qui sunt sibi per quam simillimi, vnum pro altero sumere potuerunt. Secundò propter multitudinem punctorū, quæ cum minutissima sint, vix interdum dignosci possunt: sed facile est ea mutare, & pro alijs assumere: quibus mutatis lectionem ipsam mutari, & variari necesse est, sicut dictiones mutatis vocalibus, suam etiam significationem mutant. Tertiò propter malitiam Iudæorum, quæ licet nunquam eo deuenerit, vt totum Scripturæ Hebraicæ textum vitiaret, pro vt supra demonstrauimus: nihilominus in plerisque locis eum alterarunt. Quod à Iustino, Origene & Eusebio olim fuit Iudæis ipsis exprobratū: & quamuis Bellarminus lib. 2. de verbo Dei cap. 4. doceat hos Patres, non de textu Hebraico, sed de editione Septuaginta loquutos esse; tamen, qui diligenter eorum dicta examinarit, reuera inueniet, illos de vtroque, nempè de textu Hebraico, & editione Septuaginta, ab aliquibus Rabbinis Iudæorum lacetatis & adulteratis conquestos fuisse.

Quibus omnibus addere possumus sic inductas fuisse textui Hebraico deprauationes aliquas, quia Ecclesia illum neglexit, ita ferente eius statu; textus enim alicuius editionis scripturæ Ecclesiæ conditionem sequitur & sortitur: hæc enim duo sibi mutuo respondent, & se inuicem afficiunt. Vt igitur pertinuit ad suauitatē diuinæ prouidentiæ, quod, perseuerante in Synagoga Hebræorum vera Dei Ecclesia, textus Hebraicus, seu scriptura sacra iuxta Hebraicum idioma conseruaretur pura & incorrupta; ita Ecclesia inter ipsos deficiente, potuit etiam scriptura, secundum ipsorum idioma facile definere, quantum ad perfectam eius puritatem, atque adeo canonicam authoritatem, pura interim rema-

remanente in editione Latina.

Quod huc vsque de textu originali Hebraico diximus, in omnibus proportionaliter accommodandum est textui etiam Græco originali, seu authographo, respectu secundi libri Machabæorum, in veteri testamento, & respectu Euangeliorum Marci, Lucæ, & Ioannis (nam Euangelium Matthæi primùm fuit ab eo Hebraicè conscriptum) & omnium epistolarum, dempta ea quæ est ad Hebræos, quam Hebraicè ab Apostolo conscriptam fuisse, communis habet opinio, Actuum Apostolorum, & Apocalypsis. De his inquam libris Græcè originaliter scriptis, pro vt nunc sunt, & ad nostras manus deuenerunt, eodem prorsus modo, quo de textu Hebraico, sentiendum est, nec ita deprauatos esse, vt omnino adulterati, & corrupti censeri debeant, nulliusque authoritatis ad hereticos, qui eos recipiunt, de suis erroribus conuincendos: neque etiam ita esse integros, vt aliquos defectus non habeant, atque adeo sint sacri & canonici.

Primum probatur similibus argumētis: tum quia aliter diuina prouidentia Ecclesiæ defuisset; cui arma tam efficacia, sicut est sacræ Scripturæ authoritas, ad retundendos Græcos hæreticos & Schismaticos non suppeditasset; tum etiam quia non est assignare, quando, aut à quo, quoue modo tanta corruptio induci potuerit: tum denique quia defectus qui in eiusmodi libris deprehenduntur, non sunt adeò graues, & in tanto numero, vt omnem eis authoritatem adimant: sed canonicam solùm & sacrā, quæ ne minimum quidem defectum patitur.

Secundum probatur adducendo de facto errores, qui in textu Græco reperiūtur; nam in pluribus codicibus deest historia adulteræ, quæ Ioannis 8. refertur: Item in omnibus ferè codicibus, pro eo quod legimus ad Romanos 12. *Domino seruientes*, habetur, *tempori seruientes*. Quem esse errorem adnotauit Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum; & sensus ipse ostendit, certum quippe est, non semper esse tempori seruiendū; propter has igitur & alias similes corruptelas, quæ in textu Græco deprehenduntur, absolutè scriptura sacra & canonica non est; nec illum Ecclesia tanquā talem approbauit, sicut nec Hebraicū: Vide Cardinalem Bellarminum lib. 2. de Verbo Dei cap. 7.

Posset tamen facilè vterque ad omnimodam sacræ, canonicæque scripturæ puritatem & authoritatem ab Ecclesia reduci, adhibitis & præmissis omnibus illis diligentijs quas Spiritus Sanctus exigit, & quibus specialis eius assistentia annectitur, in ordine ad Ecclesiæ declarationem & approbationem quinam sit verus & authenticus sacræ scripturæ textus; Sed de his infra, vbi erit sermo de Vulgata editione latina, eiusque correctione.

CAPVT LXXX.

De editione, seu versione Græca Septuaginta Interpretum.

CVm inter omnes Græcas S. Scripturæ versiones principalem obtineat locum Septuaginta Interpretum translatio, de illa etiam primum agemus, sexque potissimū de illa quæstiones excitabimus. Prima, an hæc Septuaginta versio fuerit omnium prima, vt nunquā antea in alienam Hebræis linguam sacra fuerint oracula tradita. Secunda quo tempore, cuiusque opera facta sit. Tertia quo modo facta. Quarta quantæ sit authoritatis. Quinta quorum librorum. Sexta denique an ex illa noui Testamenti Scriptores acceperint testimonia sacræ Scripturæ, quæ allegant.

Circa primam quæstionem diuersas reperio sententias. Prima est R. Azariæ lib. *Imre binah* cap. 5. asserentis ante versionem Græcam Septuaginta fuisse Scripturam in Chaldæum Idioma traductam, & ex illo Septuaginta Interpretes suam confecisse translationem; quæ opinio processit ex praua Philonis intelli-

telligentia. Si quidem Philo vt superius suo loco notauimus nomine Chaldaico, Hebræum intellexit, Iosephus autem clarè ostendit ex Hebræo factam interpretationem Septuaginta. Secunda sententia docet fuisse aliquam translationem Græcam ante 70. incertum tamen quo authore; ita Genebrardus in Chronico, Serrarius in prolegom. Bibl. c. 16. quæst. 1. Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei scripto cap. 5. & alij, qui pro hac sententia citant Clementem Alexandr. lib. 1. Stromat. & Eusebiũ Cæsariensem lib. 13. de præparat. Euangelica cap. 7. vbi id apertè contestantur, & authorem Aristobulum laudant ex libro quem scripsit ad Ptolemæum Philometorẽ; cuius hæc sunt verba; *Apertissimum est leges & disciplinam nostram diligenter fuisse Platonem secutum. Non enim latet, si quis attentius eum legat, perlectam ab eo, & quidem diligenter scripturam fuisse. Scimus etiam omnes ante Demetrij Phalerei tempora; imo verò ante Alexandrum & Persarum imperium quinque Moysis libros in Græcam linguam; quamuis non commode traductos fuisse. Tota vero scriptura nostra Demetrei Phalerei opera & Philadelphi Regis tui progenitoris iussu aptissimè translata est.* Tertia tamen sententia vult primam omnium S. Scripturæ versionum fuisse Græcam Septuaginta Interpretum translationem; quæ sententia videtur esse verissima si intelligatur de translatione perfectissima, numerisque omnibus absoluta; per quod etiam facile conciliari possunt diuersæ sententiæ; vide Baronium tom. 2. Annalium. Sufficit enim pro instituti nostri ratione propositas quæstiones sic breuiter attingere, & authores eas fusius tractãtes indicere.

Secunda quæstio est, quo tempore, cuiusque opera facta fuerit Septuaginta Interpretũ editio; circa quam duæ sunt etiam sententiæ. Prior Irenæi lib. 3. cap. 25. & Clement. Alexand. lib. 1. Stromatum, scribentium Ptolemæo Lagi filio regnante id factum esse. Altera, Aristeæ in Historia de hac re, Iosephi lib. 12. Antiquit. cap. 2. Philonis lib. 2. de Vita Moysis, Tertulliani in Apologetico cap. 18: Athanasij in Synopsi, Epiphanij de ponderibus & mẽsuris & aliorum existimantium tempore Ptolemæi Philadelphi, qui Ptolemæo Lago proximè successit, Septuaginta Interpretũ translationem accidisse; quę sententia cum plures & antiquiores etiam habeat testes, videtur multò probabilior priore. Porro Epiphanius non solum tempus Regis, sed etiam annum regni, proculdubio ex aliqua relatione fide digna annotare curauit. Scribit enim anno 17. Ptolemæi Philadelphi eam translationem esse factam, atque ab eo tempore, vsque ad Christi natalem diem fluxisse annos 291.

Si quis autem inquirat quo consilio id factum fuerit, vt rex interpretes istos vocaret, respondetur non fuisse, vt inde caperet occasionem diuexandi Iudęos, vt falsò probauit Iosephus in compendio, cum potius ex hoc pręstito beneficio humanissimus fuerit erga illos; nec etiã, vt alij dicunt vt eos auerteret à patrijs legibus, cum illam translationem in magno pretio & veneratione habuerit; sed tantùm ad maiorem Bibliothecæ suæ ornatum & instructionem. Quippe Aristeas Iosephus & alij Patres tradunt Demetrium Phalereum Bibliothecæ regiæ prefectum, ingentem pecuniæ summam à Ptolemęo accepisse, vt omnis generis volumina cõponeret. Et cum de numero librorum rex interrogasset, quingenta millia, sed Gręca iam reposita respondisse, longeque plura, si aliarum quoque gentium scripta congererentur, pręsertim Iudęorum, quorum libros hactenus non comparasset, quod propria lingua & charactere conscripti essent. Demetrium postea adiuisse regem per epistolam, qua petijt scribi ad Iudæos de hac librorum interpretatione, prout rex fecit, misitque ad Eleazarum Pontificem postulatum interpretes, quos vt facilius impetraret, suique voti compos citius euaderet, docet Scalante lib. 6. cap. 5. Regẽ Ptolemæum, centum millia Iudęorum, quos

quos Ptolemæus Lagus captiuos duxerat in Aegyptum, libertate donasse, & in Iudæam remisisse, vna cum pluribus ad templum donis.

Cuius historię veritati, communique Scriptorum in ea asserenda consensui, non obest, quod Scaliger in notis Eusebianis objicit, hunc Demetrium Philaræum incurrisse Ptolemæi Philadelphi indignationem, & ab eo exilio mulctatum fuisse, atque adeò 70. Interpretum translationem curare non potuisse. Hęc enim omnia possunt facilè simul componi, si dicatur prius Ptolemęum vsum fuisse Demetrij opera, tunc dissimulato suo aduersus odio, postea verò illum in exiliū eiecisse; vel si dicatur, prius quidem illi infensum fuisse, sed in gratiam postea illum recepisse, vel innocentem pronuntiando, vel venia absoluendo, industria, & litteris Demetrij patrocinium in hac causa præstantibus; quod verisimilius videtur, cum ex dictis, Septuaginta Interpretum translatio decimo septimo tantum anno Regni Ptolemęi Philadelphi contigerit.

Quantum ad tertiam quæstionem de modo traducendi; etsi I. Scaliger in notis Eusebianis existimet numerum istum, qnod fuerint septuaginta duo de qualibet tribu electi seniores, nullum habere fundamentum: non enim tunc poterant omnes duodecim tribus exstare, cùm tempore Esechię decem in Mediā fuerint deportatæ, nec in Iudęa erant aliæ nisi Iuda & Beniamin; Lutherus quoque in conniualibus sermonibus de linguis, & Munsterus præfat. in vetus testamentum doceant ipsos fuisse Hebraicę linguę imperitos; imprudentissimo tamen horum hominum innouandi omnia cupidissimorum errori, & mendacio, tota refragatur antiquitas. Quod enim fuerint 72. seni videlicet ex qualibet tribu filiorum Israel Seniores, apud omnes fermè authores supracitatos compertum est: cuius numeri congruentiam assignat S.Epiphanius, vt assimilaretur talis numerus illi numero seniorum, quem Moysi pręceperat Deus tanquam Senatum suum consuleret; idē dicit Hilarius in Psalm. 2. Selectos autem ex omni tribu patet ex Leontio, Euthymio, Chrisostomo in Matth. cap. 5. qui Pharisæos etiam solitos eligi ex omni tribu docent. Nec fuit Summo Sacerdoti Eleasaro difficile, in promptu eos habere, Hierosolymaque transmittere: Etenim vt alia iam occasione notauimus omninò improbabilis, & crassa coniectura est Scaligeri, tempore captiuitatis Babylonicę nullos penitus fuisse relictos ex omnibus tribubus; satis enim oppositum constat ex Iudit. cap. 2. Vnde etiam & tēpore Natiuitatis Christi Domini legimus Annam Phanuelis filiam Hierosolymis habitasse, & D. Iacobus duodecim tribubus, quæ erant in dispersione, scripsit epistolam: imo qui in Babylone erant, vel Media solitos fuisse vltrò citroque commeare, Rabbi Abraham docet lib. *Nabata* inscripto.

Tandem septuaginta duos interpretes fuisse legis peritissimos, linguarumque Hebręæ, & Græcę scientissimos vniuersi ferè docent Patres, vocatque eos Hilarius *Principes doctoresque Synagogæ*, vnde non leuem coniecturā sumunt aliqui fuisse ex magno Synedrio, seu Concilio Hierosolymitano.

Quod ergò potissimum circa huius traductionis modum controuertitur, est, an interuenerit miraculum illud vulgare, vt singuli separatim, vel bini & bini cum tanta consensione, & conformitate suam ediderint translationem, vt in nullo à se inuicem, siue in verbis, siue in ipsorum constructione discreparint. In hoc enim diuisi sunt Patres. Ac Epiphanius quidem in lib. de ponder. & mens. scribit hos interpretes binos & binos in cellulis inclusos fuisse; & diuino miraculo singula paria ipsorum iisdem verbis totam Scripturam transtulisse; ita vt simul confecerint sex & trigiuta exempla eiusdem prorsus versionis.

Iustinus autem in Orat. exhortat. ad Gentes, dicit singulos in singulis cellulis fuisse inclusos, & maiori adhuc miraculo à singulis seorsim totam Scriptu-

ram ijſdem verbis redditam; & ſe apud Alexandriam veſtigia cellularum vidiſſe. Iuſtinum ſequuti ſunt multi ex poſterioribus, vt Irenæus lib. 3. cap. 25. Clemens Alexandrinus lib.1. Stromatū, Cyrillus Catecheſi 4. & alij. At Beatus Hieronymus lib.2. contra Rufinum, & in præfatione tam in Pentateuchum, quam in lib. Paralipom. apertè ridet hāc hiſtoriam. *Neſcio*, inquit, *quis primus author Alexandriæ ſeptuaginta cellulas mendacio ſuo ſtruxerit*. Itaque exiſtimat D. Hieronymus ſeptuaginta duos interpretes in eadem Baſilica ſedentes, & inter ſe conferentes Scripturam tranſtuliſſe.

In hac igitur controuerſia, cum ſit omnium Patrum conſenſu certum, Septuaginta duos viros Hebręos, Senos videlicet, ex qualibet tribu filiorum Iſrael vtriuſque linguæ peritiſſimos, ſpatio dierum ſeptuaginta duorum mirabili conſenſione diuinas litteras apud Pharū Aegypti, ex Hebraico ſermone in Græcum idioma tranſtuliſſe; vnde etiam negari non poteſt, quin in hac traductione, aſſiſtentia ſpecialis ipſius Dei interuenerit: nam ſi diuiſim in ſingulis cellulis bini & bini eam perfecerint, ingens fuit prodigium, omnes earum traductiones eſſe per omnia ſimiles & vniformes; vel ſi non fuerint in his cellulis diuiſi, ſed ſimul inter ſe hanc editionem abſoluerint, adhuc debuit interuenire diuina aſſiſtentia, tùm propter admirabilem eorum conſenſionem, tum etiam quia integrum opus breuiſſimo tēpore ſeptuaginta duobus diebus perfecerunt: quæ duo erant difficilia, imò ipſa conſenſio moraliter erat impoſſibilis, niſi à Deo ipſo directi, & gubernati fuiſſent: vnde Auguſtinus lib.2. de doctr. Chriſt. cap.7. vniformem hanc conſenſionem, tanquā miraculoſam, & opus dexterę Excelſi commendat. Cum hæc, inquam, omnia in præſenti controuerſia ſint inter doctores Catholicos certiſſima, ſalua tamen fide inter illos de altero diſputatur, & aliqui vt Bellarminus, Andreas Maſius opinioni D. Hieronymi tanquam probabiliori ſubſcribunt; alij verò Iuſtini, vt Grauina lib.4. de Sacr. Bibliorum verſione; Tena lib.1. Iſagage Sacrę Scripturæ, Leo Caſtrenſis in prologo comment. in Iſaiam, Montoya lib. de concordia edit. quęſt.7. & alij plures.

Circa quęſtionem quartam de authoritate huius verſionis, ſiue quod idē eſt, an hæc verſio Septuaginta habenda ſit pro Canonica & authentica? vt faciliùs reſoluatur, diſtinguenda ſunt circa eam tempora, atque etiam varij ſtatus: primus quatenus erat in ſua puritate, & integritate, vt fuit, ſtatim atque ab ipſis interpretibus prodijt: Secundus qualis fuerit tempore Hieronymi; tertius verò, qualis poſt eum fuerit, & nunc eſt. Si loquamur de illa primo modo, conſtans eſt ſententia omnium Patrum editionem hanc, cum primum facta eſt, fuiſse Sacram & Canonicam Scripturam, talemque tamdiu fuiſſe, quamdiu integra & à corruptionibus liberā permanſit: Neque ab illorum numero debet excludi S. Hieronymus, quippè qui pręfat. 1. in Paralip. ſcribit, Si verſio LXX. integra haberetur, vt ab eis edita fuit, fruſtra ſe laboraturum in Biblijs transferendis: Et præfat. 2. dicit LXX. interpretes Spiritu Sancto plenos, quæ vera ſunt tranſtuliſſe. In Apologia quoque contra Ruffinum lib.2. affirmat, ſe nunquam LXX. interpretibus detrahere voluiſſe. Quare dum in quęſt. Hebraicis, in libro de optimo genere interpretandi, in epiſtola ad Suniam & Fretellam, & in commentarijs Prophetarū paſſim reprehendit verſionem LXX. non reprehendit ipſam verſionem, ſed vitia, quæ in eam poſtea irrepſerunt negligentia, vel malitia, aut etiam ignorantia aliorum. Similiter cū ait præfat. in Pentateuchum Septuaginta interpretes non vates, ſed interpretes fuiſſe non pugnat cum eo, quod alij Patres docent, Prophetas eos fuiſſe potius, quam interpretes: nam nec alij volunt dicere propriè eos fuiſſe Prophetas, vt ſatis per ſe patet, ſed tantum Spiritu Sancto peculiariter illuſtratos: quod D. Hieronymus non negat, vt ex verbis ipſius ſtatim vidimus. Vnde prologo cita-

citato in Pentateuchum; solum vult removere miraculum cellularum, non autem aliud miraculum quod commemorat Augustinus loco superiùs citato, nempè consensionem hanc admirabilem ipsorum Senum, quæ sine dubio opus fuit Spiritus Sancti. Pręter hoc argumentum ex communi Patrum consensu desumptum, non desunt alia plura, pro irrefragabili authoritate huius versionis primo modo consideratæ.

Primum est, quod testimonia legis & Prophetarum, quibus Apostoli & Euangelistæ in suis operibus vtuntur, sunt secundum editionem Septuaginta, vt in fine huius capitis dicemus: Absurdissimum est enim, & prorsus incredibile, eos voluisse vti editione non Canonica, nec Sacra; præsertim cum ipsa testimonia ab ijs, ad faciendam fidem eorum, quæ scribebant, allata fuerint; perperam autem illa adduxissent, si fuissent deterioris conditionis ijs quæ scribebant. Secundum est, quod per multos annos ante aduentum Christi legebatur hæc translatio in Synagoga Iudæorum, vt etiam post aduentum Christi, Ecclesia multis annis in Oriente illa vsa est, tùm in diuinis officijs, tum etiam in dogmatibus fidei confirmandis: atqui si ipsa non fuisset Canonica, & Sacra in vanum Ecclesia ea vsa fuisset.

Quod ad secundum, nempè editionem Septuaginta, tempore D. Hieronymi, notandum est ipsum Hieronymum, & Augustinum inter se non consentire: Augustinus enim putat nullam translationem cum translatione Septuaginta potuisse comparari: quinimmò lib. 2. de doctr. Christ. cap. 15. ait eam translationi Hieronymi esse præferendam, & laborem ipsius Hieronymi in transferenda Scriptura ex Hebręo fuisse inutilem & otiosum, imo propter quædam scandala, quæ indè oriebantur nociuum: contra verò Hieronymus affirmat, editionē Septuaginta fuisse suo tēpore multis in locis vitiatam, & corruptam: ita vt tunc à sua primęua integritate & puritate defecisset: cuius opinio, si non respectu omnium exemplarium, saltem respectu plurium, vel eorum, quæ in eius manus venerant, præferenda est opinioni Augustini; siquidem illa corruptio varijs locis & exemplis facilè probatur ab ipso Hieronymo in quęst. Hebraicis, & epistola ad Sunniam & Fretellam; V. g. Ionæ 3. editio vulgata & Hebræa habet, *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur*: Septuaginta legunt, *adhuc tres dies sunt*. Item in editione Septuaginta scribitur, *Mathusalem vixisse post diluuium, quatuordecim annis*: Quod manifestè contra fidem Scripturæ pugnat, sæpius quippe affirmat, solum Noe cum sua familia in arca fuisse seruatos. Atqui certum est editionem vulgatam, quæ in his & alijs similibus testimonijs consentit cum Hebræa, non esse corruptam: igitur tempore Hieronymi erat iam saltem quo ad aliqua exemplaria corrupta, & vitiata editio hæc Septuaginta: quod fateri tandem coactus est D. Augustinus lib. 15. de Ciuitate Dei cap. 13. Variæ autem huius deprauationis causę ab eodem Hieronymo proferuntur, vt negligentia, & ignorantia Scriptorum, atque etiam malitia hostium Religionis Christianæ, qui cum ex illa versione probari viderent Christi mysteria, multa abraserunt, & corruperunt, in plerisque exemplaribus, quæ ad diuinitatem Christi, & redemptionem generis humani per crucem faciebant: ex Iustino contra Triphonem, & Tertulliano in Scorpiaco.

Circa tertium, quantæ nimirum sit authoritatis translatio Septuaginta, quæ modo extat, valdè diuersa sunt modernorum doctorum placita. Quidam enim apud Bellarminum lib. 2. de Verbo Dei cap. 6. asserunt, iam nullo modo extare editionem Septuaginta; verum hæc sententia reijcitur ab omnibus. Primò, quoniam non est verisimile, tam celebrem, & communem translationem fuisse omnino extinctam, & aliam eius loco suppositam. Secundò, quia plurima testimonia, quæ à veteribus citantur ex versione LXX. eadem nunc in nostris Græcis codicibus inueniuntur, vt patet in-

tuenti, & legenti animaduersiones Sextinas. Tertiò possumus addere quod Sixtus Papa V. hanc editionem Septuaginta corrigi fecit, & vt Septuaginta illam tradidit.

Alij, vt Bellarminus loco citato, & Mariana tract. de vulgata cap. 26. docent quidem illam adhuc extare, sed valde vitiatam pluribus in locis, vt iam tutum non sit Hebraicos vel Latinos textus ex Græcis codicibus emendare, quod multis probant argumentis. Et certè, si vt statim diximus, tempore D. Hieronymi erat iam corrupta, & vitiata editio hæc Septuaginta, ab illo non videtur fuisse reddita melior, sed talis mansisse, qualis tunc erat; immo si quid suspicandum sit, plures postea contraxit defectus; quia cum nullus esset illius vsus in Ecclesia Romana, neglecta est, & in Bibliothecis delituit; ideoque facilè errores, vel per lituram, vel ex eo quod multæ litteræ aspectum præ senio, ex antiquitate ipsarum cartarum fugerint, in eam irrepere potuerunt.

Tertia sententia est Montoię lib. 2. de concord. edit. controuers. 7. affirmantis translationē Septuaginta esse nunc omninò incorruptam; & consequenter authenticam. Imo ait tantæ authoritatis esse inter Græcos, ac est nostra vulgata apud Latinos; Et potest probari, quia vt supponitur, hæc est eadem, ac extitit in principio, sed tunc Ecclesiæ fuit approbata, vt regula fidei, ergo & modo. Consequentia probatur, quia licet in aliquibus codicibus fuerit vitiata non tamen in omnibus. Sicut etiam nostra Latina vulgata in aliquibus codicibus corrupta esse potest.

Priusquam aperiamus, quid in hac re sentiendum sit, notandum est duplicem nostris temporibus haberi Septuaginta Interpretum translationem; prima est Cardinalis Ximenij Hispani, altera Sixti V. Summi Pontificis. Cum enim dictus Cardinalis Bibliam Compluti excudi faceret, curauit editionem Septuaginta emendari, & correctam imprimi. Quæ tamen correctio, quàm postea in omnibus imitata sunt Biblia Regia, non reddidit puriorem lectionem LXX. sed potius aliquando plus inuertit (vt obseruauit author præfationis ad editionem LXX. Sixti V. iussu editam, in ipsa præfatione, & in Scholijs, quę omnibus eius libris, & capitulis affixit) quoniam plura addidit, quæ in nullo codice Græco leguntur. Vnde Sixtus V. opera Cardinalis Caraffæ, & industria doctissimorū hominum, eamdem LXX. traslationem emendari curauit, præcepitque vt ea sic emendata & correcta Romæ typis mandaretur primum Græcè anno 1586. deinde Latinè anno 1588. In principio cuius Latinæ editionis ait Sixtus Pontifex Maximus. *Curauimus inter alia superiori anno Græcum vetus testamentum iuxta Septuaginta Interpretum editionem, ad emendatissimorum Codicum fidem expolitum typis excudi & publicari, & vt etiam ijs qui huiusmodi Biblia Latinè conscripta legere mallent, prodesse eadem opera possemus, adhibitis aliquot eruditis viris, eumdem librum in Latinum sermonem fideliter versum ad communem Christiani populi vtilitatem, atque animarum salutem imprimi fecimus. Quare ne posthac in sacro textu quidpiam contra sanam doctrinā hominum incuria vel temeritate irreperę vnquam possit, sed potius versio huiusmodi circa Septuaginta Interpretum editionem ad verbum reddita, pura, integra, & incorrupta perpetuò conseruetur, authoritate Apostolica, tenore præsentium districtè interdicimus & prohibemus, quod non nisi iuxta huius tenorem imprimatur, neque ei aliquid vel minimum addere, vel detrahere, vel illam aliqua ex parte immutare, quouis prætextu quis audeat, vel præsumat, nisi specialem ad id à Romano Pontifice licentiam obtinuerit.*

His prænotatis in hac difficultate, eodem proportionaliter modo discurrere debemus, quo superiori capite de editione Hebraica; vnde dico primo, probabiliter sustineri posse, editionē LXX. quæ modo est, non esse corruptam in omnibus exemplaribus, præterquam in annorum supputatione, quæ Vulgatæ con-

contradicit; qualis ſupputatio eſt, quæ habetur in lib. Geneſ. in 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 7. generationibus; vt ait Auguſtinus lib. 15. de Ciuitate Dei cap. 13. dicens, non vitio 70. Sed tranſcribentium eorum codices ex Bibliotheca Ptolemæi, id contigiſſe, in illa tranſpoſitione centum annorum. Ita Ludouicus Tena lib. 1. Iſagoge S. Scripturæ difficultate 5. Sectione V. & Dominicus Grauina Cathol. preſcription. lib. 4. de ſacrorum Bibliorum verſione; Probatur primò ſimili ratione ac ſupra diximus: Codices Hebręos non eſſe nunc in vniuerſum corruptos; ſiquidem non poteſt deſignari tempus quando, vbi, à quibus tam generalis deprauatio editionis LXX. facta ſit, vt omnes omnino codices falſari potuerint. Secundò quia nunquàm Eccleſiæ in omnibus ſimul, & vndique collectis exemplaribus exacta, & abſoluta tranſlatio defuit, ita prouidente Deo, ne Eccleſia ſua per aliquod tempus diuinæ lectionis veritate priuaretur, ſed eam ſaltem in toto ſimul omnium codicum ambitu haberet, quam in ſingulis ſeorſim codicibus habere non poterant. Vnde ſi omnes codices 70. Interpretum falſati fuiſſent, non potuiſſet de corruptis codicibus emendatos facere, nec ex ijs in Vulgata editione corrigenda iuuari, vbi præſertim Pſalmi iuxta verſionem Septuaginta leguntur.

Dico ſecundo, editionem hanc non eſſe Canonicam, neque dici debere Scripturam ſacram, ſaltem quo ad nos, & veluti in actu ſecundo. Iſta concluſio eſt contra tertiam Montoiæ ſententiã: Etſi enim iam authoritate Sixti V. editio Septuaginta nouiſſimè fuerit emendata, & vt ab eodem Sixto dicitur, ad emendatiſſimorum codicum fidem reſtituta; cõcedaturque non eſſe in omnibus exẽplaribus corrupta, ſed in aliquibus tantum, vbi vulgatæ cõtradicit; vnde fortaſſe ſic conſiderata, regula fidei veluti in actu primo, & ſecundum ſe vocari poſſet; quia tamen iampridem propter menda in diſſuetudinem abijt eius vſus, caretque inſuper poſt ſuam à Sixto V. factam reſtitutionem expreſſo decreto illibatæ editionis tanquàm authenticæ & Canonicæ approbatiuo, in omnibus & ſingulis partibus, ideo Scriptura authentica quo ad nos, & veluti in actu ſecundo dicenda non eſt; Concilio Tridentino ſeſſ. 4. Can. 8. ſolùm de vulgata Latina decernente eſſe authenticam regulam fidei in omnibus & per omnia, ita vt nullo prætextu, vel quæſito colore poſsit reijci, ſine nota infidelitatis.

Dico tamen tertiò editionem hanc magnæ eſſe authoritatis, propter quam ab omnibus fidelibus magni debet æſtimari. Si quidem quod attinet ad fidem & mores, integra eſt, ita vt in ea nulli ſint contra fidem, & bonos mores, errores, aut qui per eam probari poſsint. Et inſuper varia extant in ea teſtimonia, quibus doctrina fidei, & bonorum morum contra hæreticos ſufficientiſsimè confirmari poſsit; quãuis deſint aliqua, quæ non ſolum in Vulgata editione, ſed etiam in Hebræo eaſdem veritates apertius demonſtrant: propter quod putant aliqui editionem LXX. Interpretum nũc minoris authoritatis eſſe, quàm originale Hebrǽum. Tum etiam quia Vulgata editio, quam nunc præ manibus habemus, & quæ ſine dubio eſt Canonica, & ſacta Scriptura textui Hebręo conformior eſt, quàm verſioni Septuaginta; in qua pręterea multò plures corruptiones deprehenduntur, quàm in ipſo Hebræo; vbi rari ſunt defectus, & qui facile emendari poſſunt, præſertim detractis punctis, quæ Rabbini affixerunt. Tantum de authoritate Verſionis Gręcæ Septuaginta Interpretum, nunc ad quintam difficultatem veniamus.

Quintò ergò quęritur quorum librorum fuerit interpretatio Septuaginta Seniorum. Nam Beatus Hieronymus in quęſt. Hebraicis, & in cap. 5 Ezechielis & in cap. 2. Michęæ, propendere videtur in eam ſententiam, vt ſolum Pentateuchum tranſtulerint; quod probare nititur Mariana tract. de edit. vulgata cap. 14. ex Ariſtæo lib. de LXX. Interpretibus, Ioſepho tam pręfat. in libros anti-

antiquit, quam lib. 12. earum cap. 2. quibus addi potest Philo lib. 2. de vita Moysis, qui solius legis mentionem faciunt. At eos vertisse omnia communis est Sãctorum Patrum sententia Iustini in dialogo cum Triphone, Irenæi lib. 3. cap. 25. Clementis Alexandrini lib. 1. Stromat. Epiphanij lib. de ponderibus & mensuris, Eusebij lib. 8. cap. 1. prępar. Euang. & aliorum qui pro alijs à Pentateucho libris versionem Septuaginta citant, & ipsemet Hieronymus quędam ex ipsa versione in alijs libris multoties profert. Longè ergò probabilius est Septuaginta illos interpretes totum vetus testamentum, demptis Machabęorum libris, qui nondum erant editi, transtulisse: tùm quia editio Græca, sub titulo, & nomine Septuaginta in vsu fuit in Ecclesia, non tantùm respectu Pentateuchi, sed etiam respectu aliorum librorum: tum quia cum Dei assistentia in hac translatione affecti fuerint, & 72. dies in ea perficienda insumpserint, non est probabile solum Pentateuchum trãstulisse, cùm istud opus nõ sit adeò prolixum, vt tantùm temporis spatium exigat; tùm denique quia non est verisimile regem illum, qui ex toto orbe terrarum libros adducebat in suam Bibliothecam, noluisse etiam Prophetarũ oracula, & alios libros antiquissimos Iudęorum. Neque Hieronymus contrarium docuit locis citatis, vbi non tam asserendo, quam dubitando locutus est, cùm passim vt notauimus, in commentarijs Prophetarum mentionem faciat versionis Septuaginta, & eam explicet. Neque Aristęus & alij nomine legis solum Pentateuchum intellexere, sed omnes libros sacros. Nam à lege, quæ erat præcipuus liber, omnes alij libri denominabantur. Hinc Ioannis 10. & 15. Dominus dicit in lege Iudęorum scriptum esse id, quod in Psalmis scriptum est, & D. Paulus 1. Corinth. 14. in lege scriptum esse dicit, quod in Isaia continetur.

Sed est maior difficultas an ipsi interpretes partes omnes ipsorum librorũ verterint: nonnulli enim putant, eos nõ vertisse omnes illas partes, de quibus, an essent Canonicæ, olim à plerisque Patribus est dubitatum: alijs tamen probabilius est, illas ab ipsis interpretibus non fuisse prætermissas: ad quid enim transferendo ipsos libros eas voluissent omittere: potius dicendum est, aliquos per ignorantiam, aut malitiam has partes adulterasse, & corrupisse, aut aliquid aliud circa eas fecisse, propter quod à nonnullis Patribus fuerunt in dubium reuocatæ, quam asserere eas ab ipsis Septuaginta fuisse prætermissas: quod verum est similiter de libris integris, qui vt vidimus supra dicuntur Deutero-Canonici, nam eos etiam transtulisse verisimilius est, propter rationes adductas.

Sextum & vltimum dubium est, an Apostoli & Euangelistæ in testimonijs citandis vsi sint ista versione. Circa quod fuit controuersia inter S. Hieronymum & S. Augustinum; D. Hieronymo primùm negatiuã lib. 2. Apolog. aduersus Rufinum & prologo lib. 15. in Isaiam; Augustino verò affirmatiuam partem docente lib. 15. de ciuitate Dei, cap. 14. quam etiam posteà D. Hieronymus amplexus est pręfat. in Euangel. vndè ait, *Sit illa vera interpretatio quam Apostoli approbauerunt*. Quæ sententia est magis communis, illamque fusè probat Castrensis *in Apolog. pro translatione Septuaginta addita cõmentarijs in Isaiam*; & Salmeron Prolegom. 5. Dico ergò ex Euangelistis Matthęum, Marcũ, & Ioannem testimonia veteris testamenti citasse quidem secundum Hebraicam lectionem, & non secundum editionem Septuaginta: at vero Lucam tàm in suo Euangelio, quàm in actibus Apostolorum, & Apostolum Paulum in suis epistolis citasse testimonia ipsius veteris testamenti iuxta editionem Septuaginta, non autem secundũ Hebręam. Quia in tribus prioribus Euãgelistis nihil inuenitur conforme cum editione Septuaginta, omnia verò conformia sunt cum lectione Hebræa: at verò in Luca, nec non in Pauli epistolis, testimonia ipsa

cum

cum verbis editionis LXX. conformitatem habent, vt satis patet collatione facta horum testimoniorum cũ Editione Hebræa & Septuaginta, quæ fusè prosequuntur supracitati doctores, & Melchior Canus lib.2. de locis cap.18. Vndè sufficiet hic vnum dumtaxat locum adducere ex Luca cap.3. vbi enumerando Christi Genealogiam sursum ascendendo, Sale & Arphaxad interposuit generationem Cainam, quã solum habent Septuaginta Genes.12. In Vulgata enim editione Genes. cap. 11. imo etiam in textu Hebræo & Chaldaico dicitur *Arphaxad genuisse Sale*, nulla facta mentione de Cainam.

Neque inde sequitur esse corruptã lectionem vulgatam, etiam si in Genesi non referat eam generationem, sed tantùm dicat Arphaxad genuisse Sale, aut aliquam esse contrarietatem inter capitulum vndecimum Genesis, & tertium Lucæ; si quidem omittere intermediam generationem non est corruptio, sicut nec contrarietas, quod Lucas citato capite expresserit, quod vndecimo Genesis vulgatus interpres omisit. Quod verò dicitur Arphaxad genuisse Sale, de auo respectu nepotis dici solet, & nepos dici solet filius; mosque est satis vsitatus apud sacram Scripturam appellare etiam progenitores parentes mediatos, quia non est ipsius intentum singulorũ genealogiam numerare; sicut quorumdam nomina Euangelista Mattheus c,1. in Genealogia Saluatoris nostri taciturnitate inuoluit; versu enim 8. dicit *Ioram genuisse Osiam*, qui tamen fuit abnepos non verò filius Iorã. Nam lib.4. Reg. cap.8. Ioram genuit Ochosiam, hic genuit Ioas; & ex cap.12. Ioas genuit Amasiam, hic autem ex cap.14. Osiam, seu Asariam. Sed de hoc fusius supra, pluribus iam locis.

Vnde pro solutione tam huius, quàm aliarum similium difficultatum notandum est Apostolos & Euãgelistas quinque modis allegasse testimonia ex veteri testamento; Primò quæ conformiter tàm in Hebræo, quàm in translatione Septuaginta eodem modo se habent. Secundò, quæ solum in Hebræo extant, & non in Septuaginta. Tertiò, quæ apud Septuaginta leguntur, & non in Hebręo. Quartò, quæ nec in Hebræo, nec in Septuaginta inueniuntur, ex libris scilicet, qui non extant. Quintò allegando solam sententiam, & non integrè verba. De primò sunt exempla manifesta in allegationibus Matthæi, Marci, & Ioannis, in quibus nihil inuenitur conforme Septuaginta Interpretibus, quod æque conforme non sit Hebreæ lectioni. De secundo exempla habemus in illa allegatione Matth.2. ex Oseæ 11. *Ex Aegypto vocaui filium meum*; & in illa Ioann. 19. ex Zachariæ 12. *Et videbunt in quẽ transfixerunt*; Quæ omnia & nonnulla alia iuxta Hebręum dumtaxat referuntur. De tertio exemplum est superius allatum ex cap.3. S. Lucæ interponentis Sale & Arphaxad Generationem Cainã, quam solũ habent Septuaginta: & actorum 7. vbi Stephanus asserit Septuaginta quinque animas cum Iacob egressas in Aegyptum, pro vt Septuaginta interpretes habent, cum in Hebræo numerẽtur solum Septuaginta Genes. cap. 46. Exemplum quarti habetur in Epistola Iudæ citantis altercationem Michaëlis cum diabolo de corpore Moysis, quæ nullibi in sacris scripturis habetur. Quinti denique exemplum est illud Isaiæ 6. quod Ioannes refert cap. 12. *Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur & sanem eos*; item illud ad Hebræos cap. 10. *corpus autem aptasti mihi*, quod in Hebræo legitur, *aures autem perfecisti mihi*; hęc enim, & alia similia, quorum multa profert exempla Hieronymus in epistola de optimo genere interpretandi; non sunt allegata, pro vt in textu reperiuntur, sed exprimendo solum senteñtiam. Ista autem diuersitas nullo modo, vel originalem infirmat lectionem, vel versionem: nam cum in eadem sententia conueniũt, & verbis differunt, sola est verbalis differentia, quæ sensui non officit, vt satis

per

per se patet; cum verò aliquid vel in originali deest, vel in interprete, quamuis verè sint defectus, sunt tamen defectus puræ negationis, qui veritatem, & fidelitatem non detrahunt Scripturæ, nihil enim falsi, aut contrarij inducunt in lectione, à qua desunt, & eodem modo se habent, quo libri, aut partes librorum, quas perijsse supra ostendimus ex multorum Patrum sententia; ex quibus nulla falsitas, aut diminutio authoritatis accessit partibus, quæ supersunt.

Tandem in fine huius capitis vltimo notauerim aliquos S. Patres vt Epiphanium in lib. de ponder. & mens. Hieronymum in pręfat. in Pentateuch. & lib. siue epist. de opt. gen. interpret. & Augustinus lib. 18. de ciuit. Dei cap. 42. & 4. scriptum reliquisse, Septuaginta seniores de industria quędam omisisse, quędam addidisse, & quædam aliter vertisse, quia sic eis dictabat Spiritus Sanctus; cui sententiæ ex Modernis subscribunt Castrensis, Tena, Grauina & alij locis citatis. Cæterùm Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 6. Lorca 22. tract. de locis Catholicis lib. 1. disput. 6. membro 2. & alij non minori probabilitate illud reijciunt, asserentes prædictos Patres pie quæsiuisse euasionem hanc, vt conciliarent magnam discordiā, quæ suo tempore inueniebatur inter editionem Septuaginta, & textum Hebrę̄ū, dictamque editionem defenderent, qua tunc Ecclesia vtebatur. Sed quidquid sit de veritate istarum sententiarum, nihil officit authoritati prædictarum versionum, vel editionum, vt statim diximus.

CAPVT LXXXI.

De alijs editionibus Græcis tàm Veteris, quam noui Testamenti, earumque authoritate.

PRæter Græcam Septuaginta seniorum translationem, plures aliæ post Christi aduentum fuerunt factæ, Græco etiam idiomate, quarum præcipuæ, & alicuius nominis sunt sequentes, de quibus breuiter agemus.

Prima Aquilæ natione Pontici, patria Synopæi, qui claruit, vt Epiphanius scribit anno 120. post Christi natiuitatem, sub Sixto Papa, & Adriano Imperatore, vt autem Hieronymus in tertio Comment. Isaiæ, multis annis ante vltimam captiuitatem Iudaicam. Primum Gentilis fuit; deinde factus est Christianus; cùm enim vir esset vtriusque mathefeos peritissimus, & ob id Adriano Augusto charus; à quo etiam constitutus est præfectus operum ad extruendā vrbem Hierosolymam, à Tito dirutam; hic vrbe instaurata, discipulis Apostolorum in ea Euangelium prædicantibus, in Christum credidit, & baptizatus est. Sed, cùm nimium Genethliacis intentus, quotidie geniturarum positiones, inspecto nascentium horoscopo, designaret, atqne ob id à Patribus increpatus non desisteret, sed potius contumeliosè se eis opponeret, ab ipsis de Ecclesia pulsus est. Quam ille ignominiam grauiter molestèque ferens, abnegato Christianismo, proselitus efficitur, & apud Iudæos circumciditur; breuique edoctus Hebræorum linguam, interpretatns est Græcè diuinas Scripturas de verbo ad verbum, irruens in LXX. Interpretum translationem, vt nonnulla testimonia de Christo in Scripturis prolata, & ab eis translata aliter ederet, sicque acceptam confusionem vlciscceretur. Eius editio, vt Hieronymus in princip. Hebraic. quæst. & Seuerianus Gabalensis Episcopus in exordio Hexamæron annotarunt, hoc habebat initium.

Εν κεφαλίδι ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν. ἡ δὲ γῆ ἦν κενότης καὶ οὐδὲν.

Hoc est

In capitulo, vel in summa, fecit Deus cælum, & terram. Terra verò erat inanitas, & nihil.

Docet autem Scalante lib. 6. de verbis sacræ Scripturæ cap. 11. duas translationes fecisse Aquilam: quod probat ex

ex Petro Sertore lib. 2. de translatione Bibliæ cap. 2. varijs exemplis, & ex alijs capitibus eiusdem authoris.

Secunda post Christum translatio Græca facta est à Symmacho natione Samaritano, qui cũ ambitum apud suos principatum obtinere non potuisset, indignatus, ad Iudæos defecit, atque inter eos proselitus factus, iterum secunda circuncisione circuncisus est; hoc enim moris apud veteres Hebręos fuit, vt qui à Iudęis ad Samaritas, & à Samaritis vicissim ad Hebręos profugerent, denuò circunciderentur. Verùm cum iterum circuncisus apud Iudęos inglorius viueret, ad Christianos transijt, & Ebionitarum hæresim amplexus est: iuxta quorum dogmata scripsit etiam in Euangelium Matthæi commentaria, conatus illinc suam confirmare impietatem: qua contendebat Christum Dominum fuisse purum hominem, occasione sumpta ex carnali generatione, quæ in principio Euangelij S. Matthæi habetur. Ab hoc ergò secunda diuinæ Scripturæ translatio Græca sic edita fuit, vt non verbum de verbo, sed potius sensus de sensu in ea exprimeretur. Claruit circa annum Domini 290. sub Seuerino Papa, & Sépt. Seuero Imperatore.

Tertia fuit Theodotionis natione Pontici, vt Epiphanio placet, vel Ephesij secundum Euthymium; hic, donec Christianus fuit, Tatiani, & Marcionis hęresiarcharum sectator extitit; à quibus ad Iudæos transfugiens, circuncisus est, & apud eos Hebraica lingua probè instructus tertiam sub eodem Seuero Augusto emisit veteris testamenti Græcam translationem, quam qui sequuntur temporis rationem, vt Sixtus Senensis lib. 4. Biblior. Sanctæ, Symmachum Theodotioni præponere debent, è contra verò illi qui asserunt Theodotionem suam emisisse translationem, sub Commodo Augusto, si quidem Commodus fuit anno Christi centesimo octuagesimo tertio, & Seuerus centesimo nonagesimo quinto, qui regnauit annos 17. menses 8. Vnde Cardinalis Bellarminus lib. 2. de verbo Dei cap. 5. ait, *Magno errore factum esse, quod Symmachus prior Theodotione referatur ab Athanasio, & Epiphanio, cum fateantur Symmachum id fecisse, sub Seuero Augusto, & Theodotionem sub Commodo, & iste sine dubio Seuerum præcesserit.*

Quod pertinet iam ad trium istarum editionum authoritatem, vel censuram; meritò ab Ecclesia propter odium ipsorum authorum, quorum duo ad Iudaismum declinarunt, alter verò fuit Hæreticus Ebionita, reiectæ sunt. Sicut enim ad explicandas & interpretandas veras Scripturas, Septuaginta Interpretes, vt verbis Epiphanij vtar lib. de ponder. & mens. *ex Spiritu Sancto sub vnum consensum totam interpretationem ediderunt*; ita diabolo ęmulo interpretationis Scripturarum, per Aquilam, Symmachum, & Theodorionem, tres solùm vt dicit Epiphan. *qui non potuerunt inter se consentire*, in editionem LXX. irruentes, testimonia de Christo in Scripturis prolata aliter ediderunt. Attamen, sicut dicit August. lib. 2. qq. Euang. cap. 40. nulla falsa doctrina est, quæ veritatem aliquã admixtam non habeat; sic nulla falsa interpretatio, quæ aliqua vera non contineat, & veræ interpretationi aliqua ex parte non concordet. Quare etsi in omnibus veritatẽ non contineant tres prædictæ interpretationes, in aliquibus tamẽ illi concordant, vt ad explicationem, veræque interpretationis roborationem inseruire possint: Et ex illis Ecclesia minus improbauit Theodotionis interpretationem, quę Danielem ex interpretatione illius legit, teste Diuo Hieronymo *præfatione in Danielem*.

Quarta editio Gręca sine vllo nomine authoris, vna cum plerisque alijs Hebraicis & Græcis voluminibus, tempore Antonini Caracallæ, qui Seuero Patri in Imperij dignitate successit, reperta est apud vrbem Hiericho ab Origene Adamantio, qui etiam non multò post, vt Epiphanius supra refert, allam quandam translationem reperit in littore Actiaco apud Nicopolim, eodem modo

modo in dolijs inclusam & occultatam; quam alijs editionibus adiungens, miro artificio duo diuersa genera exemplarium composuit, Hexapla scilicet, siue Tetrapla, & Octapla; quia diuisit primũ singulas paginas in sex columnas, & in prima scripsit Hebraicum textum litteris Hebraicis. In secunda eumdem litteris Græcis propter eos, qui Hebraica legere nesciebant; in tertia interpretationem Aquilæ, in quarta Symmachi, in quinta LXX. Seniorũ, & in sexta Theodotionis; & propter eiusmodi compositionem sex columnis distinctam, vt Eusebius annotat, exemplaria hęc Hexaplà vocata sunt; Tetrapla verò, siue quadrupla propter quatuor interpretationes LXX. scilicet, Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis, quadruplici ordine scriptas, & explicatas. Deinde post hæc Sesecuplicia, Origenes alia rursum Octapla exemplaria construxit: in quibus dispositis per singulas paginas octo columnis, quintam & sextam editiones à se inuentas post quatuor prædictas adiecit; quas quia sine titulo suorum authorum repererat, ex his alteram quintam appellauit, præfigens ei inscriptionem per litteram E, quinarij apud Græcos numeri indicem; alteram verò sextam nominauit, eique Senarij numeri notam videlicet Z inscripsit; & hæc postmodum exemplaria propter numerum octo columnarum Octapla dicta sunt. Quem laborem, cùm in cęteris aberrauerit, Origenes, vt dicit Epiphanius locis citatis, *solum utiliter fecit*.

Sexta alia editio, vel septima si annumerentur Septuaginta, fuit eiusdem Origenis, qui Scripturas quidem ex Hebræo non transtulit, sed versionem Septuaginta ita emẽdauit, multis ex Theodotione admixtis, vt nouam editionem fecisse videretur. Asteriscis, seu signo radiantis stellæ designans, quæ minus essent, obelis verò seu virgulis, quæ ex superfluo viderentur apposita. Quæ editio ita approbata fuit eo temporis, vt breui spatio bibliothecas repleuerit, teste D. Hieronymo epist. 89. ad Augustinum, quæ est vndecima inter epistolas Augustini: & eamdem *communem* appellari solitam scribit idem Hieronym. *præfat. lib. 16. in Isaiam*; *Palæstinam* autem *præfat. in lib. Paralipom.* eo quod ipsius lectionem, omnes Palęstinæ, & Syriæ Ecclesiæ in quotidianis lectionibus recepissent, cùm primum à Pãphilio Martyre, & Eusebio Episcopo Cæsariensi in vulgata esset. *Alexandria & Aegyptus*, inquit Hieronymus, *in Septuaginta suis Hesychium laudat authorem. Constantinopolis vsque Antiochiam, Luciani Martyris exemplaria probat. Media inter has prouincia Palæstinos Codices legunt: quos ab Origene elaboratos Eusebius & Pamphilius vulgarunt: totusque orbis hac inter se trifaria varietate compugnat.*

Septima, vel octaua editio fuit S. Luciani viri disertissimi, Antiochenæ Ecclesiæ presbyteri, & postea Nicomediæ vel secundum alios Antiochię Episcopi, ac Martyris Sanctissimi sub persecutionę Diocletiani, & Maximiani anno Domini 280. Cũ enim in editionibus iam numeratis præsertim LXX. Interpretum multa vitia obrepsisse cognouisset, rursũ magno labore vitijs illis omnibus, & cum Hebraica veritate diligentissimè collatis, propriam, vt Euthymius testis est, Græcam editionem valdè correspondentem translationi Septuaginta confecit. Quam ipsius Sanctissimi Martyris manibus descriptam, tradit D. Hieronymus *præfat. ad Psalterium*, repertam fuisse Nicomediæ in quadam turri à Iudęis calce illitã: quod Athanasius ait contigisse sub Constantino Imperatore; Isidorus verò 6. Etymologiarum putat illam fuisse inuentam ab Origene, nunquam tamen illam posuisse, vel in Hexaplis, vel in Octaplis; quod etiam docet Hieronymus in epistola ad Suniam, & Fretellam. Porrò huius editionis, qua potissimum, vt ex D. Hieronymo statim notauimus, vsæ sunt Ecclesiæ à Constantinopoli ad Antiochiam vsque, varia fuerunt nomina; primum enim Κοινὴ à Græcis, hoc est communis & vulgata dicta est, prout docet D. Hieronymus tàm in libro de Ecclesiasticis

clesiasticis Scriptoribus, quam in citata epistola ad Suniam & Fretellam; ab aliquibus verò Lucianeą vocata est, à sui anthoris nomine.

Vltima editio fuit Hesychij Monachi,& in Palęstina multorum monachorum patris, qui Hilarioni Sanctissimo Eremitæ arctissimo amoris vinculo iunctus fuit, & ad quem ipse Beatissimus Hilarion moriens quasi testamenti vice breuem manu propria scripsit epistolã, omnes diuitias suas ei derelinquens, euangelium scilicet,& tunicam sacceam, cucullam, & palliolum. Hic igitur,cum Græcæ linguæ peritissimus esset, & diuinarum scripturarum lector assiduus, nouam Græcam translationem totius Scripturæ publicauit partim à se de Septuaginta Interpretibus in veteri testamento emendatam, partim verò propria industria in nouo testamento ad antiquam fidem restitutam.Sunt qui eandem hanc translationem tribuant Hesychio Hierosolymitano Presbytero viro doctissimo,quẽ Nicephorus temporibus Theodosij Iunioris floruisse tradit. Sed hoc non videtur verisimile, cùm Hieronymus loco statim citatò præfationis in lib. Paralipomenon, doceat Hesichianam hanc editionem omnibus per Alexandriam & Aegyptum Ecclesijs tempore suo, hoc est Theodosio seniore imperante, fuisse iam vsitatam. Tantùm de præcipuis editionibus Græcis veteris testamenti, quæ fuere numero nouem; prima fuit LXX. seniorum; secunda Aquilæ; tertia Symmachi;quarta Theodotionis; & aliæ tres Origenis, duæ ab ipso inuentę, & alia quam fecit; & duæ postremæ, vna nempè Luciani, & altera Hesychij. Prætermittitur enim illa prima, cuius meminit Clemens Alexandrinus *lib.1.Stromatum*,quę incerto quodam authore prodijt, & Septuaginta translationem præcesſit, ex qua Plato cęterique Philosophi non pauca hauserunt dogmata. Quia, neque constat, totum vetus testamentum fuisse illa translatum, neque perseuerauit adueniente postea translatione LXX. sed cœpit negligi, deinde amitti, & vix iam memoria eius conseruata est. Ex quibus omnibus Gręcis translationibus veteris testamenti, nunc solùm remansit translatio LXX. veniamus iam ad Græcam noui testamenti editionem.

Duplex est textus Græcus respectu librorum noui testamenti: vnus originalis, seu autographus, respectu Euangeliorum Lucæ & Ioannis,& omnium epistolarũ,dempta ea quæ est ad Hebræos, Actuum Apostolorum, & Apocalypsis. Alter est eorum librorum,qui Latinè aut Hebraicè primùm sunt editi, sed statim in linguam Græcam translati; cuiusmodi sunt Euangelia Matthæi, & Marci, & epistola ad Hebræos; vt enim suo loco supra diximus Matthæus Hebraico sermone scripsit Euangelium suum, sicut & Paulus epistolam ad Hebræos, Marcus verò Latino. Quæ tamen statim in Græcam linguam versa sunt à viris magnæ authoritatis. Athanasius in Synopsi existimat ab Apostolo Iacobo Matthæi Euangelium in Græcam linguam fuisse translatum, alij verò Ioanni Apostolo, & alij ipsi Matthæo id tribuunt. Euangelium Marci ab eodem Aquileiæ in Græcam linguam conuersum docet Adrianus Finus lib.6. flagelli Iudæor. cap. 86. Epistola autem ad Hebræos à Beato Luca, vel à Clemente Gręcè edita est, vt testatur Eusebius lib. 3. cap.38. Verùm cuiuscũque sint eiusmodi translationes, pereuntibus statim ferè primis originalibus,remanẽtibus verò in Ecclesia dictis eorum translationibus, ita receptę sunt ab illa,ac si ea lingua primùm scripti fuissent prædicti libri. Quo circa rectè monet Card. Bellarminus lib.2. de verbo Dei c.7. nos nõ multum egere Euangelio Hebraico Matthæi,quod Munsterus edidit, nec illo etiam, quod Ioannes Tilius, in quo multa desunt, multa superuacanea sunt, non pauca etiam immutata cernuntur. *& Deus nouit*, inquit Bellarminus, *vtrum id factum non sit ad detrahendam fidem Græca, & Latinæ editioni, astutia videlicet Iudæorum, ex quorum promptuarijs Euangelium illud prodijt.*

dijt. Quod spectat ad authoritatem textus Græci, noui testamenti, iam diximus supra, agendo de editione Hebraica, eodem prorsus modo, quo de Hebræo originali librorum veteris testamenti, sentiendum esse, nempe non esse ita integrum, quin aliquos defectus habeat, ob quos Ecclesia textum hunc Græcũ, tanquam Sacrum, & canonicum nunquam approbauit; nec etiam ita esse alteratum & corruptum, quin summæ, & sufficientis sit authoritatis, ad Hæreticos, qui eum recipiunt, de suis erroribus conuincendos.

Sed obijcies, si textus Græcus tam veteris, quam noui testamenti non est authenticus, ergo Ecclesia Græca carebit Scriptura Sacra: hoc autem videtur absurdum; si quidem Ecclesia non est absque Scriptura Sacra: Respondeo primò non esse inconueniens concedere consequentiam, quoniam Ecclesia Græca Ecclesia particularis est, & Ecclesiæ particulari nõ est impossibile legitimam deesse Scripturam, quia tenetur se capiti conformare, Respondeo secundò Ecclesiam Græcam esse nunc schismaticam & hæreticam; & ideò mirum non esse si careat Scriptura Sacra, cum careat legitima fide. Respondeo tertiò in tota Ecclesia Græca legitimam fuisse Scripturã, quo vsque schismatica, & hæretica facta est; erat enim in corde eius, hoc est in aliquibus codicibus, cum facultate, vt diligentia adhibita emendari, & restitui posset, ad normam præsertim editionis vulgatæ latinæ illam corrigendo.

CAPVT LXXXII.

De editione, & Paraphrasi Chaldaica.

CHaldaicã linguã primum editos fuisse libros Iudith, Thobiæ, & quibusdam partibus libros Esdræ, & Danielis, suis locis supra notauimus ex D. Hieronymo præfat. in Danielem; vbi cum ijs reponit adhuc quasdam partes Ieremiæ, subiungens librum Iob Arabicis vocibus permixtum esse: nihilominus quia quatuor hi libri maiori ex parte lingua Hebraica scripti sunt, Hebraei censentur. Sed præterea tota Scriptura vetus translata est paraphrasticè ex Hebræo in Chaldæum, quam paraphrasim ipsi Targum vocant: & de hac tria sunt breuiter examinanda; primùm quo tempore facta fuerit; deinde à quibus; postremò quanta sit eius authoritas.

Circa primum Ribera super Abdiam negat hanc paraphrasim precessisse tempora Hieronymi, eo quod illius mentionem non facit Hieronymus, neque illa vnquam vtitur, neque duo Iosephi in suis libris illius recordantur. Verumtamen argumentum ductum ab authoritate negatiua, quale est istud, non est satis firmum contra communem sententiam positiuè asserentem longè fuisse ante Hieronymi tempora, paraphrasim Chaldaicam, vt satis patebit statim ex authoribus qui illam composuerunt.

Circa secundum igitur, quinam fuerint authores huius paraphrasis, diuersa sunt placita; aliqui enim Iudæi existimarunt illam ab Ezechiele Propheta fuisse compositam. Iacobus Episcopus Christopolitanus in exposit. Psalm. 20. asserit authorẽ translationis huius fuisse Ionathan Benusiel Iudæum, qui anno primo & vigesimo Oct. Augusti hoc est anno ante Christum natum 21. transtulit totum vetus Testamentum in linguã Chaldaicam, sensum magis de sensu, quam verbum de verbo exprimens. Cõmunior tamẽ sententia docet Paraphrasim Chaldaicum veteris Testamenti factam esse à tribus Rabbinis Iudæorum, nempe à Rabbi Aquila, Rabbi Ionatha, & Rabbi Ioseph cæco. Quorum primus Rabbi Aquila, qui Chaldaicè Onchelus dicitur, & ille idem est, ac Aquila Ponticus, de quo egimus supra, transtulit Pentateuchum: Secundus verò Ionathas Benuziel, id est filius Vsielis, librum Iosue, Iudicum, Regum & Prophetas; quẽ Galatinus & Brugensis antè Christum scripsisse, Sixtus verò Senẽsis in Bibliotheca, & Genebrardus tractatu de Christo asserunt, cum quidem ortum esse

ante

ante Christum, sed post illum natum scripsisse. Tertius denique Ioseph Cæcus, quem Galatinus facit discipulum Simeonis Iusti, qui excepit Christum Dominum in vlnas suas, anno post eius natiuitatem quadragesimo transtulisse fertur Psalmos, Iob, Ruth, Esther, & Salomonis opera; quamuis alij dicant non constare de authore huius translationis, nec vnum sed diuersos fuisse, stylo quoque & sermonis genere differétes: quod vt intelligatur; quidque per Targum Hierosolymitanum, quid per Babylonicum significetur.


Obseruandum est breuiter Chaldaicæ linguæ dialectum triplicem esse, Babylonicam, Hierosolymitanam, & Syriacam in specie sic dictam. *Babylonica*; quæ in Babyloniæ regno floruit, & puritatem elegantiamque summam adepta fuit, ita vt reliquarum dialectorum meritò statuatur norma, rursus *vel est prior & antiquior, vel posterior*. *Prior* siue Antiquior, quæ tempore exilij Iudæorum in Babylonia viguit, in qua Daniel & Esdras Prophetæ, magnam suæ historiæ partem conscripserunt, quam etiam Ieremias tenuit in epistolà ad Iudæos in Babylonico exilio viuentes, conscriptà, *Posterior* quæ aliquot centenis annis postea, tam in Babylonia quàm in Iudæa, inter reduces Iudæos vsitata fuit, ac longè à priori nitore recessit, propter regnorum ac diuersorum populorum cōmixtionem. Estque vel *Targumica*, vel *Talmudica*. *Targūmica*, qua Targumistæ, id est, Paraphrastæ, & interpretes Chaldaici veteris Testamenti vsi sunt in trāslatione Chaldaica; Onkelos quidem siue R. Aquila in legem, & R. Ionathas in Prophetas priores, posteriores, & duodecim minores; quorum proinde paraphrasis Targum Babylonicum est appellatum. *Talmudica* dialectus est, qua Talmud Babylonicum in Babylonia conscriptum est. *Hierosolymitana* dialectus est, qua vsi fuerunt Iudæi Hierosolymis, & in terra Iudææ, postquam ex Babylonia fuerant reuersi. Estque vel simpliciter Hierosolymitana, vel Syro-Hierosolymitana, quæ & in specie Syriaca, vel Syra-Comagena, seu Antiochena dicitur. Simpliciter Hierosolymitana est, qua Targum librorum Hagiographorum, vt Iobi, Psalmorum, Prouerbiorum, & quinque *Megilloth*, siue libellorum, nempe Ruth, Threnorum, Cant. Canticorum, Esther & Ecclesiastis conscriptum est. Tum etiam speciale Targum in quinque libros Moysis, quod ad distinctionem Babylonici in specie Targum Hierosolymitanum appellatur; item aliud eorundem librorum Targum, quod Ionathæ nomen præfert, qui verò nequaquam est Ionathas ille priscus, qui prophetas interpretatus est. Ad hanc quoque dialectū pertinet Talmud Hierosolymitanum, liber Zohar, & alij plures. *De Syriaca in specie* sic dicta agemus capite subsequenti, vbi de editione Syriaca.

Iam verò quod attinet ad authoritatem huius Paraphraseos, Iudæi ex Lyrano cap. 49. in Genesim, adeò illam efferunt, vt cum obscurum textum Hebraicum in aliquo non intelligunt, ad paraphrasim Chaldaicam recurrant; eidemque nullum ex Hebræis ausum cōtradicere, refert Raymundus pugione contra Iudæos par. 3. cap. 4. Vitakerus controuers. 1. q. 2. Danæus, & Hunnius Hæretici Iudæorum patrocinium suscipientes, omnimodam eius incorruptionem defendunt. Aliqui etiam Catholici docent paraphrasim Aquilæ in Pentateuchum omnino integram, & incorruptam esse; ex alio tamen fine ac hæretici id asserunt, isti enim vt vulgatam pessundent, Catholici verò vt vulgatam ex paraphrasi illustrent.

Nihilominus dico primò Chaldaicas paraphrases, illa excepta quæ est in Pentateuchum, nullius esse in Ecclesia authoritatis, vt pote quæ Iudaicis fabulis & Thalmudistarum nugis conspersæ sunt, vt rectè ait Franciscus Ximenius Cardinalis præfatione Complutensium Bibliorum, in quibus propterea solum Pentateuchum reposuit. Vnde sequitur nullum ex ijs argumentum firmum simplici-

pliciter & absolutè duci posse, dixi simpliciter & absolutè quia ex suppositione, quod paraphrasticæ translationes tantæ sint apud Hebręos authoritatis, benè ad hominem illis vti possumus, vt in multis conuincamus eos, multa enim habet loca de Messia clarè exposita; Genes. cap.49. vbi dicitur, *non auferetur Sceptrum de Iuda &c.* Chaldaica versio habet, *donec veniat Christus*; Num. cap.24. vbi dicitur, *Orietur stella ex Iacob*, Chaldęus, *Magnificabitur Christus*, & sic de alijs. Probant quoque ex eruditioribus non pauci, hanc translationem ad Hebraici textus voces, & obscuriores sententias, difficiliaque loca, tàm Gręcæ, quam Latinæ versionis facilè intelligenda plurimum conferre. Seruit etiam compluribus in locis nostræ editioni, vt eius versio contra aliorum interpretationes stabiliatur: & tandem ad multa alia prodesse potest, quæ fusius ostendit Lucas Brugensis in tractatu de Chaldaica S. Scripturæ Paraphrasi.

Dico secundo neque paraphrasim Aquilæ in Pentateuchum infallibilis esse authoritatis; tum quia ab Ecclesia vt talis non fuit approbata; tum etiam quia habet illa suos errores, tametsi pauciores, & leuiores, quam cęteræ Ionathę & Iosephi paraphrases habeant, quos refert Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap.3. firmius tamen ex illa, quàm ex cęteris paraphrasibus argumẽtum desumi potest, non solùm quia ex omnium consensu pauciores & etiam leuiores, si qui sint, habet errores; sed etiam quia valde probabiliter docẽt aliqui hanc paraphrasim Aquilæ in Pentateuchum omnino integram & incorruptam esse; vt patet ex solutione argumentorum, & locorum quæ in contrarium adducuntur, quæ videri possunt apud Grauinam lib.4. Catholic. pręscription. de sacrorum Bibliorum Versione controuers.6. de Chaldaica versione.



CAPVT LXXXIII.

De editione Syriaca.

SVppono primò editionem Syriacam non esse eandem, ac Chaldaicam: nam D. Basilius in Hexamer. Homil. 2. illud Genes.1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, Syriacè sonare dixit, *Spiritus Domini fouebat aquas*, cum tamen paraphrasis Chaldaica legat, *Spiritus Domini insufflabat aquas*. Quare minus rectè quidam dixerunt, vt Augustinus Eugubinus in Pentateuchum, translationem Chaldaicam sub nomine Syriacæ translationis citati à Sanctis Patribus; nisi forte Chaldaica translatio latiori significatione pro Syriaca, aut è contrà sumatur, pro vt de lingua statim dicetur.

Suppono secundò Syriacam linguã ita latiori significatione pro Chaldaica, imò pro Hebræa, aliquando vsurpari; vel quia proles quędam est vtriusque linguæ, vel quia vt statim dicemus fuit aliquandò apud Hebræos vulgaris; suppono, inquam, ita rem se habere in latiori significatione, vt tamen pressiori voce tres istæ linguæ inter se distinguãtur, characteribus, verborum coniugationibus, affixis, punctorum notatione, sono vocalium, idiotismis, ac tota ferè linguæ structura, & multis etiam proprijs dictionibus. De quo consulendi sunt Guido Fabricius Boderianus in dictionar. Syro-Chaldaico, Andreas Masius in Grammatica Syriaca, & Ludouicus Lusitanus in globo linguæ Sanctæ lib.1. cap.1. Buxtorfius in Grammatica Chaldaica & Syriaca. Hebræi enim, qui vsque ad captiuitatem Babylonicam Hebraicè tantùm, id est, lingua sua loqui consueuerant, cum abducti essent in Babylonem, cæperunt obliuisci linguã propriam & addiscere alienam, id est Chaldaicam, siue Babylonicam; quia tamen perfectè eam pronuntiare non poterant, & semper aliquid ex Hebraica retinebant; factum est, vt lingua

quæ-

quædam tertia nasceretur, mixta ex Hebraica & Chaldaica; atque ea est, quam pro vulgari, ac materna deinceps Hebræi habuerunt; quamque Christus Dominus ore suo consecrauit docendo, & loquendo ad turbas. Quæ quidem Syriaca dicta est à regione Syriæ, vbi maximè eius vsus viguit, post quàm in illam soluta captiuitate Babylonica reuersi sunt Iudæi; siue Hierosolymitana, à ciuitate eorum præcipua; Sunt etiam, qui illam Syram-Comagenam, seu Antiochenam appellent, quia ex Antiocheno tractu in reliquas Syriæ partes propagata, amplissimum post reliquas dialectos vsum obtinuit. Quemadmodum lingua Chaldaica, quæ hoc nomen habet à regione Chaldæa, vocata est etiam Babylonica, à ciuitate Chaldææ nobilissima.

His præsuppositis duo sunt breuiter explicanda circa editionem Syriacam; primùm qui libri sacri Syriacè scripti habeantur; deindè quanta sit huius editionis authoritas. Quod pertinet ad primũ certum est, nullum librum veteris testamenti scriptum esse à primo auctore Syriaca lingua, nisi fortasis liber primus Machabæorum & Ecclesiasticus, quos Hebraicos se vidisse scribit Hieronymus in prologo Galeato, & Prouerbiorum; id est, lingua vulgari Hebraica, qualis tunc erat Syriaca. Modo tamen ita non extant, sed tantum Græcè & Latinè. De cæteris libris constat, aut Hebraicè, aut Chaldaicè, aut Græcè à primis authoribus scriptos esse; sed quod postea fuerint translati Syriacè, ex Basilio refert Scalante lib. 6. cap. 12. & 13. Iamque eorum versiones extant in Biblijs Parisiensibus, & Londinensibus.

De nouo testamento maior est difficultas; & quidem suo loco supra notauimus valde probabile esse Euangelium S. Matthæi, & epistolam S. Pauli ad Hebræos, Syriaca lingua primò fuisse conscripta, vt efficacissimis argumentis probant Albertus Vvidmestadius, qui primus in Europa testamentum nouum Syriacum imprimi curauit; Guido Fabricius, cuius est latina interpretatio noui testamenti Syriacè scripti in Biblijs Regijs; & Mariana tract. de editione vulgata, cap. 12. paulò post initium.

Neque obstat, quod Irenæus, Origenes, Athanasius, Epiphanius, Eusebius, Hieronymus alijque veteres Patres dicant prædictos libros fuisse Hebraicè scriptos; loquuntur enim de lingua Hebraica, qua Apostolorum tempore Hebræi vulgariter vtebantur, qualis erat Syriaca, quemadmodum in ipso Euangelio passim legimus, dictum aliquid esse Hebraicè, quod tamen constat vulgari lingua, id est, Syriaca dictum esse; quale est illud Ioannis 19. *Exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locum, Hebraicè autem Golgotha*; hoc enim nomen Syriacũ est; vt constat ex D. Hieronymo libro de nominibus Hebraicis, vbi diligenter notauit omnes voces, quæ Syriacæ sunt; cùm tamen Hebraice esse dicantur ab Euangelistis.

Præter hos duos libros, nouum testamentum ex Græco idiomate in Syriacum translatum habemus, in quo tamen aliquæ eius partes deficiunt, videlicet cap. 8. S. Ioannis, vbi narratur historia adulteræ, item epistola secunda D. Petri, duæ posteriores S. Ioannis, vna Iudæ, & liber Apocalypsis, & quamuis à Maronitis Montis Libani eas in Orientalibus ipsorum codicibus extare, accepisse dicat Posseuinus in Apparatu tom. 1. in Biblijs tamen Regijs Philippi II. desiderantur. A quo autem facta fuerit hæc Syriaca noui testamenti translatio, valdè dubitatur; Syri enim affirmant illius authorem fuisse S. Marcum Euangelistam, vt notat Lucas Brugensis tract. 21. de vsu Chaldaicæ paraphrasis: è nouatoribus quidam Tremelius Iudæus natione, è Iudæo Monachus, è Monacho Caluinianus, è Caluiniano iterum Iudæus, vt refert Florimundus lib. de Antichristo c. 8. tenuit illam fuisse editam ab Apostolis, vel eorum discipulis; cuius duo profert argumenta. Primum ductum ex elegantia styli. Secundum ex defectu supradictarum partium. Verùm vt primum

fal-

falso innititur principio, quod Apostolicæ scriptionis character sit elegantia styli, ita & secundum, nec enim ab Apostolis aut eorũ discipulis edi potuit Syriaca translatio, cum illarum partium defectu, quas ex Apostolica traditione, vt sacram Scripturam ab iisdem Apostolis Ecclesia suscepit. Amplius ad hominem; si Tremelius hanc translationẽ ab Apostolis fatetur editam, sacrilegè ipse multa ex illa expunxit, pro vt eius temeritatem eruditè confutat Genebrardus in sua Chronologia lib. 4. E Catholicis idem sensit Georgius Michael Amiras Edemensis in Grammat. Chaldaica præludio 4. de vtilitate Chaldaicæ linguæ; sed alio fundamento longè diuerso, à prædicto nouatore; quia nouum testamentum Syriacum summa veneratione apud Orientales legitur, & lectum est in antiquissimis Ecclesijs Syriæ, Mesopotamiæ, &c.

Nihilominus dicendum est cum Bellarmino, & Grauina locis citatis, talem editionem ob rationem statim adductam, quod in antiquissimis Ecclesijs eius vsus fuerit, antiquitatem quidem redolere, non tamen Apostolicam, vel Apostolis coæuam; cum de hoc non habeamus traditionis expressæ vestigium. Incredibile enim videtur à S. Marco aut ab alijs Apostolis traditam esse Ecclesijs Syriæ, & Aegypti editionem Syriacam testamenti noui vniuersi; & eius editionis nullam prorsus mentionem extare apud Clementem Alexandrinum, Origenem, Eusebium, Athanasium, Theophilum, Epiphanium, Cyrillum, Theodoretum, Hieronymum, Ioannem Damascenum, aliosque Patres, qui vel in Syria, vel in Aegypto aut Episcopi, aut Presbyteri fuerunt, & vel de varijs scripturarum editionibus accuratè disputarunt, vel certè multa de scripturis sanctis posteritati scripta reliquerũt. Quod argumentum etsi negatiuum sit, magni tamen est roboris pro præsenti instituto; Vnde colligo editionem Syriacam ætate prędictorum Patrum posteriorem esse, licet determinatè sciri non possit, quando, & à quo fuerit facta.

Iam verò quod attinet ad huius editionis authoritatem, dubium esse non potest, quin si à S. Marco Euangelista facta fuisset, aut ab aliquo alio Apostolo, summæ esset authoritatis, nisi fortè constaret eam aliundè fuisse corruptam; sed quia vt statim diximus hoc non est verisimile, & insuper desunt in ea plura, quæ viris doctis & pijs non admodum placent; dicendum est maiorem authoritatem non obtinere hanc editionem, quam Græcam, imò fortasse minorem. Quod enim in illa deficiant quatuor supradictę epistolæ nempè duæ Ioannis secunda & tertia; & secunda Petri; & vnica Iudæ; atque Apocalypsis Ioannis; & in eius Euangelio c. 8. Historia adulterę; & in prima ipsius Canonica cap. 5. illa verba: *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres vnum sunt*. Prędictorum, inquam, defectus in hac editione, videtur aliquo modo fauere errori illorum, qui adhuc putant, hos libros & partes relatas, non esse Canonicos, vt habentur in Latina Vulgata. Rursus ad Romanos 5. v. 12. videtur fauere Pelagianis, negantibus Originale peccatum transfundi ad posteros, sed tantùm pœnam mortis, propter imitationem in nouis peccatis: quia vbi nos legimus: *Et ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt* (vbi denotatur omnes peccauisse in Adam) Syriacè dicitur: *In ipso quod omnes peccauerunt*. Vbi videtur insinuari, quod ratio, ob quam mors in omnes pertransijt, est, quia postea de nouo peccauerunt: id enim aliquo modo significat illa particula, *In ipso quod*, quare multò melius in vulgata dicitur, *In quo*, scilicet Adam, *omnes peccauerunt*. Insuper 1. Corinth. cap. 15. videtur suffragari hęreticis nostri temporis, tollentibus cooperationẽ liberi nostri arbitrij in bonis operibus, quia vbi nos habemus: *Plus omnibus laboraui non ego, sed gratia Dei mecum* (in quo denotatur cooperatio liberi arbitrij cum Gratia, quia debet repeti verbum labo-

laborani, vt satis patet ex contextu) Syriaca legit; non ego, sed gratia illius, qui mecum est. Vbi non exprimitur cooperatio arbitrij; & ita Caluinus vertit: *Gratia Dei, quæ mecum est*. Ex quibus & alijs similibus patet editionem Syriacam non esse summę authoritatis, sed potius cum in multis suos habeat nęuos, esse cautè legendam, & per editionem nostram corrigendam.

Duo tamen sunt, pręter alia, huius editionis commoda. Primùm quod in multis ad Vulgatę explicationem conducat. Secundum, quod cum in titulis, ac sectionibus capitum, vt apparet in Syriaco exemplari Viennæ impresso, & altero Venetijs 1609. mentio fiat ieiuniorum, venerationis Crucis, precum pro defunctis, Vigiliarum, memorię Sãctorum, aliarumque eiusmodi rerũ, quas Heretici nostrorum temporum tanquam Romani Pontificis traditiones detestantur, apertissimi mendacij hæc ipsa editio illos conuincere potest. Quod pręuidens supracitatus Tremelius Caluinianus ea ausus est expungere, vt notauimus ex Genebrardo.

CAPVT LXXXIV.

De antiquioribus S. Scripturæ Latinis editionibus, & primò de vulgata, quisnam eius author fuerit?

VT habuerunt Hebræi sua lingua Sacram Scripturam, Gręci quoque sua testamentum vetus ex versione LXX. & testamenti noui ipsos primos fontes: æquum erat, vt Latina Ecclesia, in qua sedes Petri est, & in qua perpetuò fides Christiana mansura erat, sua etiam lingua eamdem haberet Scripturã; quare innumerabiles olim fuisse Latinas illius editiones testatur D. Augustinus lib. 2. de doctr. Christ. cap. 11. *Qui scripturas*, inquit, *ex Hebræa in Græcam verterunt linguam numerari possunt, Latini autem interpretes nullo modo. Vt enim cuique primis fidei temporibus in manus venit Codex Græcus, & aliquantulum facultatis sibimet vtriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari*. Idem docet D. Hieronymus pręfat. in Iosue, dum ait: *Apud Latinos tot sunt exemplaria, quot codices, cum vnusquisque pro arbitrio suo vel addiderit, vel subtraxerit quod ei visum est*. Nulla tamen translatio veteris testamenti immediatè facta est ex Hebręo, vsque ad Hieronymum; sed omnes ex Græca editione Septuaginta Interpretum; Ex quibus adhuc vna duntaxat semper probata est, cęteras authoritate antecedens, atque in Ecclesijs communiter vsurpata, ea scilicet, quã Romana Ecclesia ante Hieronymi, vel diui Gregorij Magni tempora vti constanter solebat; quam tùm vulgatã, tùm Italam, tùm veterem appellari solitam legimus. De illa enim loquens D. Hieronymus in Isaiæ cap. 49. Vulgatam nominat: *Satis miror*, inquit, *quomodo vulgata editio fortissimum contra Iudæorum perfidiam testimonium alia interpretatione subuerterit dicens, Congregabor, Conglorificabor Domino*. Augustinus verò eãdem Italã appellat lib. 2. de doctr. Christ. cap. 15. *In ipsis interpretationibus Itala cæteris præferatur, nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ*. D. Gregorius tandem cum Hieronymi conuersione illam comparans, veterem vocat dicens præfat. in Libros Moral. cap. 5. *Nouam editionem dissero, sed cum comprobationis causa exigit, nunc nouam, nunc veterem per testimonia assumo, vt quia Sedes Apostolica (cui auctore Deo præsideo) vtraque vtitur, mei quoque labor studij ex vtraque fulciatur*. Si quis autem quęrat cui authori sit vetus illa interpretatio inscribenda; Respondeo nec nobis esse, nec antiquis Patribus fuisse notum, quẽ tamen antiquissimum esse omnes fatentur, cum huius interpretationis verba vetustissimi Patres recitent.

Verùm cùm in hanc editionem successu temporis transcriptorum errore, temeritateque multa irrepsissent, quæ correctione indigebant; primùm D. Hieronymus hortatu S. Augustini epist. 19. *Plurimum profueris, si eam Scripturam Gra-*

Græcam, quam 70. operati sunt, Latinæ veritati reddideris, quæ in diuersis codicibus ita variata est, vt tolerari vix possit, & ita suspecta; primùm, inquam D. Hieronymus ita suadente D. Augustino testamentum vetus in Latinum conuertit ex Græca versione Septuaginta; de quo sic scribit epistola 2. ad Cromatium & Heliodorum de lib. Salom. *Si cui sanè 70. interpretum magis editio placet habet eam nobis emendatam, neque enim noua sic cudimus, vt vetera destruamus*. Sed vt cumulatiùs adhuc publicæ satisfaceret vtilitati, non contentus Hieronymus ea quam ex Græco fecerat, interpretatione, rursus aliam ex Hebræo fecit; vt ipsemet testatum reliquit dicens lib. de viris illustribus in fine: *Nouũ testamentum Græcæ fidei reddidi, vetus iuxta Hebraicam transtuli*. Cuius causas afferens præfat. in Iob ait: *Audiant canes mei, idcircò me in hoc volumine laborasse, non vt interpretationem antiquam reprehenderem, sed vt illa quæ in ea obscura sunt, aut omissa, aut certè vitio Scriptorum deprauata, manifestiora nostra interpretatione fierent*. Quibus quarta accessit causa, Iudæorum scilicet arrogans insolentia, qua in Christianos veluti scripturarum ignaros insultabant, quam vt reprimeret, Hieronymus, ex Hebræo in Latinum scripturas conuertisse testatur prol. in Isaiã dicens: *Ipse mihi mercedem restituat in futuro, qui scit me ob hoc in peregrinæ linguæ eruditione sudasse, ne Iudæi de falsitate scripturarum Ecclesijs suis diutius insultarent*. Nec solos quidem Iudæos audaciùs insultantes, sed etiam Græcos contineri oportuit eadem ex Hebræo in Latinum conuersione, isti enim se iactabant dicentes Ecclesias Latinas diuinis Scripturis carituras fuisse, nisi ab ipsis essent illas mutuatæ; quam causam breuiter indicãs ait prol. in Esdram: *Quantò magis Latini grati esse deberent, quod exultantem cernerent Græciam, à se aliquid mutuari*. In hac tamen posteriori editione, quam fecit ex Hebræo, probabiliùs est Hieronymum non explicuisse libros Ecclesiastici, Sapientiæ, & Machabæorum, nec etiam librum Baruch; tùm quia in his libris non sunt præfationes eius, & tamen in epist. 10. ad Augustinum dicit se singulis libris præfatiunculas præfixisse; tùm quia hos libros arbitratus est apocryphos, vt constat ex prologo Galeato, & ex præfat. prouerbiorum, & ideò probabile est illum non fecisse eorum librorum versionem. Præterea aliquo fide digno testimonio non constat eos libros explicuisse, aut etiam emendasse. At circa Psalterium, quater laborauit: Transtulit enim illud ex Hebræo in Latinum, vt patet ex epistola eiusdẽ ad Sophronium; item conuertit ex Græco in Latinum, ex pura editione Septuaginta, vt habebatur in Hexaplis Origenis, vt ipse testatur in epistola ad Suniã & Fretellam. Denique bis emendauit antiquam Latinam editionẽ, quæ translata erat ab antiquo interprete ex editione Græca communi & vulgata S. Luciani Martyris, vt habetur in præfatione Psal. ad Paulam & Eustochium.

Præter duplicem hanc veteris testamenti translationem, nouum etiam testamentum emendauit à multis erroribus, qui vitio librariorum irrepserant, licet illud non conuerterit de Græco in Latinum. De quo suo labore sic ipse loquitur libro statim citato de viris illustribus: *Nouum testamentum Græcæ fidei reddidi*. Et præfat. Euangel. ad Damasum: *Ita*, inquit, *calamo temperauimus, vt ijs tantùm, quæ sensum mutare videbantur, correctis, reliqua manere pateremur, vt fuerant*. Quod si quis putet conuersum esse ab illo nouum testamẽtum, ex eo quod D. Augustinus epistola 10. ad Hieronymum scribit: *Proindè non paruas Deo gratias agimus de opere tuo, quod Euangelium ex Græco interpretatus es* &c. debet intelligi de interpretatione largo modo, & pro vt coincidit cũ emendatione, cum ipsemet Hieronymus ita dubium hoc soluat in epistola 89. ad Augustinum, quæ est 11. inter epistolas Augustini, *Si me*, inquit, *in noui testamenti emendatione suscipis*, &c.

Et si autem prædicta D. Hieronymi ver-

versio ex Hebræo in Latinum primum fuerit ab aliquibus oppugnata, inter quos magis celebres numerantur Palladius, Ruffinus, & ipsemet D. Augustinus, mox tamen cæpit etiam à quibusdā Ecclesijs recipi, & publicè legi, vt patet ex epistola 10. Augustini ad Hieronymum, & apertius ex D. Gregorio loco superiùs citato præfat. in lib. Moralium, vbi dicit suo tempore Romanam Ecclesiam vtraque editione vti consueuisse, id est, antiqua versa ex Græco, & noua Hieronymi versa ex Hebręo. Omisit tamen translationem libri Psalmorum, ne mutaretur consuetus ordo celebrandi diuina officia, & retinuit antiquam, quam bis emendauisse Hieronymum statim notauimus. Iam ergò difficultas est, vt propius ad rem accedamus, an nostra vulgata editio Latina, quam Sacrosancta Synodus Tridentina sess. 4. ex omnibus alijs Latinis editionibus, quę circumferuntur, sacrorum librorum pro authoritate habendam esse statuit, sit illa vetus & antiqua, cuius ante Hieronymum erat vsus in Ecclesia, an verò ipsius Hieronymi, an mixta ex vtraque. Non esse B. Hieronymi arbitrantur, vel certè suspicantur, Sanctes Pagninus in præfat. suæ interpretationis Bibliorum ad Clementem VII. Pontificem maximum, & Paulus Semproniensis Episcopus lib. 1. cap. 1. de die passionis Domini. Contra esse B. Hieronymi asserunt Augustinus Eugubinus, & Ioannes Picus Mirandulanus in opusculis de vulgata editione, alijque plures. Verùm inter has duas sententias extremas, media tenenda est illorum, qui docent nostram editionem vulgatam compositam esse ex veteri ante Hieronymum, & noua respectiuè ipsius Hieronymi. Quod quia dupliciter intelligi potest, primò ita esse ex vtraque compositam, vt in singulis libris permixta sit; secundò diuersorum librorum diuersas pariter esse interpretationes, non quidem confusas, sed distinctas, cum singulæ singulis libris respondeant: hanc vltimam diuisionis partem accipiendo, sic ad vulgatam editionem nostram accommodare possumus.

Primò dicendo Pentateuchum, Iosue, Iudicum & Ruth librum, libros Regum & Paralipomenon, Tobiam, Iudith, Esther, Esdram, Prophetas omnes, Canticum Canticorum, Prouerbia & Ecclesiasten Salomonis, & librum Iob, nunc legi in vulgata editione, sicut Hieronymus non quidem ex Græca Septuaginta interpretatione, sed ex Hebręo in Latinum illos conuertit. Exceptis tamen septem postremis Esther capitibus; & in Daniele, historia Susannæ, Belis, & Draconis, atque trium puerorum Hymno. Quas particulas cum in Hebraicis codicibus ille non reperisset, tùm ex Græca ab Ecclesia vsitata interpretatione in Latinum conuertit, tùm à veteri vulgata editione accepit, vt ipsemet testatur pręfat. in Danielem, & Esther. cap. 10. Rationes, quæ ad id asserendum mouent, sunt. *Primo*, quoniam constat B. Hieronymum primum & solum ex antiquis transtulisse ex Hebręo in Latinum, testamentum vetus: & rursum constat nostrā editionem translationem esse ex Hebręo in Latinum, dum penè vbique concordat cum Hebræo, & à Græco dissentit in prædictis libris, et si aliquando differt ab Hebræo, est quod Hieronymus sæpè non tam verba quam sensum exprimere studuit, vt faciendum esse ipse idem docet in lib. de optimo genere interpretandi; *Secundò* probatur, quia illa omnia, quæ D. Hieronymus pręfat. in Pentateuchum, & libro statim citato de opt. genere interpret. dicit non haberi in editione LXX. & se addidisse in sua translatione ex Hebræo, in nostra vulgata editione reperiuntur; vt illud: *Ex Aegypto vocaui filium meum*, Oseę 11. &, *Videbunt in quem transfixerunt Zachar.* 12. *Tertiò* probatur ex ijs locis, quę D. Hieronymus monet, se aliter vertisse, quam Septuaginta verterint, quę in nostra editione omnia inueniuntur, vt ipse se vertisse dicit, in epist. 89. ad August. quę est 11. inter epistolas Augustini. *Quartò* tandem probatur ex præfationibus quas citata statim epistola ad August. testatur se

ſe editioni ſuę ſingulis penè libris pręfixiſſe, quæ etiam nunc leguntur in Biblijs vulgatæ editionis, nec vllus vnquã negauit eas eſſe Hieronymi: At certè nõ eſt credibile totum opus perijſſe præter ſolas præfatiunculas. Plures alias rationes & argumenta pro hac veritate congerit P. Salmeron Prolegom. 3. quę apud ipſum videri poſſunt.

Nec refert quod obijciunt aliqui, D. Hieronymum in quæſt. Hebraicis, & lib. de opt. genere interpret. ſæpeque alibi, docere quędam loca aliter fuiſſe vertenda, quę tamen retinentur ab Eccleſia in vulgata editione; atque adeo non poſſe eſſe D. Hieronymi. Reſpondet enim Cardinalis Bellarminus, & cõmuniter doctores, quatuor eſſe cauſas ob quas in noſtro textu ſunt, quæ Hieronymus aliquando reprehendit. Prima longè lateque patens error vel incuria librariorum, de qua re Hieronymus paſsim in ſuis præfationibus conqueritur. Illi enim alijſque caſibus ſubiectæ ſunt litteræ. Secunda cauſa eſt varia ſignificatio vocabulorum, interdũ enim poſſunt duo ſignificare, & D. Hieronymus modo vnam, modo alteram ſignificationem amplexus eſt. Tertia eſt, quia ipſemet poſtea mutauit ſententiam & loca ſua correxit. Quarta, quia etſi D. Hieronymus interdum ſenſerit, quędam mutanda in ſua verſione, & ea notauerit in ſuis commentarijs, tamen Eccleſia poſtea magis iudicauit veram primam verſionem, & illam retinere maluit in editione vulgata. Quorum omnium varia profert exempla citatus Bellarminus lib. de Verbo Dei cap. 9.

Dico ſecundò Pſalterium vulgatæ editionis latinæ non eſſe illud, quod D. Hieronymus tranſtulit ex Hebræo, neque illud quod tranſtulit ex verſione Græca LXX. interpretum, ſed illud quod ipſe emendauit, translatum ab antiquo interprete ex editione S. Luciani Martyris, vt notauimus ſupra. Probatur facilè prima pars, quia illud exſtat in operibus Hieronymi, & ferè vbique diſſentit à noſtro; ſaltem quo ad verba. Eodem argumento probatur ſecunda pars, quoniam neque Pſalterium vulgatæ editionis omnino conſonat editioni Septuaginta interpretum. Eſſe autem illud commune, quod bis emendauit, patet ex eius epiſtola ad Suniam & Fretellam; ſi enim conferantur loca, quæ ibi corrigenda & emendanda eſſe notat in cõmuni lectione illius temporis; & alia, quæ allegat: eodem modo nunc leguntur in vulgata noſtra, ſicut ipſe dixit eſſe legẽda. Quod ſi quis obijciat Hieronymum præfatione in Pſalmos, & in Iob, & in Paralip. admonere. Se diſtinxiſſe ſuam editionem per aſteriſcos, & obeliſcos; at in noſtra vulgata non reperiuntur iſta ſigna: non igitur eſt Hieronymi. Reſpõdetur ex ipſo Hieronymo in epiſtola ad Auguſtinum ſupra citata, illum quidem diſtinxiſſe per aſteriſcos & obeliſcos eã editionem quam fecerat ex Græco, non autem quam fecerat ex Hebræo, imitatus Origenem; & propter eamdem cauſam, vt notaret; quæ erant addita editioni Septuaginta interpretum, & quæ editio illa habebat, quæ in alijs nõ legebantur: facilè autẽ fuit hæc ſigna excedere aut negligentia librariorum, aut certè quia non ſunt viſa neceſſaria, vel magni momenti, ſicut ex Pſalterio cæperant excidere tempore Hieronymi: vt conſtat ex præfat. eius in Pſalmos, & ex epiſtola ad Suniam, & Fretellam.

Quod ſi quis præterea quærat, tot alijs Scripturæ libris, quos Hieronymus ex Hebræo in Latinum conuerterat, Eccleſiæ vſu tunc primum comprobatis, cur Eccleſia ſimiliter non probarit Pſalterium ab eodem pariter conuerſum, ſed potius ipſum vetus ab illo correctum, & emendatum ſuſceperit. Reſpondetur id fuiſſe, tum ne mutaretur conſuetus ordo celebrandi diuina officia, vt notauimus ſupra, tùm etiam quia inueterata eius lectio, & in omnium ſermone, memoria, & auribus hærens difficile poterat auferri; quod inter omnes Canonicos libros Pſalterium, non ſolùm in Eccleſijs ſtatutis horis ſemper cani conſueuerat, ſed etiam à ſingulis ferè fidelibus

pri-

priuatim ad ipsorum consolationem, & fructum; vt potè qui ad singulos tum affectus moderandos, tùm mores temperandos sint maximè opportuni. Qua difficultate cum cęterorum librorum, veteris præsertim testamenti nouæ lectiones non premerentur; non mirum, si Hieronymi ex Hebræo conuersio in cæteris libris veteri prælata, in ipso Psalterio fuerit post habita. Et certè si sola veteris editionis, quæ ante tēpora Hieronymi sic erat in vsu, communisque dicebatur, emendatio, in qua modestè admodum se gessit, nunquam nisi coactus à veteri lectione discedens, vt ipsemet profitetur in præfat. Psalterij: *Nos*, inquit, *emendantes Psalterium olim, vbicunque sensus idem est, veterum interpretum consuetudinem mutare noluimus, ne nimia nouitate lectoris studiū terreremus*; si, inquam, tam modestè facta correctio aliquas in Ecclesijs quibusdam particularibus tragædias excitauit: nam cum loco *flories*, posuisset Hieronymus *efflorebis* Psal. 13. versu vltimo, populus, qui antea legebat,& canebat floriet, contra Episcopum, qui lectionem Hieronymi præceperat, grauiter insurrexit, ex Augustino epistola 19. quid si tota Psalterij mutatio facta fuisset.

Dico tertiò libros Ecclesiastici, Sapientiæ & Machabęorum,nec non etiam librum Baruch,pro vt in vulgata editione habentur,nō esse ex versione D. Hieronymi, sed ex antiqua translatione ante ipsum, cuius author ignoratur. Patet prima pars ex dictis supra,videlicet nullo modo constare posse, quod D. Hieronymus istos libros explicuerit. Probatur secunda, quia multa citantur ex his libris à B. Cypriano, præsertim in lib. de exhortat. martyrij, & alijs Patribus D. Hieronymo antiquioribus, eodem prorsus modo, quo in nostra vulgata editione habentur, vt iam notauimus supra cap. 38.

Dico quartò & vltimò testamentum nouum Latinum editionis vulgatæ totū nunc legi secundum veterem editionem, quam tamen B. Hieronymus emendauit. Probatur potissimum, ex eo quod omnia ferè loca, quæ B. Hieronymus in antiqua versione reprehendit, ita nunc habentur correcta in editione vulgata, vt ipse monet esse corrigenda & legenda; quorum aliqua refert Cardinalis Bellarminus, & alij, loco citato vbi videri possunt. Præterea constat, Hieronymum emendasse nouum testamentum iussu Damasi Summi Pontificis ex præfatione eius in Euangel. & alibi sępe; constat etiam eius emendationem fuisse ab Ecclesia receptam, & valdè placuisse hominibus doctis & pijs eius temporis, vt intelligi potest ex epistola 10. Augustini ad Hieronymum; non est autem verisimile postea fuisse reiectam, sed potius conseruatam; neque enim potest assignari quando exclusa fuerit,aut quę alia illi successerit.

Neque his obstat, quod quędam loca non sunt emendata,vt monuit Hieronymus,quale est illud Rom. 12. *Sapere ad sobrietatem*, quod Hieronymus libro 1. aduers. Iouinianum vult legi, *sapere ad pudicitiam*. Et illud 1. Corinth. 13. *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam*, quod Hieronymus in cap. 5. ad Galat. vult legi, *ita vt glorier*; & sic de alijs pluribus,quæ ipse corrigit in commen. epist. ad Galatas, ad Ephesios & ad Titum: Hoc inquam non obstat,prę terquàm quod enim ipse fatetur citata præfatione, se non omnia correxisse, quæ corrigenda esse putabat in libris Euangelistarum, ne nimis multa immutasse videretur; ad citata loca in particulari respondetur, D. Hieronymum, dum ista commentaria scriberet, existimasse illa esse mutanda, quæ tamen postea cum testamentum nouum suscepit emendandum, re melius pensata indicauit non esse mutanda. Nam prius eum scripsisse ista commentaria, quàm testamentum nouum correxerit, colligitur ex libro vltimo de viris illustribus: & certè nostra versio in his duobus locis melior est, quàm illa quam B. Hieronymus substitui tunc volebat.

Ex dictis infero, necessariaque consecu-

ſecutione deducitur, antiquiſſimam eſſe vulgatam editionem noſtram, quæ vel eſt eadem cum illa, cuius vſus fuit in Eccleſia ante Hieronymum, vel cum illa quam de nouo fecit Hieronymus, vel denique, quod probabilius eſt mixta ex vtraque; quare etiam dicere poſſumus, vt oppoſitæ ſententiç concilientur, eamdem eſſe cum vtraque ſecundum ſubſtantiam, alteramque potius dici debere, quàm aliam, ſaltem quo ad illos libros quos ex vtraque habet; ſicut etiã illa, quam de nouo tranſtulit & emendauit Hieronymus, fuit eadem ſecundũ ſubſtantiam cum veteri, quæ & Italica dicta erat; & vtraque tunc nomen Vulgatæ obtinuit, cum hac differentia, quod Itala vetus vulgata dicta eſt, Hieronymi verò, & mixta ex vtraque noua vulgata tempore Gregorij, quæ poſtea ſæculorum tractu, Eccleſiarum conſenſione & vſu, inconcuſſam cum vetuſtate authoritatem obtinuit, vnde etiam vetus vulgata reſpectiuè appellata eſt.

CAPVT LXXXV.

An author, vel Interpres Vulgatæ editionis Latinæ, in ea concinnanda peculiari Spiritus Sancti aſſiſtentia ductus fuerit.

Etſi concors ſit omnium Catholicorum aduerſus Hereticos ſententia, Interpretem Latinum (quiſquis ille fuerit) non errauiſſe in illa verſione, quam probauit Eccleſia; quia tamen illam perfectam, & ſine errore ab authore fieri, contingere potuit: Primò, quia incorruptos nactus fuit codices, & linguæ ex qua conuertebat, & in quam conuertebat, exactam habuit cognitionem, & induſtriam & ſtudium in conuertento adhibuit; Secundò quia præter hoc ſpecialis in illo fuit Spiritus Sãcti aſſiſtentia. Saluâ fide inter Doctores Catholicos diſputatur, nùm ita primùm à Latino interprete, Spiritu Sancto ſpecialiter aſſiſtente, & dirigente conſcripta fuerit editio vulgata, vt errare non potuerit. Partem enim affirmatiuam tenent Alphonſus Salmeron Prolegom. 3. Titelmanus in *Apologia pro Vulgata editione*, Melchior Canus lib. 2. de locis cap. 14. alijque plures dicentes, quod etſi Propheta non fuerit interpres, nihilominus Spiritui Prophetico fuit proximus Spiritus talis interpretationis. Alij per oppoſitum non inferioris notæ doctores exiſtimant interpretem Vulgatũ non fuiſſe prophetam, & errare potuiſſe. Ita Vega lib. 15. Concilij Trident. cap. 9. Driedo lib. 2. de dogmatibus cap. 11. Bannes 1. p. q. 1. art. 4. dub. 4. Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 11. Ludouicus Tena, lib. 1. Iſagogæ S. Scripturæ. Petrus Lorca 22. diſput. 7. de locis Cathol. Quid autem in hac re ſit tenendum probabilius, ſequentibus cõcluſionibus aperietur.

Dico primò Vulgato interpreti non fuiſſe factam promiſſionem, qua illi ſpecialis promitteretur aſſiſtentia Spiritus Sancti, vt non erraret; iſta concluſio eſt ad mentem ſecundæ ſententiæ: & probatur, quia huius promiſſionis nullum eſt firmum & idoneum argumentum, vndè non poteſt ab aliquo prudenter affirmari, cum ſit res quæ ex ſola libera Dei voluntate pendeat.

Dico ſecundò ad authoritatem editionis Vulgatæ non eſſe neceſſariũ aſſerere, quod eius interpres peculiari Spiritus Sancti lumine fuerit illuſtratus. Probatur primò, quia editio Vulgata Latina ab Eccleſia, quæ eam approbauit, & non ab interpretibus ipſis, ſuam habet authoritatem vt capite ſubſequenti dicemus; ergò etiam ſi negare non poſſemus interpretem diuino fuiſſe illuſtratum, & ductum lumine in illa facienda, hoc tamen non eſt neceſſarium dicere, ad aſtruendam illius authoritatem, ſed ſufficit, quod tale lumen, taliſque Spiritus Sancti aſſiſtentia ſiue donum interpretationis reperiatur in Eccleſia, quo iudicet vulgatam editionem eſſe integram, & fidelem, correſpondereque per omnia Originali. Vel per oppoſitum, etiam ſi interpres errare potuiſſet, ſufficit

cit quòd Ecclesia Spiritu Sancto dirigente errare non posset, quin agnosceret, an fidelis esset, & integra versio. Vnde sicuti conclusio definita de fide ab Ecclesia, quàm prius aliquis doctor Theologus elicuisset, non ideo quia à doctore, vel doctoribus elicita est, siue potuerint, siue non potuerint errare, de fide est, sed quia ab Ecclesia Spiritum Sanctum habente, comprobatur, & ad credendum proponitur: ita & in præsenti dicendum est, quod siue interpres non habuerit Spiritum Sanctum directorem, siue etiam habuerit indefectibiliter & pro omnibus momentis, ita volente Deo, vt authentica esset versio in se, Ecclesiæ tamen decreto opus habebat, vt infallibilitatē obtineret, & authentica esset quo ad nos; nobisque innotesceret verè à Spiritu Sancto illustratum fuisse interpretem.

Itaque dum Apostolus inter Spiritus Sancti charismata enumerat donū Prophetiæ, & interpretationis sermonum, & hortatur, vt qui donum linguarum habent, orent Deum, vt interpretentur, quo Ecclesiam ædificent; satis est illud donum poni in Ecclesia indefectibiliter pro omnibus momentis, cum Scripturam opus est interpretari, cæterum non semper necesse est dari tale donum priuatis doctoribus, vel interpretibus, vt nec alias gratias gratis datas.

Obijciet aliquis, & dicet authores editionis Vulgatæ Latinæ, assistentia Spiritus Sancti in ea concinnanda non minus, quàm Septuaginta duo Interpretes, in translatione veteris testamenti in Græcum idioma duci debuisse; sed vt vidimus supra Septuaginta duo Interpretes diuino Spiritu afflati suam fecerunt versionem; ergo similiter authores editionis Vulgatæ Latinæ.

Respondetur ad hoc argumentum dupliciter, primo concedendo maiorē, & distinguendo minorem; ita vt hoc fuerit necessarium ad authoritatem illius versionis nego; aliunde transeat, vt dicetur conclusione subsequenti: Respondetur secundò negando maiorem, cùm enim donum interpretationis sit gratia gratis data, eam Spiritus Sanctus, vt & cęteras impartitur singulis pro vt vult, vndè non possumus scire causam cur Septuaginta voluerit esse veluti Prophetas, non autem alios interpretes: satis est asserere interpretis vulgaræ versionem eodem Spiritu Ecclesiam illustrante fuisse probatam, quo afflante Septuaginta Interpretes constitutos fuisse veluti prophetas docuerunt Patres suo loco superius citati.


Dico tertiò, licet non fuerit absolutè necessarium ad authoritatem Vulgatæ editionis Latinæ, quod eius Interpretes indefectibiliter, & pro omnibus momentis Spiritu Sancto in ea vertenda fuerint afflati; id tamen valdè fuit consentaneum suauitati diuinæ prouidentiæ; aliundeque etiam necessarium dici potest. Probatur prima pars huius conclusionis, quia, vt supra diximus agendo de versione Septuaginta interpretū, eorum editio futura erat communis & vsualis Ecclesiæ per aliquot annorum centurias, pertinuit ad suauitatem diuinæ prouidentiæ, vt diuino numine peculiariter assistente & dirigente conscriberetur, nec humano duntaxat ingenio, aut industriæ res tanti momenti à Deo concrederetur, sed Spiritui Sancto præcipua portio reseruaretur. Ergò à fortiori, cum Deus hac eadem prouidentia superque præuideret editionem Vulgatam Latinam fore vsui per totam Ecclesiam, ab eaque comprobandam, consentaneum fuit Deum adesse illius interpretibus, ne in aliquos errores atque defectus inciderent.

Probatur secunda pars, primò, quia scriptura difficillima est, & nequit sine Spiritus Sancti dono intelligi. Vt verò Interpres rectè verteret, debuit prius id intelligere. Vnde S. Bernardus in epistola ad fratres de mōte Dei docuit quo spiritu scripturæ factæ sunt, ipso intelligendas esse, atque adeo interpretandas. Alias Interpres non Spiritus Sancti sensum redderet, sed suum; vt fecerunt Aquila, Symmachus, Theodotion & alij,

qui

qui in suis versionibus conati sunt suas obtrudere phantasias. Secundò, munus benè interpretandi Scripturam est donum Dei, siue quod in idem recidit, requirit gratiam diuinam, id est, auxilium, & cogitationem non debitam ex dono creationis, qualis sæpe conceditur Doctoribus aliquibus vt intelligant, & interpretentur vnum vel alterum Scripturæ locum. Vndè Paulus 1. Corinth. 14. hortatur vt orent qui interpretātur sermonem, vt rectè interpretentur: Ergo necesse fuit vt Spiritus Sanctus ei interpreti assisteret, cuius versio à tota Ecclesia recipienda erat, & vt authentica approbanda. Et ideo Hieronymus cognoscens necessitatem huius peculiaris doni, & assistentiæ Spiritus Sancti, nulla habita ratione peritiæ linguarum, suæque litteraturæ, *in epistola ad Desideriū*, deprecatur alienarum orationum adiumentum, vt eodem spiritu quo scripti erant libri, eodem posset eos in Latinum transferre sermonem. Et *epistola ad Paulinum* scripturas sanctas interpretaturus ait; *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Lex enim*, ait, *Spiritus est, & reuelatione opus est, vt intelligatur*; & iterum. *Quanti*, ait, *hodie putant se nosse litteras, & tenent signatum librum, nec aperire possunt, nisi ille reserauerit, qui habet clauem Dauid*. Circa quæ loca aduertendum est ex oratione planè colligi necessitatem gratiæ, vt sæpe Augustinus & Africani Patres contra Pelagium colligunt. An verò de facto interpretes Latinæ nostræ Vulgatæ in aliquo errauerint, dicetur capite subsequenti.

Quod si inquirat aliquis, in quo consistat eiusmodi donum, vel auxiliū Spiritus Sancti cuius illustratione dicimus editam fuisse vulgatam editionem Latinam ab eius interpretibus. Respondeo primò magnum esse discrimen inter cōcursum Spiritus Sancti cum Scriptore Canonico, & cum interprete: nam Scriptor Canonicus non tam agere, quam agi videtur, immediatè à Spiritu Sancto excipiens res & verba. At interpres humano studio verba conquirens, diligentiaque & industria vtens humana, Spiritus Sancti duntaxat in se recipit directionem, vt à scopo & intento non aberret. Secundò est aliud etiam discrimen, quod cū in dictatione Scripturæ sacræ, lingua Scriptoris Canonici sit veluti calamus scribæ velociter scribentis; nec lituris, nec limatione vel correctione eius, quod scribit est opus: at interpretatio cum habeat diligentiam & industriam humanam adiunctam, non primæ scriptioni interpretis Spiritus Sanctus semper necessariò assistit, sed toto illo tempore, quousque vltimam manum interpres apposuerit, laboremque consummauerit; sicut enim, vt exemplum accipiamus ex rebus naturalibus, in motu continuo quandiu aliquid potest moueri vlterius, non dicitur motus perfectus ante quietem, nam quies demōstrat motum consummatum, vt docet D. Thom. 1. p. q. 73. art. 2. ita & in opere interpretationis discurrendum, quod nondum perfectum sit donec interpres vltimam manum apposuerit. Quare etiā si concederetur interpretem veluti inchoatiuè potuisse errare in sua versione faciendа, tuncque illi defuisse Spiritus Sancti illustrationem, non tamen completiuè, & in vltima, vt ita dicam, manu, id concedendum esset, cum tunc potissimum interpreti, ad distinctionem Scriptoris Canonici, Spiritus Sanctus assistat, vt eius interpretatio sit illibata, & sine errore. Vnde satis patet eius illustrationem, ac directionem non esse tantæ perfectionis in interprete, ac in Scriptore Canonico, sed illius duntaxat veluti appendicem, & participatam cōmunicationem. Ex dictis, vt Catholicorum extremæ sententiæ facillimè possunt ad concordiam reuocari, ita & omnia argumenta solui, quæ in contrarium adduci possent.



CA-

CAPVT LXXXVI.

An interpres Latinus in Vulgata editione fuerit assecutus omnes sensus cuiuslibet loci Scripturæ, vel textus Originalis.

IN hac difficultate aliquid vt certum de fide supponitur, aliud ea salua inter Doctores Catholicos controuertitur. Vt certum supponitur, quod sensus ille, quem expressit Latina Vulgata, verè sit à Spiritu Sancto intentus. Cum enim prædicta versio vt authentica fuerit approbata ab Ecclesia, modo sequēti capite explicando: necessariò sequitur sensum in ea expressum etiam esse authenticum, atque adeò à Spiritu Sancto intentum. Siquidem ex isto habet scriptura quod sit Canonica. Hoc tanquàm certissimo supposito, in dubium reuocatur, nùm Latinus interpres in hac sua versione sit assecurus omnes sensus Originalis textus. Aliqui enim affirmatiuā, alij negatiuam partem amplectuntur; Verum cum duobus modis controuersia possit intelligi. Altero quod interpres non fuerit assecutus omnem sensum. Alterò quod licet ipse fuerit omnem sensum assecutus, non tamen eum explicuerit in sua versione; quidam media veluti incedentes via, putant interpretem fuisse quidem assecutum omnē cuiuslibet loci sensum, sed non semper illum expressisse; Quid in hac difficultate, & alijs illi affinibus sit probabilius tenendum aperietur in sequentibus cōclusionibus.

Dico primò, probabilius esse, quod Vulgatus interpres in sua versione non explicuerit omnem sensum litteræ Originalis. Ita communiter Theologi. Cuius potissima ratio desumitur ex diuersitate linguarum. Cum enim fieri possit, vt in Originali multa vocabula Hebræa, vel Græca aliquandò æquiuocè plura significent: Latinæ verò voces nō ita latas, & ambiguas habeant significationes; quia diuersum est idioma, semperque non potest cū fœcunditate vnius linguæ certare altera; hinc est, quod licet in translatione exprimatur aliquis sensus Originalis, non tamen omnis. Cuius rei multa sunt exempla; Genes. 36. vbi dicitur in nostra Vulgata: *Iste est Ana, qui inuenit aquas calidas in solitudine, cum pasceret asinos Sebeon Patris sui*; cum tamen in Hebræo dicatur: *Qui inuenit mulos in deserto, cum pasceret asinos patris sui Zibhon*; quod vox Hebræa Iamim, sit æquiuoca, ימים simul sub diuersis tamē punctis significās mulos & aquas calidas, id est, artem construendi balneos. Vnde quia iste inuenit vtramque artem & generationis mulorum, & balneorum, textus Hebraicus vtrumque prædicta voce Iamim significare & exprimere potuit; cum tamen textus Latinus vnum duntaxat exprimat, quia illæ particulæ latinæ *aquas calidas*, tam amplam non habent significationem, ac illa vox Hebræa Iamim, quæ est æquiuoca, simul significans mulos, & aquas calidas pro diuersitate tamen punctorum vt notauimus supra c. 19. Psalmo 3. vbi legimus in editione vulgata: *Quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa, dentes peccatorum contriuisti*; in editione D. Hieronymi ad veritatem Hebraicam habetur: Percussisti omnes aduersantes mihi in maxilla: quia vox *Lechi*, vtrumque significat Hebręis, *& frustrà* & *maxillam*; quare vterque sensus, veritatis Hebraicæ esse potest, sed vnus tantùm veritatis latinę, seu textus latini. Similiter Canticorum 6. transtulit Vulgatus, *Pulchra es amica mea, suauis & decora sicut Hierusalem*: Vbi vox pro qua Vulgatus vertit *suauis*, significat suauem & dulcem, & potest etiā esse nomen proprium cuiusdam vrbis Hebraicæ nomine *Thyrsa*, cuius fit mētio lib. 3. Reg. cap. 14. & 16. & tunc sensus esset: *Pulchra es amica mea vt Thyrsa, & decora sicut Hierusalem*; ita vt pulchritudo sponsæ comparetur duabus ciuitatibus, quarum altera erat regia Regum Israel, altera regum Iuda, pulcherrima vtraque, & vtraque in alto monte con-

constituta. Et sic de alijs exemplis quæ passim occurrunt in sacris litteris.

Nec sequitur ex hoc, quod Latina versio non exprimat omnem sensum, quem Originalis textus habet, aut habere potest, illam propterea dici debere diminutam: nam hoc non ex culpa interpretis, sed ex penuria, & limitatione linguæ Latinæ prouenit. Præcipuè quia nullus sensus absolutè necessarius omissus est ab illo, quod maximè decuit diuinam prouidentiã. Et quamuis prætermittatur aliquis sensus originalis textus, qui re verà, & secundum se sit de fide; quia tamen nobis non proponitur ab Ecclesia, vt credendus, nihil idcirco necessarium ad salutem omittitur. Quoniam illud tantùm est hoc modo necessarium, quod ab Ecclesia nobis ita proponitur ad credendum.

Dico secundò, probabilius etiam esse, nec Latinum interpretem omnem sensum scripturæ Originalis intellexisse. Primò quia nullum adducitur firmum argumentum, quo talis in illo intelligẽtia asseri possit. Secundò, quia, vt statim diximus, non omnem explicuit sensum in sua versione; ergò ad eam id nõ fuit necessarium; sufficiebat enim vt ita dirigeretur à Spiritu Sancto, vt verum aliquem transferret sensum, atque adeò verum Originalis sensum assequeretur aliquem, licet non assequeretur omnes vnius & eiusdem loci.

Dico tertiò, versionem Latinam esse aliquandò fæcundiorem, quàm sit textus Originalis, quatenus aliquandò patitur sensum aliquem, qui non quadrat in lectionem Originalem. Ratio est, quia etsi communiter voces Latinæ sint strictioris significationis, quam Originales Hebraicæ, Græcæ, vel Chaldaicæ, aliquando tamen contingit esse latioris; ergò in tali casu poterit aliquem sensum habere & exprimere versio Latina, quẽ non habebit nec exprimet textus Originalis. V. g. Canticorum 1. Sponsus dicitur Botrus Cypri; nomen verò Cypri latinè significare potest arborem & insulam, & tamen apud Hebræos vox Hebræa solum significat arborem.

Sed quæret aliquis primò, an sensus qui nullo modo continetur in ea voce originalis scripturæ, sit alicuius authoritatis, quando eum patitur Latina vox, vt in exemplo statim adducto. Respondent aliqui absolutè eum sensum non pertinere ad fidem, ex eo solùm, quod Latina vox eum patiatur. Respondent alij pertinere, si ille contineatur in alio loco scripturæ, aut ab Ecclesia Vniuersali fuerit approbatus. Sed ista responsio videtur esse contra quæsiti suppositionem; quod nimirum ille sensus, quẽ patitur, & habere potest translatio ob vocis æquiuocationem, nullo modo in Originali contineatur; si enim in alio illius loco contineatur, vel ex illo deducatur; iam absolutè in illa habetur, formaliter in tali loco, virtualiter verò in alio; cuius argumentum erit à posteriori Ecclesiæ Vniuersalis approbatio, siue quod idem est, si talem sensum aliquandò approbet Ecclesia; cuius non est facere scripturam Canonicam, vel authenticam, sicut nec eius sensum, sed vtrumque tantùm quo ad nos declarare, quod secundum se iam tale est; Vnde ex suppositione quod ille sensus, quem patitur aliquandò translatio, nullo penitus modo sit scripturę originalis; implicat quod vt Canonicus, vel authenticus ab Ecclesia Vniuersali proponatur, quæ proponere, vel quo ad nos declarare non potest, nisi illud quod re vera in seipso iam tale est; aut si approbat, est signum manifestum, iam talem sensum in scriptura Originali contineri, atque adeo iam secundum se esse Canonicum, & authenticum.

Difficiliùs quæri potest secundò, an quando vox Latina secundum proprietatem habet sensum diuersum ab originali, sit præferendus sensus ille sensui Scripturæ Originalis Græcę vel Hebraicæ? Ratio dubitandi est, quia ex vna parte sensus originalis videtur pręferendus quando lectio originalis est incorrupta; ex altera verò parte cùm sit retinenda Latina vulgata editio, propriéque sit

expli-

explicanda, ille sensus videtur præferendus quando secundum vocis Latinæ proprietatem aptius cadit in eam. Aliqui doctores Catholici, inter quos salua fide hęc difficultas agitatur, hanc posteriorem partem amplectuntur. Pluribus tamen prior magis probabilis videtur; quia in tali loco, licet sit retinenda latina vulgata lectio, tamen vbi certò & indubitanter constat de lectione originali, vox Latina ita est sumēda, vt ex circumstantijs significet, vel tanquam ex causa vel ex effectu, vel alio modo simili, id quod significat vox originalis, hoc enim non est contra authoritatem vulgatæ lectionis, si retenta ea lectione trahamus verbū aliquod ad sensum originalis vocis, qui ex alijs adiunctis vocibus lectionis vulgatę etiam colligitur, quam doctrinam pro varijs Scripturæ locis obseruandam esse docet Turrianus 21. disput. 22. dub. 3. Cuius exemplum adducit ex Epistola ad Romanos 1. vbi Paulus de Christo loquens ait: *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundum spiritum Sanctificationis ex resurrectione mortuorum*. Cuius loci licet plures sint expositiones, duo tamen sunt præcipui sensus, alter aliquorum Latinorum, qui verbum *prædestinatus* sumunt pro prædestinatione in mente Dei: alter verò Græcorum, & Latinorum etiam non paucorum asserentiū sensum esse, Christum declaratum esse filium Dei ex resurrectione mortuorum. Quos sensus prædictus author expendit ad præsens institutum.

Dico quartò & vltimò, in transferendis præsertim nominibus proprijs arborum, herbarum, animalium, ponderū & mensurarum, non fuisse necessarium, quod interpres transferret id, quod revera erat in originale; sed aliud æquiualens; siue quod idem est aliquid, quod censetur simile significato lectionis originalis; ita Melchior Canus lib. 2. de locis cap. 15. Ludouicus Tena lib. 1. Isagoge S. Scripturę, difficult. 6. sect. 5. Turrianus 21. disput. 22. dub. 4. & communiter Theologi, qui notant hanc tamen propositionem ita esse intelligendam, vt nomen Latinæ lectionis rectè in rem significatam quadrare dicatur, quamuis res illa ob varias causas & proprietates, varijs possit nominibus appellari. Ratio est, quia illud plerumque ponitur gratia exempli, & ita licet Interpres non transferat id, quod reverà erat in originali, sed aliud ęquiualens, non mutat sensum, cum exemplorum non requiratur veritas, V.g. Ionæ cap. 4. dicitur: *Et præparauit Dominus Deus Hederam, & ascendit super caput Ionæ, vt esset vmbra super caput eius*: Hieronymus verò dicit, posse verti *hederam*, vel *cucurbitam*, & Latinū sermonem non posse exprimere arborē, quę est in originali Scriptura. Imo aliqui Hebræi dicunt non posse sciri speciem illius arboris. Sensus tamen de fide est, quod Deus posuit aliquod vmbraculum super caput Ionæ, quidquid illud esset: potuitque esse, vt cucurbita esset hederæ inserta, ita vt in rigore vterque sensus in singulari sit verus. Prętera Psalmo 103. ver. 18. Hieronymus vertit; *Petra refugium Herinaceis*; cum tamen Prouerb. cap. 30. v. 26. eadem vox Hebræa transferatur per lepusculū, quando ait Sapiens: *Lepusculus plebs inualida, qui collocat in petra cubile suum*. Sensus à Spiritu Sancto intentus est, quod petra sit refugium animali habitanti in ea, siue illud sit lepusculus, siue Herinaceus, vel aliquod aliud. Plura alia proferunt exempla authores citati, qui consuli possunt. Illud hic tantum notauerim, quando dubia vox est Hebræa, sufficere si transferatur aliquid æquiualens, vel quod cēsetur simile significato lectionis originalis, quando adducitur gratia exempli, quod plerumque in arboribus vel animalibus solet cōtingere; cum enim illa quę adducuntur gratia exempli debeant esse nota, multotiesque contingat, vt quę sunt nota in vna parte, vel prouincia, sint ignota in alia; imo nullo modo in ea existant, ideo eorum loco substitui possunt alia similia & ęquiualentia ab interpretibus. Neque propterea mutatur substantialis sen-

ſus ab Spiritu Sancto intentus, quem interpretes reddere debent. Hoc tamen non accidit in alijs rebus, quæ non afferuntur gratia exempli, ſed abſolutè & ſecundum ſe, cum enim hec in ſingulari & determinatè, per ſe, ad fidem ſpectent; illorum mutatio, vel vnius pro alio ſubſtitutio mutaret ſenſum ab Spiritu Sancto intentum.

CAPVT LXXXVII.

Quanta ſit in Eccleſia authoritatis Latina editio Vulgata, & in quibus codicibus illa reperiatur.

NOtandum eſt, primò nos loqui de Latina vulgata editione, ſecluſis erroribus Typographorum; etſi enim fieri non poſsit, vt in omnibus omnino codicibus omnium librariorum ſit corrupta, de quo agemus infra; vltrò tamen fatemur nonnullos codices, aliquorum Typographorum incuria, imperitia, vel etiam malitia mendoſos eſſe poſſe: cum certum ſit ipſos eam deſcribendo, aut excudendo, Spiritus Sancti aſſiſtentiam nō habere, ſed humana induſtria, atque diligentia huic tranſumptioni, ſeu impreſſioni incumbere; & de facto ante correctionem editam à Clemente VIII. multę corruptiones irrepſerant; quas annotauit, & in vnum collegit libellum de hac re editum Franciſcus Lucas.

Secundò, notandum nos hoc loco non inquirere, Vtrum vulgata editio Latina adeò ſit perfecta, vt nuſquam poſſit fieri perfectior, accommodatior, clarior, ipſis fontibus conformior, demumque elegantior, ſeu, vt ita loquar, Latinior, magiſque iuxta regulas Grammaticę; de hoc enim diſputabitur infra, agendo ex profeſſo de eius perfectione: ſed inueſtigamus tantùm, an ea fidelis ſit, & vera, ita vt nullum errorem, neque quidem leuiſſimum, contineat; nullaque ſit alia, quæ magis ad confirmanda fidei morumque dogmata valeat, ſeu vt vno verbo omnia complectamur, an ſit Sacra, & Canonica Scriptura.

Tertiò, cum integritas & fidelitas huius editionis poſsit conſiderari, veluti dupliciter, hoc eſt, tam in ſeipſa, prout ab Interprete profecta eſt, quàm pro vt permanſit, & permanet in codicibus, & lectione Eccleſiæ; nunc agimus de illa primo duntaxat modo, ſiue de ipſa fidelitate, & veritate verſionis, quatenus nullum continet errorem; eſtque ita exacta, & perfecta, ſaltem eſſentialiter, vt ſenſum authoris veriſsimè & fideliter reddat.

His ſuppoſitis, de authoritate Latinæ editionis vulgatæ varium eſt diuerſorum iudicium. Primò enim hæretici huius ætatis tam Lutherani, quàm Caluiniſtę, licet inter ſe non parum diſſentiant in authentica editione Latina eligenda, tamen aduerſus Eccleſiam mirificè omnes conſentiunt in abijcienda vt infideli, & vitiata latina editione vulgata; vnde etiam, qui ex ipſis aduerſus Concilium Tridentinū ſcripſerunt, quartam ſeſsionem prę cęteris vexant, in qua Concilium definit, vulgatam editionem Latinam habendam eſſe pro authentica. Inter doctores autem Catholicos, licet omnes conueniant aduerſus Hæreticos in aſſerendo, vulgatam editionem eſſe authenticam, & integram in ijs, quæ ad fidei dogmata, moreſque formādos pertinent, ita vt nullum ex illa pernicioſum dogma in fide, & in moribus colligi poſſit; eorum tamen aliqui docent in alijs minoris momenti narrationibus, ſiue in ijs, quæ ad fidem & mores non pertinent, neque integram, neque puram eſſe. Ita Andreas Vega lib. 15. in Concil. Trident. cap. 9. vbi agens de vulgata editione ait: Eatenus voluit Concilium eam authenticam haberi, vt certum omnibus eſſet nullo eam fœdatam errore, ex quo pernicioſum aliquod dogma in fide, & in moribus colligi poſſet, atque adiecit ne quis illam quouis prætextu reijcere auderet. Et hanc fuiſſe mentem Synodi nec quidpiam amplius ſtatuere voluiſſe, ex verbis ipſis, & ex alijs conſuetis approbationibus Conciliorum

potes

potes colligere. Et ne dubites, verissimè tibi possum allegare pro his amplissimum & obseruantissimum Dominum Sanctę Crucis Cardinalem, de pietate & litteris optimè meritum, qui illi sessioni & alijs omnibus præfuit, ac pridie quidem quam illud decretum firmaretur, & postea non opinor semel mihi testatus est nihil amplius voluisse Patres firmare. Hactenus Vega loco citato; cuius sententiam secuti sunt Sanderus *lib.7. de Visibili Monarchia*; Lindanus *lib.2. de optimo Genere interpretandi c.12. & lib.3. c.1.* Catherinus *opusculo de clauibus Scripturæ cap. de authoritate vulgatæ editionis*; Nicolaus Serrarius *in prolog. Bibliorū c.19.* Mariana tract. de vulgata cap. 23. alijque plures. Nos autem vt in hac graui difficultate certa ab incertis separemus; Primùm statuemus id quod pertinet ad fidem contra hæreticos, deinde quod probabiliter, aut saltem salua fide disputatur inter Catholicos.

Primò dico, Latina editio vulgata, qua communiter Ecclesia vtitur, & longo sæculorum tempore vsa est, ad fidei dogmata, moresque formandos infallibilis est authoritatis, veraque Scriptura Sacra, & Canonica. Ista propositio est de fide; ad quam demonstrandam sufficit vniuersalis Ecclesiæ approbatio; Cū enim deficiētibus primis exemplaribus, difficile esset probare fidelitatem transumptorum, & translationum, oportuit aliquam esse regulam firmam, qua orta dubitatione de illis, nobis certò constare posset, quæ essent fidelia transumpta, quæ fideles, ac veræ traductiones, vel translationes. Hæc autem, vt alibi fusè diximus, alia non est quam approbatio, vel iudicium Ecclesiæ vniuersalis, quod in hac re potissimum est infallibile; cum enim Sacra Scriptura sit præcipuum fidei nostræ instrumentum, siue liber, in quo continetur vera doctrina, quantùm ad credenda, & agenda, certè si in aliquo alio negotio maximè in isto gaudere debet priuilegio infallibilitatis, vocarique ex Apostolo: *Columna & firmamentum veritatis.* 1. Timoth. 3.

Quia autem approbatio, vel indicium Ecclesiæ Catholicæ circa libros ipsos Sacros, & eorum translationem duobus modis contingere potest. Primò, vsu. Secundò, speciali decreto. Vterque interuenit in admittenda pro authentica Latina editione vulgata. Primus quidem, quatenus Ecclesia longo tot sæculorum decursu illa vsa est. Nam vel hęc nostra versio, est illa antiqua communis, quam Augustinus vocat Italam; vel Hieronymi, vel certè quod supra probabilius docuimus mixta ex vtraque; quatenus D. Hieronymus antiquam communem suo iam tempore in aliquibus corruptam de nouo correxit & emendauit; Quocunque modo sumatur; magnum semper in Ecclesia testimonium habuit ab omnibus, qui de illa iudicare potuerunt; si enim est illa antiqua D. Augustinus lib.2. de doctrina Christiana cap.15. dicit, eam omnibus esse præferendam; quod à fortiori asserendum, accedente postea D. Hieronymi correctione & emendatione; vnde idem August. lib.18. de ciuitate Dei cap.43. ait: *Non defuit temporibus nostris presbyter Hieronymus homo doctissimus, & trium linguarum peritissimus, qui ex Hebræo in Latinum diuinas Scripturas conuertit, cuius tantùm litterarum laborē Hebræi fatentur esse veracem.* Et Epistola 10. ad Hieronymum dicit, eius versionem, seu potius emendationem noui testamenti omnibus Ecclesijs placuisse. Quare Summus Pontifex S. Damasus voluit illam in communem Ecclesiæ vsum introduci, vt refert Platina *in eius vita*. Item B. Gregorius lib. 20. Moral. cap.24. ait: *Quia hæc noua translatio ex Hebræo nobis eloquio cuncta veriùs transfudisse perhibetur, credendum est, quidquid in ea dicitur; & oportet vt verba illius, nostra expositio subtiliùs rimetur.* S. quoque Isidorus lib.6. Etymolog. cap.5. *Presbyter*, inquit, *Hieronymus trium linguarum peritissimus, ex Hebræo in Latinū eloquium diuinas Scripturas conuertit, eloquenterque transfudit, cuius interpretatio meritò cæteris anteponitur.* Denique omnes, qui deinceps secuti

cuti sunt Patres, satis ostendunt, se hanc editionem præ cæteris probasse, & in vsu Ecclesiæ fuisse, cum eam solùm explanandam susceperunt, in concionibus populis proposuerunt, & ex illa in omnibus concilijs testimonia protulerunt ad confirmanda dogmata fidei. Adde quod non solùm Latini versionẽ hanc probarunt, sed etiam Græci, qui quædam diuina volumina à Hieronymo in Latinum ex Hebræo conuersa, ipsi ex Latino in Grecum transtulerunt, vt D. Hieronymus testatur, lib. de viris illustribus in Sophronio,& lib. 2. contra Ruffinum; imò testimonium habuit ab ipsis Hebræis,vt Augustinus loco statim citato dixit; & Hieronymus ipse in prologis Hebreos testes aduocat, & ad eos prouocat reprehensores suos.

Meritò igitur ex hac generali Ecclesiæ approbatione, non quidem verbis, sed factis, nempè vsu & consuetudine, nouissimè Concilium Tridentinum quęstionem definiens, speciali decreto vulgatam editionem, vt authenticam habendam esse declarauit. sess. 4. *Si quis hos libros, pro vt in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro Sacris & Canonicis non susceperit, anathema sit.* Et deinde; *Insuper eadem Sacrosancta Synodus considerans non parum vtilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur, Sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat; statuit & declarat; vt hæc ipsa vetus, & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum vsu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prędicationibus, & expositionibus, pro authentica habeatur, & vt nemo eam reijcere quouis prætextu audeat & præsumat.* Hæc est regula inconcussa, quæ omnem dubitationem excludit. Non quod verbũ Dei accipiat approbationem, & confirmationem ab Ecclesia, vt perperam, & ineptè obijciunt hæretici; sed illa duntaxat confirmat nostram cognitionem, & fidem, quod hoc sit verbum Dei: Ecclesia enim in hac sua, & alijs similibus approbationibus, seu testimonijs aliquid simile præstat, Cancellarijs regum, qui subscribunt edicta illorum; item præconibus, qui illa publicant: item Notarijs publicis, & testibus, qui publicam fidem de testamento, & alijs faciunt; Dicti enim solummodo fidem publicam faciunt hominibus; non tamen rebus factis, aut dictis secundum se præbent authoritatem. Ita Ecclesia non habet potestatem mutandi verbum Dei aliquid addendo, vel detrahendo; neque dat veritatem, vel authoritatem verbo Dei; sed sua tantùm approbatione facit certam fidem hominibus, quod illud & nõ aliud sit verbum Dei, quodque illi vt tali certa fides adhibenda sit. Et hæc adhuc Ecclesiæ approbatio causa est huiuscemodi certitudinis propter infallibilem Spiritus Sancti assistentiam, fundatam in certissima Christi promissione de illo docẽtis Ioann. 14. Vt maneat vobiscum in æternum: item docebit vos omnem veritatem; & suggeret vobis omnia: ex quo S. Paulus colligit, quod Ecclesia *sit columna & firmamentum veritatis*: quia firmare fidem est idem quod facere illam certam in intellectu nostro.

Insuper ad nostræ conclusionis probationem suppetunt alia multa probabilia, & suasoria, imò plusquam probabilia argumenta desumpta ex antiquitate, & multitudine codicum nostræ vulgatæ editionis, ex lectione, & allegationibus antiquorũ; Denique si adducantur omnia loca vulgatæ editionis, quæ malè versa contendunt nouatores & Hebraizantes, ostendaturque ocular iter nihil penitus in illis contineri, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide & in moribus colligi possit. Quæ loca, quia iam explicuimus supra, agendo de vnoquoque S. Scripturæ libro; & etiam in vnum collecta reperiuntur apud Cardinalem Bellarminum lib. 2. de verbo Dei cap. 12. & Dominicum Grauina lib. 4. Catholicar. præscriptionum, libenter illis referendis hic supersedeo. Vnde quod ait Kemnitius, Concilium Tridentinũ ideo voluisse vulgatam editionem esse authẽticam,

ficam, quia tota trásformata est ad dogmata Pontificia, mendacium est non solum hominis impudentis, sed etiam imprudentis, siquidem, vt ait Cardinalis Bellarminus, contra suum authorem maximè pugnat. Si enim Pontificia dogmata habentur in editione vulgata, sequitur illa esse antiquissima, & ipsorum contraria planè esse recentia: nam editionem vulgatam etiam ipsi fatentur esse vetustissimam. Deinde, si editio vulgata facta esset, post Lutheri tempora, natasque inter nos & illos fidei controuersias, esset aliqua ratio suspicandi, eam esse accommodatam de industria ad Pótificia dogmata: at facta est ante mille annos & amplius, & omnia, quę illi reprehendunt in vulgata editione, sic semper in illa fuerunt, reperiunturque citatą ab antiquissimis Patribus. Quos igitur enumerant errores vulgatæ editionis nō sunt veri, sed ficti, quatenus omnia quæ ipsi non probant, suntque contraria falsis eorum dogmatibus, vocant errores; sed dum hęc dicunt, assumunt quod probandum erat; produntque, quod illi turpiter fecerunt: nam Martinus Lutherus Biblia pessima fide conuertit, vt patet ex Ioanne Cochlæo in vita & actis Lutheri anni 1522. vbi legitur, in noua translatione testamenti noui per Lutherum facta, fuisse notata ad mille loca, immutata, id est, addita, vel detracta, vel deprauata; nec mirum cum 2. Petri c.2. dicatur, quod Hæretici *Scripturas deprauant ad suam ipsorum perditionem*. Tandem cum veritas, ex Augustino contra Donatistas cap.22. ad cōfessionem, quouis eculeo, & tormento sit efficacior, plures etiam ex hęreticis, Conradus Pellicanus præfat. in Psalm. Theodorus Beza in annotat. cap.1. Lucæ, & in præfat. noui testamenti, Carolus Molinæus in nouo testamento p. 30. & alij quos loco citato refert Dominicus Grauina, vulgatam editionem Latinam mirificè laudāt, cęterisque omnibus anteponunt.

Quod verò ad controuersiam inter Doctores Catholicos pertinet, nùm etiā in minimis particulis suam quoque habeat vulgata authoritatem, mihi longè probabilius videtur, & certum cum Ludouico Tena lib. 1. Isagoge Sacræ Scripturæ difficult.6. sect.3. Dominico Grauina loco citato, Turriano 22. disput.22. dub.4. Petro Lorca 22. tractat. de locis Theologic. disput.7. cum his, inquam, & alijs pluribus modernis doctoribus probabilius est, Concilium Tridentinū voluisse in omnibus retinendam esse lectionem vulgatam, ita vt nullus error quantumuis minimus sit in illa.

Dico igitur secundò, Latinam editionem Vulgatam ita esse fidelem, & authenticam, vt non solùm nullum contra fidem & bonos mores errorem contineat, sed etiam infallibilem veritatem, & Spiritus Sancti mentem, in omnibus & singulis suis partibus, quantumuis minimis non minus, quàm Originalis Scriptura, vnde fuit desumpta. Ista propositio iam est hoc tempore valdè certa. Nam postquam Theologorum scola attentè & prudentèr expendit decretum Sacrosancti Concilij Tridentini, quod supra adduximus, nullus ferè fuit ausus minus de huius editionis authoritate sentire, aut minimum quid illi detrahere fidelitatis & veritatis. Imò videtur hac in re omnem dubitandi rationem abstulisse Sacra Congregatio Cardinalium, cui, vt refert Turrianus loco citato, præfuit Cardinalis Alciatus, tempore Gregorij XIII. Cum enim nobilis cuiusdam Academiæ doctores à Gregorio XIII. de sensu eius canonis Concilij quęsiuissent, in eam sententiam libentissimè ituri, quam Sancta Sedes proponeret amplectendā Pontifex id commisit Cōgregationi Cardinalium. Congregatio verò sic respondit, nihil posse asseuerari quod Latinæ vulgatæ repugnet, etiam si sola esset periodus, seu clausula, aut membrum, aut syllaba iotave vnum, quibus nihil potuit, dici illustrius pro nostra sententia. Vndè quod Andreas Vega supra refert ex testimonio Cardinalis S. Crucis non multum curandum est, cū aliud colligatur ex verbis Concilij, vt statim ponderabimus, fitque expressum

à præ-

à præfata congregatione Cardinalium.

Rationes igitur pro nostra conclusione desumuntur ex ipsismet verbis cōcilij definientis, vt *Vulgata editio in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur, & vt nemo eam reijcere quouis prætextu audeat, vel præsumat*; at si aliqua sententia in illa non esset vera, absolutè vocari non posset authentica, si quidem in Scriptura authentica, nec leuissimus error aut falsitas admitti debet, esseque authenticam, multò amplius est, quàm nihil deprauatum continere contra fidē & mores: quia pariter multa opera Sanctorum Patrum, V.g. Sancti Thomæ nihil habent contra fidem & bonos mores; & tamen non sunt regula fidei. Igitur dum Vulgata præcipitur à Concilio recipi vt authentica fidei regula in publicis disputationibus & lectionibus, debet carere omni mendacio, vel errore quantumuis minimo. Quæ enim regula esset, si posset reijci, vt doctrina fallibilis, sicut sententia peculiaris doctoris reijcitur, quamuis nihil contra fidem habeat, fuerintque eius opera laudata ab Ecclesia, vt nullum errorem in fide continētia: vt sunt V.g. opera D. Thomæ. Insuper si aliquem contineret errorem Vulgata, posset in lectionibus & disputationibus reijci eo prætextu, quod res esset non ad fidem, nec ad mores pertinens; igitur dum Concilium statuit, vt in illis nemo eam reijcere quouis prætextu audeat, vel præsumat; argumentū est manifestum, non solùm in his quæ grauia sunt, ac pertinent ad fidem, & mores, sed etiam in omnibus alijs, quātumuis leuibus, nullum habere errorem prędictam Vulgatā. Agnoscebant enim Concilij Patres non omnia, quæ in lectionibus & disputationibus tractantur ad fidei & morum doctrinam pertinere, & tamen absolutè docuerunt in lectionibus & disputationibus non esse reijciendam. Vndè cum Concilium loquatur sine vlla limitatione, absque ea debet admitti: cum lex generaliter loquens, pariter sit intelligenda, & vbi ea non distinguit, nec nos distinguere possumus vt docent Iurisperiti.

Prętereà, si in fontibus, neque leuissimum mendacium est concedendum, ne tribuatur Deo eorum authori; neque etiam in Vulgata est admittendum: Quia licet non constet certò Latinum interpretem in transferendo diuinum habuisse Spiritum, constat tamen Ecclesiam illum habuisse, quando vulgatam recepit, recipiendamque esse definiuit vt authēticam regulam fidei, pro vt communiter in Ecclesia legitur. Ergò, quidquid sit de spiritu Interpretis, semel admisso, & supposito, quod nostra Vulgata sit ab Ecclesia recepta, vt authentica fidei regula; in ea secundum se considerata, pro vt ab interprete edita est, probataque ab Ecclesia, neque leuissimum debet admitti mendacium, quidquid sit de illa, pro vt permansit, & permanet in codicibus, & lectione Ecclesię, de quo agemus infra. Vnde dum aduersarij pro solutione harum rationum, quibus nostram conclusionem probauimus, recurrunt ad incuriam & defectum librariorū est omninò insufficiens, quia quod prouenit ex tali incuria & defectu, cum nullo modo sit pars libri, eius mendositas, non potest auferre fidem libri, siue loquamur de translatione, siue de fonte; ex quo fuit translata; at si ab authore libri aliquod esse mendacium, etiam leue concedatur, eo ipso cōstaret, posse decipi, atque adeò non esse infallibilis authoritatis; suo modo idem procedit in approbatione Vulgatę ab Ecclesia facta, si enim semel admittatur illam fuisse deceptam in aliquo, vel minimo mendacio, vel errore approbando, certè iam infallibilis non esset authoritatis, possetque suboriri dubium, sicut in illo leui, sic etiam in aliquo graui potuisse illam decipi. Igitur quemadmodum in ipsa Scriptura, vt authentica sit, nullus error debet admitti in quacumque materia; ita, vt aliqua eius translatio sit authentica, veraque fidei regula, nullus error, quantumuis leuis, debet in illa permitti.

Quæ

Quæ autem in contrarium objiciunt aduersarij, nullius sunt prorsus momenti. Primò enim, quod aliqui viri graues dicantur reprehendisse translationem Hieronymi, quæ saltem ex parte eadem est cum Vulgata; vt Palladius Galata, referente eodem Hieronymo in prologo libror. contra Pelagianos; Ruffinus lib.2. aduersus Hieronymum; Augustinus in epistolis ad eumdem Hieronymum. Respondetur primò tunc id potuisse contingere, quia talis editio non habebat approbationem expressam alicuius Concilij Generalis, sicut modo habet à Tridentino definiente, habendã esse vt authenticam dictam Vulgatam. Respondetur secundò Palladium fuisse hęreticum, Rufinum autem infensissimũ D. Hieronymi inimicum, vndè nemini mirum esse debet, quod iniustè illum æmulati sint, & accusarint. At D. Augustinus nullibi versionem Hieronymi reprehendit, sed potius laudat, & fatetur esse veracem, vt vidimus supra. Solùm opinatus est, tunc non fuisse Ecclesiæ necessariam, neque vtilem; Ecclesia tamen non acquieuit in hac parte Augustini iudicio. Cur autem Hieronymus ipse suam quoque translationem in aliquibus reprehenderit, vel minus probarit iam supra causas adduximus; quibus addere possumus eiusdem Sancti modestiam, sic de sua versione humiliter sentientis; quia saltem quo ad verborum compositionem, & aliqua alia accidentia, poterat esse perfectior; & hoc tantùm probant omnia ferè argumenta, quæ ab aduersarijs fieri solent. Sed inde non sequitur Latinum Interpretem aliquando malè, aut falsò vertisse, vel posse aliquo prætextu reijci; sicut etiam videmus in operibus Dei, qui non semper facit meliora & perfectiora, vt constat ex his quæ postea in lucem profert, & clariùs ex eius potentia, quæ infinita cũ sit, quocunque dato, potest aliud melius, & perfectius facere, si aliàs non implicet contradictionẽ; & tamen inde nõ colligitur facta vel creata à Deo, non esse bona, aut aliquo prętextu reijcienda.

Quod obijciunt secundò, Patres passim docere ad fontes Hebræos, & Græcos esse recurrendum; non alia ratione, nisi quia saltem in minimis aliqua mendosa reperirentur in Vulgata, quę per codices Originales corrigi debent; Respõdetur talem illationem esse falsam; etsi enim vt dicemus capite subsequenti liceat nobis ex doctrina Patrum recurrere ad Hebræos, & Gręcos fontes multas ob causas; nulla tamen ratione iam Latina Vulgata corrigenda est per illos, cum sit approbata per Concilium Tridentinum, ita vt nullo possit prętextu reijci, aut refutari. Vnde etiam si aliqui Sancti Patres in hoc sensu loquuti fuissent, nihil inde sequeretur contra fidelitatem & integritatem vulgatæ editionis, si quidem de illa loquuti fuissent ante approbationem Ecclesiæ, & vt particulares doctores, qui decipi poterant, in corrigendo vel non corrigendo; cęterum vbi eorum correctio ab Ecclesia admittitur, vel eorumdem correctio non recipitur, nullus error inueniri potest ob authẽticam Ecclesiæ censuram.

Tertium argumentum & capitale, quod multa comprehendit, sumitur ab exemplis, quatenus in editione Vulgata plurima sunt loca, quæ ab originalibus diffident, & quæ malè translata, & depranata videntur; igitur saltem in minimis, siue in ijs quæ ad fidem, & mores non pertinent, non potest ipsa translatio vulgata haberi pro authentica, & infallibilis authoritatis.

Respondetur ad hoc argumentum negando antecedens, de dissidentia, vel discordantia inducente aliquem vel minimum errorem; vt videri potest apud anthores superiùs citatos, qui omnia illa loca referunt. Ad quæ etiam explicanda, omnemque molem obiectionum, quæ contra Vulgatam ex illis fiunt, dissijciendam statuuntur sequentes regulæ, & canones. *Primus* est, multa imperitè, & ineptè reprehendi in versione vulgata, quasi discordantia ab originalibus, cũ re vera nulla sit dissensio neque fideliùs verti potuerint. *Secundus*, dissensum il-

larum esse tantùm in verbis, & non in sensu: licet identitas sensus, propter obscuritatem à plerisque non percipiatur. *Tertius*, etiam si editionis Vulgatæ, & Hebraici, atque Græci textus sensus varius sit, nihilominus hoc in vno horum textuum non arguit contrarietatem, sed tantùm multitudinem, seu vbertatem significationum vocum Hebraicarum, & Græcarum, quarum quidem significationum, cum aliæ sint minus vsitatę, alię verò communes & vsitatæ, omnesque sint à Spiritu Sancto intentæ, Interpres Vulgatæ editionis communem, relicta minus vsitata, sequutus est, vel è contra. *Quartus* canon, nonnulli defectus sunt in vulgata editione, si cum originali conferatur, qui sunt defectus puræ negationis; desunt enim aliqua verba & sententię, quæ ad sacrum textum pertinebant; sed hi defectus cum neque falsitatem inducant, nec sacrum textum vitient, neque eius sententiam mutent, idemque sit iudicium eiusmodi verborum, vel sententiarum quæ desunt, ac librorum & partium Scripturæ, quas excidisse supra notauimus, propterea nihil diminuunt authoritatē Vulgatæ editionis. *Quintus* canon, cum incerta sint specierum vocabula apud Hebræos, frequenter genus pro specie ab interprete positum est, aut vna species pro altera, quando enim dubia est vox textus originalis, sufficit si transferatur aliquid quod censetur simile significato illius, modo non varietur sensus, quod circa arbores vel animalia solet contingere. *Sextus*, cum Paraphrasis more Vulgatus Interpres aliquando sententias textus originalis exprimat, potius sensum sensui, quam verbum verbo reddendo, quoniam aliquando voces, & modus idiomatum non possunt in aliud ad verbum traduci, propter peculiares phrases & proprietates linguarum, aliquando etiam nonnisi valdè obscurè, & barbarè traducerentur, potuit claritatis gratia, & ad æquiuocationem, vel amphibologiam tollendam, aut secundum aliam rerum exigentiam, modo restringere, modo ampliare verba, modo addere illorum explicationem, vel etiam verbum, quod nullibi est in originali, *intellige formaliter*, quia licet non semper ad verbum; cum tamen semper ad sensum transtulerit, nihil est formaliter in translatione, quod virtualiter in textu originali non sit. Vnde, licet aliqui dubitent, an ea verba, quæ nullibi sunt in originali, sed ad maiorem vocabulorum explicationem adduntur in vulgata, sint authentica, quod putent Vulgatam solùm esse approbatam in rebus fidei & morum, & interpretem in alijs potuisse errare; nihilominus longè probabilius & certiùs est ea verba authentica esse, tùm quia, vt statim dixi, eiusmodi verba reperiuntur virtualiter & ęquiualenter in textu originali, tùm maximè quia Vulgata latina quo ad omnia approbata est, aliàs liceret eam reijcere aliquo loco, & licet vulgatus non fuerit Propheta, sufficienter colligitur illum non errasse, sed verum dixisse ex approbatione Ecclesiæ, quæ per multos annos sic legit, & modo in Concilio Tridentino sess. 4. postquam numerati sunt libri Canonici, dicitur illos suscipiendos esse, cum omnibus suis partibus, pro vt in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri Vulgata Latina editione habentur: quod non solùm de principibus partibus, sed de omnibus etiā intelligitur, si quidem & sermo absolutus est, & postea prohibet Concilium Vulgatam quouis prætextu reijci.

Ad prædictas sex regulas, aut aliàs similes, quarum probationes & exempla videri possunt apud præcitatos authores Petrum Lorcam, Dominicum Grauinam, Andream Duuallium 22. & alios, reducuntur omnes obiectiones, quæ contra fidelitatem Vulgatæ editionis fieri solent, & his diligenter animaduersis facilè diluuntur. Si quid tamen esset, quod vno ex his modis conciliationem non admitteret, aut quia in multis vulgatę editionis exemplaribus oscitantia librariorum, vel sciolorum, aliqui errores irrepere potuerunt, vnde talis diuersi-

uersitas, vel discordantia Vulgatæ editionis ab originali textu prouenisset; tūc intrepidè asserendum esset, non obstante antiquitate lectionis, & authoritate Patrum, qui eam olim sequuti sunt, textum originalem esse corruptum. Quod tamen in omnibus illius codicibus non contigit; et si enim fatendum sit in plerisque illorum aliter legi quam sit in nostra editione, in alijs tamen, licet perpaucis, eodem modo legebatur; quorum lectionem noster interpres sequi maluit; quippè quæ accommodatior, & germanior appareret; quàm aliam communē, quæ erat magis vsitata, & qua etiam tanquam sibi magis obuia, & in promptu habita vsi sunt Patres antiqui, non perpensis, aut consultis illis perpaucis codicibus, in quibus nostra lectio habebatur; quam tandem Ecclesia maturo consilio & firma ratione tanquam veriorem elegit, & approbauit: vndè omnibus alijs præferenda est. Et quia defectus in antiquis codicibus originalium sicut & in aliquibus veterum Patrum scriptis non fuit vniuersalis, non sequitur, nostram lectionem ex defectuoso originali depromptam fuisse. Verùm cum hoc argumentum ab authoritate Ecclesię Vulgatam approbantis, desumptum, non sit efficax contra Iudæos, & Hæreticos, qui illam non admittunt; potest etiam alio plusquam probabili argumento eorum proteruia conuinci, & ostendi aliqua vitia & deprauationes inesse textui Hebræo; si vt diximus supra lectioni nostræ duo addamus. Primum consensum Septuaginta interpretum cū nostra lectione: duæ enim translationes antiquæ consentientes maiorem fidem merentur, quam Hebręi codices. Secundum, ipsam sensus veritatem, & proprietatem, quæ in lectione nostra facilè reperitur; in textu Hebręo non item. Cuius plurima sunt exempla.

Exodi 2. in Hebręo desunt omnia illa verba: *Alterum verò peperit, quem vocauit Eliezer, dicens, Deus enim patris mei adiutor meus, & eripuit me de manu Pharaonis*. Quæ verba licet etiam omittantur in aliquibus codicibus Septuaginta Interpretum, contextus tamen ea requirit: nam non vnum tantùm, sed duos filios genuisse Moysen in terra Madian, constat ex cap. 4. vbi memorantur filij Moysis pluraliter, & cap. 18. iterum refertur eorum natiuitas, & impositio nominum cum illis verbis: quare non potest esse dubium, in 2. capite deesse.

Psalmo 21. vbi legimus, *foderunt manus meas, & pedes meos*, Hebræus textus habet, *vt Leo manus meæ, & pedes mei*; vel, *vt Leonis*: At verò Septuaginta, Hieronymus in sua translatione, & omnes antiqui sēper legerunt, *foderunt*, & hanc lectionem sensus requirit, nam si legatur, *vt Leo*, vel, *vt Leonis manus meæ*, nullum sensum habent, qui cohęreat antecedentibus, & consequentibus, cùm in toto Psalmo sermo sit de patientia Christi, & acribus inimicorum eius incursibus: cum quo nihil connexionis habere videtur, *vt Leonis manus meæ*; Similiter Psal. 131. vbi in Vulgata habetur: *Viduam eius benedicens benedicam*; in Hebræo legitur, *Venationem eius benedicens benedicam*: quæ lectio non ita, vt satis constat, est vsitata, & accommodata.

Isaiæ 9. vbi dicitur, *Et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, Princeps pacis*, in Hebręo est, & vocabit nomen eius admirabilis &c. volunt enim Iudęi illud *vocabit* regi à subsequentibus, quę sunt attributa Dei, vt à persona agente, vsque ad vltimum, quod regitur à verbo *vocabit*; vt fit sensus, *Deus qui est admirabilis, consiliarius, fortis, & pater futuri sæculi, vocabit nomen eius*, scilicet Christi, *princeps pacis*. Qui sensus quàm sit vitiatus, & à Iudęis ad impugnandam Christi diuinitatem peruersè inuentus, satis patet ex antecedentibus, & consequentibus; de quibus consulendi sunt Sacri expositores, sicut de pluribus alijs locis, quæ furtim & dolosè Iudęos in aliquibus codicibus mutasse, negari non potest. Aliqua refert Petrus Lorca 22. disput. 5.

Circa tertiam difficultatem, in qui-

bus codicibus reperiatur vera Vulgata Latina; non defuere viri docti, qui quãuis approbatione Concilij Tridentini conuicti tenerent, Vulgatam Latinam verè esse authenticam, dubitarunt tamen, vbi nam esset hæc Vulgata? An in Biblijs Roberti, vel Benedicti, aut Louaniensibus, quę opera Plantini excussa sunt? Nam Tridentinum ad hæc in singulari non descendit, & hac rimula elabebantur, vt ne adstringerentur decreto Tridentini, quando ex his vel illis codicibus testimonia proferebantur. Quod intelligentes Summi Pontifices, ad quorum curam potissimum pertinet Scripturarum puritas & integritas, Bibliorũ volumen, quo iuxta Tridentini decretũ Vulgata emendatissima prodiret, Romæ corrigi & imprimi curarunt. Primusque Pius IV. lectissimis aliquot Ecclesię Cardinalibus, & doctissimis alijs viris prouinciam demandauit. Quod institutum etiam Pius V. eius successor prosecutus est. Verùm congregationem illam doctissimorum virorum ob varias Sedis Apostolicæ occupationes iamdudum intermissam Sixtus V. reuocauit, & opus tandem confectum typis mandari iussit. Quod cùm iam esset excusum, animaduertens ipse Pontifex non pauca in Sacra Biblia vitio præli irrepsisse, quæ iterata diligentia indigerent, ideo totum opus sub incudem reuocãdum decreuit, vt refertur in præfatione Vulgatæ Sixti V. id verò cum morte preuentus præstare ipse non potuisset, tandem sub initium Pontificatus Clementis VIII. opus in quo Sixtus V. intenderat, perfectum est. Quare iam nullus est dubitandi locus, vbinam sit Vulgata editio, cum auctoritate Pontificia habeamus determinatos codices, in quibus vera Vulgata correctissima, & emendatissima continetur. Imo est futurum cautum, vt nemo hanc Sanctarum Scripturarum editionem typis mandare præsumat, nisi habito prius exemplari in Typographia Vaticana excuso, cuius exemplaris forma, nè minima quidem particula de textu mutata, vel ab eo detracta, nisi aliquid occurrat, quod typographię incuriæ manifestò ascribendũ sit, inuiolabiliter obseruetur.

Quod si quis dicat primò; adhuc istos codices esse numero plures, posseque eorum aliquos esse vitiatos, vel librariorum incuria, vel alia de causa; atque adeò nondum nos habere inuariabilem, & infallibilem regulam fidei. Respondetur, non esse verisimile, posse hoc accidere in omnibus codicibus, neque in eisdem locis, vt dicemus infra; vnde tunc essent diuersæ impressiones accuratè conferendæ: præcipuè illa prima, quę iussu Clementis VIII. emendatissima prodijt: & pariter Patrum lectiones, & commentaria tali loco consulenda erunt: & ita de veritate constabit.

Secundò si quis obijciat, ergò ante Sixtum V. & Clementem VIII. Ecclesia non habuit Latinam Vulgatam integrã & incorruptam. Neganda est eiusmodi consequentia; semper enim fuit in corde Ecclesiæ: quandoquidem in quibusdam scriptis veterum Patrum, sicut & in aliquibus Biblijs satis superque conseruabatur: quibus consultis, & inter se vnà cum originali, & vnà cum antecedentibus & consequentibus collatis, si quis fuit error facilè deprehendi, & emendari potuit. Vnde prædicti Pontifices in prefatione prefixa eisdem biblijs monuerunt se non composuisse nouam Vulgatam, sed castigasse eam, quæ erat in Ecclesiæ vsu. *Amplissimorũ*, inquiunt, *Cardinalium congregationi, & alijs eruditissimis viris, ad hoc opus à Sancta Sede Apostolica selectis, propositum non fuit, nouam aliquam editionem cudere, vel antiquum interpretem vlla ex parte corrigere: sed ipsam veterem Vulgatam editionem à mendis veterum librariorum, nec non à prauarum emendationium erroribus repurgatam, suæ pristinæ integritati ac puritati (quoad eius fieri potuit) restituere, eaque restituta, vt quam emendatissimè imprimeretur, operam dare.*

Quod etiam ex ipso Sacri Concilij Tridentini decreto constat, si quidem non approbauit, aliquam editionem fi-

ctam,

ctam, & mente duntaxat conceptam: sed eam, quæ tot antea sæculis communiter fuit in vsu Ecclesiæ, in publicis lectionibus, & sermonibus, disputationibus, & expositionibus; & tunc pariter ea vtebatur, & nunc vtitur; & ex qua Tridentinum ipsum testimonia desũpsit, ad dogmata fidei confirmanda; vnde non poterat non esse viris doctis notissima. In voluminibus tamen à certo aliquo typographo excusis contenta non erat, sed in omnibus, quæ communi Ecclesiæ vsu nomen & titulum Vulgatæ retinebant. Nam aliæ editiones suos habent peculiares titulos, sicut Vatabli, Isidori Clari, Sanctis Pagnini, quæ nunc etiam circumferuntur. Alij verò Vulgatæ codices, hæreticorum perfidia deprauati, satis se sua falsitate produnt, & Catholicorum doctorum, qui nunquam defuerunt, nec deerunt, studio & industria. Nec inde sequitur, nihil amplius habere Ecclesiam de Latina Vulgata, post operam Clementis VIII. quam antea; nam maiori certitudine nunc nobis constat, quę sit Vulgata editio, quamque integra & incorrupta; cum antea Scribarum tantummodò diligentia, vel Typographorum opera, aut ad summum magnorum Theologorum industria, & castigatione prodiret. Nemo enim negare potest, quin prædictorum Summorum Pontificũ noua impressio multis titulis sit perfectior & illustrior. Primò, quia executio Tridentini præcipientis, vt emendatissimè Vulgata imprimeretur, magis Sedi Apostolicæ, quàm alteri competit, cum sit res ad fidem spectans. Secundò, quia de facto plures Summi Pontifices id incredibili diligentia præstiterunt, adhibitis ac inter se collatis antiquissimis editionis Vulgatæ codicibus manuscriptis, inspectisque Hebraicis, Græcisque Bibliorum fontibus, consultis denique veterum Patrum commentatijs; & sic tandem emẽdatissima prodijt ex Typographia Vaticana, sub initio Pontificatus Clementis VIII. anno à Natiuitate Domini 1592.

Vndè, quamuis non sit expresè definitum ab Ecclesia, editionem Vulgatã, pro vt est à Clemente VIII. restituta, esse purissimam, nullumque in ea quantumuis minimum etiam librariorum defectum reperiri, si quidẽ Clemens VIII. in Bulla quam suæ editioni prefixit, non definit expresè eam esse purissimam; neque præcipit vt in omnibus, & singulis partibus, pro vt in sua editione continentur, sub pœna anathematis, habeatur pro Canonica: nihilominus magna esset temeritas de ea re dubitare, quia opus quod circa hanc editionem exercuit ipse Clemens, vocatur ab eo diuini textus restitutio, & quam accuratissima expurgatio: & hac de causa præcipit, vt imposterum nulli Bibliorum Sacrorum libri imprimantur, nec in scholis, aut diuinis officijs sint in vsu, nisi in omnibus vsque ad minimam particulam, cum hisce suis Biblijs conformitatem habeant. Est autem valdè temerarium, imò admodum scandalosum, contra tale præceptũ & iudicium Summi Pontificis abire, & velle in eius editione defectus, & errores animaduertere, aut eam tanquam mendosam sugillare, & carpere, priuata saltem authoritate, vt dicetur infra.

Quo fit, priorem illam Vulgatam, quam ante suam mortem Sixtus V. prælo mandari fecit, non esse quo ad omnẽ lectionem pro authentica habendam, dicitur enim in eius præfatione, vt retulimus supra, Sixtum aduertisse plures in illam vitio præli irrepsisse errores, ideoque decreuisse vt iterum prælo mandaretur, quod tamen morte preuentus perficere non potuit, sed postea sub Clemente VIII. adimpletum fuit. Qui cum omnem etiam lectionis varietatem in sua impressione sustulerit, argumento est alias lectiones, quæ antea præcipuè in Biblijs Plantinianis ad marginem annotabantur, non esse Scripturam sacram, sed ab ea alienas esse; saltem incertum est an de ea sint, certum autem lectionem Clementis talem esse. Etsi enim quando in Latina editione diuersæ sunt lectiones, & in nulla harum reprehenditur error, neque à Sede Apostolica vna

aut

aut altera præfertur, Scriptura sacra quã-tum ad hoc, sicut & Theologia suas habeat opiniones, ideoque licet certum sit alterutram illarum esse Canonicam, & de fide, incertum tamen, quænam illarũ sit Canonica; secus tamen accedente semel Sedis Apostolicæ, vel Ecclesiæ definitione; cum in ea sit sufficiens principium ad istud determinandum: tum propter infallibilem Spiritus Sancti assistẽtiam quam habet: tum quia faciendo collationem vnius cum altera, consultis veterum Patrum monimentis & commentarijs potuit vnam tanquam cõmodiorem & veriorem declarare, vt videre est in ijs, quæ iam definiuit ipse Clemens, vt Psalm. 28. *Vt videam voluntatem, aut voluptatem*: vbi verbum *voluptatem* prælatum fuit alteri, scilicet *voluntatem*. Psalmo 41. vbi emendatum est; *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuũ*: pro eo quod ab aliquibus legebatur, *ad Deum fontem viuum*. Et sic de alijs similibus, de quibus consulendus est Frãciscus Lucas iam superius citatus, qui omnes Clementis correctiones & emẽdationes libro hac de re edito annotauit.

Quamobrem, ne aliquid in Vulgata nostra non canonicum haberetur; nihil ascititium, nihilque extraneum, atque adeò melius illius vnitas ac puritas conseruaretur, maturo sanè Consilio voluit prędictus Summus Pontifex, vt tertius & quartus Esdræ, quia inter Canonicos libros à Concilio Tridentino non recensentur, & oratio Manasses; quæ neque in Hebræo, Græco, vel antiquo Latino manuscripto reperitur, neque est pars alicuius libri Canonici, extra totum Bibliorum corpus collocarentur, & alia minori litterarum formula excuderentur. Imo hac ratione in margine, neque concordantiæ (quæ imposterum apponi non prohibentur) neque annotationes, aut variæ lectiones appositæ fuerunt. Neque præfationes, aut argumenta librorum & capitum intra inspiciuntur, sed pura lectio Canonica. Qvamuis hęc omnia, & alia similia adiumenta alio gehere characteris ante initium Geneseos habeantur, & deinceps addi nõn prohibeantur; pro maiori studiosorum commoditate, dummodo tamen varię lectiones ad marginem textus minimè notentur.

Mentitur ergò Kemnitius dum asserit Concilium Tridentinum decreuisse: vt pro his quæ Spiritus Sanctus in fontibus Hebraicis & Græcis scripsit, ea recipiamus quæ à librarijs mutata, vel mutilata, vel addita sunt; cùm expressè dicat Concilium curandum esse, vt sacra Scriptura potissimum vulgata editio, quã emẽdatissimè imprimeretur: quod & à Summis Pontificibus diligentissimè ac fidelissimè præstitum fuisse vidimus.

Perperam etiam miratur Martonus Hæreticus Anglus ad cap. 11. contra Bellarminum, quod Concilium Tridentinum definierit Vulgatam esse authenticam, & tamen iusserit, vt corrigeretur quàm emendatissimè, isteron proteron existimans Vulgatam esse autenticam, & cauere vt emendatissimè imprimatur. Id, inquam, perperam miratur ille hæreticus, eiusque admiratio non nisi ex crassa prouenit ignorantia. Cum ex dictis probata sit à Concilio pura & illibata eà duntaxat vulgata, quæ in tota collectione Latinorum codicum in indiuiduo & signatè reperiri poterat, vt de facto reperta est, eamque authenticam declarauit Concilium, non impressionem quæ postea facta est. Quæ expurgata impressio, si rursus procedente tempore quacumque ex causa, lolia cum tritico immixta haberet, posset iterum castigari ex incorruptis codicibus, qui in Ecclesia superessent, vndè simpliciter vulgata editio repurgata, vbicunque tandem reperta fuerit, iudicio Ecclesiæ, vel olim impressa, vel in futurum imprimenda, approbata est. Quare non erat, cur prędictus Hæreticus luderet dicens; fuisse hoc, baptizare infantem in vtero matris, nec enim impressionem hanc Tridentina Synodus approbàuit, sed vulgatam in se puram, & fidelem in aliquibus codicibus diuina prouidentia conseruatam,

vt di-

vt dicemus infra, quæ vt à mendis aduentitijs librariorum, & Typographorum expurgaretur, quàm emendatissimè imprimendam decreuit, quod posteà adspirante Deo præstitum est; ita emendatio nullo modo fætus dici potest, sed ipsa Vulgata fętus est Spiritus Sancti, in vtero Ecclesiæ conseruatus, qui Summorum Pontificum opera, obstetricanteque diligenti manu doctissimorum virorum ab illis vndequaque vocatorum feliciter in lucem prodijt.

Tandem frustra Thomas Iames hæreticus pariter Anglus inter Sixtum V. & Clementem VIII. discordiam iacere, bellumque Papale indicere conatur, in libro, quem edidit, cuius titulus est, *Bellum Papale, seu concordia discors Sixti V. & Clementis VIII. circa Hieronymianam editionem*. Vbi totam operam præstat in annotanda varietate, & discrepantia editionis per Clementem correctæ ab editione Sixti V. & Louaniensium. Nam vt vidimus supra, ipsemet Sixtus paulò ante quàm ex humanis excederet, animaduertens nō pauca in Sacra Biblia iam excusa vitio pręli irrepsisse, quæ iterata diligentia indigerent, totum opus sub incudem reuocandum statuit; quare nec vltimam manum illi adhuc apposuerat, nec omninò emendatum promulgarat, sicut postea factum est à Clemēte: certum est autem quod tunc leges instituuntur cum promulgantur. Vndè mirum non est, si correctissima & emendatissima prodierunt Clementis Biblia, qui, quod morte præuentus præstare ipse Sixtus V. non potuit, tandem perfecit; eademque (Sixti voto & desiderio satisfaciens) Sixti nomine sublatis ijsdē mendis, quæ Sixtus aduerterat, & emendanda statuerat, euulgari voluit, vt dicitur in præfatione eorumdem Bibliorum à Clemente editorum. Quod etiam de Louaniensium correctione obijcitur, nullius est momenti, cum in ea duntaxar illam veram, & in textum recipiendam lectionem voluerint, quam probaret & reciperet Ecclesia, pro vt modo factum est. Interim ante publicam, Ecclesiæque authoritate factam emaculationem, quod sibi tanquàm doctoribus priuatis videbatur, annotare potuerunt, sed quia vltima correctio, sicut & Scripturæ approbatio ad Ecclesiæ tribunal ac iudicium pertinet, non à Louaniensium censura, sed Ecclesiæ decreto recipere debemus, quam proponit lectionē, à qua etiam si Louanienses discordarent essent in hac parte deserendi.

CAPVT LXXXVIII.

An editio Vulgata ita fuerit à Cōcilio Tridentino approbata, cæterisque prælata, vt ipsos Hebræos & Græcos fontes reiecerit, & recursum ad eosdem prohibuerit, nec non ad alias interpretationes, & versiones.

PRimò, certum est ex dictis, Latinā editionem Vulgatā à Concilio Tridentino fuisse omnibus alijs editionibus cuiuscumque idiomatis prælatam; Et si enim expresè hanc non fecerit comparationem, quia id non erat necessarium ad definienda dogmata fidei, eo tamen ipso, quod Latinam iudicauit vt authenticam; & de alijs nihil decreuit, cum hac remansit prę rogatiua certitudinis infallibilis quo ad nos: quæ tamen alijs editionibus non fuit concessa, sed relictæ sunt vt antea erant.

Secundò sciendum est mentiri Caluinum dum asserit decreuisse Tridentinos Patres, reijciendos esse Hebræos, & Græcos codices; citato enim decreto Concilium nullam penitus de illis mentionem facit, sed solùm inter tot editiones Latinas, quot nostra sæcula parturierant, hanc vnam vulgatam meritò pro authentica habendam decernit. Quo in decreto licèt implicitè illam præferat omnibus alijs, vt statim vidimus, non tamē inde sequitur, etiam implicitè reijcere Græcos & Hebræos fontes, vt malè infert Iunius ad defendendum Caluini dictum, absolutèque prohibere recursum ad illos. Cum enim de fontibus Græcis, & Hebraicis dupliciter loqui pos-

possimus: vno modo, vt in sua puritate olim editis, vel ad natiuam puritatem restitutis; alio modo de ijsdem turbidè fluentibus in aliquo, vel aliquibus locis. Si considerentur primo modo, cum ab illis eadem veritatis aqua fluat purè pariter in riuo editionis vulgatæ, dum illa in genere versionis per omnia fuit approbata; non solùm Concilium non exclusit fontes originalium Scripturarum in sua puritate consideratos, sed nec illis Vulgatam prępoſuit, quæ in eo quod in omnibus, & per omnia illis concordat, authentica dicitur. Imò dicendum, quod sicut in dignitate originis fons riuum præcedit, ita originalis textus in sua puritate consideratus, Latinam Vulgatam per modum riui purissimi ab illo emanatam, quem propterea Patres sępè laudant, & ad illum inemendatas olim editiones prouocabant. Quando igitur Sacra Synodus Tridentina, ad consulendum vnitati, & paci Ecclesiasticę vnam solam Latinam Vulgatam pro authentica haberi voluit, & insuper, quia publici pacis perturbatores obijcere potuissent hunc, vel illum eiusdem locum non fuisse è suo fonte rectè translatum, alias particulas adiecit, ad hanc temerariam manum cohibendam, videlicet, vt nemo eam reijcere quouis prætextu auderet, vel præsumeret, turbidis duntaxat ac cęnosis fontibus prætulit; & ex hac suppositione noluit quocumque prætextu reijci, aut ex fontibus ijsdem vulgatam emendari, cum puros riuos è turbidis fontibus emendari absurdum sit; liberũ tamen campũ ingenijs reliquit, ad quosuis etiam turbidos fontes recurrendi, indeque lapillos pretiosos, & aurum ad Vulgatæ ornamentum adsportandi, vt dicemus infra.

Tertiò notandum est, duo extrema in præsenti controuersia nobis esse fugienda. Primùm est eorum, qui vt Hebraicam lectionem colant, valdè detrahunt Latinæ Vulgatæ: ita pro maiori parte faciunt hæretici, animo potius cõtradicendi Ecclesiæ, quam veritatis defendendæ. Secundum est eorum, qui vt editionem Vulgatam extollant, Hebraicam, & Græcam contemnunt, tanquam inutiles, cum tamen, ex statim dicendis multiplex illarum sit commoditas. Media ergò via incedendum est, vt vnicuique detur quod suum est, pro cuius distributione pono sequentes propositiones.

Dico primò, vulgatam editionem Latinam non debere corrigi per textum Hebraicum, aut Græcum, pro vt nunc est, & in manus nostras deuenit. Ista conclusio intellecta de correctione rerũ ad fidei dogmata, & bonos mores pertinentium, est certa eadem certitudine fidei, qua supra probauimus, nullum in Vulgata contineri errorem, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide & in moribus colligi possit; igitur quantùm ad hoc Vulgata corrigi non potest, per Hebraicum, vel Græcum textum, sed potius vterque, pro vt modo est, corrigendus esset per Vulgatam Latinam; si quidem, vt vidimus agendo de illis, multi defectus, multaque vitia in illos irrepserunt. Secundo, proprium est Ecclesiæ, edicere quænam sit Scriptura Canonica: quamuis enim ipsa suam authoritatem à Spiritu Sancto, primario illius authore, accipiat: nihilominus quia eiusmodi authoritas ante definitionem Ecclesiæ latet nos, ideo opus est ad id definitione, vel declaratione illius, & sic olim declarauit Ecclesia libros aliquos esse Canonicos, de quibus aliqua tunc erat inter Patres concertatio, & nunc editioni Vulgatę authoritatem hanc Canonicam tribuit atqui nullam textui Hebraico arrogat, neque eo in vllis actionibus sacris vtitur, nec decreto aliquo expresso eum approbauit. Igitur non Vulgata per Hebræam, sed potius Hebræa per Vulgatam, tanquam per fidei regulam, non solùm quo ad se, sed etiam quo ad nos, corrigenda est, vbi opus esse deprehenditur.

Tertiò etiamsi textus originalis esset integerrimus, nullisque mendis, & erroribus scateret, non deberet tamen Vulgata per illum corrigi in rebus fidei,

& mo-

& morum, sed potius è contra. Ratio à priori est; quia regula ad corrigendum aliquid, debet esse certior saltem quo ad nos, vt ita possit regulare: sed de Latina Vulgata constat ex fide, esse authenticã, in omnibus, & per omnia ad fidem spectantia; de textu autem Originali, talem non habemus Ecclesiæ approbationem; igitur licet vtraque lectio, Originalis, scilicet, & Vulgata Latina esset incorrupta, non deberet secunda corrigi per primam in rebus fidei & morum, sed potius è contra. Nisi etiam de omnimoda textus originalis integritate nobis eadem Ecclesiæ proponentis authoritate constaret, tunc enim neuter textus propriè loquendo alterius esset regula, sed sibi potius ad inuicem de veritate testimonium perhibere dicendi essent. Ac si Deo ita disponente primi omnino Scriptorum Canonicorum authographi conseruati fuissent, eosque vt tales Ecclesia pro suo infallibilitatis priuilegio agnouisset, illi sine dubio prima & vltima essent cæterorum textuum, sacrorumque codicum regula & norma. Cur autem Deus ita rem se habere voluerit, vt Latina editio Vulgata, pro authentica fidei regula statueretur ab Ecclesia, non desunt plures congruentissimæ rationes.

Prima est, quia cum fidei certitudine connexa semper fuit Scripturæ veritas (ab hac enim illa pendet) propterea animaduertere licet, quod Ecclesiæ aut gentis integritatem, Scripturę textus comitatus est. Igitur quemadmodum Hebræi, quamdiu vera & sana fuit illorum Synagoga, habuerunt sua lingua authenticam Scripturam, ita vt solus Hebraicus textus Sacræ Scripturæ liber esset. Deinde, postquam illis deficientibus, ad Gentes fides Christi peruenit in lingua Græca, quæ tunc omnibus Gẽtibus maximè communis erat, vt Cicero pro Archia poeta testatur, quã etiam ob causã Apostoli & Euãgelistæ pro maiori parte Grçcè scripserũt, Græci quoque habuerunt Græcè authenticam Scripturam, id est testamentum vetus ex versione LXX & testamenti noui ipsos primos fontes, iam apud illos dubia fieri cępta origine Hebraica. Ita æquum fuit, vt Latina Ecclesia, in qua sedes Petri est, & in qua perpetuò fides Christiana mansura erat, haberet sua lingua authenticam Scripturam; talis est autem ex approbatione Ecclesiæ vnica Latina vetus & Vulgata.

Secunda, cùm in Concilijs etiam generalibus Ecclesiæ, aut paucissimi, aut interdum nulli inueniantur, qui linguam Hebraicam perfectè calleant: malè prouisum esset Ecclesiæ, si in rebus grauibus non posset fidere Latinæ editioni, sed deberet recurrere ad Hebraicos codices, & mendicare à Rabbinis hostibus suis veritatem; præsertim cum multa sint verba in Biblijs, quorũ hodiè ignoratur significatio; textusque Hebraicus ratione diuersorum punctorum diversã sententiam faciat; vnde semper essent contentiones, cum quibus punctis legi deberet, & quomodo verti deberet ipse textus: & quisque suam interpretationem, & lectionem, lectioni, & interpretationi alterius præferret; sicque controuersiæ exortæ per textum hunc Hebraicum nunquam finirentur. Idem dicere possumus de Græca lingua: nam etsi nũc vtcunque multi inueniuntur, qui Græcè nouerint, tamen non semper ita fuit. Nã si Ruffino credimus lib. 19. cap. 21. ex sexcentis Episcopis, qui ad Concilium Ariminense conuenerunt, nemo fuit qui sciret, quid sibi vellet ὁμοούσιος. Et propterea cùm callidi quidam Hæretici Arriani proponerent Synodo, an vellet Christum colere, an ὁμοούσιον, omnes clamauerunt se nolle ὁμοούσιον, sed Christum. Sicuti igitur dicit August. lib. 18. de ciuitate Dei cap. 42. dispositione diuinæ prouidentiæ factum esse, vt sacræ Scripturæ per 70. in Græcã linguam verterentur, & ob id *tam mirabile Dei munus acceperunt, vt illarum Scripturarum non tanquam humanarum, sed sicut erant, tanquam diuinarum etiam isto modo commendaretur authoritas credituris quandoque gentibus, futurum quod iam vidimus effectum*; Cum nedũ è Græcis essent cre-

dituri, sed ex latino eloquio, & omni gente, quæ sub cœlo est, quæ latini eloquij expers non erat, ad eamdem diuinæ prouidentiæ dispositionem pertinuit, vt in Ecclesia Latina, esset translatio etiam Latina, quæ ipsa approbante, saltem in his quæ pertinent ad fidē, & bonos mores inconcussę esset authoritatis, sine recursu ad originalem textum.

Nec refert quod plerumque solent obijcere hęretici, omnem translationem debere corrigi per originē vnde desumpta est. Quodque aqua in fonte sit clarior & purior, quam in riuulis. Vnde cum Hebraica & Græca lectio sit fons, & originalis Scriptura, videtur quod per illam sit corrigenda latina, & emendanda quæcumque in ea diuersè translata reperiuntur, vt Patres etiam passim docent, Hieronymus in epist. ad Marcellā; & ad Sunniam, & Fretellam; Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 11. 12. & 15.

Respondetur, ex hoc argumento, & alijs similibus probari tantùm, quod si certa fide constaret Hebræos, & Græcos codices in ea integritate durare, quam primùm habuerunt, antequam inde Vulgata extraheretur, per illos esset corrigenda, & comprobanda. Sed quoniam id non ita constat, imò potius quod multa temporis progressu vitiata sint, tàm in Hebræo quàm in Græco textu, vt supra ostensum est; per oppositum autem habeamus, ex declaratione, & definitione Ecclesiæ, quæ est columna & firmamētum veritatis, tanquam ex signo à posteriori infallibili, Vulgatam esse authenticam, hinc est, non debere corrigi per illos, sed potius è contra; quia iam certiùs nobis constat, de veritate translationis, quàm Originalis Scripturæ: Nemo enim dubitat accidentaliter posse contingere, vt translatio, quantum ad nos maiorem habeat authoritatem, quā Scriptura originalis: sicut si translatio esset sigillo authentico munita, vel alia certa signa & requisita haberet, vt esset authentica, non verò originalis vnde fuit translata, maior fides esset adhibenda translationi, quàm originali, vnde hæc per illam deberet regulari, nō è contra. Ita ergò, quia nostra vulgata decreto Tridentini est approbata, nō verò originalis Scriptura, quæ nunc extat; ideo nostra Vulgata maiorem authoritatem continet quantum ad nos, quàm originalis Scriptura, quæ nunc existit. Vnde, sicut vbi textus Hebraicus & Vulgata concordant, non negamus originalia esse authentica; eamdemque cum vulgata ex tali consensu habere posse authoritatem; ita vbi discordant, nec vlla ratione possunt ad concordiam inter se reuocari, præferenda est lectio Vulgata, & originalis per illam emendanda. Impossibile est enim, supposita semel Ecclesiæ approbatione, quod aliquod purum ex fontibus afferatur, & à Latina Vulgata dissentiat, cum verum vero consonare necessa sit. Per quod etiam patet ad exēplum de fonte, & riuulo: quando enim eadem certitudine liquet puritas vtriusque, tunc maior est claritas fontis, saltem originatiuè, secus verò, quando certius constat riuuli puritas; sic in nostro casu, fontes scripturarum anteponendi essent riuulis versionum, quando constaret fontes non esse turbatos: nunc autem fontes multis in locis turbidos fluere, iam ante ostendimus: & certè vix dubitari potest, quin sicut Latina Ecclesia constantior fuit in fide retinenda omnibus alijs; ita etiam vigilantior fuerit in suis codicibus à corruptione defendēdis.

Ad authoritatem SS. Patrum docentium ad fontes Hebræos, & Græcos esse recurrendum. Respondetur illos fuisse locutos de fontibus in sua puritate consideratis; vel etiam absolutè, quia enim illorum tempore nō erat approbata vulgata, aliquo Generali Concilio, sicut nūc est, hinc fit, quod tunc per originalem textum poterat corrigi, nam cæteris paribus, translatio per originem debet corrigi, non è contra: hic autem vt vidimus cętera non sunt paria. Quare, sicut post Christi mortem ante solemnem Euangelij prędicationem, legalia mortua quidem erant, sed non mortifera, & simul

cum

cum Euangelio currebant, donec cum honore sepeliretur Synagoga, vt Augustinus dicebat epistola ad Hieronymum, sic licet ante Tridentinum, tempore Augustini, & Hieronymi, posset impunè haberi recursus ad Hebræos & Græcos fontes, quia multa vitio Scriptorum, aut alia etiam causa erant in Latinis codicibus errata, magnaque illorum varietas, ita vt non certò constaret, quæ esset vera translatio Latina; iam tamen hoc non licet. quia habemus vulgatam sufficienter purgatam, Hieronymi labore, & industria, & ita non sine speciali Dei prouidentia in Ecclesia conseruatam & custoditam: eiusdemque diuinæ prouidentiæ dispositione, Ecclesia fidelis diuini verbi interpres, siue ad quam declaratio & discretio veræ versionis verbi Dei pertinet; nec enim vera esset Ecclesia, si pro vero verbo Dei, adulterinum, pro vera versione, inuersionē potius obtruderet, id definiuit, vt à posteriori cognosceremus solam Vulgatam esse authenticam, hoc est, Spiritus Sancti menti conformem; atque adeo, turbatis iam, qui per multa sæcula illibatè fluxerunt, originalibus fontibus, fideles puram aquam potius in riuo, quàm aquam turbidam in aliqua fontis parte ebiberent.

Nec indè sequitur ob aliqualem textus Originalis deprauationem, propterea Ecclesiam sacrilegij, vel negligentiæ incusandam esse; nam et si fontes humo oppleuerint impij, secundum eos, qui tenent dolo deprauatos codices, vel imperitia & incuria librariorum, aut alia de causa ita acciderit, alios puteos sibi fodit Ecclesia, vbi eadem aqua purgata seruaretur, & tantùm abest, vt propter hoc sacrilegij sit, vel negligentiæ culpāda Ecclesia, vt potius maximam ex hoc laudem promereatur, quod pro sui status ratione Latina lingua purum, & incorruptum curauerit seruari verbū Dei, illudque purgatis codicibus legi, quam emendatissimè, sicuti, omnibus alijs ferè gentibus à fide Orthodoxa & vnitate Ecclesiastica per schisma & hæreses discedentibus, Latinorum fides, pura & sincera & orthodoxa remansit. Namque ex illis fontes in ea parte, qua turbidè fluunt, possunt facilè purgari. Et ne eamdem textus Sacri corruptionem etiā in Latinam editionem hodiernæ hæreses inueherent, satis fortiter obstitit, dum vnicam latinam veterem & vulgatā pro authentica approbauit. Tandem libenter admittimus Hebræos & Græcos fontes esse valde vtiles, quod infra conclusione tertia demonstrabimus; sed non sequitur ex hoc, vt malè inferunt Hæretici, illos solos esse authenticos, vel, quod magis risu dignum est, esse magis authenticos. Satis namque est, quod vtraque originalia, & exemplata sint æqualis authoritatis, vbi concordant; vbi verò originalia dissonant à vulgata, meritò illis Vulgata præfertur, debentque per illam expurgari.

Dico secundò, nec etiam in minimis recurrendum esse ad Hebraicos, & Græcos fontes, pro corrigenda Vulgata. Ista propositio non est æquè certa, ac præcedens; nihilominus est tam certa, quàm certum est ex dictis superiori capite, Vulgatam etiam in minimis nullum cōtinere errorem, inconcussamque habere authoritatem. Vndè quantum ad hoc præcisè, non est cur per Hebraicos & Græcos fontes corrigi debeat; neque vt fidem faciat, indiget recursu ad illos, sed adhuc quando ab illis nunc existentibus dissentit, est vera regula fidei, neque priori originali vllo modo contraria, cū sit ita exacta, & perfecta, saltem essentialiter, vt sensum authoris verissimè & fideliter reddat. Quare cautè sunt legendi auctores, qui post Concilij Tridentini approbationem, per Hebræos, vel Græcos codices corrigendam esse docent nostram Vulgatam. Nisi loquerentur de correctione, vel emendatione largo modo sumpta; quod enim aliqua editio Scripturę Sacrę corrupta sit, duobus modis contingere potest. Primum, quod non solùm verbis, sed etiam sensu sit corrupta, quæ sicut est corruptio propriè dicta, ita etiam illi correspōdet correctio propriè dicta. Secundo modo,

quo ad verba tantum, sed non quo ad sensum corrupta esse potest, id est, minus perfecta. Qui modus, cum nihil impediat rerum veritatem, aut textus integritatem, nonnisi corruptio lato modo, vel minor perfectio vocari potest: verba enim vel rudia, vel minus apta, & significantia esse possunt, quæ tamen falsum sensum non inducant, sed verum sensum et si minus perspicuè aut propriè, retinent. Igitur, cum ex dicendis capite subsequenti vulgata editio possit esse perfectior, licet quidem asserere illam corrigi posse (loquendo de correctione impropriè & largo modo sumpta, quatenus cum maiori semper, & maiori alicuius rei perfectione coincidit) recurrendo in aliqua parte ad Hebraicos, vel Græcos fontes, V. g. vt ex illorum inspectione, id quod obscurum est, clarius; quod minus proprium, significantius; quod minus elegans, ornatius efferatur; secus autem ad textum vulgatem falsitatis alicuius condemnandum. Quare in tractatu Vulgatæ Latinæ Patris Marianæ, expuncta sunt per expurgatorium editum Marriti anno 1612. ex cap. 21. 22. & 23. illa verba, quibus totam Vulgatæ certitudinem reducit ad conueniētiam cum fontibus Hebręis, vel Græcis, nunc existentibus. Videtur enim aperire ostium infidelibus ad negandam authoritatem Vulgatæ, imo & fidelibus, sub prętextu non conueniendi cum fontibus in aliquibus: quod tamen Concilium Tridentinum maximè pręcludere conatum fuit, dicens: *vt nullo prætextu possit reyci*. Imo talis sententia Patris Marianæ & aliorum, eneruat totum decretum Tridentinum, oam si vulgata in tantum est authentica fidei regula, in quantum cum fontibus conuenit, & quando discrepat est vitiosa, vel incuria scribentiū, vel defectu interpretis; ergò absolutè nō est authentica: neque per decretū Concilij maiorem quo ad nos recepit certitudinem, quàm antea haberet, quia etiā ante decretum id obtinebat, sub dicta conditione: ergò si Tridentinum tantū sub prædicta conditione decreuit, iam nihil absolutè, & de nouo definiuit, sed lis mansit vt antea; idemque de omnibus alijs editionibus Latinis, ęquè, ac de Vulgata asseri posset.

Tertio dico, post emendata Biblia adhuc esse multas vtilitates, quę ex inspectione fontium proueniunt, ob quas Ecclesia liberum fidelibus campum reliquit, ad illos recurrendi. Ista conclusio est omnium doctorum Catholicorum; nec efficacius demonstrari potest, quàm adducendo eiusmodi commoda, siue vtilitates. Prima est, ad auferendas ambiguitates verborum, & nominum, vt an nomen sit substantiuum, vel adiectiuum; cuius casus, & generis. V. g. vbi prouerbiorum cap. 11. dicitur, *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra* &c. ibi, *suis*, est nomen substantiuum, ad casum nominis adiectiui, suus, sua, suum, discernendum. Matthęi 3. *Potens est Deus suscitare filios Abrahæ*, Abrahæ est casus datiuus. 1. Corinthorum cap. 4. *Auferte malum ex vobis ipsis*: malum, quod ex nominis Latini æquiuocatione neutrum & masculinum esse potest, in Gręco masculinum est. Similiter circa verba est ęquiuocatio in tempore, V. g. Marci 7. *Ephphetha, quod est adaperire*: non est modi infinitiui, sed imperatiui passiui, & ex originali hoc dignoscitur. Ioannis 7. *Tempus meum nondum aduenit*, non potest discerni, cuius mentio fit temporis, at ex Gręco dicendum est præsentis. Ex his & alijs similibus exemplis patet licere nobis recurrere ad Hebræos & Gręcos fontes, quando verba, aut sententia in Vulgata Latina anceps est, si fortè ibi non sit ambiguitas, vt ex eis sine ambiguitate percipiamus sensum lectionis latinę.

Secunda vtilitas est, ad energiam & proprietatem orationis intelligendam; siue quod idem est, ad explicandas dictiones, quę in sua lingua natiua vim habent, nec in Latina plenè exprimi potuerunt. Tale est illud Exodi 1. *ædificauit illis domos*, ex Hebraica enim phrasi intelligimus significare fœcunditatem & filiorum copiam. Psal. 38. *Ecce mensura-*

surabiles posuisti dies meos; vbi Hebraica vox significat non quamcumque mensuram, sed quatuor digitorum, hoc est breuissimam mensuram. In hoc autem sicut & in præcedenti casu satis patet nõ corrigi, sed declarari Vulgatam Latinam per Græcam & Hebræam.

Tertia vtilitas, ad emendandos, si qui sint in nostris codicibus, librariorũ errores; V. g. Ecclesiastici cap. 45. aliqui mendosi codices versu 6. legunt, *Dedit illi cor ad præcepta*, emendati tamen codices, & Vulgata habent, dedit illi coram præcepta, & sic habent Græca: in Latino verò facilè fuit contingere prædictum errorem. Et sic de alijs similibus. Non est tamen temerè asserendum hoc vel illo loco esse errorem librariorum, nisi consulantur plures, illique emendatiores codices, & lectiones Patrum. Cum autem contingit talem librariorum errorem reperiri, qui per originales codices corrigatur, non tàm corrigitur vulgata lectio, quàm librariorũ inscitia, vel incuria, & ab erroribus liberatur vulgata Latina.

Quartò, quandò Latini codices variant, nec possumus certò statuere quæ sit vulgata lectio, tunc vtile est recurrere ad fontes, vt ex illis iuuemur ad inueniendam veram Latinam lectionem, in quo casu non corrigitur, sed quæritur vera vulgata lectio. V. g. Tobiæ cap. 5. versu 6. quidam Latini codices habent: *Quibus ante iurauerat, vt ostenderet illis terram lacte & melle manantem*: quidam verò alij codices habent, *vt non ostenderet*; & hæc posterior lectio verior est, quia in Hebræo constanter additur, *non*, & ita legit nostra Vulgata.

Quinta vtilitas est, ad agnoscenda multa nomina tum Hebraica, tum Græca in Vulgata relicta propter sanctiorem antiquitatis rationem, nec nisi paraphrasticè verti poterant, vt docet D. August. lib. 3. de Doctr. Christiana, talia sunt, Abba, Osanna, Alleluia, aliaque similia, & in Græca lingua Encenia, Neomeniç, Parasceue, Moechia, Schisma, Melotum &c.

Sexta ad plures sensus ex eadem sententia originali eruendos, sæpe enim vox Hebraica, vel Græca ambigua esse solet, plures que habere significationes; huiusmodi est illud Isaiæ 5. *Expectaui, vt faceret vuas, & fecit labruscas*; vbi ex eadem voce Septuaginta transtulerunt spinas, & vtrumque significari potest eodem verbo. Similiter illud Ioannis 19. *videbunt in quem transfixerunt*; potest etiam verti, in quem insultauerunt, vt ijdem Septuaginta verterunt, & sic duplex habetur sensus illusionis, & transfixionis.

Septimò, cum tam Hebraica, quam Græca lingua suas habeat phrases, & idiotismos, sua prouerbia, & alia similia, satis patet, quantùm originalis textus inspectio vtilitatis afferre potest ad perfectam Scripturæ intelligentiam; pro vt de hac re legi potest Arias Montanus in idiotismis ad linguam Sanctam, Driedo, Sanctes Pagninus, Salmeron in prolegomenis, Petrus Garsia Episcopus Cauriensis lib. 1. Euangelic. institut. alijque plures.


Octaua vtilitas est, quod quædam originalis textus vocabula tàm Hebraica quàm Græca quandoque vocis vsum lusumque præbent, quem seruare nequeunt in alienam linguam translata. V. g. Ecclesiastici 43. vers. 7. *à Luna signum diei festi, luminare quod minuitur in consummatione. Mensis secundum nomen eius est*: Luna enim Græcè dicitur μήνη, & mensis μήν. Ieremię quoque cap. 1. versu 12. cum particula illa *Soced* nucem & vigilias significet, aptius vertit interpres, *Virgam vigilantem ego video*, quam baculum nuceum, nam occasione illius nominis alludens Dominus respondit, *Benè vidisti, quia vigilabo ego*.

Nonò, etiam si textus Hebraicus vitiatus sit, & corruptus, præcipuè à tempore D. Hieronymi, nihilominus non ita est vitiatus, quin censeatur esse summæ vtilitatis ad conuincendos Iudæos, & hæreticos de suis contra Ecclesiam Catholicam erroribus: nam cum illi huic textui summam authoritatem tribuant, diui-

diuina prouidentia quodammodo defuisset, si ex ipso textu firmissima quædam argumenta ad eos retundendos nō suppeterent: præsertim cum defectus illi qui in hunc textum irrepserunt, fidei documentis non aduersentur, vt iam notauimus supra agendo de illo: V.g. quando abraserunt Iudęi ex versu illo Psalmi 91. particulam hanc, *à ligno*; non ideò sequitur Christum non fuisse passum super lignum, & ex sua passione non prodijsse regnum eius, nempè Ecclesiam noui testamenti. Similitèr quando Hæretici illud Psalmi 118. *Inclinaui cor meū ad faciendas iustificationes tuas in ęternum propter retributionē*, ex illa voce עקב ipsi vertunt *in finem*, vt merita hominum deprimant in ordine ad consecutionem vitæ æternæ, satis ex fonte refutantur, qui admittit etiam nostram significationem, ex Pagnino. Actor. 13. vbi legimus, *ministrantibus autem illis Domino*, recurrendo ad fontem sacrificium contra Hæreticos probamus ex Græco, legendo, vt vertit Erasmus, *Sacrificantibus autem illis Domino*, λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ, Et sic de alijs.

Decimò tandem & vltimò mirum in modum conducit ad Catholicorum consolationem, qui Hebraicas, & Græcas litteras præsertim degustarunt videntes nostram editionem quanta cum grauitate, & veritate translata sit, & quod in essentialibus, ab originalibus modo etiam extantibus, in nullo discordat; de quo videndus est Montoia lib. 2. de editionū concordia. Tantùm breuiter de præcipuis vtilitatibus, siue commodis, quæ ex recursu ad originalem textum prouenire possunt, fusius enim de illis agunt præfatus Episcopus Cauriensis lib. 1. Institution. Euangelic. Melchior Canus lib. 2. de locis, cap. 14. Dominicus Grauina lib. 4. Catholicar. præscript. de Sacrorum Bibliorum versione. Petrus Lorca 22. tract. de locis disput. 11.

5 Quod huc vsque diximus de originali textu, debet à fortiori intelligi de alijs quibuscumque interpretationibus, aut versionibus; nimirum nunquam licitum esse, per illas Vulgatam Latinam corrigere: vndè quando in illis occurrit aliquid aliter se habens, quam quod in Vulgata continetur; vel se habent tanquam affirmatio, & negatio, hoc est, vt sint omnino contraria, vel contradictoria; & tunc contrariè, vel contradictoriè Vulgatæ opposita sunt omnino reijcienda. Si verò se habeant vt diuersa tantùm tunc distinguendum est, nam vel contextus originalis, qua parte turbidè non fluit, ea patitur, vel non. Si non patitur, tanquam extranea pariter ablegandæ sunt, si verò admittere possit, tunc recipienda sunt, sed cum hac subordinatione, vt sensus vulgatę authenticus agnoscatur, aliarum verò editionum sensus, vt probabiles tantùm, quique veluti administri vulgatæ illustrandę subseruiant. Si quæ verò loca de industria in correctionibus Romanis ad offensiones vitādas relicta, tanquam minus clarè, vel eleganter translata reperirentur, vt capite subsequenti dicemus, non esset vlius priuati aliquid mutare, vel præferre, sed ad summum à viris doctis possent annotari, & Ecclesiæ iudicio relinqui, vt, si nouam aliquando impressionem eius mandato fieri contingeret, eiusdem etiam authoritate ponerentur, quæ essent præferenda, & aliorum loco subroganda. Scripturam enim Sacram vt rectè interpretari, ita & rectè vertere (vt sic vtraque tam interpretatio quàm versio authoritatem publicam habeat) Spiritus Sancti donum est, nec cuilibet datum, sed solis Catholicis in fidei regula benè fundatis, & in Sacra doctrina multum exercitatis, ex legitima superiorum authoritate concessum. Quare & Diuus Hieronymus presbyter cum esset, & insignis Theologus, ex authoritate Damasi Papæ de nouo vertit, & correxit Scripturas.



CA-

CAPVT LXXXIX.

De perfectione Vulgatæ editionis Latinæ.

EGimus in præcedentibus de veritate, & fidelitate Vulgatæ editionis, ostendimusque illam esse fidelissimam, & veram in omnibus, & singulis, ita vt interpres verum cuiuscumque loci sensum, & assecutus fuerit, & sufficienter expresserit; nunc breuiter differendum est de eiusdem perfectione. Pro cuius intelligentia notandum est primò, quod sicut in alijs rebus duplex perfectio distinguitur essentialis vna, quâ res verè assequitur sui generis naturam, accidentalis altera, qua debitis sibi accidentibus ornatur, quibus veluti accidentali forma informatur; vt enim docetur 1.p. qu.4. nulla res creata per seipsam, suaque prædicata essentialia potest habere omnem perfectionem sibi debitam consummatè, & vltimatè, nisi per aliquid sibi accidentaliter superueniens. Rursus ex D.Thoma 1.p. quæst.73. artic.1. duplex est rei perfectio, prima & secunda. Prima quidem perfectio est secundum quod res in sua substantia est perfecta. Quæ quidem perfectio est forma totius, quæ ex integritate partium consurgit. Perfectio autem secunda est finis. Finis autem vel est operatio, sicut finis citharistæ est citharizare: vel est aliquid ad quod per operationem peruenitur, sicut finis ædificatoris est domus, quam ædificando facit. Quemadmodum, inquam, alijs in rebus prædictas distinguimus perfectiones, sic etiam in translationibus & versionibus dicendum est, quod duplex perfectio considerari potest, essentialis, & accidentalis; rursus prima, & secunda, siue totalitatis, & finis perfectio. Tam essentialis, quam finis perfectio, respicit fidelitatem, & veritatem versionis in exprimendo sensum, & sententiam originalis scripturæ; accidentalis verò, vel totalitatis, quod ad eius ornatum attinet, & in tribus consistit. Primò, in claritate, & perspicuitate: potest enim eadem sententia clarius, & obscurius exprimi; & quantò clariùs exponitur, tantò erit perfectior translatio. Secundò, in vi, & energia verborum: nam quædam verba plus declarant vim alicuius sententiæ, quàm alia; & aliquid profundius in eadem sententia manifestatur, quàm in alia. Tertiò in eloquentia, & ornatu sermonis: est enim sermo elegans, melior & gratior, si seruatur modus eloquentiæ, qui accommodatus sit rebus, quæ proferuntur.

Obseruandum est secundò, non quotiescumque in vulgata editione occurrit aliquid vel obscurum, vel inelegans, vel minus efficaciter sensum authoris exprimens, fuisse defectum interpretis, quia sæpe obscuritatem parit ipsa originalis obscuritas, quia sententia in se obscura, non potuit non obscurè reddi: & nonnunquam inelegantiam, & inefficaciam verborum peperit ipsius linguæ Latinæ defectus, quia non habuit meliores voces, qui responderent originali linguæ, & vti circumloquijs obscurius, & fortè etiam minus elegans fuisset.

Tertiò notandum est esse discrimen inter veritatem, & alicuius rei bonitatem, ac perfectionem; quod veritas indiuisibilis est, & vna in omnibus, quæ vera fuerint: secus bonitas, vel perfectio: quia melius, vel perfectius dicitur aliquid propter perfectiones, non solùm essentiales, sed etiam accidentales; quatenus bonum ex integra causa consurgit perfectumque dicitur cui nihil deest eorum quæ debet habere. Vnde hoc discrimen debet intelligi de veritate rei, quæ plerumque nonnisi essentialiter sumitur, relatiuè ad bonitatem vel perfectionem absolutè sumptam, quia si sit sermo de perfectione essentiali tantùm, quæque nonnisi perfectio secundùm quid dici solet, comparatè ad absolutá, certum est quod etiam consistit in indiuisibili, nec suscipit magis, & minus. His præmissis pro explicatione difficultatis;

Dico primò; loquendo de perfectione essentiali, & finis, non fuit, nec potest dari

dari alia versio perfectior nostra Vulgata. Ratio est, quia ex primo notando, perfectio essentialis & finis translationis consistit in hoc, quod nullum errorem, ne quidem leuissimum, contineat, sed verè, ac fideliter sensum authoris reddat, & ex tertio notando, veritas consistit in indiuisibili, nec suscipit magis & minus. Ergo cum ex dictis supra certissimum sit, Vulgatam editionem Latinam nullum penitus habere errorē, verissimèque ac fidelissimè expressisse authoris mentem; eadem certitudine tenendum est, si loquamur de perfectione essentiali, & finis, non fuisse, nec dari posse aliam, illa perfectiorem, vt satis apparet.

Dico secundò, si sit sermo de perfectione accidentali, vel totalitatis absolutè, nostraque vulgata tota simul, & integra cōferatur cęteris latinis editionibus, præferenda est illis tanquam omnium perfectissima. Dixi si integra, & totalis versio consideretur, & totum toti comparetur, quia nullum est inconueniens concedere, quod in alijs editionibus Latinis, quædam elegantius vel significantius, vel etiam clarius translata reperiuntur. Conclusio sic explicata, probatur primò ex approbatione Ecclesiæ, quæ in Concilio Tridentino definiuit, vt sola Vulgata pro authentica haberetur; non alia certè ratione, nisi quia iudicauit illam esse omnium perfectissimam. Secundò, quia ita expressè habetur in præfatione Bibliorum Sacrorum Vulgatæ editionis, post vltimam eius à Sixtò V. & Clemente VIII. factam correctionem; nam post illa verba, *Accipe igitur Christiane lector ex Vaticana Typographia veterem ac vulgatam Sacræ Scripturæ editionem, quanta fieri potuit diligentia castigatam*; statim subditur; *quam quidem sicut omnibus numeris absolutam, pro humana imbecillitate affirmare difficile est, ita cæteris omnibus, quæ ad hāc vsque diem prodierunt, emendatiorem, purioremque esse minimè dubitandū*. Tertiò tandem probatur ex dignitate interpretis, si quidem ex his qui Latinas huc vsque versiones ediderunt, nullus fuit sanctior, nullus doctior Hieronymo, qui vulgatam iubente Damaso partim emendauit, partim ex Hebræo traduxit, cuius dignitatis signum à posteriori infallibile, est iudicium & approbatio Ecclesiæ, quodque cęteræ versiones Latinę sepultę sint cum honore, sola Hieronymiana superstite.

Dico tertiò, editio Vulgata in seipsa considerata potuit esse perfectior accidentaliter; ista propositio est communis omnium Theologorum; nec efficacius probari potest, quàm discurrendo per tres supradictas perfectiones accidentales, & ostendendo illarum defectus aliquoties in Vulgata reperiri. Primò enim, in nonnullis locis aliqua potuisse clarius exprimi, quæ tamen satis obscurè versa sunt ab interprete, patet Psal. 18. vbi dicitur, *In Sole posuit tabernaculum suum*, quod obscurum est: nam significare videtur, Deum posuisse tabernaculum suū in Sole, quod longè abest à sensu Psalmi: sensus quippè est, soli constitutum esse tabernaculum in cęlo, & interpres pro *Soli*, dixit, *in Sole*, imitatus phrasim Hebræam. Psalmo 91. dicitur, *Benè patientes erunt, vt annuntient*: cuius sensus est, erunt robusti, & valentes viribus, vt annuntient: id enim postulant verba antecedentia: *adhuc multiplicabuntur in senecta vberi*; neque hic declarat Interpres cuius rei futuri sint illi patientes, nam in genere & simpliciter affirmat eos fore patientes, cùm tamen sententia velit eos fore laboris patientissimos, quod est proprium robustorum, & viribus pollentium; quo fit, vt interpres in hoc loco obscurius sententiam Scripturæ reddidisse credatur.

Præterea quædam significantius, & cum maiori verborum proprietate transferri potuerunt, vt Prouerb. 3. *Cum simplicibus sermocinatio eius*, verbum Hebręū pro quo interpres vertit *sermocinatio*, nō quemcumque sermonem, & colloquium significat, sed illud in quo de rebus secretis & abditis agitur: & ideo sententia Salomonis significatius magisque

pro-

propriè exprimeretur si ita transtulisset interpres, *& cum simplicibus secretum colloquium eius*; Psal. 38. *Ecce mensurabiles posuisti dies meos*: quo loco verbum Hebræum *Tephachot*, non significat quamcumque mensurã, sed eam quæ est breuissima, & veluti quatuor digitorum: vndè accommodatius ita transtulisset, *breuissimæ mensuræ fecisti dies meos*.

Tandem, multa etiam in Sacris litteris elegantius, magisque ad regulas Grãmaticæ verti potuisse, quàm fuerint ab interprete translata constat, Psalmo 90. *Scapulis suis obumbrabit tibi*, pro, *obumbrabit te*: item Psal. 128. *Etenim non potuerunt mihi*, pro, *non praualuerunt*. Sapientiæ 4. *Spuria vitulamina non dabunt radices altas*, pro, *Spuriæ plantationes*: Interpres enim excogitauit vocem *vitulamen*, nusquam antè Latinam, ad imitationem Græcarum vocum: nam *Moschos* Græcè, est vitulus; & *Moscheuma*, quod à moscho deriuari videtur, nón vitulum, aut aliquid vituli, sed nouellas plantationes significat: id imitatus interpres à *vitulo* formauit vocem *vitulamen*, quæ sicut *Moscheuma*, non aliquid vituli, sed noua germina significaret. Et sic de alijs, quæ videri possunt apud Lindanũ lib. 2. de optimo genere interpretandi, Canum lib. 2. de locis Theologicis c. 14. & plures alios ex recentioribus, qui sententiam nostram sequuntur. Quæ vera est, neque contraria quoquo modo decreto Concilij Tridentini, quod de veritate, & fidelitate versionis tantùm sollicitum fuit, declarando illam in omnibus esse authenticam, non autem in omnibus clarissimam, & elegantissimam; quasi perfectior accidentaliter fieri non posit. Neque prædicti defectus quicquam authoritatis detrahunt huic editioni, quoniam leuissimi sunt, & de industria permitti potuerunt, vt homines scirent, Sacræ Scripturæ dignitatem non ex verbis, sed ex sensu æstimandam esse; quia regnum Dei non est in sermone, sed in virtute Spiritus; vt statim dicemus; Deindè, quia, quod aliqua sint minus congrua, iuxta regulas Grammaticæ, vel ornata iuxta regulas Rethoricæ, pertinet tantùm ad proprietatem vocis, non autem ad veritatem sensus, quam Spiritus Sanctus medio interprete solùm prætendit; & ita vti voluit illius peritia, permittens aliquos defectus in Grammatica, ab interprete prouenientes: nam hoc non obstat sensui, & fini ab illo intento.

Dico quartò, non esse expediens, vt vulgata cultiori lingua Latina edatur, vel vt rursus è fontibus alia noua translatio fiat, qua etiam puriori Latina lingua Scriptura traducatur; Ista conclusio, quæ quoad vtramque partem ijsdem fundamentis innititur, est aduersus omnes ferè nostrorum temporũ Hæreticos. Cùm enim olim Gentilium vox esset aduersus Scripturas nostras ex Arnobio lib. 1. contra Gentes, quod barbarismis, & solæcismis obsitæ essent. Hos è vestigio secuti sunt Nouatores illudendo vulgatę quod sit solæcisinis, & barbarismis referta, aut saltèm parum elegans, & cultã; qui proinde vellent, vt illa submota in illius locum Latinior alia succederet, sicque conati sunt aliqui inter eos sciolis, aut nouas translationes cudere, aut veterem nouis phrasibus traducere, & emendare; non alia certè ratione, vt experientia didicit, nisi vt latior illis campus ad hæreses inueniendas aperiretur, & sub verborum lenocinijs Scripturas peruertendo suos errores faciliùs instillarent; vt dicit Cyrillus Hierosol. Cathecesi. 4.

Facilè tamen aduersus illos probatur nostra conclusio, omnibus illis rationibus, & congruentijs, quibus, et si Spiritus Sanctus ipsam originalem Scripturam, magis accommodatè ad regulas Grammaticæ, & Rethoricæ hominibus tradere potuisset, docuerunt tamen Patres illum tale dicendi genus assumere voluisse, quod non ad ostentationem, sed communi addiscentium vtilitati deseruiret, quodque in figuris potius, & grauitate sententiarum, quàm in verborum calamistris positum esset. Nam si in ipso originali textu non verba composita, & oratorijs floribus adornata, sed eruditio, & simplicitas quæritur verita-

tis, certè vt riuus fonti correſponderet, dedecebat Scripturam transferri ſecundum ventoſæ huius ſæculi eloquentiæ leges. Sed potius, ſicut in originali Spiritus Sanctus attemperatur ſimilitudinibus, ac rebus inferioribus diuina Sacramenta tradendo, & explicando, ſic debuit interpres verbis condeſcendere humanis, vt ineffabilia humano modo, & more loquens ad notitiam hominũ deduceret, & manifeſtiorem ſenſum legentibus præberet, etiam ſi Grammaticas, vel rethoricas regulas nõ ſeruaret. Quod tamẽ debet intelligi de ſæculari, vel inani eloquentia, in verborum floſculis poſita, quæque duntaxat illecebris aurium deſeruiat; nam ſi loquamur de caſta, & ſenili eloquentia, quæ vt docet D. Auguſtinus lib. 4. de doctrina Chriſtiana, Sacram Scripturam, ſacroſque Scriptores & interpretes decet, & quæ etiam Sapientium arrogantiam humiliat; quæ vt iure ſuo vtens, habet ſuas quoque figuras & ſchemata; ſectione 7. huius libri agendo de rethorica in ordine ad ſacram doctrinam, oſtendemus illos ne dum Sapientes, ſed & eloquentes fuiſſe, Scripturarumque eloquentiam omnem vim dicendi exuperare, omnemque eloquentiam continere, vt quadrangulum continet triangulum; vnde ſicut iure ſuo interdum vtitur, vt ancilla ipſa eloquentia ſe ſe eius legibus accommodando; ita cum opus eſt, iure ſuo & arbitrio, eiuſdem ornamenta, & verba inuertit.

Prima ratio, vel congruentia noſtræ concluſionis deſumitur ex efficacia verbi diuini; nam vt dicit Apoſtolus 1. Corinth. cap. 2. *Sermo meus, & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapiẽtiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritus, & virtutis, vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei*: Igitur quemadmodum fidei propagatio, & incrementum, principumque huius ſæculi profligatio, atque triumphus non verbis humanis contigit, ne humanæ indignè tribueretur ſapientiæ; ita non erat, quod ſcriptura, eiuſque translatio, per quam fides noſtra nutritur, atque defenditur, ad officinam, & incudem Tullij vel Demoſthenis cuderetur, ne plus eloquentiæ, quàm virtuti Dei daretur, vbi per Scripturarum affectatam locutionem triumphum de hoſtibus reportare contigiſſet, cum tamen pèr oppoſitum res ſe habeat, docente Chryſoſt. homil. 46. operis imperfecti in Matt. *Propterea omnia verba diuina quamuis ruſtica ſint, & incompoſita, viua ſunt, quoniam intus ſenſibus ſuis habent poſitam veritatem Dei, quaſi ſanguinem in venis incluſum: & ideo viuificant audientem, ſicut teſtatur Petrus ad Chriſtum dicens. Quo ibimus verba viua habes. Omnia autem verba ſæcularia, quoniam non habent in ſe virtutem Dei, quamuis ſint compoſita, & ingenioſa mortua ſunt.* Magis igitur ferit euaginatus, ſimplex, & nudus gladius Spiritus, quod eſt verbum Dei, quàm ſi vagina ornaretur; *Non quia*, inquit Auguſtinus lib. 4. de doctrina Chriſt. cap. 16. loquendo de ſimplici Scripturæ ſtylo, *neque incedit ornata, neque armata, ſed tanquam nuda congreditur, ideò non aduerſarium neruis, lacertiſque collidit, & obnitentem ſubruit ac deſtruit membris fortiſſimis falſitatem.*

Secunda ratio petitur ex parte materiæ, nam Pſal. 11. dicitur, *Eloquia Domini eloquia caſta*, non igitur fucatis verborum calamiſtris meretricio more componenda erant, nec enim fœminam honeſtam, niſi caſtus ornatus decet; ſed potius à Spiritu puro, & ſimplici, pura, ſimplexque oratio expectanda erat, qualis in vulgata reperitur. Deindè, quia vt benè dicit Arnobius loco citato lib. 1. contra Gentiles, cum de rebus diuinis agitur, & ab omni oſtentatione ſubmotis; *Quid dicatur, ſpectandum eſt, non quali cum amænitate dicatur, neque quod aures commulceat, ſed quas afferat audientibus vtilitates, maximè cum ſciamus etiã quoſdam ſapientiæ deditos non tãtum abieciſſe ſermonis cultum, verùm etiam cum poſſent ornatius, atque vberius eloqui, triuialem ſtudio humilitatem ſecutos, corrumperent ſcilicet grauitatis rigorem, & ſophiſtica ſe potius iactatione oſtentarent.*

Enim-

Enimuerò dissoluti est pectoris in rebus serijs quærere voluptatem, & cùm tibi sit ratio cum malè se habentibus, atque ægris sones auribus infundere dulciores, non medicinam vulneribus admouere. Hactenus Arnobius loco citato, vbi obiectionibus Gentilium contra minùs cultum in aliquibus locis scripturæ sermonem satisfaciens, ipsos pariter nouatores, omnesque illos delicatulos, & comptos Grammaticulos, qui plus æquo sæcularem in sacris litteris elegantiam, vel eloquentiam requirunt, non minus acriter reprehendit, quàm confutat. *Ab indoctis*, inquiunt, *hominibus, & rudibus scripta sunt, & idcirco non sunt facili auditione credenda.* Respondet. *Vide ne magis hæc fortior causa sit, cur illa non sint vllis coinquinata mendacijs, mente simplici prodita, & ignara lenocinijs ampliare.* Rursus obijcientibus, *triuialis & sordidus sermo est*; respondet; *nunquam enim veritas sectata est fucum, nec quod exploratum est, & certum, circumduci se patitur orationis per ambitum longiorem.* Iisdem denique obijcientibus; *Barbarismis, & solæcismis obsitæ sunt res vestræ, & vitiorum deformitate pollutæ.* Respondet; *Pueriles sanè, & angusti pectoris reprehensio, quam si admitteremus, vt vera sit, abijciamus ex vsibus nostris quorumdam fructuum genera, quod cum spinis nascuntur, & purgamentis alijs, quæ nec alere nos possunt, nec tamen impediũt perfrui nos, eo quod principaliter antecedit, & saluberrimum voluit esse natura. Quid enim officit, ò quæso, aut quam præstat intellectui tarditatem, vtrum ne quid leue, aut hirsuta cum asperitate promatur? inflectatur, quod acui; an acuatur, quod oportebat inflecti? aut quid minus, id quod dicitur, verum est, si in numero peccetur, aut casu, præpositione, participio, coniunctione, pompa ista sermonis, & oratio missa per regulas concionibus, litibus, foro, iudicijsque seruetur, deturque illis, imò, qui voluptatum delinimenta quærentes, omne suum studiũ verborum in lumine contulerunt.*

Arnobio accedit Ambrosius in Lucam cap. 2. vbi explicans illud Isaiæ; *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui*; ait, *imo præsepium dixerim sicut scripsit, qui transtulit: nihil enim apud me distat in verbo, quod non distat in sensu. Nam si orator illorum, qui phaleras sermonum sequuntur, negat in hoc fortunas positas esse Græciæ, hoc, an illo verbo vsus sit, sed rem spectandam putat: si philosophi eorum, qui totos dies in disputatione consumunt, minus latinis, & receptis vsi sermonibus sunt, vt proprijs vterentur; quantò magis nos negligere verba debemus, spectare mysteria, quibus vincit sermonis vilitas, quod operum miracula diuinorum nullis venustata sermonibus, veritatis suæ lumine refulserunt.* Idem sæpius, & ad copiam docet D. Augustinus præsertim lib. 2. de doct. Christ. cap. 13. & lib. 3. cap. 3. lib. 4. locutionum sacræ scripturæ; & lib. de Cathecizandis rudibus, vbi perfrictam Hæreticorũ nostri temporis audaciam præuidens, sic illam repressit, dum cathecizandos instruit: *Sunt*, inquit, *quidam de scholis vsitatissimis Grammaticorum, oratorumque venientes, quos neque inter idiotas numerare audeas, neque inter illos doctissimos; quorum mens magnarum rerum est exercitata quæstionibus. Hi qui loquendi arte cæteris omnibus eccellere videntur, cum veniunt, vt Christiani fiant, hoc amplius, quàm illis illiteratis impartire debemus, quod sedulò monendi sunt, vt humilitate induti Christiana discant non contemnere, quos cognouerint morum vitia, quàm verborum amplius deuitare, & cordi casto linguam exercitatam, nec conferre audeant, quam etiam præferre consueuerant. Maximè autem isti docendi sunt scripturas audire diuinas, ne sordeat eis solidum eloquium, quia non est inflatum. His enim maximè vtile est nosse, ita esse præponendas verbis sententias, vt præponitur animus corpori. Ex quo fit, vt ita malle debeant veriores, quàm disertiores audire sermones. Sicut malle debent prudentiores, quam formosiores habere amicos. Nouerint etiam non esse vocem ad aures Dei, nisi animi affectum. Ita enim non irridebunt, si aliquos antistites, & mi-*

nistros Ecclesiæ fortè animaduerterint, vel tam barbarismis & solæcismis Deum inuocare, vel eadem verba, quæ pronuntiant non intelligere, perturbateque distinguere. Non quod ista minimè corrigenda sint, vt populus ad id, quod planè intelligit dicat Amen, sed tamen piè toleranda sunt ab eis, qui didicerunt, vt sono in foro, sic voto in Ecclesia benedici. Hactenus Augustinus. Quo nihil ad præsens institutum præclarius dici potest: & vt ostendatur apparatus verborum curandos non esse in sacris litteris, ob earum maiestatem, quæ omnem eloquentiam superans, omnem elaborationem pariter absumpsit humanam: Quare etiam optimè curauit interpres, ad solam vim sententiarum attendendo, pulchriorem eloquentiam in sua maiestate absque fuco relinquere; memor fortasse illius, quod epistola ad Eustochium testatur, propter fastidium, quo afficiebatur, inculti sermonis Scripturarum, ad tribunal iudicis pertractũ vapulasse, illique obiectum, *Ciceronianum, & non Christianum esse*; Cuius etiã alia habemus exempla; nam Theopompus apud Eusebium lib. 8. de præparat. Euangel. cap. 1. eo quod flosculis Rethoricis in scriptura luderat, dignas pœnas exoluit. Tryphilius cum ausus esset in conuentu Episcoporum illa verba; *tolle grabatum tuum, & ambula*, sic permutare elegantius, *Tolle cubile tuum & ambula*, à S. Spiridione Cypriorum Episcopo his verbis est acriter reprehensus, *Tu melior es eo, qui lectum dixit, quia verbis eius vti confunderis?* lib. 1. Historiæ tripartitæ. Et S. Augustinus antequam Scripturas degustasset, illas non tanti pendebat, vt Tullianæ eloquentiæ minimè comparãdas esse iudicaret, ex tertio lib. confession. cap. 5. *Quia palato nõdum sano pœna panis erat, qui sano suauis est.*

Tertia ratio est, quia Deus ex vna parte voluit arcere prophanos ab oraculis suis, qui orationis pigmenta, & elegantiæ lenocinia, non sensus arcani, & mystici nucleum eliciendum putant: ita tamen vt ex alia veri fideles facilius allicerentur verborum planitie, submissoque dicendi genere ad intelligenda diuinarum Scripturarum mysteria, illarũque veritatem. Vndè, sicut dicit Cyrillus Hierosſ. Cath. 4. *Quod Græci per eloquentiam capiunt, mel enim fluit de labijs fornicariæ. Qui vero ex circumcisione sunt per sacras Scripturas, quas malè interpretantur accedentes decipiunt &c. Hæreticorum autem filij, per blandiloquentiam, & facundiam seducunt corda hominum maximè malorum.* Ita per oppositum vt scripsit Clemens Alexandr. lib. 2. Stromat. *Oportet eum, qui curam gerit veritatis, non insidiose, captoque consilio, ac cura adhibita dictionem componere, sed conari tantùm id, quod vult, quomodo potest exponere.* Curandum enim est, vt idem docet lib. 1. Stromat. *Si significatur, id quod intelligitur: quo autem nomine significetur id quod volo exponere, nihil mihi curæ est; opem enim ferre, vt seruentur ij, qui seruari cupiunt puto esse optimum; non autẽ dictiunculas tanquam quædam ornamenta componere.* Quod idem eleganter docuit D. Augustinus libro 3. de doctrina Christiana cap. 3. vbi tractans illum locum Psalmi, *Non est occultatum os meum à te quod fecisti in occulto*, ait non posse intelligi, si os pro osse, an pro ore, accipi debeat nisi Græcus codex aspiciatur, & concludit; *Vndè plerumque loquendi consuetudo vulgaris, vtilior est significandis rebus, quàm integritas litterata. Mallem quippe cum barbarismo dici, non est absconditum à te ossum meum, quàm vt ideo esset minus apertum, quia magis Latinum est.* Et lib. 4. cap. 10. ait, quod, *Euidentia diligens aliquando negligit verba vtiliora, nec curat quid bene sonat, sed quid bene indicet, atque intimet, quod ostendere intendit. Vnde ait quidam cùm de tali genere locutionis ageret, esse in ea quamdam diligentem negligentiam. Nec tamen sic detrahit ornatum, vt sordes non contrahat. Quamuis in bonis doctoribus tanta docendi cura sit, vel esse debeat, vt verbum nisi obscurum sit, vel ambiguum Latinum esse non potest, vulgi autem more sic dicitur, vt ambigui-*

biguitas, obscuritasque vitetur, non sic dicatur, vt à doctis, sed potius vt ab indoctis dici solet. Si enim non piguit dicere interpretes nostros: Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus; quoniã senserunt ad rem pertinere, vt eo loco pluraliter enuntiaretur, hoc nomen, quod in Latina lingua tantummodo singulariter dicitur: cur pietatis doctorem pigeat imperitis loquentem, ossum potius quàm os dicere? &c. Quid enim prodest locutionis integritas, quam non sequitur intellectus audientis, cum loquendi omnino nulla sit causa, si id quod loquimur non intelligunt, propter quos vt intelligant loquimur. Sapientissimo magistro subscribit fidelissimus discipulus S. Prosper lib. de prædict. tẽpor. Ea, inquit, *perspicua est iudicata Latinitas, quæ res simpliciter enuntiat, non qua phaleratorum verborũ amænitate luxuriat, quando non res pro verbis, sed pro rebus significandis verba sunt instituta.* Sanctus denique Gregorius præfat. in Iob, *Non meracismi collisionem fugio, non barbarismi confusionem deuito, situs, motusque propositionum, casusque seruare cõtemno, quia indignum vehementer existimo, vt verba cælestis oraculi restringam sub regulis Donati. Neque enim hæc ab illis interpretibus Scripturæ sacræ auctoritate seruata sunt, ex qua nimirum, quia nostra expositio oritur, dignum profectò est, vt quasi edita soboles speciem matris imitetur.*

Igitur ne difficilior, & abstrusior redderetur scriptura iam alias difficilis, ex verborum fastoso supercilio, & ab eius lectione fideles deterrerentur, debuit ex Sanctis Patribus, sicut originalis scriptura, ita & eius translatio, planioribus duntaxat vocabulis, & ad res declarandas aptioribus proponi. Non secus ac Philosophi relictis comptioribus vocabulis, interdum vtuntur ad res ipsas declarandas simplicibus vocibus: quia scripsit Aristoteles 2. topicorum in vsu verborum sequendam esse vulgi consuetudinem, vt *salubre* vocandum esse, quod valet ad sanitatem efficiendam; & iterum 1. Ethicorum, ait, *nominibus vtendum vt plures*; Certe si per communem intelligentiam à vitiosa locutione propter conuictum, neque abstinendum fuit sed seruata lex illa, *vtere verbis præsentibus*; insuper si ex Cicerone, pro nouis rebus noua sunt inuenienda vocabula; ita à fortiori licuit interpreti Vulgato ad exprimenda diuina mysteria noua vocabula reperire, talia sunt *angariare*, & similia, etiam si in vetustis authoribus non legerentur; & ad eumdem finem ne dum inornatis verbis, & incompositis vti, sed etiam solæcismis, & barbarismis, nam vt lib. 4. de doctrina Christiana cap. 17. annotauit Augustinus; *Plerũque dictio ipsa submissa dissoluit difficillimas quæstiones, & inopinata manifestatione demonstrat, dum sententias acutissimas de nescio quibus cauernis, vndè non sperabatur, eruit, & ostendit, dum aduersarij conuincit errorem, & docet falsum esse, quod ab illo videbatur inuictum.*

Quartò tandem, & vltimò, quia magnæ foret leuitatis, & temeritatis, si repudiata vulgata, aliam de nouo cuderemus ab illa discrepantẽ, cultiori quantumuis lingua de nouo è fontibus vel traduceretur, vel emendaretur, propter tres vel quatuor Grammaticulos, & rethoriculos id optantes: illa enim, & authoritate venerandæ antiquitatis, quæ in rebus fidei maximi solet esse ponderis, careret, & plurima quæ iam sunt ab Ecclesia definita in controuersiam denuo reuocarentur: demùmque fideles, qui iam assueuerunt tàm in diuinis officijs, quàm in lectionibus, & alijs actionibus, ipsam audire, grauiter offenderentur. Nullo igitur modo nostra editio vulgata etiam si minus Latina, damnanda est, aut per aliam latinioreẽ emendanda translationem, cùm secundùm allatam SS. Patrum doctrinam non concinnitatem eloquentiæ in Sacrosanctis libris requirere, sed vim sublimitatemque sententiarum consectari debeamus; quam si Nouatores sequi recusant; saltem in hac parte possent audire Albericum Gentilem Iurisconsultum Caluinistam libro de latinitate veteris Biblio-

rum

rum versionis malè accusata, vbi dicit: *Vetus interpres, quo facilius probaret ex Hebræo, & Græco textu probè translationem suam se confecisse, idcirco barbara nonnulla, & solœca intexuit, quod olim à summis viris factum*; & allegat Lucullum in suis historijs, qui vt eas facilius probaret, *Romani hominis esse barbara quædam, & solœca adspersisse dicebat*; & Galenum dicentem, *neminem prorsus ob orationis solœcismos, & barbarismos esse reprehendendum*. Citat quoque D. Hieronymum, *propter simpliciores*, inquit, *multum in sermone deijciendo laborauimus. Quid cum Apostolis Cicero? omnia munda mundis*. Vndè tandem concludit; *Et nunc istam disceptationem absolui vellem, nostros Theologos non nugari cum Pontificijs*. Tantùm proprius ipsorum Propheta, cui si obtemperarent, de his nenijs tot quæstiones inutiles non mouerent. Sed quid? leuiculis illis hominibus plus arrident Iouis Capitolini, & aliorum Deorum verius dæmonum prophana nomina, quàm etiam Iesu nomen dulcissimum, quem inuocare piaculum arbitrantur, nec volunt Saluatorem, sed seruatorem appellare. Vndè non mirum, si sub specie cultioris latinitatis, vel potius inanis cuiusdam loquacitatis eò deuenerunt, vt vulgatam de medio tollere voluerint.

CAPVT LXXXX.

Vtrum sacra Scriptura integrè & fideliter in codicibus Latinis, præsertim Vulgatæ editionis, contineatur, vbi etiam de arithmetica eius diuisione.

QVia fidelitas, & integritas Vulgatæ editionis Latinæ potest cõsiderari dupliciter, vel in seipsa, pro vt nimirùm ab interprete facta est, vel pro vt permansit, & permanet in codicibus, lectioneque Ecclesiæ; postquam in superioribus capitibus sermonem habuimus de illa primo modo considerata; nunc agendum est de eadem secundo modo. Nam potest in quæstionem vocari, quàm certum sit fideliter in codicibus conseruari, & an, quæ pura fuit, & fidelis, pro vt ab interpretibus edita, librariorum, scriptorúmve incuria, vel imperitia aliquos errores, & deprauationes admiserit. Cum enim lectio sacræ Scripturæ non conseruetur nisi ex scripta de codice in codicem, si quidem vt de primigenia lingua factæ sunt diuersæ translationes; quæ diuersas orbis partes occuparunt, ita ex illis alij & alij codices sunt exemplati, vt ad omnium manus peruenirent, cum, inquam, sacra Scriptura, alio modo non fuerit conseruata, & non possimus asserere, Scriptores, & Typographos Spiritus Sancti assistentiam habere, ne errent in transumptis; non apparet, quo pacto certum sit, sacram Scripturam, & veram vulgatam editionem, quam Ecclesia probauit, integrè & fideliter contineri, vel subsistere in codicibus.

Qua in difficultate tanquàm certum supponitur nonnullos Sacræ Scripturæ, Vulgatæque etiam editionis codices, aliquorum Typographorum, vel Scriptorũ incuria, imperitia, aut etiam malitia mẽdosos fuisse, & esse; Cùm enim codicũ exemplatio fiat humano more, per librariorum transcriptionem, talisque sit illorum conditio, vt dicit S. Hieronymus epist. 28. ad Lucinum Bethicum, *quod interdum scribunt non quod inueniunt, & dum alienos errores emendare nituntur, ostendunt suos*; quippè qui singularis quicumque Scriptor, vel Typographus specialem Spiritus Sancti assistentiam non habet, vt errare non posit; necessariò fatendum est multos errores, ac defectus temere, & oscitanter vitio librariorum plures in codices irrepere potuisse. Deinde certum est non fieri correctionem, vel emendationem, nisi præsupponatur aliquid corrigendum, aut emendandum; cum igitur constet multoties in Ecclesia factam fuisse sacrorum codicum expurgationem; non alia ratione id contingit, nisi quia plures illorum mendis & defectibus in aliquibus locis scatebant. Quod ergò controuertitur est, num omnes Sa-

cræ Scripturæ codices & exemplaria, præsertim Latina Vulgatę editionis possint esse corrupta; siue quod idem est, vtrum idem locus Sacræ Scripturæ possit esse corruptus, in vniuersis editionibus, & omnibus lectionibus eiusdem editionis, præsertim Vulgatæ Latinæ. Affirmatiuam enim partem amplectuntur Caietanus lib.2. Regum cap. 21. Canus lib.2. de locis, cap.5. in solut.ad 12. argumentum; Mariana tractatu de Vulgata cap.23. Negatiuam autem sequuntur Abulensis lib.4. Reg.c.24. quæst.8. Petrus Lorca 22. tract. de locis, disp.9. Dominicus Grauina Cathol. præscript. lib.4. de Sacrorum Bibliorum versione, Andreas Duuallius 22. quæst.1. artic.de editione Vulgata. Quæ sententia videtur esse magis probabilis.

Dico igitur, nullum esse locum Sacræ Scripturæ deprauatum in omnibus codicibus omnium editionum, & præcipuè Latinæ Vulgatæ. Probatur primò authoritate D.Augustini lib. de vtilitate credendi contra Manichæos, vbi de illis asserit; *Quàm multa solent dicere immissa esse Scripturis diuinis, à nescio quibus corruptoribus veritatis, quæ vox mihi, semper quidem etiam cum eos audirem, inualidissima visa est.* Quæ authoritas D.Augustini sicut & sequentes debent intelligi de mendositate omnium codicum, & non aliquorum tantum, quia certum est vt statim diximus, ab aliquibus, & etiam multis codicibus posse integritatem, & fidelitatem abesse, vndè ipsemet Augustinus epistola 19. ad Hieron. ait: *Si quid in Scripturis offendero, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud existimem, quam mendosum esse codicem, vel non esse assecutum interpretem quod dictum est.*

Insuper, cùm idem S.Doctor lib.11. contra Faustum cap. 2. retulisset hanc fuisse Manichæorum instantiam, quod multa in Scripturis Sacris dicerent esse falsata; *vsque adeo*, inquit, *inuicta sunt, quæ aduersus vos de diuinis codicibus proferuntur, vt non sit aliud quod dicatis, nisi eos esse falsatos?* ostendit hoc esse impossibile lib. 32. cap.16. primò quod neque ipsi Manichęi concessissent, si voluissent, potuisse falsare codices, *qui iam in manibus essent omnium Christianorum*, quia mox, inquit, *vt facere cepissetis vetustiorum exemplarium veritate conuinceremini. Qua igitur causa*, subdit, *à vobis corrumpi non possent, à nemine potuerunt. Quisquis enim hoc primitus ausus esset, multorum codicum vetustiorum collatione confutaretur.* Secundò, quia vt ibidem docet Augustin. *etiam nunc nonnullæ codicum mendositates, vel de antiquioribus, vel de lingua præcedenti emendantur.* Tertiò tandem, quia ex eodem Augustino lib.11.cap.3. *Si de fide exemplarium quæstio versaretur, sicut in nonnullis, quæ vt paucæ sunt, & sacrarum litterarum studiosis notissimæ sententiarum varietates, vel ex aliarum regionum codicibus, vnde ipsa doctrina commeauit, nostra dubitatio dijudicaretur, vel si ibi quoque codices variarent, plures paucioribus, aut vetustiores recentioribus præferrentur, & si adhuc esset incerta varietas, præcedens lingua, vnde illud interpretatum est consuleretur.* En quomodo D. Augustinus clarè demonstrat, fieri non posse, vt aliquis Sacræ Scripturę locus sit corruptus in omnibus codicibus omnium editionum, & præcipuè Latinę Vulgatæ, sed semper aliquos in Ecclesia codices permansisse incorruptos, per quos vitiati codices possent emendari, pro vt iam de facto emendati sunt; satis enim patet non esse omnes codices falsatos, quando pauciores ex pluribus, nouitij ex vetustioribus, atque adeo castigatioribus expurgari contigerit, vt docet D.Augustinus.

Secundò probatur conclusio rationibus. Prima est, quia si semel talis corruptio, vel falsatio codicum vniuersalis admitteretur, iam tota rueret diuinarum Scripturarum authoritas: quicumque enim locus, qui adduceretur, reijci posset à proteruo, & impio vt falsatus. Vnde Augustinus lib.11. citato contra Faustum cap.2. & 3. ait, *Quæ authoritas litterarum aperiri, quis sacer liber euolui, quod documentum cuiuslibet Scripturæ ad conuincendos errores exeri potest, si hæc*

vox

vox admittitur, si alicuius ponderis existimatur? Quod videlicet Scriptor Canonicus omnia quidem vera scripserit, & tamen libertate temeraria dicatur, *hoc eius est, hoc non est eius.*

Secunda ratio est, quoniam Scriptura Sacra non subsistit nisi in codicibus, in quibus continetur; si ergò in eis Scriptura integra, & incorrupta non conseruatur, perijt eius integritas. Et, si benè consideretur, nō minus necessarium est, vt in codicibus sit lectio integra, & ab omni errore immunis, quam vt in ipsa interpretatione, & versione sit puritas, & fidelitas: quia quemadmodum si interpres falleretur, & vnum pro altero transferret, abstulisset nobis Scripturæ veritatem; ita si scriptor laberetur, eamdem etiam nobis abstulisset; Quàm ergò de fide est, verā Scripturam Ecclesiæ Dei non posse deficere: tam de fide esse videtur veram lectionem deficere non posse, siue quod idem est, non posse contingere alicuius loci corruptionem in omnibus omnino codicibus Sacræ Scripturæ. Quàm certum est, inquam, ad diuinam prouidentiam pertinuisse, vt primùm nullus error, nec defectus esset in nostra versione, vtque in corde Ecclesiæ, discrepantibus olim translationibus à primigenio fonte, remaneret verbum Dei incorruptum, & ex incorruptis translationibus restitueretur; & non solùm ex inspectione fontium, Patrum lectione, mutua collatione, antecedentium & consequentium inspectione vera lectio, vbi deficiens erat: suo candori redderetur: ita variantibus editionibus Latinis ex librariorum, aut aliorum corruptelis, secundum eamdem diuinę prouidentiæ dispositionem, remansit semper in Ecclesia aliquis codex biblicus incorruptus, per quem alij corrupti emendarentur, & iuxta illum corrigerentur. Ex quo fit, vt quamuis hic, & ille, & quicumque singularis Scriptor, vel Typographus assistentiam Spiritus Sancti non habeat, & errare possit; eadem tamen assistentia vagè, & indefinitè Ecclesiæ nō desit, & Scriptoribus vniuersim considératis, nè in tota congerie Bibliorum, vel in omnibus codicibus simul sumptis aliquem inducant errorem. Quemadmodum, licet non sit determinata assistentia Spiritus Sancti ad electionem canonicam huius, vel illius prælati: est tamen de fide Ecclesiam non posse carere veris prælatis canonicè electis.

Quod autem huic rationi respondet Mariana, nullius est momenti, videlicet nullum esse mendacium, vel errorem in codicibus & linguis omnibus, cuius non aliquod extet vestigium, aut non possit ex antiquorum libris, aut aliorum collatione locorū inuestigari, Deo ita prouidente, ne omnia dubia reddantur, & supplicio dignus sit, quicumque temere, nulla compulsus necessitate, locum aliquem affirmarit, in linguis omnibus, & codicibus esse contaminatum. Hoc inquam, non eneruat vim nostræ rationis; nam primò, vel per libros antiquos, intelligit codices eiusdem Scripturæ, & tunc destruit hypothesin datam, nempè, quod omnes sint corrupti. Nam si omnes sunt corrupti, ergò etiam antiqui: aliàs non omnes essent corrupti, vt nos intendimus: Vel per libros antiquos, intelligit alios libros, qui non sunt Scripturæ Sacræ: & tunc maximum videtur esse inconueniens, per libros non sacros, corrigere sacros: cum regula debeat esse certior, vel saltem æquè certa, regulato. Libri verò non sacri non possunt æqualem cum sacris habere certitudinem: ergò per illos tantùm regulari non possunt, licet, vt dicetur infra, possint esse aliquod adminiculum, si aliàs sit competens regula. Deindè, ea ratione, qua dicit ad diuinam spectasse prouidentiam, nullum permittere locum, in omnibus codicibus esse corruptum, qui ex antiquorum libris corrigi non possit, videtur à fortiori eiusdem prouidentiæ diuinę suauitati magis consentaneum, non permittere, vt aliquis Scripturæ locus in omnibus codicibus sit vitiatus, quam relinquere alibi vestigium erroris, vt inde possit emendari. Sicut satius esse dicitur, ante inflictum vulnus præ-

præcauere, quàm, post illud illatum, medicinam adhibere; Tandem, quia inter omnes codices sacros simul sumptos, secundùm aliquos cõputari debent etiã illi, qui non continent totam Scripturã, sed partes: qualia sunt scripta Sanctorũ Patrum, qui testimonia Scripturę allegant, si per libros antiquos, præfatus author intelligat eiusmodi scripta, nihil contra nos asserit, sed potius hac via, eius sententia cum nostra potest ad concordiam reuocari; vt intelligatur conclusio nostra de quibuscumque codicibus, dum asserimus non posse fieri, vt in omnibus illis aliquis Sacrę Scripturæ locus sit librariorum vitio corruptus.

Tertia ratio est, quoniam sicut Ecclesia militans est viua fidei regula quo ad nos, per modum videlicet proponentis, siue Iudicis, à quo discernitur, ac determinatur, quid sit de fide tenendum quid non, quænam sit Sacra Scriptura, quę non; & ita non potest fieri, vt, cum sit Ecclesia vniuersalis, possit errare, vel erret, quamuis aliquę Ecclesię particulares possint errare, & errent, vt dicemus infra Sectione 3. & 4. sic Scriptura Sacra se habet tanquam forma ipsa, & regula, cui in definiendis religionis, ac fidei controuersijs eadẽ adstringitur Ecclesia. Ergò, licet in aliquibus codicibus possit esse vitiata, & falsata, non tamen in omnibus, alioquin iste error inficeret Ecclesiam vniuersalem, quæ secũdum prouidentiam Dei ordinariam, tali Scriptura in suis definitionibus regulatur, ac regitur. Nec etiam esset Scriptura regula infallibilis, si in omnibus codicibus posset esse corrupta, etiam vitio librariorum. Sicut si Scriptor Canonicus, adhuc lapsu memoriæ posset decipi, iam non esset infallibilis authoritatis absolutè.

Ex dictis infero, cùm ante Concilij Tridentini decretum, & nouissimam Sixti V. & Clementis VIII. expurgationem, variæ circumferrentur editiones Latinę innumeris penè mendis respersæ nullam tamen fuisse, quæ per ea principia, quę in Ecclesia permanserunt, emẽdari non posset. Hoc enim est, veram lectionem Sacræ Scripturæ, & vulgatę editionis in corde Ecclesię semper fuisse, & ab ea in totum deficere non posse; nunquam, scilicet, fuisse in totum abolitam, & mansisse principia, quibus puritas versionis, sicut ab initio defluxerat, sarta tecta conseruaretur, & in deprauatis codicibus pristino candori restitueretur. In hoc autem opere præstando tria potissimum principia possunt esse vsui. Primùm, varij codices, quorum fiat collatio: Secundum, recursus ad originalia. Tertium, manifesta ratio, qua sensu, & antecedentibus consequentibusque ponderatis error deprehendatur. Prudenter tamen vtendum est ijs subsidijs; quoniam rarò vnum eorum præcisè, & separatim ab alijs sumptum potest facere sufficiens argumentum, quo probetur, & emendetur erratum. Et quidem originalis textus solus non potest sufficere ad correctionem; quia, vt supra probauimus, neque est integer neque canonicus. Ratio etiam sola non est securum corrigendi principium; quoniam si semel permittatur mutare lectionem, propter apparentem contradictionem, aut defectum sensus; in multis, & frequenter mutari posset, prout tot diuersa hominum ingenia sibi facilè persuaderent, falsum esse quod non intelligerent, aut præ malitia intelligere nollent. Potest tamen tam euidens esse defectus, vt seipsum absque alio subsidio manifestet, vt si pro *Patris* legeretur *patrias*; pro *Roma*, *Loma*, aut aliquid simile. Tandem neque textus Originalis pro vt nunc est, & argumentum à ratione ductum, nisi in casu euidentiæ modo exceptæ, sufficiunt ad emendationem, etiam si simul concurrant, nisi subsit auxilium alicuius codicis Latini, in quo ita legatur: quoniam neque originalis textus, neque ratio apparens sunt regulę infallibiles & certæ veræ lectionis. Propter quod semper temerarium visum est, mutare aliquam lectionem, quæ omnibus sæculis, & in omnibus codicibus existit, quantumuis difficilis appareat. Si tamen con-

currant cũ lectione alicuius codicis Latini originalis Scriptura, & ratio sensus firmissimum faciunt argumentum, & licebit per paucos codices, imò per vnum in tali casu, plures & communiorem etiã lectionem corrigere. Regulariter tamen quod communius legitur, præferendum est, sicut & illud, quod in antiquioribus, & vetustioribus codicibus reperitur. His regulis, ac principijs diligentissimè, ac prudentissimè sine dubio vsi fuerunt illi qui vt vidimus supra ex decreto Concilij Tridentini, & aliquorum Summorum Pontificum Biblia Sacra Vulgatę editionis emendarunt, tandem à Clemente VIII. solemniter publicata & promulgata, & ob authoritatem Supremi Ecclesiæ capitis ab omnibus fidelibus recepta.

Iam autem, vtrum post vltimam istã correctionem Vulgatæ editionis, ita pura eius lectio sit restituta, vt nullus in ea defectus, non interpretis, sed librariorum vitio tribuendus remanserit, nihilque emendandum supersit; diuersæ sunt in hac re Catholicorum etiam Doctorum sententiæ. Petrus Lorca 22. tract. de locis cathol. disput. 9. existimat tàm certum, quàm certa sunt Theologiæ documenta; editionem illam purissimã esse, & in ea restitutam esse verã lectionem ad omnimodam integritatem: adeo, vt si quis defectum veræ lectionis in ea notaret, etiam si non interpreti, sed Scriptoribus adscriberet, vel aliquam ex lectionibus, quas correcta hæc reiecit, veriorem esse contenderet, temerarius, & audax meritò censeretur. Ita Lorca loco citato; contrarium tamen tenent doctores superiùs citati, & insuper Serarius in Prolegom. Biblicis, alijque ab illo citati. Prima sententia videtur magis probabilis. Igitur præcisè etiam loquendo de solis defectibus librariorum vitio tribuendis, et si non pertineat ad fidem, in correctis Biblijs per Sixtum, & Clementem, nullum ex illis remansisse, cum nullum sit de hoc Concilij, vel Apostolicæ Sedis, & Ecclesię decretum. Securæ tamen vocis asserere est, vt cum Augustino loquar lib. 7. cõtra Donatistas c. 53. quod Tridentinum decreuit, & Vniuersalis Ecclesiæ prius consensione roboratum erat, in omnibus etiam minimis vulgatam esse authenticam, vt nullo prætextu reijci possit, sed quoniam non idealem quamdam editionem, sed eam tot sęculorum vsu receptam: correctissimè imprimendam statuit, & hoc ipsum pręstitum est à Sede Apostolica, cuius est iudicare de librorum Canonicorum numero, scripturarum intelligentia, & interpretatione, ita vt Summus Pontifex seriò præceperit, vt in posterum nulli Sacrorum Bibliorũ textus imprimerentur, nec essent in vsu, nisi conformes in omnibus vsque ad minimam particulam huic editioni, sicut enim in lege veteri, non aliundè quàm à Sacerdotibus exemplar legis accipere debebat rex per legẽ informandus, ita potiori iure in lege noua, non aliundè quàm à Summo Ecclesiæ Sacerdote exemplar scripturarum fideles accipere debebant; certò certiùs dicendum est, ne minimum locum in illa vitio librariorum relictum; censoria virgula dignum remansisse, eoque prætextu reijci non posse. Aliàs id temerè Sedes Apostolica præciperet, nisi certò sciret, nullum in hac editione esse defectum: secus exponeret Ecclesiam manifesto periculo, vt aliqua pars sacri textus, & vera lectio in perpetuum interiret, & errores aliqui verę lectionis loco perpetuò conseruarentur.

Nec refert, quod respondent aliqui; sicuti antè correctionem nouissimam verus erat in Ecclesia textus Biblicus, quia ob illud, quod erat corrigendum mendum, ad monumenta Patrum, & vetustiores, & puriores, & vniuersaliores codices recurri poterat, per quos correctio fieri debebat: ita nunc Ecclesiã posse confugere ad ea, quæ habet principia, vnde hæc, quæ immutata relicta sunt, corrigere, & absolutissimam editionem cudere valeret; si hæc, *quæ*, vt dicitur in præfatione Biblica Clementis, *mutanda videbantur, & consultò immutata relicta sunt*, sua censura castigare vellet. Hæc, inquam, responsio non satisfacit, sed facilè

cilè præcluditur eius effugium; cùm enim iam omnia patrum monumenta, & codices vniuersos summa perlustrarint diligentia censores deputati, non est verisimile, vt defectus aliquos ex industria reliquerint, vbi deprehēderunt correctiora exemplaria, & Doctorum monumenta veram lectionem continere. Deindè, et si id fortasse concedi posset, si correctores duntaxat spectaremus, quorum ope, & industria, illud opus elaboratum est: tamen considerando Ecclesiæ publicationem eiusdem operis, cum testificatione quod accuratissimè mendis expurgatum prodierit, necessariò dicendum est, editionem vulgatam ita suæ puritati, & integritati, diuina prouidentia opem ferente, fuisse restitutam, vt nullus in ea defectus librariorū oscitantia intrusus remanserit, nihilque emendandum supersit. Tandem si vitio librariorum adhuc errata corrigenda superessent, vnde iterum ad collationem codicum, & Patrum monumenta, sicut ante Tridentinum fiebat, recurrendum esset; iam non simpliciter castigata, & correcta, sed in genere (vbi scilicet Patres, vel collatio cum alijs codicibus nō obstarent) dicenda esset Vulgata editio; atque adeò rationem exemplaris habere non posset, per quod cæteri codices emendari præcipiuntur: sed potius exemplati, quod iterum per alios corrigendū esset; quod tamen videtur omnino inuerisimile, præsertim cum puriora exemplaria reperiri non possint, conquisitis iam vndique omnibus antiquis, alijsque verissimis exemplaribus, per quæ nouissima correctio facta est.

Quod autem in citata præfatione dicitur, *Sicut nonnulla consultò mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, consultò immutata relicta sunt*: non debet intelligi, quasi adhuc aliqui supersint librariorum defectus in editione vulgata, per aliam diligentiorem Ecclesiæ correctionem emendandi; sed aliqua duntaxat relicta fuisse dicuntur, quæ mutanda videbantur, quantùm ad clariorem, & expresiorem versionem, vt diximus supra; sicut Hieronymus in sua versione fecisse testatur in Epistola ad Damasum; *Ita*, inquit, *calamum temperauimus, vt in his tantùm quæ sensum videbantur mutare, correctis, reliqua manere pateremur, vt fuerant*. Quæ verò ista correcta fuerint, ante expresserat, dum huius correctionis rationem assignans ait; *Sin autem veritas est quærenda de pluribus, cur non ad Græcam originem reuertentes ea, quæ vel à vitiosis interpretibus malè redd. ta, vel à præsumptioribus imperitis emendata peruersiùs, vel à librarijs dormitātibus, aut addita sunt, aut mutata corrigimus?* Vbi etiam satis clarè ostendit hos defectus fuisse à se correctos, qui sensum mutabant; illos verò consultò relictos, qui cōformes textui, nec sensum variantes, perfectius tamen transferri potuerant: nec enim Hieronymus correctoris munus egregiè præstitisset, si eos, quos notarat defectus, inemēdatos propter scādalum reliquisset, cùm in veritate aperienda, verum sit quod dicitur, *vtiliùs scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur*, vt habetur in regulis iuris.

Inquiret aliquis vtrum nostra sententia ita sit certa, vt opposita sit aliqua censura digna; affirmant enim aliqui, negant verò alij, qui tamen facilè ad concordiam reuocari possunt, si dicatur illos duntaxat doctores censura dignos esse, qui priuata manu, & authoritate, virgula censoria notare errata librariorū vitio relicta, eoque prætextu vulgatam reijcere, vel alias lectiones expunctas puriores, ac veriores iudicare auderent: Vt enim Ecclesia, quæ ex Patrum & doctorum aduersionibus immutanda sunt, & corrigenda, sola potest designare ex officio, ita eadem authoritate sola potest illa expungere, ex puro verbo Dei, quod in eius corde primariò residet. Qui autem data hypothesi, quod aliqua in editione vulgata relicta essent inemendata, quæ librariorum vitio acciderunt, ea nō priuata authoritate expurgarent, sed Ecclesiæ iudicio corrigenda offerrent, vt decet modestos Ecclesiæ Catholicę filios, nulla penitus nota inurendi essent:

Aduersus nostram conclusionem solent opponi quædam loca Vulgatæ editionis, de quibus credi, aut dubitari potest, scriptionis adhuc defectum continere; sed iam illis satisfecimus supra, agendo de vnoquoque sacræ Scripturæ libro in particulari. Vndè superest, vt cuidam tantùm Serrarij obiectioni respondeamus, occasione cuius agemus de finali tàm versuum, quàm capitum sacræ Scripturæ distinctione, quam supra cap. 15. ad hunc locum remisimus.

Obijcit igitur Serratius loco superius citato; quia in correctis Biblijs sunt capita, sectiones, numeri, sunt etiam istæ voces Hebraicæ Aleph, Beth, &c. tam in Psal. 118. quàm in Threnis, & tamen Canonica non sunt: non ergò omnia, & singula, quæ sunt in Biblijs correctis, approbata sunt vt Canonica; nec consequenter etiam ita correcta, & emendata prodierunt, quin saltem in istis aliquis defectus librariorum vitio remanere potuerit.

Respondetur istud argumentum nullam penitus vim habere contra nos, qui editionis Vulgatæ fidelitatem & integritatem, tàm secundùm se, quàm in codicibus duntaxat defendimus, quo ad ea in quibus supponitur esse canonica; vndè si supponat præfatus author omnia prædicta, non esse canonica, nec fuisse ab Ecclesia vt talia approbata, sicut nec præfationes capitum, & alia similia, libenter admittimus in illis posse esse aliquos defectus; secus autem si canonica esse admittantur; de quo, quia est difficultas inter doctores, breuiter hic illam examinabimus.

Igitur quod spectat ad finalem versuum distinctionem, Rabbi Elias & alij existimant libros veteris testamenti non solùm olim sine punctis loco vocalium, & accentibus fuisse scriptos, vt vidimus supra cap. 15. sed etiam sine finali versuum distinctione. *Magistri Cabalistici*, inquit præfatus author in proæmio 3. Massoreth, *asserunt totam legem esse quasi Pasuch vnum, atque periodum vnã, secundum alios, vt dictionem vnam exceptis nominibus diuinis, vt tradit Rabbi Moyses filius Maymon.* Multo igitur minus erat capitum distinctio. Imò tempore S. Augustini, nec dum in libris latinis factam fuisse huiusmodi capitum, vel librorum, per capita diuisionem, videtur colligi ex lib. 2. retractat. cap. 24. vbi dicit se libros 12. scripsisse à principio Geneseos, vsque ad primorum parentum è paradiso expulsionem; non autem citat primum, vel secundum caput, sed vtrumque tanquam vnum & integrum citari videtur. Et Genebrardus in Chronico talem distinctionem Hugoni Cardinali tanquam inuentori tribuit. Hinc aliqui putant illam non esse de essentia, & de substantia librorum Canonicorum.

Pro resolutione difficultatis dico primò, certum esse, quod ab initio fuerit diuisio librorum Canonicorum cum titulis eorumdem; patet ex nouo testamento Actor. 3. dum citatur liber Psalmorum, vt à cæteris distinctus, & c. 13. Psalmus secundus; *sicut & in Psalmo secundò scriptum est; filius meus es tu ego hodie genui te.* Lucæ quoque 24. fit distinctio legis, Prophetarum, & Psalmorum; Christus enim duobus discipulis euntibus Emmaus, interpretans scripturas ait, *Quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me.* Igitur ab initio videntur fuisse distincti librorum Canonicorum tituli; nisi magnam in sacra Scriptura confusionem admittere velimus; quod tamen à Spiritu Sancto illius authore omnino alienum esse putandum est.

Dico secundò valdè probabile esse, quod libri sacri veteris testamenti non solum titulis, sed etiã capitibus, & versiculis fuerint diuisi, quamuis non sub illa formalitate præcisè, sed quia vt aduertit Torniellus ad annum 3610. numero 24. Saltem spatio aliquo, & internallo distingui poterant. Indecens enim esset existimare factos à Deo libros, incompletos, confusos, & inordinatos fuisse. Vndè apud antiquos Iudæos, illorum codices fuisse per sententias,

tias, commata, membra, & versus diuisos, & interuallis quibusdam distinctos, testis est D. Hieronymus in præfat. Paralipomenon, & Isaiæ, vbi asserit se ad vtilitatem legentium easdem commatũ incisiones, & interuallorum distantias, quas in Hebræis codicibus inuenerat, in translatione sua seruasse. Quod igitur Rabbi Elias loco citato affirmat ex sententia Rabbinorũ totam legem fuisse olim quasi Pasuch vnum, siue sententiam vnam, in qua omnia cohærebant, sine vlla versuum distinctione, falsum est, nisi fortè intelligatur de distinctione, aut arithmetica nota signata, aut numerali voce expressa, quæ, vt mox dicemus, recens est, si Psalmos exceperimus, quorum, vt ex citato Actuum Apostolicorum loco apparet, vsque ab initio nascentis Ecclesię, adiectis numeris mētio fieri solebat: hos enim numeros, vt Hilarius in præfatione Psalmorum testatur, Septuaginta interpretes Psalmis apposuerunt.

Dico tertiò, Hanc arithmeticam capitum, & versuum distinctionem, quam nunc in Biblijs habemus, recentem esse. Nàm ante quingentos annos nullus siue apud Hebræos, siue apud Græcos, qui antiquiores scripturæ habuere codices, inuenitur diuinæ Scripturæ locus numeratim citatus, præter Psalmos, vt statim diximus; & quæ nunc tàm in Græcis, quàm in Hebræis & Latinis exemplaribus spectantur, capitum diuisiones, ac numeri ex nostris Latinis codicibus accepti sunt. Partiebantur namque vetustissimi illi expositores diuinas Scripturas, easdemque citabant, non capitum enumeratione, & numerorum recitatione, sed per allegationes particularium historiarum; sicut Augustinus loco superius adducto dixit se scripsisse à principio Geneseos vsque ad expulsionem primorum parentum de paradiso; & Gregorius etiam se exposuisse à principio libri Regum vsque ad Dauidis regis vnctionem, pro eo quod nunc diceremus, in tria priora Geneseos capita, & in quindecim anteriora capita primi Regum. Diuidebant item, & in medium proponebant Scripturas per locos, siue periodos, aut versus, aut versiculos, vel sententias Sacrorum voluminum verbatim expressas; quas etiam capita, vel capitula interdum vocabant: V. g. dicentes, De eo loco Pauli, vbi scriptum est, *Veritatem dico vobis in Christo*, vsque ad eum locum, vbi dicitur, *ex quibus est Christus; qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*, Roman. 9.

Notandum est tamen aliam fuisse versuum partitionē apud Iudæos, quàm apud Græcos, & Latinos. Nam Græci & Latini veteres distinguebant versus pari dictionum numero, conscribentes in quolibet ferè versu semper sex dictiones partim monosyllabas, partim polysyllabas. Quod satis clarè significat Diuus Augustinus in libro, cui titulus est, *Speculum Diuinæ Scripturæ*: in quo sæpè annotans numerum versuum ex diuinis Scripturis aliquando à se collectũ, aliquando verò prætermissum, adducit pro exemplo vnius versus dictum illud Psalmi 99. *Populus eius, & oues pascuæ eius*, pro exemplo autem duorum versuum sententiā illam Psalmi 118. *Quot sunt dies serui tui, quandò facias tu de persequentibus me iudicium?* tandem pro exemplo trium versuum ponit illud ex Psalmo 148. *Laudent nomen eius in choro, in tympano, & psalterio psallant ei; Quia beneplacitum est, Domino in populo suo*. In his enim exemplis si dictiones enumerentur, inuenientur in primo voces sex, in secundo duodecim, in tertio decem & octo. Et iuxta hanc versuum partitionem arbitratur Sixtus Senensis Bibliothecæ Sanctæ lib. 3. intelligendam esse mensuram priscorum, qui versuum numero, veluti nota certiore solebant significare voluminum magnitudinem. Sic D. Hieronymus ait Origenem scripsisse in Canticum Canticorum versus ferè viginti mille, Gregorium Nazianzenum opera sua omnia conclusisse versibus triginta millibus, Hilarium in Cōmentarijs Psalmorum mutuatũ ex Origene versus quoque quadraginta mille,

& se

& se quoque, dum exponeret epistolam ad Ephesios, dictasse in eam quotidie versus mille. Hoc etiam modo Diogenes Laërtius summam quorumdã Aristotelicorum voluminũ contineri affirmat sub versibus quinquies mille trecentis, & triginta.

Iudæi verò in distinguendis versibus, neque numerum dictionum attendunt, neque cola, aut commota orationis sequuntur, sed veterem quamdam consuetudinem, sola maiorum authoritate, & Rabbinorum traditione suffultam. Vnde apud eos Pesuchim, hoc est versus ferè omnes sunt inæquales. Prædicto ergò diuidendi modo veteres vsi fuerunt: inter quos licet Ammonius Alexandrinus, siue Eusebius Cæsariensis, siue Tatianus quatuor Euangelia numeratim in capita distinxerint; hoc est Euangelium Matthæi in capita 355. Marci in capita 235. Lucæ in capita 343. Ioannis in capita 232. Nihilominus Sixtus Senensis loco statim citato putat illos non ad id respexisse, vt nobis certã Scripturarum partitionem instituerent, sed ad hoc solum vt locos indicarent Euangelicæ symphoniæ, in quibus Euangelistæ inter se consona scripserant. Post quos ex eodem Sixto nulla apud antiquos reperitur numeralis Scripturarum diuisio, præterquàm apud vnum Hilarium; qui Matthæi Euangelium, à se expositum, in canones triginta tres dissecuit. Nam quod Euangelium Lucæ in commentarijs Ambrosij diuiditur in titulos sexaginta quatuor, & in commentarijs Bedæ in capita nonaginta tria, factum esse creditur non ab ipsis authoribus, sed à librarijs, vel lectotibus, interpolatas & crebras scribendi vel legendi respirationes amantibus.

Cum igitur prius talis esset scripturam partiendi modus, vsque ad annum salutis nostræ millesimum, ab illo tempore tam Græci, quàm Latini ad maiorem docentium, atque discentium commoditatem, sacram Scripturam in partes, quas interdum titulos, & interdum capitula vocabant, numeratim diuidere, & numerorum appositione distinguere cæperunt; vt quod simul totum, & vno statim contuitu apprehendi nõ poterat, facilius & apertius caperetur diuisum in partes. Porro duplex fuit huiusmodi capitum diuisio; altera vt vetustior, ita numerosior: iuxta quam Euangelium Matthæi in vetustis etiam impressis codicibus Latinis continet capita 94. Euãgeliũ Lucæ 107. Altera posterior, quàm nunc in Biblijs Vulgatis habemus contractiorem, & paucioribus capitibus cõprehensam. Quam non solùm Doctores Catholici in suis commentarijs, diuinisque testimonijs de scripturis sanctis, numeratim producendis amplexi sunt, sed etiam Rabbi Dauid Kimki, cæterique recentiores Iudæi in diuisione, supputatione, & allegatione capitum veteris testamenti.

CAPVT XCI.

De reliquis sacræ Scripturæ Latinis interpretationibus, à Doctoribus Catholicis editis, earumque authoritate.

INter multas Catholicorũ interpretationes Latinas ex Hebræo & Græco, quæ circumferuntur, hæ præcipuæ habentur. Interpretatio Xantis, seu Sanctis Pagnini Lucensis, ex ordine Prædicatorum, viri trium Linguarum Hebraicæ, Græcæ & Latinæ peritissimi. Qui cùm animaduertisset Vulgatam editionem temporum iniuria, & hominum incuria magna ex parte fuisse multis in codicibus corruptam, tentauit & ipse nouam agredi totius Scripturæ translationem, Leone X. Pontifice Maximo hortante, & sumptus operi necessarios præbente. Collatis igitur inter se multis, iisdemque probatissimis Hebræorũ exemplaribus, quanta maximè valuit diligentia ac fide, omne vetus testamentum ex Hebraica veritate Latinitati donauit, & Hebraicorum nominum multitudinem, quam priores interpretes in Latinas voces inflexerant, Hebraicæ linguæ

guæ prolationi restituit. Vtque Lector haberet rectam rationem pronuntiandi Hebraicè; accentus Hebręis dictionibus superposuit, additis quibusdam in margine totius voluminis numeris, qui indicarent, quot in singulis Hebraicæ scripturæ capitulis versiculi, quos Pesuchim appellant Iudæi, continerentur. Quæ omnia tam solerti cura executum fuisse testatur Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. sanct. vt eius editionem peritissimi Hebræorum Rabbini omnibus, quæ nunc extant, translationibus prætulerint, multis eam laudibus attollentes. Vertit quoque non minori laude nouũ omne testamentum iuxta Græcam fidẽ: in quo, sicut & in veteri testamẽto, vulgatæ editionis authoritatem, manente Græci contextus sententia, sequi conatus est. Opusque suum Clementi VII. Pont. Max. dedicauit.

Sunt tamen iuxtà doctissimorum virorum sententiam, multa in eo perperã translata, vel saltem quæ melius transferri potuissent. Genebrardus in proœmio operum Origenis scribit, quod, *est minus diligens, nimis ambitiosa versio, nimis Grammatica, nimium Rabbinicarum minutiarum æmula, ex recentium præceptorum subtilitate, noxam sinceritati, & sententiarum veritati affert. In proprijs nominibus fluuiorum, hominum est parum fidelis: aspera etiam, dum quòd dulcius auribus Latinis insonat, ad Hebraicum sonum attemperauit, vt loco Iacob substituendo Iahaacob, pro Isaac Ischach &c. summa rei est, quod ad glandes inuitat, inuentis frugibus.* Posseuinus quoque in apparatu refert, à censoribus expurgatoribus Hispaniæ, quasdam annotationes, quæ in Biblijs Pagnini extant, siue ab ipso editas, siue ab alijs insertas suo operi, tanquàm Iudaizantes fuisse explosas. Et quamuis eius patrociniũ susceperit Benedictus Arias Montanus Hispalensis in lingua Hebraica, Chaldaica, Syriaca, Græca & Latina non mediocriter versatus, commentatione de varia librorum scriptione, & commentatione, contra Erostratum, qui apertum bellum contra Pagninum indixit, respondendo ad eius obiectiones, & ostendendo pugnantes non esse Vulgatæ, & Pagnini lectiones, sed diuersas tantùm, & quæ mutuo conciliari possunt, fatetur tamen multa in eius versione deprehendi, quæ nec ad textum Hebraicum rectè examinata, nec rectè conuersa fuerunt, vndè etiam illustrium virorum hortatu, eam emendandam suscepit, quod ita fecit, vt adhibitis ipsis Pagnini exemplaribus diuersis temporibus in lucem editis, tùm ex ipsius Pagnini interpretatione, tùm ex diligenti Hebraicæ locutionis, & proprietatis obseruatione, nouam quodammodo interpretationem effecerit, dùm in ea omnes dictiones, quo ad fieri potuit, de verbo ad verbum exprimens, singulis Hebraicis vocibus Latinas interlineares apposuit, suamque interpretationem ab illa quæ est Pagnini, diuerso expressit charactere; vt vtriusque differentiam vnusquisque facile dignoscere posset.

Absolutè nihilominus laudandus est labor & diligentia Pagnini, præsertim cum præfatus Arias loco citato, distinguens duplex genus translationũ, quoddam sensus, quoddam verborum simplicitatem respiciens, asserat, Primum quidem vertendi rationem, quæ omnium est optima, interpretem vulgatum esse assecutum; secundum autem, neminem hactenus, nisi Pagninum. Vndè, cùm nullum opus humana industria fabrefactum sit, quin lima indigeat, & suos non habeat neuos, itá in ijs locis, vbi videtur à vulgato interprete dissentire Pagninus, corrigendus est, benignèque & humaniter excusandus, vel etiam explicandus, vt tamen non sit inurbaniter cõdemnandus, punctùrisque stimulandus, præsertim cum in eius præfatione testetur, non solum dicendi diligentiam, sed etiam dicendi modestiam, dùm asserit se promptum ad palinodiam, sicubi lapsus fuerit, seque, suæ Academiæ Parisiensis censuræ, & quod magis est Ecclesiæ Catholicæ iudicio humiliter subijcit.

Se-

Secunda interpretatio est Thomæ Vij, Cardinalis titulo Sancti Xisti, ordinis etiam Prædicatorum, natione Itali, patria Caietani, eiusdemque vrbis Episcopi, qui in extrema senectute sua, nouam veteris testamenti translationem ex Hebræo, noui verò emendationem iuxta Græcorum codicum fidem confecit. Psalterij autem ex Hebræo facta est inspectis quatuor versionibus, adhibita etiam opera quorundam Iudæorũ, vnius Neophiti, altero in Iudaica perfidia remanente, vt ipse testatur præfatione in Psalmos. De hac interpretatione loquens Melchior Canus lib. 2. de locis cap. 23. ait, *Quod immemor Caietanus præcepti Ciceroniani lib. 3. de finibus dicentis, verbum è verbo exprimere indisertos interpretes solere, Psalmorum versionem, dum fidam voluit reddere, reddidit ad Ecclesiæ quidem vsum prorsus inutilẽ.* At Ambrosius Catharinus, Archiepiscopus Compsanus, ordinis prædicatorum, tàm aduersus prædictam Scripturę trãslationem, quam aduersus cætera huius viri opuscula, scripsit annotationum, siue inuectiuarum libros sex, valde acres, de quibus etsi Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. cuique liberum suum iudicium relinquit; minus tamen modestè Gretserus tom. 1. in Bellarminum, illum carpit tanquam Rabbinicum, solæcum, & barbarum in sua interpretatione; cùm tam illa, quàm alijs priuatorum interpretum Catholicorum versionibus in multis vti possimus tanquàm elucidationibus vulgatæ editionis ad intelligẽdam sacram Scripturam.


Tertiò Franciscus Forerius, ex ordine Prædicatorum, natione Lusitanus, patria Vlissiponensis, Latinæ, Græcæ & Hebraicæ linguæ peritissimus, ac planè dignus, quem ob multiplicem rerum omnium scientiam Sacrosancta Synodus Tridentina ad censuram librorũ totius Christianæ Reipublicæ, vnà cum plerisque doctissimis viris eligeret, libros Iob, Dauidis, Salomonis, & Prophetarum omnium ex Hebraica veritate iterum de verbo ad verbũ transtulit; quod opus, cum eo presertim fine molitus sit, vt vulgatæ editionis authoritatem confirmaret, eiusque authorem ostenderet sensum de sensu aptissimè expressisse, non solùm nulla inustum nota, sed potius commendatum fuit à viris doctis, qui etiam opera eius omnia, quæ citantur, habere vellent; sola enim commentaria in Isaiam circumferuntur.

Est alia Latina interpretatio Isidori Clari Brixiensis Casinensis primũ Monachi, deinde Episcopi Fulginensis, in totum Bibliorum corpus, vnà cum eiusdem annotationibus & Scholijs: quæ cum primum fidelibus interdicta esset; demum, præcisis prologo, & prologomenis iuxta tertiam regulam indicis librorum prohibitorum, authoritate Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi, restituta est, Venetijsque apud Iuntas prodijt; hanc viri doctissimi magni faciunt.

Ex Syriaco nonum duntaxat testamentum in Latinum vertit Guido Fabricius Boderianus, cuius translatio in Biblijs regijs reperitur.

Vltima interpretatio est Francisci Vatabli cũ eiusdem scholijs ex Hebraico & Græco, quam licet aliqui putent esse vnam, & eamdem cum Tigurina, illas tamen inter se distingui, satis ostẽdunt ipsissima illarum verba toto cælo inter se diuersa, pro vt illa refert Pineda in Iob. Huic Vatabli interpretationi cum Robertus Stephanus damnatæ memoriæ typographus, multa de suo addere non sit veritus; varijs vndique erroribus conspersa prodijt, cum alioqui fuerit Vatablus vir egregiè doctus, tàm in Hebraicis, quàm in Græcis. Quare illa tantùm permittitur, quæ Salmanticæ primum, anno 1584. deindè etiam alibi, Hispanorum Theologorum diligentia expurgata prodijt. De ea eorumdem Theologorum; *Constituta est generalis censura editionem nouam non esse iuxta litteram Hebræam, sed potius paraphrasticam, cum quadam orationis, & Latini sermonis puritate: neque eam neque scholia, seu annotationes in margine maiorem habere authoritatem in ijs, quæ sunt pro-*

propria, quam opinionem cuiusdam Doctoris in controuersijs. Insuper vbi diuersa est versio noua, & vulgatæ non contraria, neque etiam fidei Catholicæ, & Ecclesiæ traditioni repugnat, admitti quidem potest; suo tamen seruato honore & dignitate Vulgatæ editionis, iuxta Sacri Concilij Tridentini decretum; ita vt vulgata editio habenda sit, & certa præ alijs omnibus, & magis iuxta Hebræam veritatem, reliquisque sit præferenda editionibus: neque existimandum, nec permittendum nouam editionem, aut Scholiorum eius expositionem vulgatæ quicquam detrahere, aut eiusdem minuere authoritatem, neque etiã Sanctis, neque communibus eorum expositionibus. Verùm Scholia eiusdem, quæ ferè ex Iudæorum commentarijs desumpta sunt, in ijs, in quibus non peruertunt sensa sacra, neque Ecclesiæ doctrina, vel communibus Sanctorum Patrum sensibus contraria sunt, recipienda vt probabilia, & vt collata cum Sanctorum expositionibus, constet Ecclesiæ & Sanctorum sensuum altitudo, & spiritus in eis viuificans, & pariter Iudæorum humilitas mortuæ litteræ adhærentium, neque quicquam sublimius cogitantium, & quandoque praua interpretatione, & expositione de Christo vaticinia subuertentium: deinde vt variæ apud Hebræos vocum significationes, phrases, atque Hebraismi, maximè à non versatis in Hebræa lingua, vt cunque percipiantur. Hactenus Hispanorum Theologorum censura, quam placuit hic referre, quia cęteris omnibus Latinis interpretationibus congruere potest, vt. potè quę tertię regulę Indicis librorum prohibitorũ Clementis VIII. auctoritate editi innitatur, quæ sic habet: *Librorum veteris testamenti versiones viris tantùm doctis, & pijs iudicio Episcopi concedi poterunt, modo huiusmodi versionibus tanquam elucidationibus vulgatæ editionis ad intelligendam Sacram Scripturam, non autem tanquam sacro textu nitantur.*



CAPVT XCII.

De Biblijs Augustini Iustiniani Episcopi Nebiensis, Complutensibus Francisci Ximenij Cardinalis, & Regys Philippi Secundi.

AVgustinus Nebiensis, in Corsica insula Episcopus, patria Genuensis, ex illustri Iustinianorum familia, prędicatorij ordinis professor obseruantissimus, Theologus sincerè doctus, linguarumque Orientalium peritissimus, nouo & ingenti vsu primus omnium vetus & nouum testamentum quinque prçcipuis linguis Hebræa, Chaldæa, Græca, Latina, & Arabica in vnum corpus, Biblia octapla inscriptum redigere conatus est: Origenem enim imitatus, in singulis paginis octo columnas disposuit; in quibus omnes prædictæ linguæ, proprijs characteribus expressæ, totidẽ lineis, totidemque verbis sibi correspondentes, vno eodemque aspectu cernerentur, hoc videlicet ordine. In prima columna præposuit Hebraicum textum; in secunda Latinam eiusdem interpretationem de verbo ad verbum; in tertia Latinam communem, & vulgatam editionem; in quarta Græcam; in quinta Arabicam; in sexta Thargum, hoc est paraphrasim Chaldaicam, sermone quidem Chaldæo, sed litteris Hebraicis conscriptum; in septima translationem Latinã, Chaldaicæ correspondentem, in octaua scholia, vel annotatiunculas quasdam breuissimas per interualla sparsas, & intercisas, quibus potissimum Iudæorum errores redarguit. Huius tam præclari operis Psalterium tantùm edidit Genuæ anno 1516. Leonique X. Pontifici Max. dicauit, vbi in archiuio Serenissimi Senatus reliqua ipsius monumenta manuscripta seruantur. Floruit eruditissimus hic vir sub eodem Leone X. Romæ in Concilio Lateranensi clarus; mortuusq; est maritima tempestate assumptus anno salutis nostræ 1530. dum in Corsicam ad Ecclesiæ suæ residentiam nauigaret.

Franciscus Ximenius, è Cisneros Hispanus, Ordinis Minorum, S. Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis titulo S. Balbinæ, Archiepiscopus Toletanus, & simul item Archicancellarius Hispaniarum, edidit ad Leonem X. vniuersum vetus ac nouum testamentum, multiplici etiam lingua, hoc est Hebraica, Chaldaica, Græca & Latina, immensis profectò sumptibus, laboribus ac vigilijs: nam accitis vndequaque, non solùm in peritia linguarum doctissimis viris; sed castigatissimis etiam, & vetustissimis exemplaribus, ex Vaticana, & Medicæa bibliotheca desumptis, vel ab Serenissimo Senatu Veneto vltrò transmissis, aut aliundè, nulla expensarum, aut laborum habita ratione conquisitis, sua in complutensi academia, ex qua nomen sumpserunt, Bibliaque Complutẽsia vocata sunt, in lucem edi curauit. Cuius tàm magni operis dispositio sic se habet.

Pentateuchi est triplex editio, Hebraica videlicet, Chaldaica & Græca Septuaginta Interpretum; cui cõnexæ sunt tres Latinæ editiones, videlicet Latina Hieronymi, Hebraicæ veritati respondens. Chaldaicæ alia Latina respondet de verbo ad verbum, à viris eius linguæ peritissimis elaborata; Græcæ autem LXX. interpretum correspondet interlinearis Latina traductio. Agiographorum verò, & Propheticorum librorum duplex tantũ est editio, Hebraica, & Græca LXX. interpretum, quibus etiam intextæ sunt Latinæ interpretationes eis correspondentes. Chaldaicam enim iure omisit, quia vt vidimus supra, cum in cæteris libris, præterquam in Pentateucho corrupta sit multis in locis, & fabulis, merisque Thalmudistarum nugis conspersa, indigna prorsus erat, quæ sacris codicibus insereretur. Libri verò qui extra canonem sunt Hebræorũ, nos autem Canonicos habemus, Græcè tantùm positi sunt, sed cum duplici translatione Latina, Hieronymiana scilicet, & altera interlineari de verbo ad verbum.

At nouum testamentum Græcum dumtaxat habet contextum, cum Hieronymi versione, nudis tantùm litteris conscriptum, sine vllis aut tonorum, aut spirituũ notis, ad imitationem antiquissimorum Græcorum; quos absque hisce accentibus, fastigijsque litterarum scripsisse Callimachi poemata vetustissima, & sybillina carmina, antiquissimaque marmorum fragmenta testantur. Nam cum vniuersum ferè nouum testamentũ Græcè primum scriptum fuerit, voluit author priscam in eo linguæ illius vetustatem, maiestatemque intactam retinere. Cæterum, ne alicui dubium aliquod posset occurrere, in qua videlicet sylla ba accentum oporteat collocari, simplicem tantùm apicem in polysillabis dictionibus adiecit; & hunc quidem, non tanquam Græcum accentum, sed tanquam notulam, signumque, quo dirigi posset lector, ne in prolatione, modulationeque dictionum aliquando laberetur. Apposuit vltimo loco in fine totius operis copiosissimum dictionũ Hebraicarum, Chaldaicarum & Græcarum dictionarium, cum locis Scripturæ, in quibus vnaquęque Hebraica dictio, propter illius linguę fæcunditatem sensus multiplicat, adiecitque concordantias quamplurimas. Perfecta sunt autem hæc nobilissima exemplaria, quæ vulgò à loco editionis, vt notauimus, Complutensia appellantur, sub Leone X. Pontifice Maximo, totoque orbe Christiano summa cum laude inuulgata.

Quia tamen horum Bibliorum exẽplaria vix amplius reperiebantur, mandato Philippi II. Regis Hispaniarum, eiusque sumptibus, iterum à doctissimis viris recognita, quàm emendatissimè sunt recusa, addita in omnibus libris, qui in canone Hebræorum habentur, Chaldaica paraphrasi, quam vt vidimus Cardinalis Ximenius pretermiserat. In ijs autem edendis præ omnibus, qui illam prouinciam susceperant, laborauit Benedictus Arias Montanus, qui etiam illa non solùm suo doctissimo auxit apparatu: sed insuper alijs etiam ornauit dictionarijs, vt patet ex his quæ ipsemet scripsit secunda in ea præfatione: vbi etiam de

totius

totius operis vsu, dignitate, & apparatu ex ordine differit. Recusa sunt Antuerpiæ apud Christophorum Plantinum ex officina Regia anno 1573. Verùm tàm in hac Antuerpiensi, quàm Complutensi editione, licet Philippus II. & Cardinalis Ximenius valdè curarint, vt exemplaria, præcipuè Septuaginta Interpretũ, quàm correctissima consulerentur, ad sua biblia emendatissimè cudenda: tamẽ qui opus curarunt, Hebraico textui plusquàm par erat adhærentes, dum hæc illi accommodare voluerunt, non modo initia capitum, & alia multa à sua sede sustulerunt, vt eò transferrent vbi Hebraico textui connecterentur; sed etiam, quæ apud Septuaginta desiderari cognoscebant, ex Hebræo, vel alia translatione supplenda iudicarunt; & quæ in Hebræo non erant, non cum Origene obelo notanda, sed omnino delenda. Nec purum & sincerum ipsorum Septuaginta textũ retinuerunt, sed nunc Theodotionem, nunc Aquilam, nunc alterum aliquem secuti, nouam quamdam interpretationem ex multis permixtam sub nomine Septuaginta ediderunt. Quod Sixtus V. adhuc Cardinalis cùm animaduertisset, Gregorio XIII. Pont. Max. auctor fuit, vt Septuaginta interpretum translationem quo ad fieri posset, sinceram, & incorruptam Ecclesiæ dari curaret. Quam rem cum Sanctissimus Pontifex, Cardinali Caraffæ peritia linguarum ornatissimo commisisset, ipse Sixtus V. deinde creatus Pontifex, eiusdem Cardinalis, & Flaminij Nobilij aliorumque doctissimorũ virorũ opera, quàm diligentissimè perficiendam curauit, & Græcam Septuaginta cum Latina interpretatione, in Vaticano edidit anno salutis 1588. vt diximus supra. Notandum insuper circa Vulgatam editionem, in Biblijs Regijs non contineri omninò purè, & fideliter; non solùm qualis est post vltimam Clementis VIII. correctionem, sed neque etiam qualis erat antea: quoniam nonnulla immutata sunt, vt redderetur etiam Hebraico textui conformior. Vndè satis apparet eiusmodi editiones non esse maioris authoritatis, quam sint aliæ latinæ de quibus superiori capite egimus; in ijs videlicet, in quibus rèpugnãt Vulgatæ, non contineri verbum Dei: in cæteris autem verbum Dei, tanquam expositionibus, non tanquam textu authentico contineri.

CAPVT XCIII.

De Biblijs Parisiensibus nuper editis: vbi etiam de editione Samaritana, & Arabica Versione.

ANno Domini 1645. prodierunt Parisijs excusa Biblia magna Heptaglotta impensis D. Michaelis le Iay, studio & opera Gabrielis Sionitæ Maronitæ, Ioannis Morini, & Abrahami Ecchellensis in decem tomis, folio magno, charta Imperiali. Vt caractherum elegantia, & chartæ magnificentia, tum regia Philippi II. tum omnes alias præcedentes editiones superarunt; ita etiam adiectione aliquorum antiquorum monumentorum, quæ à nemine ante hac typis euulgata fuerant. Nam præter textus, & versiones, quæ in Regijs antea habebantur, de nouo adduntur Pentateuchus Samaritanus vnà cum Versione Samaritana, & Versione eius Latina; Syriaca Versio Testamenti veteris, quam simplicem appellant Syri, & primus punctauit Gabriel Sionita S. T. D. Linguarum Orientalium professor Parisijs; ac denique tam Veteris, quàm Noui Arabica, quæ in Regijs non extabant.

Summoperè tamen dolendum opus tam eximium, ex dissidio, vt narratur, eorum, qui operi præfuerunt, in multis adhuc imperfectum prodijsse. Vt enim nihil dicam de intoleranda illorum incuria, qui correctioni inuigilare debuerunt ob quam innumeris mendis & erratis scatet hæc editio, quæ splendorem eius non mediocriter obscurant; Primùm desideratur Apparatus cum prolegomenis, appendicibus variarum lectionum, tabulis, indicibus, alijsque similibus, quæ ad operis complementum, & perfectio-

nem multum conferre poterant. Secundò queritur Valerianus Flavigni, Professor Regius Hebraicus Parisijs in epistolis quas de hac editione scripsit, quod translatione Latina careat, quæ Hebraicum textum planè, siue ad verbum exprimat. Tertiò non probatur, quod relicta Versione Græca LXXII. Interpretum celeberrima, & omnium antiquissima editionis Romanæ, secundum exemplar Vaticanum supra 1200. ante hac annos descriptum, quę vt maximè sincera doctorum calculis existimatur, secuti sint eius editores illam Complutensium, pro omnium, quæ hodiè extant, maximè mixta & interpolata habitam. Quartò quod Vulgata Latina secundum Sixti V. & Clementis VIII. editiones emendatas, & correctas vsi non fuerint. Et si enim Complutensis editio, & Regia quia ante huiusmodi correctiones prodierunt, in hoc excusari possint, meritò tamen reprehendi debent, qui Parisiensi præfuerunt, quod Vulgatam Latinam tot mendis scatentem, post duorũ Summorum Pontificum decreta in contrarium, publicarint. Quia autem in hac editione, vt diximus supra primum prodierunt Pentateuchus Samaritanus, vnà cum antiqua Versione Samaritica; nec non Arabica tàm Veteris, quam Noui Testamenti, ideo de vtroque in hoc loco fusiùs agere distulimus.

Igitur quod spectat ad Pentateuchũ Samaritanum, pluribus omissis, quæ de Samaritanis, aliàs Cuthæis, eorumque origine, rebus gestis, religione, schismate à Iudęis facto, capitali Iudæorum in eos odio, eiusque causa, & alijs similibus videri possunt apud Ioannem Morinum Congregationis Oratorię in Gallia Presbyterum, in varijs de hac materia libris ab eo Parisijs editis; Sciendum est in primis Samaritanos Pentateuchum duntaxat recepisse, forsan quod solus religionis Iudaicæ, cui erant addicti, summam complectatur, vel ob alias etiam causas, quæ parum ad præsens institutum referunt; quo fit vt solus quoque Pentateuchus libros inter sacros lingua Samaritana editus reperiatur; cuius caracteres hodierni sunt ipsimet antiqui Hebraici, quibus supra cap. 7. & 14. diximus legem Moysis, aliosque libros sacros primum fuisse exaratos, quique Iudęis, & Samaritanis ante Esdræ tempora communes erant; post quę Iudæi reduces è captiuitate Babylonica illos Samaritanis reliquerunt, Asyriacis ab Esdra eorum loco substitutis, & introductis, vel quod illis Iudæi magis assueti essent, vel propter eorum odium versus Samaritanos; vnde etiam scripturam veteris Testamenti, quam ipse restituit, & ordinauit, caracteribus Asyrijs, qui hodie Hebræi appellantur conscripsit. Qua de causa nemini dubiũ esse potest, quin Pentateuchus Samaritanus inter textus primęui exemplaria vetustissima reponendus sit, plurimumque pręfato Ioanni Morino debeatur, qui illum post tàm altum tot annorum silentium è tenebris eruit, primusque publicauit in his Heptaplis Parisianis, vna cum antiqua versione Samaritica; quem etiam postea aliquibus mutatis inseruit Biblijs Poliglottis Londinensibus eorum author anno 1657.

Vnde autem hæc Samaritani Pentateuchi exemplaria primam suam habuerint originem dissentiunt inter se doctores. Quidam enim affirmant ex Hebraica à Palestinis & Babylonijs atque Grçca ab Hellenistis Iudæis recepta editione conflata fuisse, multaque in illis corrupta ab impostore quodam Dositheo, qui ex Origene lib. 1. contra Celsum, & tract. 27. in Matth. fuit sectę Dositheanorum inter Samaritas caput, & Princeps, quique se illis pro Messia venditabat. Alij verò docent Pentateuchum Samaritanum descriptum esse ex Iudęorum codice post Esdrę tempora, vel certè postquam codex Hebraicus Asyrijs litteris descriptus fuit. Tertia tandem, eaque probabilior sententia est, Samaritanos codices, & Hebręos, vt cumque hodie in aliquibus differant, eosdem tamen olim fuisse, eodemque charactere scriptos, quem Samaritani adhuc retinent,

rient, Hebrææque Samaritanis propterea vocari potest. Et si enim cum schismate, quo lib. 3. Reg. cap. 12. decem tribus à Roboamo Salomonis filio defecerunt, electo sibi in Regem Iotoboamo, vnde regnum Israeliticum exordium sumpsit, cuius postea Metropolis facta est Samaria, quam Rex Omri empto à Schomeron monte *Samariæ* ædificauit 3. Reg. 16. 24. & secundum nomen Schomeron, à quo montem emit *Samariam* denominauit: Et si, inquam, cum tali schismate, verus Dei cultus magna ex parte inter decem tribus corruptus fuerit, non tamē ab eo totaliter defecerunt; nam multa erant inter eas hominum millia, qui genu Baali non incuruarant; nec consequēter lex Mosaica ita fuerat reiecta, quin plura secundum eam tam ad cultū Dei, quàm ad regimen spectantia seruarētur; vnde etiam habuerunt sacerdotes (quāuis non omnes è tribu leui fuerint post defectionem) qui cùm ante illam ex Pentateucho populum per ciuitates instruerent, necessarium ad hunc finem fuit, vt haberent eius quoque exemplaria, quæ inter eas dispersa etiam post schisma remanserunt, vsque ad earum sub Salmanasare Rege Assyriæ captiuitatem: Exemplaria verò ista alia non fuisse, quam quæ Iudæis in vsu erant, nō videtur esse ambigendi locus. Imo vix probabile est nulla ex illis relicta fuisse post asportationem decem tribuū, inter illos, qui in terra relicti sunt: totum enim populum Israeliticum haud abductum fuisse, sed primores tantùm cum Sacerdotibus, è plebe multis relictis, satis ostendit tribuum distinctio quædam longo post tempore seruata, licet Cutheis, qui cum ipsis mixti erant, seruirent. Siquidem Rex Salmanasar post Samariæ obsidionem triennalem, Rege Osee cum populo in Assyriam captiuis abductis, in eorum sedes Colonias introduxit à Babylone, & ex Cuthah, Aua, Hamath, & Sepharnaim, quas in ciuitatibus Samariæ collocauit, pro vt legimus 4. Reg. cap. 17. indèque noui incolæ, vt à ciuitate primaria quam tenuerunt Samaritani, ita ex loco vnde plerique eorum venerunt, nimirum ex Cutho fluuio Cuthæi dicti sunt, vt habet Iosephus lib. 9. cap. 20.

Multi autem inter veteres, cum Samaritani Pentateuchi codicum meminerint Eusebius, Hieronymus, Cyrillus Alexandrinus, Procopius Gazeus, Scholiastes Græcus; difficultas est an codices hodierni, quique ad nos vsque peruenerunt, iidem sint cum illis, qui à præfatis doctoribus citantur? cui affirmatiuè respondet Ioannes Morinus exercit. Pent. Samaritani; quod quia melius probari non potest, quam facta locorum, qui ab illis doctoribus proferuntur, cum codicibus hodiernis collatione, id prolixè dictus auctor præstitit loco citato vbi videri potest: solùm aduerto, quod licet post allatos doctores, per annos supra millenos quasi tenebris sepulti iacuerint hi codices, nulla ferè eorum mentione apud vllos authores facta, tanta nihilominus diligentia illos conseruarunt Samaritani, vt iidem planè hodie sint quales ante hac annos 1200. vel 1300. Eusebij scilicet, & Africani temporibus: adeò vt Simeon du Muis regius linguarum Orientalium professor Parisijs, acerrimus alias Pentateuchi Samaritani impugnator vltrò concedat in censura sua cap. 3. quod testimonia veterum à Morino citata & adducta probent tale esse hodie Samariticum exemplar, quale ante mille, & amplius annos fuit.

Quantùm ad huius Pentateuchi authoritatem spectat; Samaritani vt eam probent, non solùm contendunt, quod verum esse concedimus, legē primò datam esse Scriptura Samaritica, hoc est, antiqua Hebræa, sed etiam se exemplar illius habere scriptum diebus Phineæ filij Eleazaris, Filij Aaronis, Sichemis ad ad montem Garisim asseruatum, Samaritanorum enim Pontifex ex relatione eorum qui peregrinati sunt ibi adhuc sedet illis imperans, & festa solemnia singulis annis litteris circularibus definiēs; Quod si liquido demonstrare possent, nemo

nemo non fateretur summa cum reuerentia eorum exẽplaria ab omnibus suscipi debere; Verùm cùm hoc omnino gratis dicatur, imò falsum esse conuincatur ex disputatione quam describit Iosephus lib. 12. Antiquit. cap. 6. Quæ coram Ptolemæo Philometore inter illos & Iudæos de templi vtriusque, Garisitani videlicet, ac Hierosolymitani prærogatiua habita fuit; si enim tale quale asserunt exemplar habuissent, nec de hoc siluisset Iosephus hæc referens, nec ille qui Samaritanorum causam agebat, quãdoquidem producto hoc exemplari pro monte Garizim lis statim terminata fuisset, & pro Samaritanis rex pronuntiasset, non autem pro Iudæis, Samaritanorum patronis, pro vt conuentum fuerat, ob probationis defectum iussu Regis morte mulctatis; eorum Pentateuchus pro authentico non est habendus; nec maior illi authoritas concedenda, quàm alijs antiquis exemplaribus, ipsique textui Hebræo, à quo excepto loco illo cultui sacro destinato vix in rebus alicuius momenti dissidet, præterquam in calculo Chronologico; de quo videri potest supracitatus Ioannes Morinus, & alij qui de hac re scripsere.

Portò huius Hebræo Samaritani textus triplicem quidam statuunt versionẽ, videlicet Samaritanam, Arabicam, & Græcam. De duobus prioribus nullum est dubium, quibus tàm Morinus ad editionem hanc Parisianam concinnandam, quam ad Londinensem eius author vsi sunt; de tertia verò quæ hodie non extat dubitatur. Primam autem versionem factam de textu Hebræo-Samaritano in dialectum Samaritanam, siuè in linguam Chaldæo-Samaritanã, Chaldaicæ & Hebraicæ affinem, licet de eius authore, & tempore nihil certi constet, valdè tamen antiquam esse, multoque ante Christi tempora, videlicet non multum post Esdram, & Nehemiam conflatam fuisse, colligitur ex hoc, quod eadem causa, quæ tunc Iudæos impulit ad Turgumim siue Paraphrases suas lingua sibi nota conficiendas, Chaldaica nimirùm, siue ex hac & Hebraica mixta, Syriaca; quia scilicet post captiuitatem Babylonicam desierat lingua Hebraica esse ipsis vernacula, vt hoc modo librorum sacrorum explicationem lingua sibi nota intelligerent; Samaritanos quoque sine dubio mouerit, vt versionem hanc conficerẽt, quando pariter Hebraica lingua desierat esse ipsis vernacula. Hoc ergò tantùm circa illam certum, quod origo eius ab Esdræ temporibus non altius, accercenda sit; quo adhuc tempore, quia huiusmodi versiones, aut paraphrases sine præscripta forma fieri potuere; dubium est an tunc fuerit scripta; scriptas enim saltem inter Iudæos non fuisse paraphrases ante Orkelum, & R. Ionatham patet ex dictis supra cap. 82. Secundæ quoque versionis Arabicæ litteris tamen Samaritanis exaratæ, nec certum tempus, nec certus author statui possunt. Verisimiliter tamen dici potest eam fuisse natam post Mahumetem, quo tempore cum eius superstitione lingua etiam Arabica, qua suum Alcoramum conscripsit, in Oriente propagari cæpit, vel etiam paulò tardius post Saadiæ tempora, hoc est post annum Christi 900. eo quod multa habeat communia cum versione Arabica Pentateuchi præfati doctoris, qui eo tempore florebat. Et hæc breuiter, quantumque ad nostrum institutum sufficit de Pentateucho Samaritano.

Iam quod attinet ad Versionem Arabicam, cum sit multiplex, breuiter vniuscuiusque mentionẽ faciemus. Primùm ergò inter Iudæos R. Saadias circa annum Domini 900. totum vetus testamentum ex Hebræo in Arabicum, litteris verò Hebraicis transtulit in vsum Iudæorum. Saracenorum imperio subiectorum, qui per arma victricia religionem & linguam Arabicam vbique tunc temporis propagatant. Huius versionis pars tantum, scilicet Pentateuchus hactenus lucem vidit, quem typis ediderunt Iudæi Constantinopoli centum ab hinc annis: de illa notant docti, quod Saadias sæpè Paraphrastem potius, quã interpretem agat; & à verbis ac phrasi-

bus

bus Hebreis interdum longius recedat. Preter hanc Saadiæ versionem habent Iudæi aliam versionem Arabicam Pentateuchi charactere etiam Hebræo in Mauritania olim editam, quam ex bibliotheca Iosephi Scaligeri characteribus Arabicis typis edidit Lugduni Batauorum 1622. Erpenius; qui eam præfert Saadicæ versioni, quod pressius verbis Hebraicis insistat, & ea totidem ferè Arabicis reddat, locis quibusdam exceptis obscurioribus, in quibus nonnihil à verbis recedit, sed ita vt ad sensum semper inclinet, eumque clarius exprimat.

A Christianis quoque Orientalibus versiones variæ Arabicæ reperiuntur factæ, tùm Veteris, tùm Noui Testamenti; inter primas duæ sunt præcipuæ, vna Syriaca, altera Aegyptiaca, sic dictæ à regionibus vbi in vsu erant. Vtriusque meminit Augustinus Iustinianus Episcopus Nebiensis in Psalm. 14. & 84. secutusque est Syriacam in editione sua Psalmorum; Cornelius etiam à Lapide vtriusque exemplar in Bibliotheca Vaticana & Mediceą extare testatur Comment. in Proph. min. in arg. p. 5. quarũ vnam appellat Antiochenam, Alexandrinam alteram, à Patriarcharum sedibus, qui Ecclesijs Syriæ & Aegypti pręfuerunt. Hac secunda tàm Parisiensium, quàm Londinensium Bibliorum collectores vsi sunt; sed vtriusque tempus, cùm primum factę fuerint, vel quibus auctoribus, exactè definire haud facile est; probabile tamen est vel circa Saadiæ tempora, vel non multò antea confectas fuisse, cum scilicet lingua Arabica in Orientem penetrauit, & linguas vernaculas in multis locis absorpserat: vndè antiquitas earum spernenda nõ videtur; maiorem tamen authoritatem non habent, quam cęterę versiones ab Ecclesia non approbatæ; vt enim eius fidei concredita sunt authentica omnia salutis monimenta, quam etiã constituit Christus *Firmamentum & columnam veritatis*, tàm in credendo si sumatur entitatiuè, quam in definiendo si consideretur repręsentatiuè vt explicabitur infra tertia & quarta sectione; ab ea etiam sola, eiusque iudicio recipere debemus potissimum authenticas diuinarum scripturarum translationes, quicquid in contrarium nostri obganniant sectarij, vt liberiùs nostram Vulgatam Latinam ab ea approbatam, cęterisque, vt vidimus, pręlatam deprimant.

Præter dictas duas totius Veteris Testamenti versiones, & alias etiam, quorumdam librorum tam manuscriptas, quàm impressas apud Christianos varijs in locis, Psalmorum Romę 1619. opera Gabrielis Sionitę, & Victorij Scialac Accurensis Maronitarum; & prius Genuæ 1516. opera Augustini Iustiniani Episcopi Nebiensis; Noui testamenti varias pariter habemus editiones Arabicas: Euangeliorum tres, quarum prima Romę excusa sine punctis typis Mediceis in fol. cum versione Latina interlineari, secundò postea ibidem recusa fuit sine Versione Latina; de cuius authore, & antiquitate, cùm nihil dicant, qui eam ediderunt, nihil de his certum afferi posse videtur, doctum tamen fuisse hunc Arabem interpretem, nec non antiquum fatentur omnes. Tertiò Euangelia, sed vna cum reliquis Noui Testamenti libris Arabicè edidit Thomas Erpenius Leidæ anno 1616. in 4. quæ editio licet cum Romana plerumque conueniat, ita vt vnam eamdemque esse versionem quidam opinentur, quia tamen in multis etiam discrepant, vt conferenti patet, alij illas diuersas faciunt.

Reliquorum vero librorum Noui testamenti, duæ eæque typis mandatæ reperiuntur versiones, Erpeniana scilicet, quam, vt statim diximus, vna cum Euangelijs ipse publicauit, & Gabrielis Sionitæ in Biblijs Parisiẽsibus, quas planè diuersas esse translationes clarũ est; Hanc enim Alexandrinã seu Aegyptiacam esse constat ex Sionita præfat. in Syriacos Psalmos, vbi totam scripturam se habuisse dicit versam Arabicè, ex antiquo codice in Aegypto descripto trecentis ab hinc annis; ita vt hęc sit eadem

dem Aegyptiaca cum illa veteris testamenti, quæ scilicet per Aegyptum reliquasque Ecclesias Alexãdrino Patriarchæ subditas in vsu erat, vt diximus supra: fortasse altera Erpenij est Syriaca siue Antiochena in vsu infra Patriarchatum Antiochenum, quæ nondum lucem vidit, quod magis probabile est, quia non immediatè ex Græco sed ex Syro traducta esse videtur; nam Syriaco textui in locis plerisque, quàm Græco vicinior esse comperitur.

Post hanc Bibliorum Parisiensium editionem, alia iterum polyglotta inscripta, complectentia textus originales, Hebraicos cum Pentateucho Samaritano, Chaldaicos, Græcos: Versionumque antiquarũ Samaritanæ, Græcæ LXXII. Interpretum, Chaldaicæ, Syriacæ, Arabicæ, Aethiopicæ, Persicæ, Vulgatæ Latinæ, quicquid comparari poterat, Londini edidit anno 1660. Brianus Vvaltonus; qua diligentia, quo labore, qua industria patebit opus in sex tomos tributum consideranti, eiusque prolegomena legenti.

CAPVT XCIV.

De Vernaculis Sacræ Scripturæ translationibus.

CIrca præsentis capitis materiam, vt certum supponitur primò, sacram Scripturam in linguam Vernaculam, seu Vulgarem transferri posse; propter immemorialem Ecclesiæ consuetudinem, qua vbique Gentium, & locorum iuxta linguam cuiusque nationis propriam, traducta est, & in dies quasi traducitur. Quod Theodoretus serm. de natura hominis testatur dicens; *Hebraici verò libri non modo in Græcã Idioma conuersi sunt, sed in Romanam quoque linguam, Aegyptiam, Persicam, Indicam, Armenicamque, & Scythicam, atque adeò Sauromaticam, semelque vt dicam linguas omnes, quibus ad hanc diem Nationes vtuntur.* Nostro quoque sęculo scimus Canonicos libros conuersos esse in Germanicum, Gallicum, Italicum, & Hispanicum sermonem, aliasque pariter linguas.

Secundò non est minus certum, Catholicam Christi Ecclesiam non prohibere omninò vulgarium translationum lectionem, vt Kemnitius in examine 4. Sessionis Concil. Trident. impudenter mentitur; si quidem in indice librorum prohibitorum à Pio IV. edito, regula 4. inferius citanda videmus cõcedi lectionem eiusmodi librorum ijs, qui vtiliter, & cum fructu ea vti possunt, id est, ijs, qui facultatẽ ab ordinario obtinuerint. Quod de scriptura dicimus, idem de officijs diuinis, Missa, & Sacramentis asserendum est, cum bona scilicet Ecclesiæ venia, lingua vulgari celebrari, & administrari posse. Nam, vt infra patebit, in Concilio Tridentino sess. 22. cap. 8. tantùm anathemate percutiuntur illi, qui dicunt Missam vulgari lingua celebrari debere, non autem qui dicunt eam, accedente Ecclesiæ dispensatione, sic posse celebrari: quo fit, vt pro tempore, & occasione possit Ecclesia istud permittere: vt olim Morauis lingua Sclauonica istud permisit, ex Aenea Syluio lib. 1. de origine Bohemor. c. 23. Quia enim totum regnum simul conuertebatur, & non poterant inueniri ministri, qui latinè celebrarent, visum est Summo Pontifici melius permittere, vt Sclauonicè id fieret, quam nullo modo. Tamen posteà vbi creuit eruditio, & ministri idonei inueniebantur, qui possent Latinè idem præstare, melius fuit omittere vsum linguæ Sclauonicæ, & communem totius Ecclesiæ consuetudinem sequi, vt hoc tempore Morauì Catholici faciunt.

Quod ergò controuertitur, & in dubium reuocatur, est, vtrum sacra Scriptura in linguam Vernaculam, seu vulgarem translata, communiter & indifferenter ab vnoquoque præsertim ex populo absque licẽtia Ecclesiæ legi possit. Affirmatiuam enim partem tuentur omnes Hæretici non solùm nostrorum, sed etiam superiorum temporum. Omnes,

nes, inquam, qui hereses seminare studuerunt, hoc vnum semper satagerunt, vt vulgaria Biblia populis lectitanda proponerent. Sic præstitum est à Vualdensibus, qui ex huiusmodi lectione infinitam populorum multitudinē in suas partes pertraxerunt. Metis in Gallia quidam impostores exorti sunt, qui pro seductis, & seducendis Biblia in sermonem Gallicum versa proponebant, vt dicit Innocent. III. lib. 2. epistol. Vvicleph ex Thoma Vualdensi tomo 1. cap. 70. & 73. sua vulgari versione Anglicana, Angliam dementauit. Hussitarum hæresis ex Cochlæo lib. 1. Historiæ, in impietate profecit, ex vernacula versioue, ex qua factum est, vt mulieres ad disputandum Theologos prouocare auderēt. Lutherus denique, & Caluinus per easdem impietatis semitas incedentes, voluerunt scripturas esse transferendas in omnes linguas Christianorū, vt ab omnibus in sua lingua legi possent, nullosque quantumuis imperitos ab earum lectione arcendos, aut deterrendos esse, sed excitandos potius omnes ad eas sæpè & diligenter legendas.

Nihilominus tamen contra hos omnes hereticos constanter tenendum est, vsum communem, & indifferentem traductionis Scripturæ, in linguam vulgarem, ita fuisse ab Ecclesia prohibitum, vt quis citra temeritatem asserere nequeat, eam ita translatam ab vnoquoque præsertim ex populo absque licentia legi posse: Ita colligitur ex sess. 22. Concilij Tridentini cap. 8. & can. 9. vbi ait nos debere esse contentos illis tribus linguis, quas Dominus titulo crucis suæ honorauit Ioann. 9. & quæ omnium cōsensu antiquitate, amplitudine, & grauitate omnibus alijs præstant: ac demū quibus libri ipsi sacri primùm editi sunt, hoc est Hebræa, Græca, & Latina; nàm ex dictis supra valde probabile est, Marcum suum Euangelium Latinè primum scripsisse: quamuis postea ipsemet, vel aliquis alius illud in Grecam linguam transtulerit, cùm nempè moraretur Alexandriæ. Sed multo apertius nostra cō-clusio habetur in Indice Romano à Pio Quarto iuxta Concilij Tridentini ordinationem edito, quarta regula inferius adducenda, vbi expresse prohibetur cōmunis & indifferens vsus harum versionum, in linguam propriam, solumque permittitur ijs, qui vtiliter, & cum fructu eas possunt legere, dummodo ab ordinario legendi licentiā prius obtinuerint.

Probatur primò conclusio nostra ex vsu Vniuersalis Ecclesiæ: nam vt D. Augustinus docet epistola 118. contra id quod Vniuersa Ecclesia facit, disputare, insolentissimæ insaniæ est. Vniuersa igitur Ecclesia, nunquàm regulariter, & in communi vsa est traductione sacræ Scripturæ in linguam vulgarem, vt contendunt debere fieri heretici. Et vt incipiam à veteri testamento; licet, cùm primum lex Iudęis scripta fuit, vulgaris esset lingua Hebraica, non tamen omnes eam legebant, sed liber legis seruabatur penes Sacerdotalem tribum Deuteron. cap. 17. Vndè quandò ibidem cap. 6. mandatum proponitur toti Israeli, vt legis verba sint sculpta in cordibus suis, & narrent filijs suis; si non refertur ad id solùm quod proximè antecedit, nimirum, *Audi Israel, Dominus Deus tuus vnus est, dilige Dominum Deum tuū &c.* Sed etiam ad vniuersam legem, non debet intelligi de ea præcisè, sed vt explicata certis temporibus à Sacerdotibus: per eorum enim interpretationem publicam, vel per priuatam Patris familias traditionem scire poterant, quæcumque necessaria erant ad salutem, sicut modò idiotæ à doctoribus Ecclesiæ, & prædicatoribus præcipua capita ad salutem necessaria, quæ in sacris Scripturis continentur, scire possunt. Similiter c. 31. præcipitur legi Dei mandata septimo quoque anno coram omni populo, sed explanantibus Sacerdotibus filijs Leui, quibus etiam mandatum legimus ibidē, quod non legis librum euulgarent, sed in latere arcæ testimonij reponeretur. Regi quoque præcipitur cap. 17. vt legat Deuteronomium, ea tamen condi-

tione, vt exemplar acciperet à Sacerdotibus Leuiticæ tribus: vnde Iosias Rex 4. Reg. cap. 23. in templo Domini vbi erant Sacerdotes, & Prophetæ, & omnis populus à paruo vsque ad magnum, legit cunctis audientibus verba libri fœderis Domini, verùm vt dicitur lib. 2. Paralipom. cap. 34. Helchias Sacerdos prius, *misit librum legis Domini per Saphan scribam, quem cum præsente Rege recitasset, audissetque verba legis, scidit vestimenta sua*; Scriba igitur interprete, primò legis verba intellexit, & mox Sacerdotibus stipatus, à quibus interpretatio petenda erat, iterum verba legis pronuntiauit.

Deindè cùm à tempore Esdræ desijsset in populo Dei lingua Hebraica esse vulgaris, si quidem in illis LXX. annis, quibus Hebræi fuerũt inter Chaldæos in Babylone, obliti sunt linguam propriam & Chaldaicã didicerunt, quæ deinceps fuit illis materna; cùm, inquã, toto illo tẽpore ab Esdra vsque ad Christum lingua Vulgaris non esset Hebraica, sed Chaldaica, seu Syriaca, non tamen propterea in illam versa est Scriptura, sed Hebraicè solùm scripturæ in templo aut Synagogis publicè legebantur, aut canebantur. Quo circa lib. 2. Esdræ cap. 8. habemus, quod cum legeretur liber legis Domini vniuerso populo, Nehemias & Esdras, & Leuitæ interpretabantur; quia alioquin nihil populus intelligebat, cui non amplius Hebraica, sed Syriaca vulgaris erat. Itaque propterea, vt ibidem dicitur, facta est lætitia magna in populo, quia intellexerant verba legis Esdra interprete. Huc etiam pertinet, quod Ioannis 7. dicitur; *Turba hæc, quæ non nouit legem*. Præterea ob periculum indoctorum hominum, & huiusmodi non fuit fas omnibus Hebraicam etiam linguam callentibus, nec Genesis, nec Ezechielis principium, nec Cantica Canticorum legere, ex Nazianzeno Apolog. 1. Prospero lib. 3. de vita Contemplat. Hieronymo epist. 103. & præfat. in Ezechielem. Et vt exterorum testimonio vtar, in Thalmud Hierosolymitano tract. de Sabb. cap. Kol cotebe, & tractatu Sophrim. cap. 15. refertur de Gamaliele, quod cũ staret in monte domus, seu templi Hierosolymitani, traditus est ei liber Iob vernacula, seu targumenica lingua trãslatus; quo viso, illico respondit, ò filij hunc abdite sub pauimento, id est, ab omnium oculis remouete. Denique vsque ad hanc diem in Synagogis Iudęi scripturas Hebraicè legũnt, cum tamen nec illis, nec vlli nationi hoc tempore lingua Hebraica sit vulgaris. Neque dictis repugnat, quod extet paraphrasis Chaldaica scripturarum; nam illa vel tota, vel maiori ex parte facta est post Christi aduentum, & præterea eam nũquam Hebræi ita receperunt, vt publicè eam pro scriptura legerent: de quo nos agimus in præsenti. Tantùm de antiquissimo Synagogæ vsu, circa non promiscuam, & indifferentẽ sacræ Scripturæ lectionem.

Quod pertinet iam ad Vniuersalem Ecclesiæ vsum, in statu noui testamenti; facile est illum probare, discurrendo per singulas ætates, & nationes, ab Apostolis ad hęc vsque tempora. Primum enim Apostoli, etiam si ad Euangelium vbique locorum dissenimandum sua Euangelia conscripserint; nihilominus illa non conscripserunt linguis proprijs eorum, quos ad fidem conuerterant, etsi eas non ignorarent, cum haberent donum linguarum, sed solum lingua Hebraica, Græca, & Latina, vt de Euangelio Marci suo loco diximus. Quod ex Hilario pręfatione in Psalmos cõfirmatur: *His*, inquit, *maximè tribus linguis sacramentum voluntatis Dei, & beati regni expectatio prædicatur: ex quo illud Pilati fuit, vt his tribus linguis Regem Iudæorum Dominum Iesum Christum esse prædicaret*. Præterea D. Paulus Romanis Græcè scripsit, cùm tamen Romanis non Gręca, sed Latina esset vulgaris: item Petrus & Iacobus scripserunt Gręcè Iudęis per orbem terrarum dispersis, quibus tamen non Gręca erat materna, nec Hebræa sed lingua eius regionis in

qua

quæ habitabant, vt satis patet ex illo Act. 2. *Nonne isti, qui loquuntur, Galilæi sunt? & ecce nos audiuimus loquẽtes nostris linguis &c.* ista enim dicuntur à Iudæis, qui ex varijs regionibus conuenerant ad vrbem Hierosolymitanam: sic enim Lucas ait Act. 2. *Erant autem in Hierusalem Iudæi, viri religiosi ex omni natione quæ sub cælo est.*

Quapropter Vniuersa deinceps Ecclesia his tantùm linguis Hebrea, Greca & Latina vsa est in communi & publico vsu scripturarum, cùm tamen in primis Ecclesiæ seculis lingua Greca, & Latina non omnibus, sed solis Grecis, & Italis vulgares essent: idque adhuc non multo tempore; nàm à plurimis retro seculis in Grecia & Italia aliæ linguæ fuerũt maternæ & vsuales. Imprimis in toto Oriente tempore B. Hieronymi in publico vsu erat tantũ editio Greca LXX. interpretum per Origenem, Lucianum, aut Hesichium emendata. Nam vt ex ipso Hieronymo discimus prefat. in Paralip. à Constantinopoli vsque ad Antiochiam in publico vsu erat editio Greca Luciani; ab Antiochia vsque ad Aegyptum id est per totam Syriam erat in publico vsu editio Origenis; per totam Aegyptũ vtebantur editione Hesychij, & tamen lingua Greca non erat Vulgaris à Constantinopoli vsque ad Antiochiam, & multo minus in Syria & Aegypto; sed tantùm communis apud doctos illarum gentium, sicut & Latina, in Ecclesia Occidentali, vbi proindè omnes etiã vtebantur editione Latina scripturarum.

Primùm enim in Africa certum est, quo vsque ibi Christiani fuerunt, semper in vsu publico scripturarũ fuisse solam Latinam linguam; nàm D. Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana c. 13. dicit tempore suo Psalmos in Ecclesia Latinè cantari consueuisse. Item Beatus Cyprianus sermone de orat. Domin. testatur suo tempore in Missa dici solitam prefationem illam, *sursum corda*, & Augustinus de bono Perseuerant. c. 13. dicit in Missa post illud, *Habemus ad Dominum*, mox subdi à Sacerdote, *Gratias agamus Domino Deo nostro*, & responderi, *dignum & iustum est*. Ex quibus satis patet in Africa Missam Latinè dici consueuisse, nec non lectionem, vel Epistolam, & Euangeliũ, quæ ex precipuis partibus sunt Missæ. At eo tempore non fuisse Latinam linguam omnibus vulgarem in Africa, testis est idem Diuus Augustinus, in expositione inchoata epist. ad Romanos, & serm. 35. de verbis Domini; vbi dicit Punicam linguam affinem esse Hebraicæ; vel vt docet, D. Hieronymus prefat. lib. 2. in epistol. ad Galatas Linguæ Phenicie; siue Syriacæ, cum Phenicia sit pars Syriæ. Vnde facile hec duo Sanctorum dicta concordari possunt, cùm eadem lingua nunc Hebraica, nunc Syriaca olim vocata fuerit vt notauimus supra. Quod autem Iunius lib. 2. cap. 16. Vitacherus controuersia 1. cap. 5. ambo heretici dicunt, lingua etiam Punica translata Biblia extitisse tempore D. Augustini; gratis omninò dicitur, cùm talis versionis nulla sit facta in tota antiquitate mentio; presertim apud D. Augustinum, qui certè aliqualem de illa, si eius tempore extitisset, mentionem fecisset, vbi sepissimè, presertim in lib. de doctr. Christiana, de translationibus disserit. Deindè dato & non concesso illam fuisse; nihil contra nos, qui non negamus sacram Scripturam in linguam vernaculam, seu vulgarẽ transferri posse, sed tantùm non expedire vt communiter & regulariter omnibus eius lectio, vel vsus permittatur. Quod etiam diligentissime fuit in Ecclesia Africana obseruatum, vbi licet ex predictis hereticis translata esset scriptura in linguam Punicam, non fuit tamen ex predictis Patribus Augustino, & Cypriano in publico vsu, sed Latina versio duntaxat.

Similiter in Hispania fuisse semper in publico vsu scripturarum solam Latinam linguam, manifestè colligitur ex Isidoro in libris duobus de diuinis officijs; item ex Concilio Toletano IV. cap. 2. ante annos 900. celebrato, vbi sta-

statutum est, vt in tota Hispania idem ordo seruaretur in canendis Psalmis, in Missis, in Lectionibus, & alijs Ecclesiasticis officijs: & deinde cap. 12. & sequentibus satis apertè ostenditur, tunc Latinè consueuisse illa omnia legi. Qui modus vsque ad hoc tempus seruatus est. Nec exstat vlla memoria, aut vestigium mutationis; & tamen lingua Latina, nunquam fuit in tota Hispania Vulgaris, aut si aliquando fuit, quando nimirum subiecta erat imperio Romano, à multis iam sęculis desijt esse.

In Anglia tradit Venerabilis Beda lib. 1. Historiæ Anglic. cap. 1. suo tempore quatuor fuisse linguas Vulgares, pro diuersitate regionum eiusdem insulæ: tamen Latinam communem fuisse omnibus propter scripturas: quia scilicet omnes vtebātur editione latina scripturarum, etsi aliqui linguas maternas proprias haberent. Hęc insula, inquit, in præsenti iuxta librorum numerum, quibus lex diuina scripta est, quinque gentium linguis vnam eamdemque summæ veritatis, & veræ sublimitatis scientiam scrutatur, & confitetur, Anglorum scilicet, Britannorum, Scotorum, Pictorum, & Latinorum, quæ meditatione Scripturarum omnibus facta est cōmunis. Vndè apparet quàm male Vvitacherus ex hoc loco collegerit in Britannia antè Bedæ tempora, fuisse has versiones, Anglicam, Britannicam, Scoticam, Pictam & Latinam; cùm potius inferre debuisset, à quinque diuersarum linguarum hominibus lectas fuisse in Anglia scripturas, quibus tamen omnibus lingua Latina meditatione scripturarum facta est communis; quod sane non contigisset, si editione Latina scripturarum vsi non fuissent, communiter, sed suis vernaculis; vt satis per se patet: Quia autem Treuisanus lib. 5. cap. 24. & 6. cap. 2. meminit cuiusdam translationis Britannicæ, sciendum est duplicem olim fuisse, vnam Catholicam, de qua loquitur Treuisanus; alteram hereticam, cuius author fuit Vvicleph, ex Thoma Vvaldensi lib. 2. cap. 70. Ante prohibitionem autem etsi legi poterat Catholica; non fuit tamen publicus, & communis illius vsus, sed tantùm Latinæ vt vidimus. Quem etiam postea seruatum fuisse patet ex prçfato Vvaldensi tom. 3. de Sacrament. titul. 3. & 4. Vviclephi verò versionem Ioannes XXIII. damnauit, & hereticam esse voluit.

In Gallia fuisse etiam vsum linguæ Latinæ in publica Scripturarum lectione, cùm tamen Gallis, nec antè, nec post Francorum ex Germania in Gallias aduentum, non esset Vulgaris lingua latina, sed alia longè diuersa, vt testatur D. Hieronymus, tàm in vita Sancti Hilarionis, quàm in prçfat. lib. 2. in epist. ad Galatas; patet ex Albino Alcuino prçceptore Caroli Magni in lib. de Diuinis officijs, nec non ex Amalario Treuirensi, qui circa annum Domini 840. floruit, & accuratissimè scripsit de officijs Ecclesiasticis. Vbi etiam ostendit non solùm in tota Gallia, sed etiam in toto reliquo occidente eodem modo celebrata fuisse diuina officia. Quod Iunius lib. 1. cap. 15. ait sub Carolo Magno factam fuisse Gallicam Bibliorum translationem, desideratur illius dicti testis; Postellus enim lib. de 12. linguis, vbi huius translationis meminit, non explicat, qui Carolus fuerit eius author; deinde, etiam si res ita se haberet, superesset Iunio probare, communem illius vsum fuisse in publica Scripturarum lectione. Alterius Gallicæ versionis circa annū Domini 1160. Hæretici Vvaldenses fuere authores, & alij, vt patet ex Epistola 2. Innocentij III. ad Metenses. Francica autem illa vetus, cuius meminit Trithem. in Catalogo, in Ophrido, & Volferus de rebus Boiacis, non fuit translatio omnium librorum sacrorum, sed solius Euangelij, vel Psalterij ex rithmis constans.

Iam in Germania eodem tempore solius linguę Latinę vsum fuisse, in publica Scipturarum lectione, & non solùm in Germania, sed etiam in reliquo occidente, clarissimè docent Rabanus Episcopus Moguntinus, qui fuit ante annos

annos 700. lib. 2. de institut. Clericorum, & Rupertus Tuitiensis, qui ante annos 400. in Germania floruit lib. 1. de diuinis officijs; Germanis autem nunquam fuisse linguam Latinam vulgarem, sed aliam ab illa toto cœlo distantem ostendit D. Hieronymus in epist. ad Suniam & Fretellam. In Bohemia similiter, & finitimis regionibus, quibus etiam nunquam fuit lingua Latina vulgaris, ante annos 500. Latinè diuinæ Scripturę in Ecclesijs legebantur. Nam extat epistola Gregorij VII. lib. 7. epistolarum eius manuscriptarum ad Ducem Bohemorum, in qua dicit se iustis de causis non voluisse eis permittere, vt diuina officia lingua Sclauonica, quæ illis erat vulgaris, celebrarent, vt ipsi postulauerant. Quare quod Iunius libro citato cap. 16. docet, S. Hieronymum Sclauonicam, seu Dalmaticam editionem fecisse pro sua gente, ex eius epistola ad Sophronium, etiam si verum esset, parum refert; satis enim constat nunquam fuisse ibi in publico Ecclesię vsū; alias nō petijssent licentiam à Gregorio VII. celebrandi diuina officia lingua Sclauonica. Deindè videtur apertè falsum, quod D. Hieronymus talem vnquam translationē ediderit, epistola enim citata agit non de Sclauonica, sed de Latina Psalterij versione, vt patet ex epistola eiusdem ad Paulam, & Eustochium; vnde cam id nullibi Hieronymus testetur, qui minores etiam lucubrationes, & vigilias suas reticere non solet, nec illustris authoris testimonio aliquo expresè in tota antiquitate comprobetur, quis huiusmodi interpretationem Hieronymo authori facilè inscribat? Potuit igitur alius vir, Hieronymus nomine, talis editionis esse author, qui alius à vetere Hieronymo Stridonensi meritò perhibetur, vndè, & quidam nouatores, vt author notationum in Bellouij obseruationes, nuperam dicunt esse linguam, & versionem.

Tandem, etiamsi iamdudum in Italia linguę Latinæ vsus apud populum desierit, si quidem vastantibus illam Hunnis, & Vvandalis Donatus Grammaticam edere compulsus est, & in primo Longobardorum ingressu in Italiam anno 589. cessatum esse Latinè loqui scribit Sabellicus Enneale 8. lib. 5. Nihilominus tamen in Italia sine controuersia vlla, semper Latinè Scripturę diuinę in Ecclesia lectę sunt. Imò hoc tempore Romana Ecclesia nō solum eadem lingua, sed etiam eodem ordine, & numero lectionum & Psalmorum diuina officia celebrat, quo non solum ante annos mille celebrabat, tempore Gelasij Papę, sed primitiuę etiam Ecclesię; ordinem enim Romanum diuinorum officiorum, qui idem est nunc, quo ad substantiam, qui fuit ab initio Ecclesię, quēque Isidorus lib. 1. de officijs Ecclesiast. cap. 15. affirmat à B. Petro cepisse, Gelasius Papa tantum auxit, & in meliorem formam redegit, vt patet ex decreto distinct. 15. can. S. Romana; & postea rursum Gregorius I. vt patet ex libro Sacramentorum, ab ipso edito. Deindè etiam Gregorius VII. cum ordinem tēporum negligentia nonnihil deprauatū, in pristinam formam restituit, vt patet ex Can. in die de consecrat. distinct. 5. quod idem nostris diebus fecerūt Summi Pontifices Pius V. Clemens VIII. & Vrbanus VIII. Quamuis igitur ante annos 300. Biblia fuerint in linguam Italicam translata à Iacobo Voragine ordinis Prędicatorum, postea Archiepiscopo Genuensi; nunquam tamen fuerunt in publico vsu diuinarum Scripturarum.

En quomodo in vniuersa Christi Ecclesia id semper fuit seruatum, vt Sacræ Scripturæ Græca tantū & Latina lingua publicè legerentur, tametsi eę linguę maternę, ac vulgares non essent. Quo argumento certè nihil efficacius desiderari posse videtur, ad reprimendam audaciam huius temporis Nouatorum; Quod enim respondet Vvitacherus fuisse Latinè lectas Scripturas in Ecclesijs Galliæ, Germaniæ; Hispaniæ, &c. sed à vulgo intellectas, ineptum est; cum ex dictis apertè probatum sit, non fuisse maternam, ac vernaculam linguam Latinam,

tinam, vndè ab vniuersis intelligi non potuit. Nec magis satisfacit Iunius, dicendo fuisse communem linguam, quia non mutuò se inferunt esse communem, & esse vulgarem linguam; nam Græca lingua per Orientem, sicut Latina olim per Occidentem, & modo etiam per Indos, & Brasiliam, & totam Americam diffunditur, nec tamen vllus dicet illam fuisse, aut esse maternam ac vernaculam omnibus istis nationibus. Vanę ergò ac pueriles sunt prædictorum hæreticorum euasiones. Similiter quando dicunt, nunc Ruthenos, Armenos, Aegyptios, Aethiopes, & nescio quos alios populos suis vulgaribus linguis sacra facere, nullius est momenti; insulsum est enim ab exemplo particularis nationis, & in qua eruditio, & Sanctitas non admodum viget, argumentum sumere contra vniuersalem Ecclesiæ consuetudinem. Deindè exemplis Ruthenorum, Armenorum, & similium, non magis nos moueri debemus, quàm moueamur exemplis Lutheranorum, Anabaptistarum, & Caluinistarum, qui Germanicè, aut Gallicè, aut Anglicè, alijsq; linguis vulgaribus Scripturas publicè legunt. Sunt enim etiam illi vel hæretici, vel Schismatici, & scimus maiores eorum Catholicos aliter fecisse, vt iam demonstrauimus. Notandum est, quantum attinet ad Armenos, ex authore quodam Græco, cuius manuscriptum in Bibliotheca Bauarica reperitur, quod cum nulli essent in Armenia, qui Romanam siue Latinam linguā perspectam haberent, extiterunt nonnulli, qui contra formam à S. Gregorio primo illorum Episcopo receptam, sibimet ipsis Armenica lingua Psalmos, & litteras transtulerunt; quod intelligens Theodosius Imperator illis valdè succensit, eo quod traditionem à Sancto Gregorio acceptam violassent, qui placare illum conantes, promiserunt se nunquam ab Ecclesia discessuros, & tam Romanam, quā Gręcam linguam se semper esse retenturos, eo quod inquiebant. *Romana seu Græca melodia sit Angelica, & cælestis, quam rusticitate nostra nequaquam assequi aut æquare liceat.*

Demum, si quæ fuerint olim, & sint modo Catholicæ nationes, quæ vernaculè Sacra celebrent, aut celebrarint, nō sine dispensatione, aut licentia Sedis Apostolicæ, à communi vsu recesserunt. Nos autem non negamus, iusta accedente causa, posse Ecclesiam permittere, in aliquo loco, & tempore, vt officium diuinum, Missa, & Sacramenta, vulgari lingua celebrari, & administrari possint; solùm defendimus communiter, & regulariter non expedire, vt ita fiat, nec passim omnibus debere permitti legendas Scripturas lingua vulgari; præsertim vbi oppositum contenderetur, sicut pertinaciter faciunt hæretici nostri temporis; quibus proinde talem licentiam concedendam non esse, licet illam peterent, ostendemus in fine huius capitis, ne illorum errori condescendere videremur.

Accedit secundò vniuersali Ecclesię vsui, vniuersalis etiam SS. Patrum consensus, Dionysij de Eccles. Hierarchia, *Obserua diligentius ne Sancta Sanctorum efferas* &c. Tertull. cap. 9. de præscriptionibus, vbi loquitur contra hæreticos dicentes, omnibus datam esse facultatem scrutandi Scripturas. S. Basilij lib. de Spiritu Sancto cap. 27. S. Gregorij Nazianzeni lib. de Theologia. S. Ambrosij lib. 2. ad Gratianum cap. 7. Vincentij Lerinensis lib. contra proph. vocum nouit. cap. 7. vbi consuli possunt; interim duo tantùm proferā testimonia Basilij Græci, & Hieronymi Latini, quæ acrius nostrorum temporum hæreticos stringere videntur. Refert Theodoretus lib. 4. Histor. cap. 17. cùm Præfectus Culinę Imperatoris nescio quid de Scripturis protulisset, eum à Magno Basilio reprehensum audiuisse: *Tuum est de pulmentis cogitare, nō dogmata diuina decoquere.* Quid obsecro, inquit Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 15. nunc diceret S. Basilius, si Pharmacopolas, Sutores, cœterosque opifices, etiam è pulpitis sacra eloquia tractare, apud Lutheranos, Caluinistas, atque Anabaptistas videret? S. Hieronymus in epistola ad Paulinum ait; *Quod medicorum est promittunt*

medici, tractant fabrilia fabri, sola Scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vêdicant. Scribimus indocti, doctique poemata passim, hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc Sophista verbosus, hanc vniuersi præsumunt, lacerant, docent, antequã discant. Quæ Hieronymi querimonia nunc maximè locum habet post vernaculas Lutheri & aliorum translationes Bibliorum; Omnes enim opifices, non solùm viri, sed etiam fœminæ Scripturas habent in manibus, & ex earum lectione ad imperitiam suã adiungunt indocilitatem, & arrogantiam. Quia enim possunt verba Apostoli recitare, & allegare libros & capita, putant se omnia scire, nec vllo modo doceri se patiuntur. Imo quædam fœmina, vt refert Cochlæus in libro de vita & actis Lutheri anni 1522. & adhuc extant opuscula, & & epistolæ eiusdem, vniuersam Academiam Louaniensem, tum in primis Doctorem Ekium ad certamen prouocare, ausa est. Cuius etiam meminit Lutherus tom.2. epistol.Latinar. fol.181.

Tertiò probatur conclusio sequentibus rationibus. Prima desumitur ex dignitate, & maiestate Sacræ Scripturæ, quæ exigit vt eius mysteria vulgari lingua non proferantur; præsertim cum in sacris mysterijs multa sint, quæ secreta esse debent, vt docuerunt omnes veteres Patres. Vndè quæ rationes Deum impulerunt, vt Scripturas difficiles redderet, eædem Ecclesiam ad non permittendas eas indifferenter lingua vulgari, constringere debuerunt: nam alias Scripturæ ipsæ quodãmodo vilescerent, dũ ab vnoquoque etiã imperitissimo tractarentur, & quod peius est, eam quisque pro suo modulo interpretaretur, suãque interpretationem alijs etiamsi peritorum, & in Theologia versatorum præferret: quod de facto inter hæreticos nostrorum temporum, propter promiscuum, & liberum Scripturarum vsum sæpè contingere videmus.

Secunda ratio fundatur in vnitate Ecclesiæ, ad cuius conseruationem expedit omninò, vt publicus diuinarum Scripturarum vsus sit in aliqua lingua communissima; cum sint communis regula communis doctrinæ: præsertim etiam quia in Ecclesia necessarius est recursus ad magisterium vnius primi capitis, qui linguas omnium scire non potest; & propterea, quandoque necessarium est congregari concilia generalia ex omnibus nationibus, quæ non possunt aliquid decernere, nisi in vno quodam idiomate conueniant: vndè cum Pontifices & Concilia sua decreta maiori ex parte eliciant è Scriptura; videtur omninò requiri ad Ecclesiæ vnitatem conseruandam, vt publicus illius vsus non sit, nisi in aliqua communissima lingua; Et aliqui putant hanc esse rationem à priori, cur Apostoli omnia ferè Græcè scripserunt, quia tunc lingua Græca, licet omnibus nationibus non esset vulgaris, aut materna, erat tamen omnium communissima, vt M.Tullius testatur in orat. pro Archia Poeta; *Græca*, inquit, *leguntur in omnibus ferè gentibus*, *Latina suis finibus exiguis sanè continentur*. Deinde autem conuersæ sunt Scripturæ in linguam Latinam, quia paulò post crescente Imperio Romano, desijt Græca lingua esse communis in Occidente, & cœpit Latina esse communis saltem apud eruditos, in tota Italia, Gallia, Hispania, Africa, & alijs regionibus. Cum igitur etiam nunc nulla sit communis toti Occidenti, nisi Latina, certè in ea Scripturæ diuinæ publicè legendæ sunt.

Nec solùm ad fouendam vnitatem, vel communicationem Ecclesiarum, requiritur, vt publicus vsus Scripturarum, non sit in lingua vulgari, & vnicuique nationi propria, vel materna, sed in aliqua lingua communissima; verùm etiã, quod eius fundamentum est, ad conseruandam doctrinæ vnitatẽ; si enim oporteret lingua vulgari Scripturas Sacras publicè legere, oporteret etiam singulis ferè ætatibus mutare translationes. Nam linguæ vulgares successu temporis magna ex parte mutantur, vt Horatius in arte Poetica, & experientia ipsa docet. Tot verò translationum mutationes, nõ

sine

ſine grauiſsimo multorum errorum, atque adeo vnitatis doctrinæ periculo fierent; Nam non ſemper inueniuntur idonei interpretes; atque ita multi errores committerentur, qui non poſſent poſtea facilè tolli, cum neque Pontifices, neque concilia de tot linguis iudicari poſſent; Nec enim Pontifices, nec Patres omnes, qui ad concilium veniunt, habent donum linguarum.

Tertia tandem ratio petitur ab incommodis grauiſsimis, quę ex vulgaribus translationibus communi vſu permiſſis animaduerti poſſunt. Et in primis, in ipſam Scripturam magna redundarent inconuenientia; nam linguæ vulgares innumeræ ſunt, & ſingulis ferè ſęculis multum variantur; oportet ergo, vt mox dicebam, innumeras eſſe translationes, & eas adhuc ſæpè mutari; cum quo ſatis patet, vix poſſe conſeruari Sacræ Scripturæ vnitatem, & integritatem, ſed potius facilè induci incertitudinem, ac veræ lectionis confuſionem. Deindè ex tali lectione vernacula diuinarum Scripturarum populus, non ſolum non caperet fructum, ſed detrimentum. Acciperet enim facillimè occaſionem errandi, tum in doctrina fidei, tum in præceptis vitæ ac morum. Certè, cum D. Hieronymus in Oſeę cap. 9. doceat, in veteribus hiſtorijs ſe reperire non potuiſſe, quod indocti fuerint hæreſum fabricatores, præter eos, qui à Deo Sacerdotes cõſtituti ſunt in Eccleſia, & prophetæ, non alia certè ratione, niſi quia Laici non habebant vernacula biblia, vnde hereſes malè illa intelligendo cõminiſcerentur; nunc per oppoſitum, poſt vernaculas diuinarum Scripturarum trãslationes, promiſcuumque ac liberum illarum vſum, eo deuentum eſt, vt pro vt vnicuique laico viſum eſt, nouam fidem cuderit. Aeneas Syluius in lib. de origine Boemorum refert errores craſſiſſimos Thaboritarum, Orebitarum, & aliorum, qui Scripturas materna lingua legebant, & non intelligebant. Quod idem accidit ex Staphylo in apolog. de vero, germanoque Scripturæ intellectu part. 2. Piccardicis, Suuenkfeldianis, Anabaptiſtis, alijſque pluribus apud Monaſterienſes; & tandẽ Dauidi Georgio omnium Hæreticorum peſtilentiſſimo, qui nullam linguam nouerat niſi ſuam maternam, id eſt, Batauorum, & tamen ex Scripturis collegerat ſe eſſe Dei filium, & Meſsiam, vt patet ex libro, ſiue epiſtola, quam de illius erroribus ediderunt Baſileenſes.

Quid iam de præceptis vitæ & morum? Cum ad vitia homines procliues ſint, ſi populus rudis audiret, vel legeret promiſcuè lingua ſua vulgari ſacras ſcripturas, ex ipſarum factis poſſet occaſionem prætexere imitandi, quæ diuina diſpenſatione facta legimus, vt de Polygamia Patriarcharum; vel contemnendi Sanctos Patriarchas, vt olim Manichęi. Rurſus poſſet ſequi errantes non imitari pænitentes; V.g. adulteriũ Dauidis, inceſtũ Loth, & Thamar, mendacia Iudith ſecũdùm aliquos &c. ſic de facto quidã pictor in Pruſsia, referente Staphylo in abſoluta reſponſione contra Smidelinum par. 2. cum inceſtum Loth cũ filiabus legiſset, ſibi etiam id licere ſuadens, cum filia concubuit, & ad tanti facinoris excuſationẽ, nihil aliud adduxit, niſi quod tale exemplum in ſacris litteris legiſſet. Similiter mulier quædam ad inſtar Iudith, pro vt legerat in Biblijs vernaculis cædem Epiſcopi Monaſterienſis meditata eſt, & opere complere ſtuduit, ſed re detecta, cauſam percontata tanti ſacrilegij, reſpondit id ſe legiſſe in Biblijs, ac proinde ſe non minori ſanctitate præditam eſſe, ac Iudith. Quid plura cum populus tam multas apparentes contradictiones in Scripturis eſſe videret, & ſoluere non poſſet, periculum eſſet, ne tandem nihil crederet. Refert Cardinalis Bellaminus lib. 2. de Verbo Dei c. 15. ſe audiuiſse ab homine fide digno, cum in Anglia à Miniſtro Caluiniſta in templo legeretur lingua vulgari cap. 25. Eccleſiaſtici, vbi multa dicuntur de malitia mulierum; ſurrexiſse fęminam quandam atque dixiſse? *Iſtud ne eſt verbum Dei? immo potius verbum Diaboli eſt.*

Igitur ex dictis apparet, quam iure meri-

meritò indifferentem Scripturarum lingua vernacula vsum Ecclesia prohibuerit, in quarta regula indicis librorum prohibitorum, quæ sic habet. *Cùm experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem, detrimenti, quàm vtilitatis oriri; hac in parte iudicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur, vt cum consilio Parochi, vel Confessarij Bibliorum à Catholicis auctoribus versorum lectionem in Vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex huiusmodi lectione non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse, quam facultatem in scriptis habeant. Qui autem absque tali facultate ea legere, seu habere præsumpserint, nisi prius Biblijs ordinario redditis peccatorum absolutionem percipere non possint. Bibliopolæ verò, qui prædictam facultatem non habenti, Biblia idiomate vulgari conscripta vendiderint, vel alio quouis modo concesserint, librorum pretium in vsus pios ab Episcopo conuertendum amittant: alijsque pœnis pro delicti qualitate eiusdem Episcopi arbitrio subiaceant. Regulares verò, nonnisi facultate à Prælatis suis habita, ea legere, aut emere possint.* Huc vsque indicis quarta regula, quæ vt satis patet, non solùm procedit de versionibus hæreticorum opera fabefractis, qui prauè vertentes, è verbo Dei verbum Diaboli effecerunt; sed etiā de omnibus versionibus vernaculis, Doctorum Catholicorum ope ac diligentia, ab omni errore purgatis.

Similiter ex hac regula apparet, quā prudenter Ecclesia, inter duos extremos dicendi modos: quorumdam omnibus Laicis absque vlla exceptione interdictā, & interdicendam putantium vernaculā versionem (quæ sententia circumstantias non obseruat, nam Ecclesia est fidelis, & prudens dispensatrix, quæ dat filijs suis in tempore tritici mensuram) & aliorum existimantium tanquam diuino honori, & fidelium saluti conuenientius, esse concedendam, nec ad id quod est per accidens attendendum, ruinam nempè perditorum hominum, cum etiam Christus positus in salutem, fuerit impijs lapis offensionis; cui sententiæ obstat, quod id, quod paucos offendit, multis quoque noxium esse potest, vnde si sit indifferens, & non necessarium, vel à Deo præceptum, iuxta regulas prudentiales, & leges charitatis prohibendum, vel permittendum est; apparet, inquam, ex dicta regula, quam prudenter Ecclesia, inter duos istos extremos dicendi modos, voluerit, nec omnibus promiscuè permitti, nec omnibus etiam absolutè interdici vernacularum editionum lectionem.

Sciendum enim est, vt docet S. Thomas quodlib. 5. artic. 4. quod ex publicatione veræ doctrinæ potest sequi detrimentum spirituale in auditoribus. Vno modo, si quis doctrinam subtilem, & altam proponeret rudibus, qui non essent illius doctrinæ capaces, qui ex hoc detrimentum salutis incurrerent contra exemplum Apostoli, qui dicit 1. Corinth. cap. 3. *Tanquam paruulis in Christo lac potum dedi vobis, non escam*; alio modo, quia confusè, & inordinatè, non præferendo maiora minoribus contra id quod dicit Gregorius in Pastorali. Quotiescumque ergo ex huiusmodi publicatione doctrinæ, scandalum pusillorum sequitur, tunc, sicut & bona cœtera spiritualia, vel occultanda, vel etiam differenda, vt dicitur 22. q. 43. artic. 7. in corpore, quia non tantùm veritas attendenda est, sed actus docendi, vt veritatem proponat secundum congruentiam temporis, & personarum, vt dicitur in respons. 2. Cum igitur ex vna parte lectio scripturarum omnibus publicata ex illarum versione in linguam vernaculam, vulgo damnum spirituale inferat, vt supra probatum est, & confusio illa oritur, & inordinatio, quod non paulatim, & per gradus, sed vt dicunt illotis manibus è media fæce vulgi homines mysteria diuina tractare, ipsæque mulieres docere audeant, talis lectio indiscriminatim, & sine vllo delectu non est permittenda. Ex alia verò parte, vbi intelligitur aliquos, ex huiusmodi lectione non dam-

num, sed fidei, atque pietatis augmentum capere posse, talibus cocedi potest, iuxta Superiorum prudentiam ac iudicium. Et hac regia via incedendo, vt medium virtutis, ita & veritas ipsa attingi videtur, hæresis enim proprium est per extrema vagari.

Sed, inquiret aliquis, nùm petentibus concedendus sit indifferenter vsus Vernacularnm editionum Scripturæ, vel etiam lingua vulgaris in diuinis officijs celebrandis. Respondeo in hoc quęsito eo modo proportionaliter discurrendum esse, quo in illo alio; An expediat vsum calicis, seu communionem sub vtraque specie toti alicui nationi concedere? Vtrumque enim pendet ex circumstantijs personarum, locorum, temporum, & ex motiuis quibus ad illud postulandum ducerentur homines; Vndè sicuti, si ex errore peterent aliqui communionem sub vtraque specie, putantes illam esse necessariam, siue iuris diuini ex Christi præcepto, vt faciunt heretici nostri temporis, tunc illis denegari deberet; ita etiam & illis, qui postularent vsum vernacularnm editionũ S. Scripturæ nec non linguæ etiam vernaculæ in diuinis officijs, existimantes illum esse necessarium, nec ab Ecclesia prohiberi debere, talis vsus esset omnino prohibendus. Vbi autem circumstantiæ personarum, locorum ac temporum id exigerent, nullumque penitus esset erroris periculum, vtrum id concedendum esset, conuenientius est id Summo Pontifici determinandum relinquere, vt in materia communionis sub vtraque specie, reliquit Concilium Tridentinum, sess. 22.

CAPVT XCV.

Soluuntur obiectiones Hæreticorum contra doctrinam superiori capite traditam.

QVamuis ex dictis superiori capite facile solui possent, omnia hęreticorum argumenta contra doctrinam Catholicam in eo stabilitam, nihilominus tamen maioris claritatis gratia, in præsenti capite illa diluemus. Primum igitur obijciunt aliqua sacræ Scripturæ loca, Ioannis 5. *Scrutamini Scripturas*; vbi Christus Dominus, non tantùm doctos & eruditos, sed indoctam quoque plebem ad diuinas Scripturas legendas inuitare videtur. Et capite vltimo, *hæc autem scripta sunt, vt credatis &c.* cum igitur omnes credere teneantur, etiam quæ scripta sunt ab eis legenda videntur. Actor. 15. Moyses legebatur in Synagogis coram omni populo. 17. Beroenses sedulo Scripturas scrutari dicũtur. Tandèm Roman. 15. D. Paulus ait; *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*. Et 1. Corinth. 14. videtur expresse docere, publicas Ecclesiæ lectiones, & preces debere fieri lingua vulgari, quæ tamen maiori ex parte de sacra Scriptura depromptæ sunt; Sic enim ait: *Etenim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum? ita & vos per linguam nisi manifestum sermonẽ dederitis, quomodo scietur id quod dicitur? eritis enim in aera loquentes*. Et infra: *Si orem lingua, spiritus meus orat*; (id est anhelitus) *mens autem mea sine fructu est*; *Quid ergò? Orabo Spiritu, orabo & mente*: *Psallam spiritu, Psallam & mente*. *Cæterùm si benedixeris Spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet: Amen, super tuam benedictionem? quoniã quid dicas nescit: nam tu quidem benè gratias agis, sed alter non ædificatur*.

Respondetur ad primum locũ Ioannis 5. varias esse illius explicationes SS. Patrum, quarum tamen nulla fauet errori hęreticorum. Primùm enim S. Cyrillus lib. 3. in Ioannem cap. 4. tenet non esse præceptum illud Christi Domini dictum, *Scrutamini Scripturas*, ac proindè non imperatiuum, sed indicatiuum modum exprimere, vt ibi explicat. Secundò S. Chrisostomus homil. 40. in Ioannem, tenet quidem esse præceptum, sed sensum esse dicit, vt rem non in superficie, sed in profundo considerarenr. Penetrare autem & intelligere non omnium est. Tertio ex Tertulliano de prę-

scri-

scriptionibus cap. 8. Illud præceptum Iudæos incredulos respiciebat, cum adhuc dubius illis esset Messias, & ignorantia quæstionem pareret, vnde quærere tenebantur, vt inuenirent, & crederent: nec simplices adhuc, sed Pharisæos, & Principes, ad quos dirigebatur illud præceptum obligabat. Tandem vt dicemus infra, talia præcepta si quæ sint, legendi, scrutandi Scripturas, non debent intelligi pro singulis generum, sed tantùm pro generibus singulorum, nimirum pro illis, qui in vnoquoque statu iudicio Ecclesiæ illius capaces sũt, vel potius, quibus ex officio incumbit alios docere, & instruere; prædictumque locum S. Ioannis ita necessario debere intelligi, satis patet, ex hoc quod tunc temporis lingua Hebræa, qua diuinæ legebantur scripturæ, non erat amplius populo Hebræo vulgaris, sed tantùm doctis inter illos communis; & nulla alia versio vulgaris extabat. Similiter S. Ioannes capite vltimo citato rectè dicit scriptum esse Euangelium, vt credatur, non autẽ vt ab omnibus promiscuè & indifferenter legatur: nam si necessaria esset lectio vnicuique, nescientes legere & imperiti Euangelio frustrarẽtur. Vt igitur ab omnibus credatur, non negamus proponendum esse scriptum Euangelium, etiam rudibus & indoctis; sed doctoribus, & concionatoribus explicantibus, vt quæ ad salutem necessaria sunt, illis exponentibus agnoscant.

Ad illud Actorum 15. respondetur, Moysem quidem in Synagogis legi solitum fuisse coram omni populo, sed nõ lingua vulgari, si quidem, vt statim dixi, lingua Hebræa, qua tunc recitabantur Scripturæ, non erat amplius illi vulgaris aut, materna: Eiusmodi tamen lectioni prędicatio subiũgebatur; sic enim dicit Iacobus Actor. 15. *Moyses à temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus qui eum prædicent in Synagogis, vbi per omne Sabbatum legitur.* Quia hęc erat praxis de scriptura, aliquid legere, deindè lingua vernacula, aut patria eam explicare. Sic Actorum 13. v. 14. cùm Paulus vna cum Socijs Antiochiam Pisidiæ venisset: & ingressi Synagogam die Sabbatorũ sedissent, habemus, quod post lectionem legis, & Prophetarum, miserunt principes Synagogæ ad eos, dicentes: *Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem dicite;* Surgens autem Paulus, & manu silentiũ indicens, sermonem habuit; quem Syriaca lingua factum fuisse minimè dubitandum; quæ Hebraica quoque, vel propter affinitatem, vel quod verisimilius est, quia tunc Hebræi illa tanquàm vernacula vtebantur, Actor. 21. dicitur. Legitur enim de eodem Paulo, quod, impetratâ à Tribuno militum loquendi facultate, *Stans in gradibus, annuit manu ad plebem, & magno silentio facto, allocutus est lingua Hebræa dicens.* Similiter & Christus Dominus Lucæ 4. cum intrasset secundum consuetudinem suã die Sabbathi in Synagogam, legissetque factam de se Isaiæ prophetiam, plicato libro, cœpit illam explanare, sine dubio lingua Syriaca; hęc enim erat tunc lingua vernacula, quæ pro concionibus, ac diuinarum Scripturarum explanationibus adhibebatur. Quem etiam laudabilem vsum seruari, Sacrum Concilium Tridentinum voluisse videtur sess. 22. cap. 8. dum ita prohibet sacra Missarum solemnia, aliaque diuina officia, vulgari passim lingua celebrari; vt tamen mandet singulis curam animarum gerentibus, vt inter Missarum solemnia, vel ante, vel post, ex ijs quæ in Missa leguntur, aliquid exponant ne populus fructu eruditionis Missæ frustretur. Ad illud de Beroënsibus act. 17. respondetur illos non fuisse de fæce vulgi, sed nobiles, & eruditos, vt ibidem dicitur: quique proindè Pauli prædicationem cum scripturis conferre poterant, scrutarique illas, *si hæc ita se haberent;* non tanquàm dubij de doctrina cælesti, quàm susceperant cum omni auiditate, sed vt magis in illa iam agnita, & suscepta solidarentur.

Ad authoritatem Apostoli Rom. 15. *Quæcumque scripta sunt;* respondetur etiam

etiam ad vtilitatem ignorantium scripta fuisse, quibus absque vernaculis versionibus, interpretatione Magistrorum Ecclesiæ præsidentiũ abundè prouidetur. Secundus locus 1. Corinth. cap. 14. licet aliqualem habeat difficultatem; nihil tamen hereticis fauet; primo enim certum est in magna illius capitis parte nõ agi de lectione Scripturarum, nec officijs diuinis, sed de exhortatione spirituali, siue collatione; Tempore enim Apostolorum, quatuor fieri consueuerant in Ecclesia, quandò populus in eam conueniebat; primo textus scripturæ à deputato aliquo ministro, nempè lectore publicè legebatur; postea fiebat ab Antistite concio: in qua vel scriptura ipsa, quæ iam lecta fuerat, explicabatur, vel aliquod mysterium, quod tunc occurrebat, declarabatur. Tertiò peragebatur diuinum officium, & Missa, seu Synaxis sacra celebrabatur. Quartò verò, & in fine fiebant collationes aliquæ inter Christianos. Ex his quatuor, primũm fiebat lingua exotica, & recondita: eadem quippe lingua, qua erat scriptura conscripta legebatur, quod iam satis ostendimus, & patet ex eo quod nec in primitiua Ecclesia, imo nec intra primos quadringentos annos alicuius editionis vernaculæ mentio facta sit ab vllo Scriptore, quæ si extitisset, proculdubio tempore persecutionis exemplaria infinita reperta fuisset apud Laicos, cum tamen Sacros codices non passim, sed à Clericis expostulatos fuisse legamus. Secundum, cum interpretationem eorum, quæ proximè antè lecta fuerant, contineret, & ad instructionem populi dirigeretur, vulgari lingua fiebat: sermo quippe debet esse popularis, quia fit ad populum. Tertium autem non minùs, quam primum, lingua exotica, & peregrina fiebat. Quartum verò à nonnullis apud Corinthios, vt ostentarent donum linguarum, cùm interdum, lingua peregrina, ac prorsus incognita fieret, illud reprehendit Apostolus per illa verba; *Si incertam vocem &c.* volebat enim vt eiusmodi collationes, cum ad ædificationem, & instructionem auditorum fierent, lingua vulgari, & populari haberentur.

In alijs similiter verbis eiusdem capitis, *Si orem lingua &c.* Basilius, Theodoretus, & alij Patres existimant agi de exhortatione, & collatione, non de precibus. Quia tamen plures alij Patres Chrisostomus, Ambrosius, Theophilactus, Haymonius & alij hunc locum de precibus intelligunt, voces enim, quibus Apostolus vtitur, non significant concionari, sed precari, & canere, & gratias agere. Respondetur adhuc hunc locum de precibus intellectum, nihil prorsus hereticis fauere, cum ibi Apostolus non agat de illis, quæ publicè in diuinis officijs fieri solent, sed tantùm de Canticis spiritualibus, quæ extra diuina officia consueuisse Christianos componere, & canere in Ecclesia tempore collationum spiritualium, docent Eusebius lib. 2. histor. cap. 17. ex Philone; item Dionysius cap. 3. & 4. de diuin. nominibus, vbi adducit multa ex cãticis Hierothei; Tertullianus quoque in Apolog. cap. 39. describens Agapem Christianorum, id est, publicam cœnam, quæ in Ecclesia fiebat, dicit consueuisse eos qui poterant, ex proprio ingenio aliquid canere Deo. Tandem Apostolus ipse Ephes. 5. Colosiens. 3. hortatur vt in Psalmis, & Hymnis, & canticis spiritualibus commoueant seipsos; quem locũ Haymonius explicat de canticis quæ ipsi cõponebant. Apostolum verò in præfato loco 1. Corinth. non loqui de scripturis, vel officijs diuinis, sed de huiusmodi canticis spiritualibus, ex eo probatur, quod scripturæ sine dubio legebantur Græcè, & diuina officia fiebant Græcè in Græcia, vt etiam heretici admittunt Apostolus autem hîc loquitur de oratione, & gratiarum actione, quæ fiebat per donum linguarum, lingua aliqua maximè extranea, quam nemo intelligebat, vt Arabica, vel Persica, vt Chrisostomus & alij omnes exponunt. Non ergò loquitur de diuinis officijs, quæ cùm Græcè fierent, à multis intelligeban-

bantur, sed de laude Dei, & gratiarum actione, quas interdum lingua peregrina; aliqui in collationibus illis canebāt, vt ostentarent donum linguarum.

Cur autem Apostolus voluerit ista cantica fieri lingua vulgari, quæque ab omnibus intelligerentur; vt idiotæ, qui non sciebant similia componere, saltem possent ea approbare & confirmare dicendo, Amen; Non autem debuerit velle, vt diuina officia, quæ publicè in Ecclesia celebrantur, lingua vulgari fierent. Rationes sunt in promptu; primum quia cum verendum esset, ne in his canticis spiritualibus, aut orationibus priuatis errores continerentur, absurdissimum, & prorsus intolerabile iudicabat ad hanc benedictionem, seu orationem respondere, *Amen*, quod approbationem eorū, quæ dicta sunt tanquàm vera, & fidelissima significat. Talis autem metus pro publicis, & diuinis officijs, quæ à Sacerdotibus peragebantur non suberat; certò quippè constabat ea esse ab omni erroris suspicione alienissima; vnde etiam si ea non intelligeret rudis populus, cùm lingua exotica & peregrina fierent: tutò tamen poterat respondere, Amen. Secundò, quia finis præcipuus illorum canticorum erat instructio, & consolatio populi, fiebant enim in collationibus loco exhortationis, & ideo æquum erat, vt à plurimis intelligerentur: & nisi lingua nota facta fuissent, vel mox sequuta fuisset interpretatio, periisset præcipuus ipsorum fructus. At diuinorum officiorum nec est finis præcipuus instructio, vel consolatio populi, sed cultus Dei: & quæ populum scire oportet ex diuinis officijs, sufficienter à pastoribus explicantur.

Denique, vt difficultas vndequaque soluta maneat, dato & nō concesso, quod Apostolus citato loco, de diuinis officijs agat, vel etiam de publica Scripturarum lectione, non tamen inde sequitur illum voluisse, vt lingua vulgari, & omnibus nota fierent. Diuus enim Paulus in eo capite duntaxat intendit ostendere, præstantius & vtilius esse in Ecclesia donum Prophetiæ, & interpretationis, inter gratias gratis datas, quàm donum linguarum. Idque probat, quia donum linguarum sine dono Prophetię, & Interpretationis esset inutile; quia tam exhortationes, quàm orationes, lingua prorsus ignota, sine fructu sunt. Vt autem argumentū Pauli sit efficax, sufficit accipere in casu, quo omnibus, & omnino deesset intelligentia eius, quod oratur, & legitur. Cum verò Ecclesia lingua non vulgari orationes, & lectiones sacras publicè profert, neque omnes, neque omnino ignorant, quod agitur & dicitur; & ideo fructus percipi potest, vt fusius infra in solutione primæ rationis exponemus.

Secundò obijciuntur aliqua Sanctorum Patrum loca; Cornelius enim Agrippa in libro de Vanitate scientiarum ait, in Concilio Nicæno præceptum esse, *vt sacros diuinarum litterarum libros domi haberet quilibet Christianus*. Verùm quàm impiè hoc asseratur à prædicto authore, patebit euoluenti omnes canones illius Concilij, & omnia acta eiusdem, nihil enim tale repetiet in illis Orthodoxus. Similiter, quod Hieronymus multas Romanæ vrbis Matronas, ad lectionem, & studium scripturarum hortatur, & prouocat, & propterea miris præconijs Marcellam extollit, quod circa scripturarum studium tota ferueret; nullius est momenti ad probandum, Scripturam propterea in linguam vernaculam, seu vulgarem transferri debere, & ab omnibus hominibus indifferenter legi; cum matronæ illæ fuerint doctissimæ, & linguarū saltem Latinæ peritissimæ, quippe quæ aliquot annos, in sacrarum litterarū studio insumpserant, & adhuc in dies aliquot horas insumebant; Vnde ab earum, & aliarum eiusmodi personarum exemplo argumentari, quod ab vnoquoque præsertim ex populo, indifferenter, & absque licentia legi possint sacræ Scripturæ in linguas vulgares traductæ, turpis est fallacia, à singulorum enim generibus, diuertitur ad singula illorum generum.

Diuus

Diuus quoque Chrisostomus sępissimè hortatur laicos ad lectionem Scripturarum; igitur par est scripturas vulgari lingua omnibus permitti. Probatur Antecedens, præsertim ex homilia 9. in epistolam ad Colossenses: *Audite*, inquit, *obsecro seculares omnes, comparate vobis biblia, animæ pharmata; si nihil aliud vultis, vel nouum testamentum acquirite, Apostolorum acta, Euangelia &c.* similia habet alijs in locis, vt homil. 2. in Matthęũ, homil. 3. in 2. ad Thessalonicenses, homil. 10. in Ioannem, & alibi.

Respondetur, verba Chrisostomi accepta iuxta mentem ipsius, & occasionem, qua ad ea dicenda adducebatur, nullam habere difficultatem. Quoniam igitur eo tempore videbat populum suę vrbis theatris, ludis, alijsque nugis ita addictum, vt scripturas diuinas nunquã legerent, ne ij quidem, qui capaces erãt, quique alios instruere poterant, propterea Chrisostomus, ad eam desidiam excutiendam, perpetuo hortabatur omnes ad lectionem Scripturarum, non quod vellet omnes omnino etiam rudissimos id facere; sed vt ij saltem id facerent, qui cum fructu poterant pro se, & pro alijs rudioribus, illos instruendo. Non enim necesse est, vt quæcumque in concione dicuntur, ad omnes referantur, etiã si termino vniuersali vtatur cõcionator; Experientia quippe contrarium euidenter arguit, imò & scriptura ipsa: neque enim quæ à Prophetis cũ signo aliquo vniuersali dicta sunt, ad omnes referuntur, vt cum dixit Isaias; *Omnes declinauerunt, & domus Israel fronte attrita est*: probè enim sciebat Isaias, multos esse in Israel, qui Deum non offenderant, nec post simulachra cucurrerant.

In Concilio Lateranensi sub Innocentio III. dicitur: *Pontifices huiusmodi ciuitatum, seu Diœceson, vbi permixti sunt populi variarum linguarũ sibi prouideant viros idoneos, qui secundum diuersitatem linguarum, & rituum diuina illis officia celebrent &c.*

Respondetur hoc decretum nihil fauere hęreticis; cùm enim eo tempore Constantinopolis, & magna pars Palestinæ in Latinorum ditionem peruenisset: & in illo Concilio interfuissent Patriarchæ Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus, voluerunt Patres, eorum mores, ac ritus esse sustinendos; & ita constituerunt, non quidem vt vulgari lingua, sed vt Latini Latinè, Græci verò Græcè sacra peragerent: sermo ergò est de hominibus harum diuersarum linguarum in eadem prouincia, vel ciuitate commorantibus.

Tertiò plures adducunt rationes, quæ tamen omnes ad vnam fere reducuntur; quod sacræ Scripturæ à Deo concessæ sunt hominibus, ad eorum instructionem, & consolationem; certum est autem in ignota lingua populo vtiles esse non posse; igitur in linguam vulgarem, populoque notam transferri debent, vt aliquem ex earum lectione fructum percipere possint. Nec refert, quod aliquando ex eadem lectione aliqua sequuta fuerint, vel sequantur incommoda, vt superiori capite notauimus; nam etiam oporteret Biblia Latina prohibere; cum ex illis multi etiam viri docti sumpserint occasionem errandi. Confirmatur, scripturæ diuinæ à Deo, ad instructionem populi, sicut & prędicatio, datæ sunt; igitur sicut prędicatio lingua vernacula, & vulgari fit, vt ab omnibus intelligatur, ita scripturæ lingua vulgari traduci, & ab vnoquoque legi debent.

Respondetur ad hoc argumentum, sacras Scripturas datas quidem fuisse à Deo ad instructionem, & consolationem hominum, ita tamen vt instructio, & consolatio vulgi in hac parte prouenire debeat, ex doctrina Magistrorum, qui linguas non vulgares callent, iuxta illud Psalmi 71. *Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam.* Montes enim sunt homines docti, & Ecclesiæ Magistri, quibus Scriptura potissimum est à Deo commissa, vt sine errore possit deuenire ad populares, qui per colles intelliguntur. Ad replicam, cùm diuinarum Scripturarũ vsus in lingua vulgari,

nec

nec sit populo necessarius, qui sufficienter ab Ecclesia pastoribus, de his, quæ ipsum ex diuinis Scripturis scire oportet, instrui potest; nec à Deo imperatus, qui etiam si imperatus esset, cum circũstantijs tamen esset imperatus, quæ accidentariæ non essent ad prudentem actum moralem eliciendum; satis patet, quàm rationabiliter ob incommoda superiori capite adducta, prohibitus fuerit ab Ecclesia vsus diuinarum Scripturarũ lingua vulgari, non quidem in vniuersum, aut absolutè, tanquam quid per se malum, & illicitum; sed spectatis duntaxat circunstantijs locorum, temporũ, & personarum. Sicut enim docet Apostolus cauenda esse offendicula, & id, quod alias ex se bonum est, ratione offensionis vitari debere; ita & in casu nostro dicimus ex natura sua non esse malum legere vernaculas Bibliorum translationes à Doctoribus Catholicis editas, sed ratione dictarum circumstantiarum, sine vllo scripturarum in se vitio, prudenter ab Ecclesia interdictum fuisse communem, & indifferentem illarum vsum.

Certè, vt aliquibus exemplis huic rei congruis vtar, sicut licuit Reipublicæ Cartaginensi dubitanti posse illam Græcis prodi, ex Iustino lib. 2. historię, vetare ne quis Gręcæ linguæ studeret, nec ad Gręcos scriberet, vel cum ijsdem absque interprete alloqui posset. Insuper, sicut ad prudentiam pertinet, non omnibus gladium porrigere, pręsertim furiosis; nec vnicuique permissum est ex Myropolijs, nisi pharmacopolicam artem calleat, pręscribere medicinas, quamuis in se aromata perfectissima sint, virtutemque habeant morbos expellendi, si debitè applicentur; Ita quia vulgus, imperitaque multitudo, pręsertim hoc tempore tot hęreseum, nouitatumque grassantium auida est, ne opportunior eidem pręberetur occasio se mergendi in perditionem, merito hodie prohibita est promiscua, & indifferens sacræ Scripturæ vulgaris lectio. Talem autem occasionem, quia adeò frequenter non subministrat versio Latina, aut alia lingua non vulgari, quamuis interdum aliqui etiã docti culpa sua in materiam erroris illas verterint, non ideo fuerunt ab Ecclesia interdicendæ, vt male infertur in replica. Vnde sicut non optimum olim fuit quorundam consilium datum Lacedęmonijs ad vitandam ebrietatem, quod vites, quæ vinum producunt, inciderentur, quin potius eorũ sententia præualuit, qui superstitibus vitibus, alio remedio ebrietatis vitio obuiandum putarunt. Sic & in proposito, Ecclesia in vniuersum nõ prohibuit diuinarum Scripturarum lectionem, quia aliqui patrum sensu relicto, priuatum iudicium sequuti in varios inciderunt errores; imo nec in vniuersum tanquàm per se malum & illicitum, damnauit versiones vernaculas, sed vt diximus supra, ratione duntaxat diuersarum personarũ, temporum, locorum, & aliarum circumstantiarum; per abusum enim rei etiam bonæ, præsertim si alias necessaria non sit, rationabiliter interdici potest illius vsus, si non simpliciter, saltem sub certis conditionibus.

Per quod patet ad confirmationem; dispar enim est ratio prædicationis, & scripturæ: nam prædicatur populis indoctis, & imperitis, qui linguas peregrinas minimè callent: & ideo lingua vulgari, in prædicatione est vtendum: at verò doctis scribitur, qui vt plurimum linguarum exoticarum sunt periti. Deindè scriptura nuda est, & simplex, neque seipsam, vt constat, exponit: at verò prædicatio est expositio, seu explicatio eorum, quæ vnicuique credenda incumbunt; quo fit, vt lingua vulgari fieri debeat: non tamen scriptura ea lingua legi; & hęc causa est, cur Apostoli Hebraicè, Græcè & Latinè duntaxat scripserint: omnibus autem linguis, per totum orbem sunt concionati; Scripturaque sacra versa est in linguas Græcam & Latinam, non quia vulgares erãt, sed quia communes in Græcia, & in Occidente: vnde, vt iam notauimus, aliud est linguam esse vulgarem, & aliud

commu-

communem. Nam vulgaris dicitur, qua promiscuum vulgus hominum vtitur, communis verò quatenus illius vsus in loco aliquo communis est, licet simplex vulgus ea non vtatur, vt lingua Latina in Occidente & Græca olim in Oriente, ideoque etiam si linguæ illę in quas initio traducta est Scriptura, essent vulgares, & simplex vulgus ijs fortè tunc vteretur: tamen in eas, quia vulgares erant, non est versa, sed quia erant communes: vndè nunc non sequitur, linguis vulgaribus, quæ à communibus distinguuntur, posse Scripturam tutò absque venia Ecclesiæ, legi indifferenter: licet in eas, vt diximus traduci possit.

Tandem, quia diximus eamdem esse rationem lectionis publicæ Sacrarum Scripturarum, & celebrationis diuinorũ officiorũ; vltimò obijciunt, preces omnes non solùm priuatas sed etiam publicas lingua vulgari fieri debere; alias populus defectu intelligentiæ nullum ex illis fructum, nullam vtilitatem perciperet. Verùm hæc obiectio, quæ Caluini est, facilem habet solutionem; nam in primis falsum est, ex publica oratione Ecclesiæ nullum fructum à populo percipi, nisi ea oratio à populo intelligatur. Siquidem fructus præcipuus orationis est impetratio: ad hunc enim, & non ad intelligentiam eorum, quæ dicuntur refertur: cum ergò idiotæ, & imperiti, dũ oratur lingua exotica, non frustrentur effectu, & fructu ipsius impetrationis, dicendum est Ecclesiæ orationem, licet ab ijs non intellectam, non esse infructuosam, & inutilem: satis enim est, vt Deus ad quem hæ orationes pro populo diriguntur, & non ad populum ipsum, eas intelligat. Certè si Ecclesia orando pro fidelibus, & alijs peccatoribus, qui sæpe non solùm non intelligunt, sed nec audiunt, nec volunt pro se orari, tamen non frustra orat, quantò magis pro fidelibus præsentibus, & cupientibus orari pro necessitatibus suis.

Quam ob rationem, non solùm populus ex oratione alterius fructum percipere potest, quamuis eam non intelligat, sed etiam ex ea, quam ipsemet pro seipso ad Deum fundit; cum intelligentia per se ad orationem perfectam minimè requiratur. Imò aliquando per accidens eam retardat, quia tunc potius ad ea quæ dicuntur, quam ad Deum orans attendit: & si tunc intellectus fructum aliquem capiat: imminuitur tamen feruor, & affectus voluntatis, quem Deus præcipuè in oratione respicit, & eius intuitu sua beneficia ei solet concedere: Vnde Sanctus Iordanes, rogatus an placerent Deo preces Monialium, quę cùm officium sermone incognito recitare soleant, illud non intelligunt, respondit appositè: sicut gemma in manu rustici, qui non nouit pretium eius, tantùm valet, quantùm in manu aurificis, & gemmarij, qui pretium nouit: sic & preces tantùm valent in ore indocti, qui eas nõ intelligit, quantum in ore docti qui intelligit. Similique modo Abbas Pastor cuidam conquerenti, quod inter orandũ non afficeretur, aut compungeretur, *Ecce*, inquit, *& nõ est compunctio in me, quia nescio virtutem*, id est significationem verbi; respondit; *Et tu tamen orare perge, quoniam sicut incantator, licet virtutem verborum, quæ dicit nesciat, serpens tamen cadit, & intelligit ea, ijsque subijcitur incantanti, & humiliatur.* Sic & nos quãuis ignoremus virtutem eorum quæ loquimur: dęmones tamen intelligunt ea audientes, ijsque terrentur, atque discedunt; *Virtutes autem illæ, quæ nobis adsunt, velut carmine quodam inuitatæ, adesse nobis, & ferre auxilium delectantur*, inquit Origenes homil. 20. in Iosue. Igitur licet Ecclesiæ ministri, quibus relictum est, vt communes preces, & laudes in Ecclesia peragant, debeant illas intelligere, quippè qui ab illis cæteri sunt erudiendi; talis tamen intelligentia non requiritur in vnoquoque ex populo. Dũ enim pro eo oratur, aut ipse orat lingua, quam non nouit, licet mens eius sine fructu sit, quia non eruditur, dicente Apostolo 1. Corinth. cap. 14. *Si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem sine fructu est*; Einsmodi tamen oratio non est

est penitus infructuosa, vt declarat idem Apostolus illis verbis: *Nam tu quidem benè gratias agis*. Si quidem, vt diximus, licet mens eius sine fructu maneat, tamen non manet affectus eius sine fructu nec mens plurimorum aliorum, qui latinè sciunt; & fructus mentis, qui deest idiotis, sufficienter & abundè compensatur, tum ex eo quod Ecclesia semper cōsueuit adiungere expositiones & conciones vernacula lingua, quantùm sufficit vt populus erudiatur; tùm etiam vtilitatibus multis; quæ inde proueniunt, quod Scripturæ, diuinaque officia in publico conuentu, communissimo toti Ecclesiæ idiomate, id est, Latino assiduè leguntur. Primò propter conseruandam Ecclesiæ vnitatem. Secundò propter maiestatem, & reuerentiam sacrarum rerū: quæ quidem exigit, vt lingua recondita, & sacra, non autem vulgari & prophana tractentur: sic enim populus res illas, quale est officium diuinum, & celebratio Missæ, magis suspicit, & demiratur: *solet populus*, vt inquit Hieronymus epistola ad Nepotianum, *quæ non intelligit, demirari*. Et consequenter reuereri. Quare quemadmodum Sanctitas Missæ, diuinorumque officiorum postulat, vt à certis, & deputatis ministris, & non ab omnibus indifferenter tractentur: sic etiam linguam propriam, & reconditiorem ad maiorem sui maiestatem, ac reuerentiam desiderat.

Et ita loquendo etiam de priuatis orationibus; quæ à pijs hominibus priuatim funduntur, cuiusmodi sunt oratio Dominicalis, symbolum fidei, & alia similia; quamuis debeant primo plebeij homines, ea vernaculè addiscere, vt sciant distinctè, quæ, & qualia à Deo petere, quę & qualia credere debeant, & hoc in plerisque Episcoporum concilijs statutum est: quod idem de Decalogo, in quo præcepta ab vnoquoque seruanda, exarantur, sentiendum est; tamen vbi ea per modum orationis ad Deum pro impetrandis necessitatibus fundunt, satiùs est illa lingua Latina recitare, seque in hac parte modo communi orandi Ecclesiæ accommodare: quamuis etiam quilibet priuatim absque vlla ordinarij licentia possit Dominicalem orationem lingua vernacula dicere. Sed inquiret aliquis, an etiam priuatim orando liceat, & expediat Psalmos, & alia ex Sacris litteris deprompta, lingua vulgari recitari. Respondetur Psalmos æquè esse difficiles lingua exotica, ac vernacula seu vulgari: saltem negari non potest connexionem versuum, atque rerum, quæ in ijs significantur, esse admodum obscuram; vndè si nos qui Latinè scimus, non propterea continuò illos intelligimus, nisi expositores legamus vel audiamus; quomodo intelligent homines imperiti, etiam si materna lingua legantur? præsertim cum scripturæ eo sint obscuriores, quo magis in peregrinas linguas transferuntur. Absolutè igitur, & simpliciter satius est Psalmos lingua exotica priuatim recitare, quam aliter. Quia finis præcipuus diuinorum officiorum, priuatæque orationis non est populi instructio, vel consolatio, sed cultus Deo ab Ecclesia, & singulis fidelibus debitus, ad cuius perfectam vnitatem requiritur lingua toti Ecclesiæ communis: deinde quia, vt statim diximus, etiam si vulgari lingua Psalmi recitarentur, non propterea multò magis instruerentur; non enim in verbis, sed in sensu, qui difficillimus est, instructio est; quare vt oratio populo sit fructuosa, frustraque non psallat, non est opus vt intelligat; modo cum deuotione & reuerentia psallat, sciens illud quod recitat, ad Dei laudem pertinere. Eius autem instructioni, & consolationi deseruiunt conciones frequentissimæ, quę in singulis Ecclesijs fieri solent, ex decreto Concil. Tridentini sess. 22. cap. 8. & sess. 24. cap. 7. Aliqui tamen doctores vt Andreas Duuallius tract. in 22. de fide, existimant interdum fidelibus recens ad fidem conuersis, accedente ordinarij licentia, indulgeri posse, vt priuatim aliquo tempore Psalmos lingua vernacula recitent: nam cùm orationibus lingua vulgari fuerint inter hæreticos assuefacti, vix ac ne vix quidem Latinè orare, cum.

cum feruore, & attentione possunt; ideoque, inquit præfatus doctor, nollem ordinarij hac in parte indulgentiam, saltem pro tempore recentis eorum conuersionis, reprehendere: limitarem, nisi crederent talem licentiam sibi necessariò concedi debere.

CAPVT XCVI.

De Hæreticorum Versionibus, & quod in illis non contineatur Verbum Dei, sed in sola editione Vulgata.

CVm Textus Biblici huius sæculi sint in triplici differentia; aliqui enim sunt ab Ecclesia approbati, vt Latina editio Vulgata; aliqui nec ab illa approbati, sed neque etiam reprobati, vt omnes aliæ Doctorum Catholicorum versiones; aliqui demum ab illa reprobati, vt omnes hæreticorum versiones; postquam in superioribus de duobus primis sermonem habuimus, superest iam, vt breuiter de vltimis agamus; cùm enim nulla sit facilior via ad construendas hæreses, quam pro libito Scripturas in diuersas interpretationes trahendo, quæ à sensu Ecclesiæ, & antiqua lectione discordent, vt docet Clemens Alexandrinus lib. 7. stromatum in fine; illam auidè secuti sunt hæretici nostri temporis, tàm Latinas, quam vernaculas versiones nouo & inaudito modo cudētes, orbique obtrudentes; de quibus hic in tantùm agimus, vt ab illis, tanquam à veneno pestifero veri fideles abstineant; quidque in illis potissimum reprehendendum sit, docti etiam cognoscant.

Vnus igitur, qui Latinè tota Biblia traduxit in Latinū, fuit Sebastianus Castalio anno 1556. de cuius versione loquens doctissimus Genebrardus præfat. in Origenem ait, *quod plus habet pompæ, & phalerarum, plus fuci quàm succi, plus hominis quàm Spiritus, plus humanarum cogitationum quàm diuinorum sensuum*. Sed vt in hac re ipsimet inimici nostri sint iudices; Theodorus Beza de illa differens, vocat *Impiam, Sacrilegam, Ethnicam*; Ita omnem diuinam Scripturam prophanis, gētilibus, ac impijs vocibus, locutionibus, & sententijs contaminauit; Semipaganus, ac Semigentilis iste interpres, qui quasi puderet eum vti vocibus quibus Spiritus Sanctus per ora Sanctorum vsus est, nomen Dei, ac Patris Domini nostri Iesu Christi mutauit in Ioue, Diuum, Armipotentem, Grandæuum, ac Cœlicolam; diuinam eius charitatem appellans cupidinem, & eius Angelos, Iouis genios, & Dei templum, Iouis ædem fanumque, & sedem Dei, Augustale Iouis, ac innumera alia his similia, de media gentilium impietate deducta, quæ nullus verè pius æquis auribus audiat. Nec gentilibus solùm vocibus omnem diuinam Scripturam prophanauit, sed inhonestis etiam Cantica Salomonis, in quibus quæcumque vetus interpres de diuinis Christi, & Ecclesiæ amoribus castè, & grauiter vertit, iste omni verborū lenocinio, atque omnibus mulierculartū vocibus, & affectibus vsus, adeò impudicè (ne dicam obscenè) transtulit, ac si meretricium, & leonum colloquia editurus fuisset, tertio penè verbo, diminutas quasdam, lubricas, ac molliter tinnulas voculas inculcans, veluti illæ sunt cap. 2. Huc ades, ò mea sororcula, mea amicula, mea columbula, meum corculum, in petræ forulis, in cocleæ latibulis. Et illud; Quam bella es ò delicatula, ostende mihi tuum vulticulum, fac vt audiam tuam voculam, nam & voculam habes venustulam, & vulticulum habes lepidulum. Nec mirum si Castalio tàm impudicè in re diuina luserit, qui nunquam credidit, in illo diuino Cantico mysticos Christi, & Ecclesiæ amores describi, sed de venereis, ac prophanis Salomonis, eiusque amicæ Sulamitis, atque eiusdem fæminarum amoribus amatoriū colloquium texi. Vnde vt ostenderet iste impius, non esse ista Sacra cantica, sed amatoria potius colloquia Tibulliana, Properciana, quibus Cinthias, Corinnas, Delias celebrabant, non veritus est illa inscribere; *Canticum Musicum, quod Salo-*

Salomonis est, nihil est, nisi amatorium; & initio ad marginem notauit; *Sulamita Salomonis amica atque sponsa*. Tot deinde errata idem Besa dicit se deprehendere in versione Castalionis, vt affirmet se non habere tantùm ocij, vt in purgando Augiæ stabulo tempus aliquod possit consumere.

Nec solùm Theodoro Besæ, sed & Ministris Tigurinis Castaliana ista versio displicuit, dum illis non probantur isti noui Grammaticuli, qui nec veriti sunt ab Apostolis vsurpata vocabula immutare, cuiusmodi sunt, inquiunt, in præfatione suorum Bibliorum, *Fides pro fiducia, fidelis pro fidenti & veraci, benedictus pro laudandus, benedicere pro fortunare*, &c. *Qua in re minus*, inquiunt, *sunt morosi, qui cum omnibus professionibus, siue facultatibus, peculiaria quædam permittant vocabula, solis id diuinis litteris non concedunt, vt vtentes eis mirè sugillant*.

Secundò extat & alia sacræ Scripturæ interpretatio, quæ Tigurina dicitur, vel quòd Tigurinis ministris fuerit dedicata, vel à primo eius authore Leone Iuda Tigurino, damnatæ memoriæ authore; qui in veteri testamento ex Hebraico exemplari hanc cępit; verùm cùm morte præoccupatus inceptū opus perficere non potuisset; deinde post ipsius mortem Theodorus Bibliander, & Conradus Pellicanus damnatæ item memoriæ authores illud absoluerunt, suisque singuli interpretationibus suas notationes addiderunt, rationem insuper interpretationis, & diuersitatem lectionis. Testamentum verò nouum Erasmus Roterodamus in Latinum vertit, illudque Petrus Cholinus, & Rodulphus Gualterius damnati authores, secundis curis, cum Græco contulerunt, vt constat ex præfatione huius versionis. Hæc autem versio, licet omnibus alijs hæreticorum sit minus perniciosa, quam non infrequenter etiam citant Catholici, inter quos frequentissimus est Pineda in Iob, quia tamen perperam multa in ea sunt latinitate donata, multa etiam immutata

præsertim quo ad ordinem librorum protocanonicorum; nam post librum Esther collocantur quatuor Prophetæ maiores, postea minores, deinde liber Iob, mox Psalterium, vltimo loco libri Salomonis; eius lectio omninò interdicitur, nec in Hispanijs copia eius conceditur nisi primæ sit editionis, & seruata forma, ordine, & censura Ferdinandi Valesij Archiepiscopi Hispalensis, & ibidē Generalis Inquisitoris. Mirum est igitur quod Ferdinandus de Escalante lib. 6. sui clypei Concionatorum cap. vltimo, tot speciosis titulis versionem hanc honestarit, nesciēs fortasse illius autores fuisse hæreticos: Quare etiam illud caput ex decreto Sacræ Congregationis indicis expunctum fuit.

Cæteræ Hæreticorum versiones, vel sunt veteris duntaxat Testamenti, vel noui. Totum vetus, hoc est, tàm canonicos, quàm (quos vocant) deuterocanonicos libros, transtulit Emmanuel Tremellius primùm Iudæus, deinde Monachus, tandem Hæreticus Caluinista. Addidit his Iunius similiter Caluinista, etiā apocryphos libros, tertium scilicet, & quartum Esdræ, & orationem Manassē.

At Sebastianus Munsterus tantùm libros, quos protocanonicos appellant, traduxit, reliquis, qui in canonem ab eis non admittuntur, qui & deuterocanonici ab illis dicuntur, omissis. In hoc autem interprete, non minus quam in Castalione, vehementer damnatur, quod sicut iste in affectandis ineptè singulis Gentilium locutionibus, gentilem se verius ac prophanum, quam Latinū ostendit, ita & ille in affectandis Iudaicis idiotismis durus, agrestis, barbarus, ac planè Iudæus sit. Non solùm enim nouas metamorphoses in scribendis, & transferendis nominibus proprijs hominum, Regionum, vrbium, populorum, nedum contra sensum & consensum Orthodoxorum Patrum, verùm etiam contra Septuaginta Interpretum translationem, qui erant Hebraicæ linguæ peritissimi, imò & contra Apostolica, & Euangelica dicta orbi inuexit; sed insuper voces potius

tius insectatur, quàm sensum, & Grammaticam, quàm Theologiam, secutus nouos Rabbinos, vt Kimki, & alios, quos Grammaticos, & non Theologos extitisse, eruditè demonstrat Genebrardus præfat. in Psalteriũ, quibusque in interpretandis diuinis Scripturis minimè credẽdum esse clarè persuadent sequentes rationes ex Tertulliano lib. præscript. c. 12. desumptæ. Prima est, quia *nullus seruus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico Domini sui sperat*; at Iudæi non solùm sunt extranei, sed etiam Christianorum inimici capitalissimi. Secundò, *nullus miles ab infœderatis, ne dicam ab hostibus regium donatiuum, & stipendium captat, nisi planè desertor, transfuga & rebellis*; Iudæi autem sunt hostes nostri. Tandem, *nemo illuminatur à quo contenebratur*; at Rabbini potius obtenebrant, qui omni medio, quo illuminari, vel illuminare possent, carent: cum enim ad intelligentiam veteris testamenti præsertim conducat cognitio Christi Domini, nouique testamenti doctrina interpretantis Propheticas sententias, quomodo illam tradere poterunt Rabbini vtroque destituti. Igitur dum Munsterus, & alij plus modernis Iudæis, & hostibus Ecclesiæ Rabbinis, quàm Christianis, & Orthodoxis Doctoribus tribuunt, satis patet eorum interpretationibus minimè fidendum esse, illosque agere contra egregiam Tertulliani regulam loco statim citato: *Quæramus ergò in nostro, & de nostris & de nostro*; vndè vt idem ponderat; *Anus illa intra tectum suum drachmam requirebat, & pulsator illе vicini ianuam tundebat*; Quatenus ad intelligendum vetus testamentum opus est sinceris Doctoribus intra Ecclesiam existentibus, non autem Iudæis carnalibus, qui vt dicit Christus Dominus, *cæci sunt, & duces cæcorum*; librumque habent signatum, quem sola clauis Dauid aperit, hoc est Ecclesiastica intelligentia in cognitione Christi Domini perfectè fundata.

Partẽ verò veteris Testamenti transtulerunt sequentes hæretici. Prophetas ex Hebræo vertit Oecolampadius. Psalterium Zuuinglius; item Isaiam, & Hieremiam: Bucerus quoque, sub Aretij tamen Felini nomine, Psalterium traduxit; quod etiam transtulerunt VVolfangus Musculus, Caluinus, Ioannes Bugheangius Lutheranus, Georgius Maior, Henricus Mollerus, cuius versionem suffuratus est Theodorus Beza. Similiter Iodocus VVillichius psalterium ex Hebręo transtulit; sequutique sunt omnes in Psalmorum enumeratione Iudæos, apud quos est vndecimus Psalmus, qui apud nos est decimus, & quem nostri centesimum primum dicunt, ipsi centesimum secundum.

Quod spectat iam ad nonum testamentum, illud ex Græco in Latinum transtulit Laurentius Valla, non tàm nouus interpres, quam veteris Vulgati interpretis sugillator. Idem præstitit Erasmus, cuius versionem et si laudasse dicatur Leo X. non vt Pontifex, sed vt bonarum litterarum amator, id fecit, inquit Stapletonus controuers. 5. de potest. Eccles. q. 3. artic. 3. in fine; cum in illa reperiantur multa, quibus materiam plnribus hæresibus præparauit, de quibus vide Posseuinum in apparatu sacro, verbo Desiderius, siue Erasmus. Theodorus etiam Beza nouum testamentum ex Græco in Latinum vertit; sed Castalio in defensione translationum suarum pag. 183. & seq. ait tot esse Bezę versionis errores, vt ad eas notandas, *opus esset nimis magno libro*; & Carolus Molinæus in sua translatione testamenti noui, ait, *Theodorus Beza de facto mutat textũ*: nec magis honorificè de Caluino loquitur; *qui in sua harmonia*, inquit, *textum Euãgelicum, desultare facit sursum versum, vt res ipsa indicat; vim infert litteræ Euangelicæ, & illam multis in locis transponit, & insuper addit litteræ*: vt satis appareat ex hac mutua Ministromachia, de qua videri potest Dominicus Grauina lib. 4. de sacrorum Bibliorum Versione, talium versionum falsitas. E Syriaco verò aliam noui Testamenti translationem edidit Emmanuel Tremellius, quæ adiuncta cir-

circumfertur cum versione Besana Hannoniæ 1603. Ex Arabico autem Franciscus Iunius vertit Acta Apostolorum.

Circa vernaculas Hæreticorũ translationes, totum testamentum vetus, & nouum Germanicè reddidit Lutherus, quæ etiam conuersa sunt in sermonem Islandicum, & Danicum. Quam versionẽ et si Pomeranus adeò iactet, vt optaret diem festum instituendum pro illa, Bucerus tamen Lutheri discipulus dialog. contra Melanctonem ait, *Lutheri lapsus in vertendis Scripturis manifestos esse, eosque non paucos*. Vnde ex Mathesio Lutherano concio. 12. de Luthero in editione sua Biblica, in suggestu vapulauit, ministro quodam flagellante, & dicente, *disce melius*. De deprauationibus etiam Lutheri quot, & quæ sint scripserunt inter doctores Catholicos Emserus præfat. noui testament. Tonstallus, Cochlæus de nouis interpretibus, Lindanus lib. 1. dubitantij, alijque plures. Tigurini etiam aliam Germanicam versionem, Luthero tamen id ęgrè ferente, cuderunt Leone Iuda interprete. Castalio similiter Gallice biblia vertit, sed Beza, & Geneuensibus minimè illi plaudẽtibus, nouam translationem agressus est Ioannes Piscator in Nassauia, vt refert Cudsemius in refutatione quadripartiti examinis, in qua innumera partim ridicula, partim impia, & blasphema colligit Paulus Roderus prædicans Lutheranus. Innumeræ aliæ exinde versiones germinarunt Flandricæ, Polonicæ, Anglicanæ, in quibus duo millia deprauata loca Cutbertus Tonstallus Londinensis Episcopus annotauit.

Tantùm de hæreticorum versionibus de quibus fusius videri possunt pręfati doctores præsertim Cochlæus. Prætérquam quod innumeri illorum errores, in librorum numero, ordine, inscriptione, verborum punctuatione, ortographia, pronunciatione; plurimorumque locorum immutatione, vel per adiectionem, vel per truncationem, aut alio quouis modo, facilè deprehendi possunt, si cum editione Vulgata diligenter conferãtur; cui illustrandæ, vt omnis versio à veritate non degenerans deseruire debet, ita per illam quæcumque alia ab eadem veritate deuia, corrigenda est, tanquam per Scripturam authenticam, in qua sola verum Dei verbum cõtinetur. Cum enim ex dictis supra aliundè certò nobis constare non possit de veritate diuinarũ Scripturarum, quàm ex approbatione, & authoritate Ecclesiæ, tùm ob illam certam, & infallibilem Spiritus Sancti assistentiam, quam Christus illi promisit tùm etiam quia vera fides, veraque religio, & verum Dei verbum, necessariam inter se habent connexionem; sicut aureis verbis docet Tertullianus de præscript. cap. 19. *Quod vbi apparuerit esse veritatem disciplinæ, & fidei Christianæ, illic erit veritas Scripturarum, & expositionum, & omnium traditionum Christianarum*. Satis patet in sola editione vulgata ab Ecclesia Catholica pro authentica approbata, contineri verum Dei verbum; sicut etiam, dum *inter nos*, & protestantes, sicut dicebat S. Augustinus lib. de vnitate Ecclesiæ cap. 3. *& Donatistas, quæstio est, vbi sit Ecclesia, vtrum apud nos, an apud illos*; ex veris Ecclesiæ notis satis deprehenditur nostram esse verã, vt supponitur ex dicẽdis infra de Ecclesia, & ostendit fusè Augustinus libro statim citato; Nouatorum verò falsam, & Ecclesiam malignantium, in qua cum non sit veritas disciplinæ, & fidei Christianæ nullo etiã modo potest esse veritas Scripturarum, & expositionum; nisi illam ab Ecclesia Catholica, & à maiorum traditione, quam ipsi neganr accipiant. Et hæc de Scripturæ editionibus dicta sint.

CAPVT XCVII.

De causa formali Sacræ Scripturæ.

POstquam in superioribus, sequendo ordinem executionis, primùm egimus de causa efficienti tàm principali, quàm instrumentali diuinarum Scripturarum; deindè de causa materiali, præsertim in qua, scilicet de libris, & editionibus

nibus ſacris, in quibus ſcriptum reperitur verum Dei verbum, vel non; nunc agendum eſt de earumdem cauſa formali; ad quam licet pertineat, qua lingua, quo charactere, quo ſtylo, quoue ſcriptionis genere, an ſtricta, vel ſoluta oratione traditæ ſint; quo ordine earum libri collocandi, quantaque ſit vniuſcuiuſque authoritas; etſi, inquam, omnia prędicta, aliaque ſimilia aliquo modo pertineant ad formalem ſacrarum Scripturarum cauſam, quia tamen ſuprà, tractando de vnoquoque illarum libro in particulari, neceſſario de illis agendum fuit; tantùm ſupereſt, vt in ſequentibus ſermonem habeamus, de ſacrarum Scripturarum interpretatione, & intelligentia; in qua etiam principaliter conſiſtit earumdem cauſa formalis. At quia hęretici noſtrorum temporum, qui omnia Eccleſiæ documenta, quantumuis manifeſta, & nota, inuerterunt, ſtultè & malitioſè aſſerunt, ſacram Scripturam tàm facilem eſſe, & perſpicuam, vt per ſeipſam clariſſima ſit, nec vllius magiſterio, & expoſitione indigeat. Quod certè fuit illis operępretium aſſerere, vt proprios errores tuerentur: cum enim eos ex ſacra Scriptura deducere conati ſint, ideoque nouas & inſolitas expoſitiones induxerint, repugnantes Eccleſię & Sanctorum Patrum ſenſui; non potuerunt aliter eas defendere, quam affirmando Scripturæ ſenſum non eſſe alligatum Eccleſiæ, vel alicuius interpretis iudicio, ſed per ſe facilem, ac manifeſtum, & quibuſcumque peruium. Quia, inquam, ſic ſe res habet cum hęreticis huius ætatis, & aliqui etiam illorum negant ſenſuum Scripturæ pluralitatem; primum agemus de obſcuritate, ſiue difficultate, deinde de ſenſibus ſacræ Scripturæ, tertiò à quibus, & quomodo illa interpretanda ſit.

CAPVT XCVIII.

Vtrum ſacra Scriptura in omni ſui parte, ſit facilis intellectu, & per ſeipſam clara, omnibuſque aperta.

IN hac cõtrouerſia, ſintne Scripturæ ſacræ per ſe facillimæ, atque apertiſſimæ, an verò interpretatione indigeãt. Lutherus pręfatione aſſertionis articulorum à Leone X. Pontifice damnatorũ ſic ait; *Oportet Scriptura Iudice hanc ſententiam ferre: quod fieri non poteſt, niſi ſcripturæ dederimus principem locum in omnibus, quæ tribuuntur Patribus, hoc eſt, vt ſit ipſa per ſe certiſſima, facillima, apertiſſima ſui ipſius interpres, omnium omnia probans, iudicans & illuminans &c.* Similia docet tàm in libro de Seruo arbitrio contra Eraſmum, quàm alibi. Vnde Lutherum non ſolùm ſecuti ſunt ſui, ſed etiam Caluiniſtæ; hic enim error fundamentalis eſt hęreticorum, & omnium errorum firmamentum; quia excludit Eccleſiæ regulam pro intelligentia Scripturarum, & liberum relinquit vnicuique illas interpretari, & exponere ad libitum. Vbi autem premuntur tùm ipſa rei euidentia, tùm experientia, quæ ſatis ſcripturarum obſcuritatem, ac difficultatem oſtendunt: ſi enim tàm apertæ ſunt ſcripturæ, quomodo grauiſſimi, & ſapientiſſimi interpretes, Vniuerſaliſque Eccleſia nunquam aſſequuti ſunt eos ſenſus, quos ipſi nouiter inuenerũt? aut quomodò in pluribus expoſitionibus, non ſolum ipſi à nobis, ſed ipſi inter ſeipſos adeò diſſident, vt de ſola iuſtificatione pluſquam viginti ſententias ediderint valdè diuerſas, quas omnes ex ſacra Scriptura deducunt, & confirmant. Vbi, inquàm, ſic premuntur; reſpondent ſi quæ ſit in ſacris Scripturis obſcuritas, vel eſſe propter Grammaticam, non propter res; vel eſſe internam, hoc eſt, in cordis cogitatione ſitam, non externam, hoc eſt, in verbi miniſterio poſitam; vel non per ſe, ſed per accidens ob legentium cęcitatem, & prauum af-

fe-

fectum; vel propter phrases alienæ linguæ, id est, Hebraicæ, & Græcæ, non autem secundum sensum. Et tandem si quæ obscuritas est, non esse in dogmatibus, sed in alijs ad illa non pertinentibus; aut etiam si alicubi Scriptura sit ardua, tamen illud idem alio in loco clarè proponi; atque adeò scripturam per se esse claram, & in omnibus ita apertam, vt à populo atque ab indoctis cum fructu aliquo, ac vtilitate legi possit, inquit Vvitacherus Caluinista controuers. 1. quęst.4. cap.1. Verum quiquid sit de huiusmodi responsis, quæ plura continent falsa, sibique etiam contradictoria, vt rectè ostendit Dominicus Grauina lib.4. Cathol. pręscript. de sacrorum Bibliorum interpretatione; nobis probandum est sacram Scripturam, vt in aliquibus facilis est, ita quoque in multis difficilem esse, & obscuram, non solùm per accidens, quod libenter admittunt aduersarij, sed etiam per se simpliciter & absolutè, quod si semel pariter nobis cōcedant, non erit amplius inter nos & illos, de hac re controuersia.

Igitur constans est Catholicorum omnium sententia, Scripturam per se esse admodum arduam & difficilem: quāuis tamen ita obscura non sit, vt nihil in ea sit perspicuum, aut nihil ex solis verbis, eorumque contextu satis clarè colligi possit: si quidem partes illæ, in quibus præcepta exarantur, sunt satis manifestæ, vt Decalogus, & illud, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*: Volūt ergò Catholici tantùm in ea multa esse obscura, & difficilia, imo & in ipsis, quæ clara sunt, semper aliquid difficultatis inesse, vt patet in præcepto hoc, *Diliges Dominum Deum tuum &c.* ideoque ipsas simplici lectione, absque magistro vnicuique non posse innotescere: illudque apertissimè demonstratur.

Primum authoritate ipsius Scripturæ, quæ de suamet difficultate, & obscuritate testimoniū perhibet Psalmo 118. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam*. Ibidem: *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua*. Quæ verba S. Hieronymus tractans in Epist. ad Paulinum, de instituit. Monachi, sic ait: *Si tantus Propheta tenebras ignorantiæ confitetur; qua nos putas paruulos, & penè lactentes inscitiæ nocte circumdari?* Isaiæ 29. v.11. *Et erit vobis visio omniū sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti litteras, dicent: Lege istum: & respondebit: Non possum, signatus est enim.* Quem locum sicut & Apocalips.5. communiter Patres interpretantur cū Origene, Philocaliæ, siue de amore honesti cap. 2. non solùm de Apocalipsi, & Isaia sed de vniuersa scriptura, *quæ*, inquit, *apud eos, qui possunt diuina oracula percipere, plena est ænigmatibus, & parabolis, & obscuris sermonibus, alijsque varijs obscuritatum formis, humanæ naturæ ad concipiendum difficilibus*. Daniel. 12. *Tu Daniel claude sermones, & signa librū vsque ad tempus statutum, plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia*. Oseæ cap.14. *Quis sapiens, & intelliget ista, intelligens, & sciet hæc?* Vbi Hieronymus, *obscuritatem voluminis, & difficultatem explanationis ostendit &c.*

In nouo quoque testamento, ponderandum est totum cap. 13. Matthæi, vbi Christus Dominus in parabolis locutus est, vt obscurè explicaret sententiam suam, & eo modò, vt non ab omnibus facilè intelligeretur, etiam à discipulis suis, qui dimissis turbis dicuntur ad eum accessisse, dicentes: *Edissere nobis parabolam zizaniorum agri*. Quam rationem communiter Patres reddunt, & Euāgelista ibidem asserit ita prophetatum fuisse Psalmo 77. Vbi de Christo, & de Deo, absolutè, vt est legis, & sacræ Scripturæ author, dicitur: *Aperiam in parabolis os meum*. Eiusdem Matthęi 26. Christus quędam proposuit ex scriptura, quorum nullus tàm inter Iudęos, quam inter Apostolos sensum eruere, aut assequi poterat, vt illud; *Soluite templum hoc, & in tribus diebus reædificabo illud*. Item Lucæ 24. dicitur, quod; *Incipiēs à Moyse interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant*; & paucis

cis interiectis, *tunc aperuit illis sensũ, vt intelligerent Scripturas*; & Ioannis 5. ait idem Saluator mundi, *Scrutamini Scripturas*; vbi, inquit Chrisostomus h. 40. *Dominus relegauit Iudæos ad Scripturarũ non simplicem, & nudam lectionem; sed ad scrutationem quàm diligentem: Scrutamini, dicens, scripturas: idcirco scrutari, & effodere profundius iubet, vt quæ altè delitescunt inueniri queant; non enim rem in superficie, & in promptu positam effodimus, sed quæ tanquàm thesaurus profundè reconditur: & qui huiusmodi quærit, nisi summam diligentiam adhibeat, nunquam quæsita inueniet.*

Actorum etiam cap. 8. satis diuinarum Scripturarum obscuritas, ac difficultas ostenditur, in Eunucho Candacis reginæ Aethiopum; si enim adeo perspicua est scriptura, vt contendunt heretici, cur Philippo diacono audienti eum legentem Isaiam Prophetam, & dicenti: *Putasne intelligis quæ legis?* respondit: Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Cum tamen Isaias cæteris alijs Prophetis apertius de Christo loquutus sit: ita vt ex Hieronymo, epistola ad Paulinum, propter maximam illam perspicuitatem Euangeliũ potius, quam prophetiam texere videatur. Tandem D. Petrus, qui certè neque superbus erat, neque infidelis, quibus solis heretici dicunt scripturas esse obscuras, fatetur capite vltimo 2. Canonicæ, in ipsis scripturis esse aliqua intellectu difficilia, imò asserit simpliciter epistolas Pauli intellectu esse difficiles: *Frater noster Paulus*, inquit, *secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus epistolis loquens de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & alias scripturas, ad suam ipsorum perniciem.* Vbi notandum est, Apostolum Petrum non dixisse, esse quędam difficilia indoctis & instabilibus, vt hęretici exponunt, sed difficilia absolutè; & quia difficilia, ab indoctis & instabilibus deprauari. Et quamuis diceret, difficilia esse indoctis, & instabilibus, id est, his, qui non habent firmum doctrinæ fundamentum, adhuc probatur intentum. Nam dicitur, difficilia esse multis: quippe cùm minor pars fidelium sint docti, & in sacris doctrinis eruditi.

Secundò probatur ex communi cõsensu veterum Patrum, tàm Grecorum, quàm Latinorum; quorum tamen, quia longum & operosum esset singula testimonia proferre, essetque actum iam fideliter à multis denuo agere, & recudere, illa tantùm hic adnotabimus, magisque etiã singularia proferemus. Ex Patribus Grçcis Ireneus lib. 2. aduersus hęreses cap. 47. vbi postquã in rebus creatis, & naturalibus plurima nos latere docuit, sic aureis verbis concludit: *Si ergò & in rebus creatis, quædam quidem eorum adiacent Deo, quædam autem & in nostrã venerunt scientiam, quid mali est, si & eorum, quæ in scripturis requiruntur, vniuersis Scripturis spiritualibus existentibus, quædam quidem absoluamus secundũ gratiam Dei, quædam autem commendemus Deo, & non solùm in hoc sæculo, sed & in futuro, vt semper quidem Deus doceat, homo autem semper discat, quæ sunt à Deo.* Iustinus Martyr dialogo cum Triph. Iudæo, *Scis*, ait, *Prophetas omnia quæ dixerunt, ac fecerunt similitudinibus, ac figuris adumbrasse, vt non facile plurima à quibusuis intelligi possint, occulta eorum veritate, ita vt etiam ij, qui eam quærant, multum operæ in ea inuenienda, discendaque consumant.* Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum cap. 6. Origenes lib. 7. contra Celsum: *Alij quoque cordati viri scrutando scripturam, intellectum eius inuenire potuerunt; licet re vera sit multis locis obscura.* Item homil. 12. in Exodum, & 5. in Leuiticum, similem habet sententiam, adducens similitudinem hostiarum, quarum pars comedebatur à Sacerdotibus, & pars incẽdebatur Deo. Athanasius in epistola de Synodis Arimin. & Seleuc. Basilius de Spiritu Sancto c. 27. proœm. super Isaiam, & epistol. 75. ad Neocesar. Nazianzenus in Apologetico, & in epistola ad Nemesium. Epiphanius hęresi 55. S. Ioannes Chrisostomus

stomus homil. 44. in cap. 23. Matth. operis imperfecti; *Ergo non sunt Scripturæ clausæ, sed obscuræ quidem, vt cum labore inueniantur, non autem clausæ vt nullo modo inueniantur*: idē docet in Psal. 48. & alibi passim. Cyrillus Alexandrinus lib. 3. in Ioann. cap. 36. & in Isaiam lib. 1. orat. 1. Theodoretus in Cantica Canticorum; *Vasto pelago nos commisimus &c.* Ioannes Damascenus lib. 4. de fide Orthod. cap. 13. alijque plures.

Ex Patribus Latinis, Hilarius prol. in Psal. Ambrosius in Psal. 118. ad illa verba, *Iustificationes tuas doce me*; & in epistola 44. ad Constantinum; *Mare*, inquit, *est Scriptura diuina, habens in se sensus profundos, altitudinem Propheticorum ænigmatum &c.* Hieronymus in epistola ad Paulinum, de studio Scripturarum, vbi ex instituto docet, non posse scripturas disci sine magistro, & percurrens breuiter nomina singulorum librorū, ostendit in omnibus magnas & multas esse difficultates; alibique passim. D. Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 6. Epist. 3. & 119. cap. 21. *In ipsis*, inquit, *Sanctis scripturis multò nescio plura, quam scio*. Et lib. 12. Confess. cap. 14. *Mira*, inquit, *profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos superficies blandiens paruulis, sed mira profunditas Deus meus, mira profunditas. Horror est intendere in eam; horror honoris, & tremor amoris*. Gregorius Magnus præfat. in lib. Moral. cap. 4. & homil. 6. in Ezechielem: *Magna*, inquit, *vtilitatis est ipsa obscuritas eloquiorum Dei, quia exercet sensum, vt fatigatione dilatetur, & exercitatus capiat, quod capere non potest otiosus. Habet quoque adhuc maius aliud, quia si scriptura sacra intelligentia in cūctis esset aperta, vilesceret, quæ in quibusdam locis obscurioribus tanto maiori dulcedine inuenta reficit, quanto maiori labore fatigat animum quæsita*. Isidorus de summo bono lib. 11. Beda in Psalm. 10. Rabbanus lib. 3. institut. Cleric. cap. 3. Rupertus Abbas lib. 7. in Matth. cap. 7. S. Thomas quodlibeto 7. q. 6. art. 10. ad 15. *Vtiliter est à Deo dispositum, vt veritas in sacra Scriptura cum aliqua difficultate manifestaretur*.

Quod autem respondent hæretici scripturas apertas esse veris fidelibus: opertas verò infidelibus, & superbis, seu ijs qui pereunt propter eorum cæcitatē, & prauum affectum; satis ex dictis eorum temeritatem, ac vanitatem coarguit. Certè præfati Patres nouerāt phrases alienæ linguæ, nec erant superbi & tamē ingenuè fatentur Scripturas esse difficiles. Indè variæ illorum inter se conflictationes, salua tamen charitatis pace, pro vera earum intelligentia. Indè plures eorumdem errores, in quos re nondum perspecta, aut ab Ecclesia definita inciderunt. Indè tandem tot regulæ & obseruationes, quas post multum laborem ad scripturas intelligēdas nobis tradiderūt. Si enim in omnibus essent perspicuæ, nec conflictassent Patres, nec errores aliqui in quibusdam reperirentur, nec tot regulas nobis ministrassent; si quidem in rebus claris, & per se euidentibus nullus contradicit, vt quod Sol sit lucidus, difficileque erratur, & tot regulis non est opus. Demum ad hominem inter ipsosmet hæreticos, qui se veros fideles iactant, eædē, imo interdū maiores de germano Scripturæ sensu quæstiones apparent; certè Osiander in cōfutatione scripti, quod aduersus eum Philippus ediderat, testatur, viginti sententias diuersissimas de iustificatione secundum scripturas versari inter solos confessionistas, vt notauimus supra. Qua Ministromachia, totque diuersis Scripturarū versionibus ab illis editis, commentatijs ad Francofurtenses nundinas trāsmissis, satis arguitur illarum difficultas; cui etiam tandem testimonium perhibere coacti sunt, vt patet ex multis eorum locis à Cardinale Bellarmino lib. 3. de verbo Dei cap. 1. & Dominico Grauina loco superius adducto citatis; vbi etiam conqueruntur iniuriam sibi fieri, dum asseritur eos docere, scripturas adeò perspicuas esse, vt nulla interpretatione opus habeant, sintque per se ipsas apertissimæ; cum tamen ex dictis supra luce cla-

clarius fit illos in hac falsa versari sententia; sed quoniam miscuit in eis Dominus spiritum vertiginis, ponens eos in rotam, non est mirum si modo hac, modo illac incedunt, non solum inter se, sed etiam à semetipsis diuerso tempore tàm pueriliter discordantes.

Tertio probatur ocularitet veritas nostræ conclusionis, aperiendo fontes obscuritatis, ac difficultatis diuinarum Scripturarum; in quibus duo considerari possunt, res, quæ dicuntur, quod pertinet ad causam materialem circa quam; & modus, quo dicuntur, quod pertinet veluti ad causam formalem. Si igitur res consideremus, necessario fatendū est, scripturas esse obscurissimas, si quidem tradunt summa fidei mysteria, quæque sua sublimitate captum intellectus humani longè superant: cuius generis sunt Trinitas, Incarnatio, prædestinatio ac reprobatio, creatio, operatio Dei in mentibus humanis, & cætera alia, quæ suspensum, & attonitum animum reddunt: quippè cùm magis ad ea non credenda, quam ad credenda naturaliter sit propensus: quo fit, vt si Metaphysica difficilior, atque obscurior sit omnibus alijs naturalibus disciplinis, propter subiecti sublimitatem, & quia causas altissimas tractat, multo magis Scriptura, quæ de rebus longe altioribus agit, obscura erit. Quid quod magna pars Scripturæ vaticinia continet de rebus futuris, & vaticinia carmine scripta; quibus certe nihil difficilius, nihil obscurius. Tandem ea etiam, quæ ad historiam pertinent, quamuis alias ex sua natura sint satis clara & aperta, propter rerum tamen antiquitatem, & variationem temporum & locorum, difficilia redduntur.

Inueniemus pariter innumerabiles rationes difficultatis, si modum dicendi consideremus. *Primò* enim in scripturis est multitudo & varietas sensuum, qui in vno eodemque litteræ contextu delitescunt, vt in hac voce Hierusalem patet, quæ modo beatitudinem, siue Ecclesiam triumphantem, modo militantem, aliquandò verò, & communiter, atque litteraliter ciuitatem Palęstinæ, in qua Iudæi morabantur significat. *Secundò* quia in illis Deus nos signis, & gestis, potius quàm verbis alloquitur: vnde vulgata S. Augustini regula lib. de mendacio, *Scriptura cum narrat factum, prodit mysterium*. Cuius rei exempla habemus in Canticis Canticorum, Apocalypsi, & libris omnibus Propheticis: vbi per signa, & gesta Deus voluntatem suam nobis innuit; ita vt verba quæ assumuntur, sint tantum ipsorum signorū narratiua, vel significatiua: tale autem genus loquendi nonnisi à peritis, & longo vsu exercitatis apprehendi posse manifestè patet. *Tertiò* in Scripturis extant multæ propositiones, quæ prima fronte videntur contradictoriæ, vt Ezechielis 18. *Filius non portabit iniquitatem Patris*. & Exodi 20. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me*. Genes. 1. & 2. dicitur Deus creasse cælum & terram sex diebus. Ecclesiastici tamen 8. scribitur, *qui viuit in æternum, creauit omnia simul*. In nouo quoque testamento, Christus ex Marco crucifixus est hora tertia: ex Matthæo verò hora sexta: atqui harum propositionum, & aliarum similium, quas supra notauimus, agendo de vnoquoque sacræ Scripturæ libro, conciliatio non est omnium fidelium, sed tantum peritorum, & in lege diuina exercitatorum; vndè magnum Gentilibus contra Christianos argumentum olim suppeditabatur, quod scripturæ, in quibus gloriabantur, quibusque eorum fides innitebatur, inter se non cōsentirent: illudque in causa fuit, cur Eusebius de diaphonia Scripturarum, & Augustinus de consensu Euangelistarum, & alij de Scripturæ, & Euangeliorū concordantijs libros integros scripserint. *Quartò* sunt aliæ propositiones ambiguæ, præposteræ, imperfectæ, vniuersales, & plurales, quæ tamen non sunt vniuersaliter, sed singulariter capiendæ. *Quintò* reperiuntur frequen-

quenter tropi, metaphoræ, allegoriæ, ironiæ, hiperboles, & alia id genus sine vllo numero. *Sextò* cum Scripturæ varijs linguis conscriptæ fuerint, atque traductæ, peculiares etiam illarum habent idiotismos, propria ænigmata, propria adagia & figuras, quorum ignoratione multi perperam Scripturas interpretati sunt. *Septimò* tandem est repentina mutatio rerum, & personarum tàm loquentium, quàm earum ad quas sermo dirigitur. In sacra enim Scriptura, de littera, ad spiritum: de temporalibus, ad æterna: de Regibus Israel, ad Messiam: de Tyrannis, & superbis regibus ad Dæmones, fit repentè transitus: illudque in Psalmis, & Prophetis facile videre est, exempli gratia, Isaiæ 14. de rege Tyri, transit statim Isaias ad Sathanam regem super omnes filios superbię, eaque de causa scriptura ipsa, quasi sibi non constaret, olim ab infidelibus ludibrio habita est, cum tamen istud nullam leuitatem, & inconstantiã, sed tantùm maximam illius difficultatẽ arguit: ita vt vix à quoquam, citra auxilium Dei, & improbo quodam labore intelligi possit. Nec alia de causa, olim apud Hebręos, vt notauimus supra, fas non erat antè trigesimum annum legere prima capita Geneseos, Cantica Canticorum, vltima Ezechielis capita, & Canticum Habacuc, quàm ne propter eorũ obscuritatem, & sensuum reconditorum varietatem, offensionem cuiquam præberent. Ex quibus satis superque patet contra Lutherũ, eiusque sectarios scripturam non esse ita omnibus, & in omnibus peruiam, ac facilem, vt ipsi imaginantur. Sed si in aliquibus locis habet, vnde paruulos nutriat in publico, in multis quoque seruat in secreto, vndè mentes sublimiũ in admiratione suspendat: Simulque est fluuius planus, & altus, in quo & agnus ambulat, & elephas natat, ex Gregorio pręfat. in lib. Moral. Potus & cibus, potus in apertioribus, quæ sine expositione possunt intelligi, cibus in difficilioribus ex Haymonio in Apocal. lib. 3. c. 10.

Si inquirat aliquis, cur Deus sacrarum Scripturarum author, per suam prouidentiam voluerit illas esse difficiles, & obscuras, quod pertinet ad causam efficientem, & finalem talis obscuritatis, ac difficultatis; In hac re sine vlla curiositatis nota, eodem modo discurrendum puto, quo conuenientiam Incarnationis tali tempore, & non alio peractæ, prædestinationis & reprobationis, multorumque aliorum mysterum, laudabiliter in Scholis peruestigamus. Sicut igitur in præfatis operibus Dei duplicem possumus distinguere cõuenientiam, externam vnam, internam alteram. Externam appello eam, qua aliquid dicitur conueniens præcisè ex eo quod sit factum à Deo, cuius sola voluntas potest esse sufficiens regula omnis conuenientiæ, cum non possit agere nisi sapientissimè; ideo autem hęc conuenientia dicitur externa, quia desumitur per ordinem ad diuinam voluntatem, vt causam efficientem, quæ semper est externa suis effectibus. Interna autem conuenientia ea est, qua aliquod opus faciendum, vel factum dicitur esse conueniens, ob speciales aliquot rationes sibi inexistentes in ordine ad consequendum finem aliquem particularem; vocaturque conuenientia interna ad distinctionem prioris, quia tota attenditur penes ea, quæ obiecto, seu effectui producendo, vel producto insunt. Et de ista potissimum agitur, quandò inquiritur, vtrum hoc vel illud Dei opus fuerit conueniens; loquendo enim de prima, eo ipso quo aliquid apprehenditur tanquam factum à Deo, statim intelligitur esse conuenientissimum.

Quemadmodum, inquam, in cœteris operibus diuinis, laudabiliter eorum conuenientiam inuestigamus; quidni etiã illam difficultatis Scripturarum? cum præsertim SS. Patres plures huius conuenientiæ siue congruentiæ huius difficultatis rationes assignent. In primis cum Scripturę sint à Deo dictante, aut saltem specialiter assistente conscriptę, debent eius naturam & cõditionem aliquo mo-

do imitari. Vt igitur Deus est incomprehensibilis, & omnem intellectus nostri scientiam superat, ita Scripturæ conditionem hanc sortiri, & imitari debuerunt, vt opus ad opificem aliquo pacto accederet. Vnde quemadmodum Deus clarè & intuitiuè tantùm videbitur in Patria, sic ibi duntaxat plena & perfecta Scripturarum intelligentia habebitur; ex Irenæo lib. 2. contra hæreses cap. 27. circa medium.

Secundò non solùm Deus Scripturarum difficultatem permisit, sed etiam voluit, & intendit, vt ex Chrysostomo homil. 44. in Matth. alij in Ecclesia essent doctores, alij discipuli ad quos dixit Isaiæ 40. *Loquimini Sacerdotes in cordibus populi*; & Deuter. 32. *Interroga patrem tuum, & dicet tibi; presbyteros tuos & annuntiabunt tibi*. Siue quod idem est, vt in Ecclesia militante idem seruaretur ordo, qui in triumphante, in qua Angeli inferiores purgantur, perficiuntur & illuminantur à Superioribus; quod certè non contingeret, si omnibus, vt volunt hæretici, paterent Scripturæ, nullamque in se haberent difficultatem.

Tertiò diuina prouidentia quædam in diuinis Scripturis clausa, & obscura esse voluit, ad excitandam legentium industriam, siue vt in his exercitaremur & laboraremus, & labore illo, atque exercitatione meritum nostrum apud Deum magis accresceret; ita D. Augustinus lib. de vera religione cap. 17. *Si in Scriptura*, inquit, *Sacra tantùm essent, quæ facillimè intelligerentur, nec studiosè quæreretur, nec suauiter inueniretur veritas*. Et D. Gregor. homil. 6. in Ezechiel. *Magnæ*, inquit, *vtilitatis est ipsa obscuritas eloquiorum Dei, quia exercet sensum, vt fatigatione dilatetur, & exercitatus capiat, quod non potest capere otiosus*.

Quartò ne facilitate nimia vilesceret, ex eodem Augustino lib. 2. de doctrina Christiana c. 6. & Gregorio loco statim citato. Quintò vt tam prudentum, quam simpliciorum haberetur ratio, & ad se Scriptura traheret in vniuersum omnes. Ex Augustino epistola 3. ad Volusianum Gregorio in epistola ante lib. Moral. c. 4. & lib. 20. Moral. cap. 1. Sextò redditæ sunt Scripturæ difficiles ad edomandam hominum superbiam, qui videndo se viribus proprijs sensum illarum non posse assequi, de seipsis non ita præsumunt, & suam ignorantiam fateri coguntur: itē ad commendandam humilitatem, cum eius intelligētia humilibus magis, quàm superbis, & interdum idiotis magis, quā peritis inspiretur, Psalm. 118. *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectū dat paruulis*.

Vndè quod obijciunt aliqui ex Scripturarum obscuritate omnes hæreses originem accepisse; Respondetur hoc non tàm ex tali obscuritate contigisse, quam ex malitia & superbia hominum, qui etiam si Scriptura esset perspicua, non desinerent adhuc in contrarios, & alienos sensus illam detorquere, vt patet in his verbis Christi, *Hoc est corpus meum*, quibus nihil breuius, & apertius dici potuit; cum tamen plusquam sexaginta diuersæ interpretationes illorum notentur; vt enim præclarè Tertullianus lib. de præscription. *Vbi semel animum alicuius erroris opinio innaserit, quidquid aliter Scriptura pronuntiat, figuratum homines arbitrantur*. Secundò etiam respondetur, Deum in hac Scripturarum difficultate, quam ob rationes allatas conuenienter intendit, non reliquisse fideles absque infallibili earum interprete, nempè Spiritu Sancto, & Ecclesia, quæ est firmamentum & columna veritatis: ad quam in dubijs quibuscunque circa fidem, & Scripturarum interpretationem nobis est confugiendum.

Superest iam proferre argumenta, quibus hæretici suum errorem tueri conantur, ad ea tamen faciliùs dissoluenda, prius quædam regulæ sunt nobis antè oculos habendæ: *Prima*, aliud est loqui de toto Scripturæ corpore, & aliud de aliqua tantùm illius parte: nam aliquæ partes possunt esse magis claræ, quàm aliæ, vt sunt illæ in quibus præcepta decalogi continentur, aut quædam historię describuntur. *Secunda*, aliud est loqui de

de Scriptura in se, & aliud quatenus est iam explicata, & intellecta: in se enim obscura est, & animum varijs difficultatibus inuoluit, & intricat, vt verò est intellecta, & explicata per Ecclesiam, eiusque pastores, & doctores illuminat, & instruit: iuxta illud Psal. 118. *Declaratio sermonum tuorum illuminat. Tertia* aliud est loqui de Scriptura absolutè, & aliud comparatiuè, vt quando Euangelium, seu nouum testamentum dicitur esse apertum & reseratum: id enim tantum intelligitur respectu veteris, quod erat obscurum, & liber signatus: absolutè enim, & simpliciter quæ in nouo testamento conscripta sunt, obscuritatē habent, vt de epistolis D. Pauli iam diximus, de Apocalypsi, in qua ex Augustino epistola 3. ad Volusianū, *tam multa, tamque multiplicibus mysteriorum umbraculis operta intelligenda proficientibus restant, tantaque non solùm in verbis, quibus ista dicta sunt, verùm etiam in rebus, quæ intelligenda sunt, latet altitudo Sapientiæ, vt annosissimis, acutissimis, flagrātissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: cum consummauerit homo tunc incipiet.* Soli Nouatores eo decorati sunt priuilegio vt se suosque sectatores iactent Augustino sagaciores, Patribus omnibus Sapiētiores. *Quarta*, in nouo testamento distinguendæ sunt sententiæ à mysterijs in eo contentis: mysteria quidem omnibus patent, vt Christum natum ex Virgine, passum, mortuum, resurrexisse, & ascendisse ad cælos, indeque venturum iudicare viuos, & mortuos, non tamen sententiæ, quæ semper propter interpretationum varietatem manent obscuræ.

Primò igitur testimonia Scripturæ, quæ ex præceptis diuinis contra Catholicorum sententiam hæretici congerunt, apertè soluuntur per primam regulam; vt Deuteronom. 30. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodiè, non supra te est, neque procul positum* &c. Roman. 10. *Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est verbum fidei, quod prædicamus*: Cum in illis & alijs similibus locis, mentio non fiat totius corporis Scripturæ, quæ tunc adhuc nulla erat fortasse, sed præceptorum tantùm Decalogi, quæ cum sint naturalia facillimè intelliguntur; & Iudæi illi præcipuè facilè poterant ea scire, qui Mosen explicantem audierant & confessi fuerant, se percepisse omnia, & promiserant se ea obseruaturos. Ideo subditur, quod etiam à D. Paulo citatur; *Prope est sermo in ore tuo, & in corde tuo*, id est, in corde tuo, quia iam intellexisti quid sit agendum; & in ore tuo, quia iam confessus es, te intellexisse. Neque pugnat cum hac explicatione, quod Dauid supra à nobis citatus fateatur, sibi difficilem fuisse legem Domini ad intelligendum. Dauid enim ibi nomine legis non intelligit decem illa præcepta solùm, quæ à singulis perspicuè cognoscuntur, sed totam Scripturam tunc existentem. Qua significatione vtitur etiā Dominus in Euāgelio, cùm ait: *vt adimpleatur quod in lege eorum scriptum est; quia odio habuerunt me gratis*. Ioann. 15. Nisi quis velit respondere, per legem illam, in qua tot, & tantas difficultates ipse experiebatur, intelligendā esse ceremonialem legem: quæ vmbras, & figuras futurorum præsignificabat: quorum cognitio, cum esset valdè abstrusa, & difficilis, meritò diuinum auxilium ad eam intelligendam implorabat. Deindè præfatum Deuteronomij locum plurimi veterum cùm intelligant, non de facilitate intelligendi Scripturas, sed de facilitate implendi mandata Decalogi, cum adest gratiæ auxilium, non solùm non fauet hereticis, sed est manifestè contra illos, qui docent, impossibilia esse Dei mandata. Ita exponit Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, Origenes, Ambrosius, Chrisostomus, & alij in cap. 10. ad Rom. & Augustinus lib. de perfect. iustitiæ, responsione penultima.

Similiter per secundam regulam facilè explicantur ea testimonia, quibus contenditur Scripturam, seu verbū Dei dici Psalm. 118. lucernam pedibus nostris, & lumen semitis nostris: itemque 2. Petri cap. 1. lucernam lucentem in caligi-

liginoso loco: Si quidem Scriptura non dicitur lucida, immò lumen, & lucerna, quòd sit facillima ad intelligendum, sed quòd intellecta, & explicata cum fuerit dirigit hominem in operando, mentemque illustrat, & erudit de rebus altissimis & tenebras errorum omnium effugat. Non tàm enim illuminat, qui clarè loquitur, vel scribit, quam qui, siuè clarè siue obscurè loquatur aut scribat, lumen veritatis in mente accendit, & tenebras errorũ depellit. Propterea Regius Propheta in Psal. 18. vbi loquitur de cognitione Philosophorum, quam assecuti fuerant ex creaturis, cum ait: *Cœli enarrant gloriam Dei*, &c. postea vt ostenderet, eos non peruenisse ad eam veritatis cognitionem, ad quam perueniunt ij, quos Deus erudire dignantur, & quibus legem scriptam dedit, subiungit: *Praeceptum Domini lucidum illuminans oculos*. Scriptura igitur dicitur lucida, lucerna, & lux, quia manifestatiua veritatis, non tamen materialis, sed spiritualis: & ideo non statim se prodit, sicut lux materialis, vt ab ea, ad spiritualem sophisticè argumentantur nouatores, sed sępè indiget explicatione, & expositione: quemadmodum veritates scientiarum, licet sint lux, indigent tamen explicatione, & probatione: aut quemadmodum si lux materialis esset in laternis occulta, aut sub modio posita; quantumuis veluti in actu primo, & in seipsa lucida, nunquam tamen in actu secundo illuminaret, nisi cùm super candelabrum reponeretur; ita quoque Scriptura licet in actu primo, & in seipsa sit lucidissima, quo ad nos tamen, & veluti in actu secundo nunquam est talis, nisi super candelabrum Ecclesiæ, Sanctorum videlicet Doctorum interpretatione posita, de quibus dicitur: *Qui elucidant me vitam aeternam habebunt*; Quare etiam rectè D. Petrus loco citato comparat Scripturã, non cuicumque lucernæ, sed lucenti in caliginoso loco; *Habemus*, inquit, *firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco*; quia sicut lucerna lucens in caliginoso loco, certum est, quod ratione loci, & status, non omnia monstrat, sed multa, quæ latent, videnda superuenientis alterius luminis ope relinquit; ita S. Scriptura, licet in se claritatem lucernæ habeat, tamen dum est operta, vel in caliginoso loco posita, non potest totum suum lumen, ita Deo disponente in hac vita diffundere, nisi superueniente Ecclesiæ, doctorumque illius interpretatione & explicatione, aut luce gloriæ; vndè subdit Apostolus: *Donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris. Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit*. Licet enim, vt ait Irenæus loco superiùs citato libro 2. cap. 47. *Ipsæ Scripturæ perfectæ sint, quippè à verbo Dei, & spiritu eius dictæ*: si ipsas in se consideremus; tamen si infirmitatem, & ignorantiam humanam attendamus, vel vt dicit idem Sanctus, *secundum quod minores sumus, & nouissimi à verbo Dei ex eius spiritu, secundum hoc, & scientia mysteriorum eius indigemus*, nedum ex significatione, & respectu eorum, quibus significat, sed etiam propter ipsas res significatas. Vnde etiam si ignorantiam nostram fateamur, quædam quoque quæ non intelligimus Deo committendo, vt dicit Ireneus, *& fidem nostram seruabimus, & sine periculo perseuerabimus*, quod non attendentes Nouatores, nec fidem seruarunt, & naufragium passi sunt.

Per tertiam & quartam regulam diluuntur omnia argumenta desumpta ex illis Scripturæ locis, quibus asseritur. Euangelium, seu nouum testamentum esse apertum, & reseratum; vt 2. Corinth. cap. 4. *Quod si etiam opertum est Euangelium nostrum; in ijs, qui pereunt, est opertum: in quibus Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei*. Apocalip. 5. vbi dicitur Agnus, aperuisse librum, & soluisse signacula eius, nempè veteris testamenti, quod Isaiæ 29. liber signatus vocatur. Propter quod, *& velum Templi scissum est*. Satis enim patet primo loco sermonem

nem non esse de intelligentia Scripturatum, sed de cognitione, & fide in Christum, quę per Apostolos viua voce, & cum tantis portentis, & signis annuntiabatur, vt qui tunc non credebant haberentur penitus obcęcati. Dixerat enim Apostolus capite superiore, hoc esse discrimen inter vetus testamentum, & nouum, quod in veteri homines non videbant mysteria Christi, incarnationem, passionem &c. nisi per velamen figurarũ, & vmbrarum. Id quod significabat velamen illud, quo Moses faciem suam tegebat; cum loqueretur ad populum: at in nouo testamento figuris omnibus iam impletis reuelata facie gloriam Domini speculamur, & non est anus, nec puer Christianus, qui non sciat Deum incarnatum, passum, &c. Deinde etiam si sermo ibi esset de Scripturis, respondetur eas humilibus, & fidelibus dici peruias, quia præ sua fide, & humilitate magis sunt ad suscipiendam instructionem idonei, & magis à Deo iuuantur, & illuminantur; vbi superbi & infideles à Deo deseruntur, ex qua derelictione per accidens obcęcati redduntur. Vndè rectè Christus Matth. 11. ait: *Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*; id est humilibus; ait Augustinus in Psal. 118. qui proprijs viribus, propriæque industriæ non confidentes, quasi Scriptura sit in omnibus per se clara, & aperta (vt contendunt hęretici, qui præ sua superbia, sibi sapientes, & prudentes videntur, & alijs videri volunt) continuis à Deo precibus eius intelligentiam efflagitant, deque illa Magistros Ecclesiæ libenter audiunt, & interrogant. Quare meritò à D. Hieronymo epistola 51. ad Domnionem ille irridetur, qui se non solum humaniores disciplinas, sed & Sacrarum Scripturarum scientiam absque prævio magistro, aut præceptoris opera didicisse iactabat. *Stultus*, inquit, *ego, qui me putauerim hæc absque Philosophis scire non posse*, & infra: *& vt humana contemnam, sine causa Gregorium Nazianzenum, & Didymum in Scripturis cathechistas habui: nihil mihi profuit Hebræorum eruditio, & ab adolescentia vsque ad hanc ætatem quotidiana in Prophetis, Euangelijs, Apostolisque meditatio; Inuentus est homo absque præceptore perfectus*, πνευματοφόρος, ἔνθεος, καὶ αὐτοδίδακτος. Dicam ego inuenti sunt nouatores, qui Sacram Scripturam in omnibus intellectu facilem, ac per seipsam expositam putantes, superbè Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ magisterium contempserunt, repugnantesque illis Scripturarum interpretationes, & sensus induxerunt: cum enim proprios errores ex illa deducere, ac tueri cõtenderint, ideoque nouas & insolitas expositiones adinuenerint; non potuerunt alitèr id cõmodius præstare, quam affirmando Scripturæ sensum non esse alligatum Ecclesiæ, vel alicuius Interpretis iudicio, sed per se facilem, & manifestum, & quibuscumque peruium, vt initio huius capitis iam notauimus. Ad secundum locum Apocalipseos 5. respondetur similiter, Agnũ aperuisse sensum Apostolis, vt intelligerent Scripturas; atque adeo ex intelligẽtia veteris Testamenti per Christi Domini interpretationem Apostolis data, multa iam in nouo mysteria sunt nobis aperta, & reserata, velumque Templi scissum est, sed adhuc vt dicit Origenes homil. 27. in numer. *& in Scriptura Euangelica, & Apostolica multa sunt quæ nos latent*; quare vt dicit idem homil. 12. in Exodum; *Diebus ac noctibus obsecrandum est, vt veniat agnus de Tribu Iuda, & ipse librum signatum dignetur aperire*; & ad apostolicam regulam pro intelligentia, & solutione recurrendum.

Secunda clasis obiectionum desumtarum ex authoritatibus Patrum, quibus claritas Scripturæ insinuari videtur, non minus faciliè, quam præcedens per supradictas regulas euertitur: Illos nimirum locutos fuisse de Scriptura; quoad generalia quædam credendi dogmata, vel viuendi disciplinam: vel partes historiales, vel morales, quas certum est non esse ita difficiles; non autem de toto Scripturæ corpore: vel si de tota Scriptura, non de illa se sola, sed adiuncta expli-

explicationis luce, & cathechesi, doctrina, prædicatione, expositione; vel de illa non absolutè, sed comparatione facta inter vetus & nouum testamentum; quatenus discrimen veteris testamenti, & noui in hoc consistit, quod tunc non solùm sententiæ Scripturarum, sed etiam mysteria Christi nō intelligebantur, quia omnia tecta erant in figuris. At in nouo testamento, quia Christus impleuit figuras, & prophetias, et si multi non intelligant sententias Scripturarum, intelligunt tamen ipsa mysteria redemptionis etiam rustici & mulieres. Quod autem Patres nec absolutè, nec de sententia Scripturę locuti fuerint, patet tum ex Origene, tum ex Hieronymo locis statim citatis; qui insuper in epistola ad Paulinum de institutione Monachi; dicit adhuc hodie manere velamen non solùm in facie Mosis, sed etiam in facie Euangelistatum & Apostolorum, si consideremus Scripturarū difficultatem; & propterea orandum cum Propheta: *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua*. Vel præterea locuti sunt Patres respectu hominum prę sua humilitate, & fide suadibilium, ac docibilium, quique ab Ecclesia Scripturarum interpretationem expectant; ab omnibus enim in hoc sensu legi possunt, suntque claræ, & manifestæ; sicut per oppositum statim diximus, quod quidam per accidens, nedum per se, ex velamine peccatorum illarum intelligentia priuantur. Vel tandem locuti sunt de Scriptura in superficie sermonis considerata, quomodo ab illis dicitur potuș, & fluuius planus: non autem secundum sensus profunditatem, quomodo vocatur thesaurus abscōditus, hortus conclusus, fons & liber signatus; monetque Chrisostomus homil. 8. super cap. 3. secundæ epistolæ ad Timotheum: *Ne temerarij simus in scrutanda profunditate Scripturarum intelligentes multos latere in ea locos difficiles*. Et D. Augustinus epistola 3. ad Volusianum ait, *Modus, quo Scriptura Sancta contexitur, quānis omnibus accessibilis, paucis tamen penetrabilis est. Nam quæ apertè continet, quasi amicus familiaris sine fuco ad cor indoctorum, & doctorum loquitur. Ea verò quæ in mysterijs occultat, nec ipsa eloquio erigit superbo, quo non audeat accedere mens tardiuscula, & inerudita, quasi pauper ad diuitem: sed omnes humili sermone inuitat, quos non solùm manifesta pascat, sed etiam secreta exerceat veritate, hoc in promptis, quod in reconditis habet. Sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus operta desiderantur, desiderata quodammodo renouantur, renouata suauiter intimantur, praua corriguntur, & parua nutriūtur, atque magna oblectantur ingenia*. Quibus non repugnat quod idem August. lib. 2. doctrinæ Christ. cap. 6. tradit: *Magnificè, & salubriter Spiritum Sanctū ita Scripturas modificasse vt locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret; nihil enim ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè dictū alibi reperiatur*. Quia licet verum sit, quod vnus Sacræ Scripturæ locus difficilis & obscurus, per alium clariorem aliquando intelligatur, non tamen omnia, quæ alicubi obscurè dicuntur, alibi clarè & apertè pronūtiātur, vt male colligunt ex citato Augustini loco hæretici, qui ponderare debuissent particulam illam (ferè) ab ipso additam, quā satis ostendit, non omnia quæ alicubi obscurè proponuntur, planissimè alibi declarari, vt videre est in toto libro Apocalypsis, principio & fine Ezechielis &c. quę nullibi in Scriptura planissimè explicata reperiuntur. Ne igitur dicamus omnes Sanctos Patres sibimetipsis esse contrarios, dum alicubi insinuant Scripturarū claritatem, ac facilitatem, necessariò intelligendi sunt, vno ex prædictis modis, quibus etiam suam mentem satis explicant, vt vidimus.

Tertia classis obiectionum fundatur in quibusdam rationibus parui momenti. Prima, quia probant Patres sententias suas ex Scriptura, sed non debet probari, quod notius est, ex minus noto, igitur Scripturæ sunt clariores, quàm omnia Patrum commentaria. Est Lutheri, quem mirum est, Sophistam agere non vereri, cum

cum tàm sæpè Sophistas reprehendat.

Respondetur ad hanc rationem primò, concedendo maiorem, & negando minorem, in rebus fidei, cum enim fides sit sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium, sufficit quod probatio fiat ex certioribus, ac firmioribus, quales sunt Diuinæ Scripturæ, respectu commentariorum Patrum, non autem ex notioribus, saltem quo ad nos. Debebat igitur distinguere hostis Ecclesiæ, aliud esse, Scripturam esse certiorẽ, & firmiorem, vel etiam secundum se notiorem, & aliud, esse nobis, vel quo ad nos notiorem; ita intellexisset, quod Scripturæ sunt quidem certiores & firmiores omnibus Patrum commentarijs, imò etiam & notiores secundum se, nobis verò ignotiores; atque adeo notiora quo ad nos, per certiora, & notiora secundum se comprobari, & notiora secundũ se, per notiora quo ad nos, siue quod idem est ignotiora secundum nos, quales sunt Scripturæ, per notiora quo ad nos, qualia sunt Patrum commentaria; quæ est optima probatio, præsertim in rebus ad fidem pertinentibus; Si enim non inconuenit principia scientiarum aliquando notissima secundum se, per homines explicari, & elucidari; sic etiam non inconuenit principia fidei in diuinis Scripturis contenta notissima secundum se, obscurissima verò quo ad nos, explicari & elucidari per Patrum commentaria, non tanquam per conclusiones, sed potius expositiones, & illustrationes.

Respondetur secundò, & in idem fere cum prima responsione coincidit, concedendo maiorem, & distinguendo minorem, quod notius est tàm notitia verborum, quam notitia veritatis non debet probari, ex minus noto vtraque notitia concedo; quod est notius notitia verborum tantum, nõ debet probari per notius notitia veritatis, quamuis minus notum notitia verborum, nego, præsertim in rebus fidei. Cum enim Philosophi docent minus notum ex magis noto probandum esse, non loquuntur de notitia verborum, quæ in perspicuitate sententiæ consistit, quemadmodum dicimus, notiorem esse, id est, faciliorem, & clariorem sententiam propriam, quam figuratam: sed de notitia veritatis rei, quæ in eo posita est, vt quis intelligat id quod dicitur esse verum, exemplo sint motus, & vita. Nam si attendantur verba æquè facilè intelligitur hæc sententia, homo viuit, atque ista, homo mouetur. Et tamen quo ad notitiam attinet veritatis rei, notius est hominem moueri, quam viuere. Ita igitur Patres, Concilia, Romani Pontifices, sententias suas Scripturarũ testimonijs probant, & confirmãt, quia notius est verum esse, quod in Scripturis habetur, quàm quod habetur in Patribus; & tamen ijdem Patres commentarijs suis Scripturas illustrant, quia plerumque verba Scripturæ sunt obscuriora, quam verba Patrum.

Secunda ratio est, quia in primitiua Ecclesia fideles sine commentarijs Scripturas legerunt; & idem fecerunt postea omnes alij veteres; quorsum igitur nos nouam istam semitam commẽtariorum ingredimur; inquit Sauubrandus, & Hunnius; præsertim cum, si volumus Scripturam cum Patrum commentarijs comparare, ait Vvitacherus, maiorem ferè in his, quam in illa difficultatem inueniemus: non enim minor perspicuitas est in Euangelio Ioannis, aut in epistolis Pauli, quam in Tertulliano, Irenæo, Origene, &c. imo, ait idem, in Scholasticis omnibus tanta est obscuritas, quanta in Scripturis nusquam inuenitur.

Respondetur, in hac ratione falsum supponi, & assumi. Primi enim fideles, qui continuò post Apostolos fuerunt, etsi non legerint commentaria scripta, quia tunc nulla erant, adierunt tamen commentaria viua, id est Apostolos, & eorum discipulos, & non ex proprio ingenio Scripturas intelligere voluerunt. Vnde in Actis cap. 13. dicitur, *erant in Ecclesia Propheta, & doctores*; vbi Prophetarum nomine tractatores diuinorũ eloquiorum intelliguntur, seu magistri secundum Lerinensem lib. contra Prophanas vocum nouitates cap. 40. Interpre-

pretatio quoque sermonum à B. Paulo 1. Corinth. 12. inter dona Spiritus Sancti numeratur; Et Papias de seipso testatur apud Eusebium lib. 3. Histor. cap. vltimo, Clemens verò Alexandrinus lib. 1. Strom. præceptores suos fuisse Apostolorum discipulos, & in ijs præcipuè Pãthenum enumerat Clemens. Deindè Iustinus, & Irenæus, & alij deinceps cœperunt commentaria in diuinas litteras ad clariorem illarum intelligentiam scribere. Quod si in aliquibus maior sit obscuritas, quam in scripturis, non efficitur propterea Scripturas non esse obscuras, clarioriquc commentario non indigere. Deindè licet in aliquibus scripturæ locis vel sententijs clarior sit intelligentia, quam in multis Patrum sententijs, præsertim Tertulliani, quæ explicatione opus habent. Et in Scholasticis quantùm attinet ad subtilitates admixtas ex alijs disciplinis, & proprijs terminis, ac phrasibus, quibus vnaquæque facultas suo ritu gaudet, plus sit obscuritatis, quàm in multis Scripturæ locis, illis præsertim, quæ aliqua saluti necessaria continent, ad quæ docet Augustinus epistola ad Volusianum, *non tanta perueniri difficultate*, tamen in ijsdem Patribus, & Scholasticis, quantùm attinet ad Scripturarum explicationem, & ex ijsdem conclusionum deductionem, plus lucis est in explicata, quàm in non explicata Scriptura.

Tertia ratio est, quia si Scriptura sacra difficilis, & obscura est, vt Catholici fingunt, quid illam opus fuit nobis diuinitus tradi. Deinde si obscura est, certè per interpretationem declaranda est, sed quis nos certos facit ipsam declarationem esse certam? Alia noua declaratio. Quis & illam declarabit? ita fiet progressus in infinitum, ait Lutherus lib. de seruo arbitrio contra Erasmum.

Respondetur, nos abundè supra causas obscuritatis scripturarum attulisse, non quasi Spiritus Sanctus apertius scribere non potuerit, sed quia noluit: quæ obscuritas satis ad oculum patet ipsa rei euidentia, & experientia, vt vidimus supra, nec proindè Catholicos fingere laborem in præcepto, ad arcendum populum à Scripturarum lectione, vt malitiosè obijciunt hæretici; si quidem doctores Catholici neminem à lectione, & studio scripturarum auocant, sed tantùm illarum difficultatem ostendunt, ne inepti, & imperiti sine duce & interprete ad eas accidant. Vt enim negandum non est, quin labore, studio, consultatione cum doctoribus, & super omnia diuini numinis inuocatione, illarum sensum assequi possimus; si enim non possemus, frustra essent à Deo conscriptæ, & earum studium ab omnibus negligeretur. Ita quoque certissimum est ex dictis supra, simplices & plebeios homines in nociuos, & perniciosos errores legendo Scripturas incidere, vbi eas sine regula fidei proprio volunt interpretari ingenio, quasi sint per se claræ, & omnibus apertæ; Vnde dicit Petrus Cluniacensis lib. 5. epistol. 1. *Vides ne quàm cautè incedendum sit, per tot angustas semitas eloquiorũ Dei? Similia quippe huic obscuritati sæpè contingunt, quæ nisi lector cauerit, offenso ad lapidem pede sæpè procumbet.* Hoc autem fit non scripturarum, sed superbientium vitio, qui cæcitatem pro intelligentia reportant, dùm proprio spiritu, non ex communi Ecclesiæ, Sanctorumque magisterio illas intelligere prætendunt.

CAPVT XCIX.

Vtrum Scriptura sacra plures sub eadem littera sensus contineat; quotque illi sint in genere.

CVm ex dictis superiori capite satis constet, Scripturam esse ad intelligendum, & interpretandum difficilem, eiusque difficultatem ex multis, sed præsertim ex diuersitate sensuum, qui in ea continentur, peti: de his sensibus iam nobis est disserendum: & primò, quo ad an est ipsorum. Circa quod duos extremos errores reperio. Primus fuit Porphy-

phyrij lib. 3. aduersus Christianos, vbi sensum Scripturæ spiritualem, seu mysticum, sicut & alia Christianæ religionis mysteria contempsit, & irrisit; vt refert Eusebius lib. 3. historiæ cap. 17. In quam blasphemiam prolapsus est etiam Celsus apud Origenem lib. 4. & nonnulli hęretici apud Moysem Barcepham lib. 1. de Paradiso cap. 3. nostroque tempore Erasmus præfatione suæ paraphrasis ad Imperatorem: *Veteres*, inquit, *Ecclesiæ doctores in allegorijs explicandis partim variant, partim sic agunt, vt mihi ludere videantur*; Deinde Lutherus Erasmi pullus, qui de Dionysio Areopagita loquēs ait: *Ludit in Allegorijs iste Dionysius, quod est studium otiosorum hominū*; Hos postmodum sequuti sunt cæteri nouatores; ex quibus Bartholomæus Kekermannus 1. System. Theolog. cap. 9. inter errores Pontificios, vt fingit, hunc primum erroris loco ponit, *in scriptura esse plures sensus*. Sed & inter Catholicos Abulensis lapsus quoque videtur circa hunc sēsum, in cap. 2. Matth. quæst. 57. & in c. 13. quęst. 28. Etsi enim admittat plures sensus intentos à Spiritu Sancto, dicit tamen, eos esse litterales; insuper quamuis sensum mysticum approbet, asserit tamen, non esse determinatum, neque in quo Scripturā impleri dicamus, neque à Spiritu Sancto intentum: quod est dicere eum non esse reipsa Scripturæ sacræ sensum: cum enim Spiritus Sanctus sit author primarius, & præcipuus Scripturæ, nullum alium sensum, quàm qui ab eo intenditur habere potest, vt deinceps probabimus. Pessimè etiam loquitur quædam adnotatio marginalis apposita ad quæst. 73. in cap. 6. Iosue eiusdem Abulensis; quæ dicit, sēsum mysticum nihil aliud esse, quam somnia concionatorum; Sed Lorca 22. tract. de locis Theologicis lib. 1. disp. 14. notat Abulensem hoc non dixisse, imò quęst. 28. in cap. 13. Matth. nonnihil cōtradictionis in eius verbis esse videtur, quia ipsa veritate pressus nō potuit omnino eam deserere.

Alius error extremus recentiorum etiam hæreticorum, vt Sebastiani Franckij in præfatione sua ad paradoxa, sensum litteralem prorsùs abijcit, eumque gladium Antichristi vocat. Quem errorem olim tenuit Philo Iudæus, lib. de vita contemplatiua, vbi plurimum commendat Christianos, quod spiritualem & inuisibilem sensum sublimius, & nobilius quam veteres Iudæi inspicerent, & contemplarentur: vbi etiam ait, Christianos ipsos comparasse sensum litteralem corpori, & animali, quasi ipse esset, inuento mystico, & spirituali, penitus abijciendus. Hunc autem errorem Augustinus lib. 12. contra Faustum cap. 39. eo quod semper Scripturam allegoricè interpretatur, rectè notat in Philone, ex ignoratione Christi Messiæ prouenisse, *Cum enim*, inquit, *Christum non haberet, in quem referret, quæ diceret, ostium non inuenit, & varijs est actus erroribus*.

Verùm de fide est, duos saltem in Scripturis sensus reperiri, litteralem, seu historicum, & spiritualem, seu mysticū; Supponendo autem sensum scripturę in genere, nihil esse aliud, quàm quod verba ex intentione Spiritus Sancti significant, quod à nemine reuocatur in dubium; probatur conclusio: primum varijs Scripturæ exemplis, quibus apertè duplex ille sensus, sub vna eademque scripturæ sententia, vel propositione innuitur: Geneseos enim cap. 2. vbi dicitur: *Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ & erunt duo in carne vna*: hunc locum Christus Dominus ad probandam matrimonialis vinculi indissolubilitatem adduxit; cum à Pharisæis Matth. 19. interrogatus; *Si licet homini dimittere vxorem suam quacumque ex causa?* respondit; *Non legistis, quia qui fecit ab initio masculum & fœminam fecit eos? & dixit, propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna, quod ergò Deus coniunxit homo non separet*. Et D. Paulus Ephes. cap. 5. hæc eadem Adæ, Christique Domini verba, rursus ad significandum Christi, & Ecclesiæ vinculum attulit; di-

dicens, *& erunt duo in carne vna, sacramentum hoc magnum est: ego autem dicò in Christo, & in Ecclesia*. Legitur prætere a Genes. 16. *Peperitque Agar Abræ filium: qui vocauit nomen eius Ismael*: & capite 21. *Vocauitque Abraham nomen fily sui, quem genuit ei Sara, Isaac*. Quæ referente, ac narrante Scriptura, nemo est qui einsmodi nudam historiam negare possit; Abraham scilicet ipsum, tũ Ismaelem ex Agar ancilla, tum Isaac ex Sara libera verè suscepisse, vt propterea sensus hic litteralis siue historicus omnium consensione verissimus iudicetur. Et tamen præter illum, Apostolus ad Galatas cap. 4. alium quemdam allegoricum sensum ex eisdem verbis eruit dicens. *Scriptum est enim quod Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera; sed, qui de ancilla secundum carnem natus est, qui autem de libera, per repromissionem; quæ sunt per allegoriam dicta: Hæc enim sunt duo testamenta. Vnum quidem in monte Sina, in seruitutem generans: quæ est Agar &c.* Idem Apostolus 1. Corinth. cap. 9. illud Deuteronomij cap. 15. *Non alligabis os boui trituranti*; quod secundum litteram de bobus ipsis intelligebatur, & erat olim in lege præceptum, Allegoricè transtulit ad verbi Dei ministros, siue prædicatores Euangelij, qui non debent impediri, ne à populis alimenta recipiant. Insuper illud Oseæ 11. *ex Aegypto vocaui filium meum*; etsi ad litteram de Israelitis, quos ex Aegypto reduxit Deus in manu forti intelligatur, à Mattheo tamen cap. 2. ad Christũ ex Aegypto post mortem Herodis redeuntem mysticè refertur; similiter & erectio serpentis in deserto Numer. 21. ad eius passionem Ioannis cap. 3. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filiũ hominis*. Matthæi vero 12. ad eius mortem & resurrectionem, historia Ionas; *Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus*. Quid plura totum vetus testamentũ ad Colossens. 2. dicitur vmbra futurorum: si quidem in ipso, præter ea quæ litteraliter designabantur, alia spiritualiter, & allegoricè adumbrabantur: igitur in toto illo testamento duplicem sensum est deprehendere. In nouo etiam, licet non ita frequenter, vterque reperitur, vt in secunda conclusione statim patebit.

Secundò probatur veritas nostræ cõclusionis, non solùm innumeris SS. Patrum illam docentium testimonijs, sed ipsa eorum praxi, qui vtroque modo Scripturam interpretati sunt. S. Dionys. lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 1. Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatũ. Origenes homil. 2. & 7. in Genes. 11. in Numeros; 7. in Isaiam & lib. 10. in epistolam ad Romanos. Gregorius Naziãzenus in Apologetico, & in epistola ad Nemesium; *Est etiam*, inquit, *in scripturis nostris duplex sensus, alter internus, ac spiritualis, alter externus, nec littera corticem excedens*. Chrisost. homil. 37. in Genesim; *Talis enim, ait, Scripturæ mos est, vt & in paruis verbis, plurimã sæpè multitudo sensuum inueniatur; diuina enim sunt doctrina non humana, & propter hoc omnem illam videre licet, secus se habere quàm humanam*: idem docet Proæm. in Psalmos. Cyrillus, prologo in Leuiticum, & lib. 5. circa medium, vbi sensum spiritalem diuinitati, litteralem verò humanitati Christi cõparat. Cassianus lib. 8. collarion. cap. 3. Ex Patribus Larinis Sanctus Ambrosius lib. 8. in Lucam cap. 18. *Non vna*, inquit, *tantùm figura, sed multiplex in diuinis Scripturis esse cõsuenit, vt vnus sermo plures species comprehendat*. Vide eumdem lib. 1. de pœnitent. cap. 5. Hieronymus in epistola ad Damasum; *Non sunt, vt quidam putant, in scripturis verba simplicia, plurimum in his absconditum est, aliud littera, aliud mysticus sermo significat*. & epistola 150. ad Hedib. *Triplex*, inquit, *descriptio, & regula Scripturarum est, prima vt intelligamus eas iuxta historiam, secunda iuxta allegoriã, tertia iuxta Tropologiam*; vide eumdem in epistola ad Fabiolam de Mansionibus, lib. 16. in

Eze-

Ezechielem, & lib. 5. ad Galatas cap. 4. in illa verba, *Abraham duos filios habuit.* & in Amos cap. 5. Augustinus lib. 15. de Ciuitate Dei cap. 27. lib. de vtilitate credendi cap. 3. lib. 1. contra aduersariũ legis cap. 13. & 20. & lib. 5. cap. 5. sed omnium clarissimè lib. 1. super Genesim ad litteram cap. 1. 2. & 3. vbi breui cõpendio egregius hic doctor, omnes quatuor Scripturæ sensus comprehendit, videlicet historicum, Tropologicum, Allegoricum, & Anagogicum: qui ad duos duntaxat in genere sensus reducuntur, videlicet litteralem, & spiritualem: in quo secundo membro, scilicet spirituali, cæteri tres clauduntur, videlicet Tropologicus, Allegoricus, & Anagogicus, vt dicetur infra. S. Gregorius Magnus tã lib. 20. Moral. cap. 1. quam homil. 18. in Ezechielem, & homil. 40. in Euangelia S. Eucherius Lugdunensis Episcopus in libro formularum spiritualium, vbi quatuor prædictos sensus explicat. S. Bernardus serm. 47. & 51. in Cantica; Philo Carpathius in Cantic. Cantic. *Quotquot*, inquit, *ad sponsum peruenire nituntur, ij duplicis vberis suctores meditando fiunt, spiritualis scilicet sensus, & litteralis, siue historici.* Moyses Barcepha Episcopus Syri cap. 1. & sequentibus. S. Adellelmus Saxonum Occidentalium Episcopus, & Martyr lib. de laudibus Virginit. cap. 2. *Secundum quadriformẽ Ecclesiæ traditionis normam, secundum historiam, allegoriam, tropologiam, anagogen digesta solerter describere statuit.* Tandèm ex Scholasticis plures sacræ Scripturæ sẽsus disertè enumerat Hugo Victorinus lib. 6. erudit Didas. cap. 3. & 4. S. Thomas 1. p. quæst. 1. artic. 10. & alij innumeri post ipsum; inter quos legendus est Henricus Gandauensis 1. p. art. 16. quæst. 2. vbi egregiè explicat locum hunc Prouerbiorum vltimò. *Non timebit domui suæ à frigoribus niuis, omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus*; per mulierem fortem, de qua hic sermo est, intelligendo Ecclesiam, quæ in Scriptura sacra tanquam in domo requiescens, à fallacibus, & frigidis hæreticorum argumentis, nihil quicquam verebitur: si quidem omnes illius doctores duplici Scripturæ sensu litterali, & mystico, ad veritates fidei confirmandas præmuniũtur. Omnibus supradictis, si addantur Rabbini, tàm antè, quam post Christi aduentum, de quibus videri potest Aristeas lib. de 72. Interpretibus, qui extat in Biblioth. Patrum, item Hieronymus in epistola ad Fabiolam, vbi Rabbinos suorum temporum citat, in mystica explanatione vestis Sacerdotalis, nullũ in hac parte deerit testimonij genus, quo aduersus Nouatores non confirmetur veritas nostræ conclusionis; qua etiam pressi plures eorum illam admittere, & adstruere conati sunt, Pseudotheologi Geneuenses in propositionibus & principijs disputatis Geneuæ p. 149. cap. 52. Hieronymus Zanchius de sacra Scriptura; Aretius in locis cõmunibus, loco 59. Vide Apologiam protestantium pro Rom. Ecclesia Ioãnis Barlæi sect. 4. tract. 3. Et certè ad hominem, si vna est duntaxat Scripturæ sententia, vnusque sensus, vt asserunt Nouatores, cur tot expositionibus ipsi vnum, & eũdem locum exonerant? & non vna, sed multiplici interpretatione, qua muis falsa, interpretari conantur.

Tertiò probatur adducendo rationes, & conuenientias, ob quas Deus sacrarum Scripturarum author voluit illas multiplicem sub vna, & eadem littera sensum habere. *Prima* est, quia verbum Dei creatum, qualis est sacra Scriptura, est quædam participatio Verbi diuini increati, sicut igitur Verbum Patris increatum, est infinitè expressiuum, perfectissimè omnia repræsentando, vt in tractatu de Trinitate docuimus; debuit etiã verbum Dei creatum aliquid de tali infinitate participare, per hoc quod haberet plures sensus, seque ad tot significata extenderet, ad quot denotanda à Spiritu Sancto scriptum est; Vndè licet verum sit illud, quippe qui creatum, atque adeò finitum, in certo numero, ac mensura præfixam habere significationem, negandum tamen non est, multa esse

illius

illius significata; quæ si non omnia, nec ab omnibus penetrentur, id in fæcunditatem scripturæ cedit, eiusdemque maiestatem, vt ex mysterijs prudentes quoque exerceat, & mentes sublimiorem in admirationem suspendat, vt dixit Gregor. præfat. in Iob cap. 4. *Secunda* ratio est, quia, vt docet D. Augustinus lib. 22. confess. cap. 10. 12. & 31. id magis commendat Scripturæ excellentiam, & præstantiam, & authoris sapiētiam; quantò enim scriptura fæcundior est, tanto eminentior. *Tertia*, vt veritas fidei indignis non exponeretur, & ab irrisione vindicaretur iuxta præceptum Dominicum, *nolite Sanctum dare canibus*, ex D. Thoma quodlib. 7. quæst. 6. artic. 14. & 1. p. quæst. 1. art. 10.

Vbi etiam rectè docet Sanctus Doctor, ex ista sensuum multiplicitate, litteralis nimirum, ac spiritualis, qui in Scriptura reperiuntur, nullam sequi æquiuocationem, *tùm* quia sensus spiritualis, siue Mysticus, fundatur in litterali, & ad illum dicit habitudinem, & dependentiam, vbi autem vnum est propter aliud, non est æquiuocatio, sed ordo; *tùm* quia Mysticus non pertinet ad voces, sed res significatas, quæ ad aliud significandum destinantur; æquiuocatio autem fundatur in voce, quando significat plura; si verò ipsæ res significatæ etiam significant aliud, non est æquiuocatio, sicut voces modo significant conceptus, qui sunt signa rerum, & aliquando significant aliquas res, quę sunt signa aliarum, v. g. vestigium, quod est signum animalis, fumus qui est signum ignis, sine æquiuocatione; *tùm* denique, quia illa solùm æquiuocatio dicenda est vitiosa, quando vnus sensus in propositione contentus verbis æquiuocis significatur: sed quandò quidquid verba æquiuoca significant, intenditur, non est vitiosum his verbis vti, sed duntaxat profundum, & sublime, vt testatur Augustinus loco citato. Siue; quod idem est, ille sermo fallaciam, & amphibologiam parit, qui plures sensus habet disparatos non connexos ad inuicem, perplexos, indeterminatos, & ambiguos, ita vt nullus conceptus firmus, ac determinatus formari possit; qualia olim erant Dæmonum oracula, dubia, amphibologica, perplexa, vt quasi contrarijs sensibus ligaretur intellectus, nihilque determinatè, & certò concipere posset; secus autem, quandò vnus sensus ab altero dependet, & in altero fundatur; adde etiam, vel alter ex altero gignitur, vel confirmatur, vel aperitur, vt in sacra Scriptura contingit.

Dico secundò, vtrique Scripturæ parti, hoc est non tantùm veteri, sed etiam nouo testamento conuenire, quod vtrūque sensum litteralem, ac mysticum cōtineat. Ista conclusio licet satis pateat ex superiùs adductis exemplis; probatur adhuc primo de veteri Testamento, cuius status potissimum requirebat, vt magna pars eorū, quæ in illo fiebant, & instituebantur, mysticos haberent sensus; quia ipsum, vt monet Apostolus, vmbrā gerebat futurorum, fidelesque sub illo conclusi erant in eam fidem quæ reuelanda erat, & sub signis aduentum Christi præfigurantibus adunabantur; vnde quæ in ipso promittebantur, aut dicebātur, non clarè, sed sub figuris, & symbolis proponi debebant. Deindè quia si sola interdum littera consideretur, in multis legis Mosaicę institutis, aliqua primo aspectu videntur abiecta, minusque digna tanto authore; vt quod non coquatur hędus in lacte matris; quod sic vel sic comedatur, &c. Ergo conuenienter præter litteram, sensus alij spirituales inclusi sunt à Spiritu Sancto in veteri Testamento, qui altius quid futurum, suoque tempore adimplendum docerēt; vt ex collatione veritatis impletæ, cum huiusmodi signis & vmbris facilè videri potest.

Quod spectat ad nouum testamentum, licet in eo sit fides magis explicita, atque adeò certum sit sensum mysticum in veteri testamento magis relucere, magisque illius proprium esse, tamen non desinit etiam in nouo, licet rarius reperiri, primò quia disponit ad statum futuræ

ræ beatitudinis; cuius comparatione figura, & vmbra est; conuenienter igitur in aliquibus noui testamenti documentis figurari potest futura vita, mediaque ad illius assecutionem conducentia. Nam maledictio Ficulneæ, in qua tantùm reperit Christus folia, aliquid aliud præter id quod exteriùs apparebat, innuebat, sicut & confectio luti ex puluere, & sputo Christi, ad cæcum à natiuitate sanandum: Incarnationis quippè mysterium, quo cæcitas hominum curatur, significabat. Deindè Apocalypsis ita redundat in sensu mystico, vt vix alius sensus ab illo, intentus à Spiritu Sancto in ea possit deprehendi. Adde Christū Dominum ita vitā suam, omnesque suos actus disposuisse, vt nobis essent in exemplum & morum nostrorum instructionē, iuxta illud, *Omnis Christi actio nostra est instructio*: igitur ad sensum tropologicum seu moralem referebantur, ac proinde cum Christus author fuerit noui Testamenti, non est dubium, quin illud sensū mysticum, sicut & litteralem contineat.

Obseruandum est tamen, ita ex dictis secundum fidem vtrique Scripturæ parti, plures sensus, sub vna etiam, & eadem littera, vel propositione conuenire, vt tamen non sit necessè, vt singulis etiā tenuissimis earum particulis conueniāt, & nulla prorsus sit enuntiatio, in quam plures sensus aptè accommodari non possint. Hoc enim liberè inter Doctores Catholicos disputatur, de quo redibit sermo infra, agendo de vnoquoque sensu in particulari.

Dico tertiò, prædictam sensuum diuersitatem, soli Sacræ Scripturæ ita cōpetere, propriamque esse, vt alijs, humanis nempè, & prophanis scriptis non possit connenire. Ita D. Thomas 1. p. quæst. 1. artic. 10. quem sequuntur omnes Theologi. Probatque primò authoritate D. Gregorij lib. 20. Moralium c. 1. *Sacra*, inquit, *Scriptura omnes scientias ipso locutionis suæ more transcendit: quia vno eodemque sermone dum narrat gestū, prodit mysterium*. Deindè rationem affert, eo quod author S. Scripturæ est Deus, in cuius potestate est, vt non solùm voces ad significandum accōmodet (quod etiam homo facere potest) sed etiam res ipsas; cum enim rerum omnium sit Dominus, illas vlterius ad res alias significandas referre potest: illudque ex prima rerum ipsarum origine, & institutione: propterea enim varias circumstantias in Isaac, Iacob, Moyse, Israelitis, nec non figuris, vt Agno Paschali, serpente æneo, & cæteris prouidit, & disposuit, vt eiusmodi res primò, & per se institutæ videantur, ad aliud quam quod erant, & parebant, vt ad Christum, eiusque Ecclesiam significandum. Quod certò ab hominibus perfici non potest. Et ideò, cum in omnibus scientijs voces significent, hoc habet proprium Scriptura Sacra, quod ipsæ res significatę per voces, etiam significant aliquid. Ita vt prima illa significatio, qua voces significant res pertineat ad sensum litteralem, siue historicum. Illa verò significatio, qua res significatæ per voces, iterum res alias significant, dicatur sensus spiritualis, qui super litteralem fundatur, & eum supponit.

Contra hanc rationem, conclusionisque veritatē in illa potissimum fundatā solet obijci, quod etiā in Scripturis humanis, atque prophanis interdum assumuntur, non solùm verba, quæ conceptus exprimant, sed etiam ipsæ res, ad alias res significandas; vt fecerunt Aegyptij in suis hieroglyphicis, qui V.g. sceptro regio, cuius vertici oculus, & auris insidebant, Deum moderantem, videntem, & audientem omnia significabant; Pythagoras in symbolis; Poetæ quoque in fabulis, qui sub varijs illarum inuolucris mores hominum eleganter, & scite informabant.

His tamen non obstantibus, vera est nostra conclusio, & ad illam probandam efficacissima Diui Thomæ ratio; Primò enim hæc est differentia inter symbola hominum, & res à Deo ad significandum institutas, quod homines rebus naturalibus iam factis, & in suo esse existentibus, atque ab alio suos in fines deter-

terminatos dispositis, ad significandas res alias propter aliqualem cum ijs similitudinem abutuntur, potius quàm vtantur: Sceptrum enim Aegyptiorum, oculus, & auris ex se, & ex prima origine non habent, vt Deum significent: At res à Deo ad significandum assumptæ, etiam vt res sunt, siue in suo esse, diuinitus sunt dispositæ ad aliquid præsignandum, V.g. quod Isaac oriretur de libera, Ismahel de ancilla, quod Osee acciperet vxorem fornicariam, &c. vnde etiam fit, quod in diuinis Scripturis sint multæ res naturales à Deo institutę vt mysteria significent. Respondeo secundò, quod res aliquas designare, vel assumere ad aliquid significandum, stat dupliciter. Vno modo generaliter, sicut per modum similitudinis, vel parabolæ vtimur aliquibus rebus ad circumloquēdum, & non solùm vocibus; Alio modo possunt res aliquæ destinari specialiter ad significādum aliquid modo mystico; id est per modum finis, vel medij in supernaturalibus, seu spiritualibus. Et hoc modo, solùm pertinet determinare res ad significandum, ad illum ad quem pertinet ordinare ad spiritualem, vel supernaturalem finem, quia solùm ipse potest tradere signa certa, & determinata erga talem finem, sicut patet quod à solo Deo vel authoritate ipsius, possunt institui Sacramenta, quæ sunt signa gratiæ. Non est autē sic de vocibus, quia voces quibus significamus res supernaturales, non sunt aliæ, quam vsuales, & communes in tota Republica, neque enim specialem linguam debebat Deus instituere ad cōmunicationem rerum supernaturalium. Vnde rectè S. Thomas quodlib. 7. artic. 16. absolutè docet in nulla alia scientia præter Sacram Scripturam inueniri posse sensum mysticum, seu spiritualem, quia Deus adhibet ad significationem aliquorum, ipsum cursum rerū suæ prouidentiæ subiectarum. Quia ergò homines non possunt res subiectas diuinæ prouidentię in ordine ad finem talis prouidentiæ sic determinare, vt significent significatione certa, & determinata, ea quæ ordinata sunt ad talem finem, propterea non possunt sensum mysticum instituere, sed Sacræ duntaxat Scripturæ peculiaris est.

Circa secundam partem huius capitis, quinam, videlicet, in genere sint illi plures Sacræ Scripturæ sensus, aliqui doctores præter litteralem, ac mysticū, alium tertium, minus tamen principalē sensum ponunt, quē accommodatitium vocant, quo eiusdem Sacræ Scripturæ verba per quamdam extensionem ad rē aliam applicantur, quam sacer Scriptor nec litterali, nec spirituali sensu indicauit. Nihilominus tamen communis est omnium ferè Theologorum sententia, talem sensum accommodatitium, non esse verum, aut expositiuum Sacræ Scripturę sensum, sed tantùm per allusionem vnius rei ad aliam, ea quæ dicuntur de vno applicari alteri per quamdam similitudinem, quod fit iuxta arbitrium dicentis, non iuxta sensum ab authore Scripturæ positum, & intentum siue in vocibus, siue in rebus.

Vndè quartò dico, duos tantùm in genere dari Sacræ Scripturæ sensus, litteralem videlicet, & spiritualem, qui verè sensus illius appellari possint. Probatur, quia vt in capitibus subsequentibus dicemus, sensus litteralis est, qui per voces, seu litteras Scripturæ intenditur, & immediatè significatur, siue propriè, siue metaphoricè, seu parabolicè, quia omnia ista fundantur in significatione litteræ; sensus verò spiritualis aut mysticus est ille, qui mediatè, hoc est per res ipsas, quas immediatè voces significant, intenditur; siue quod idem est, qui significatur, non per voces immediatè, sed per ipsas res significatas à vocibus, secundùm quod sic, vel sic ordinantur à Deo: vt patet in exemplo filiorum Abrahæ, nam verba, quibus in Genesi refertur, immediatè significāt, Abrahæ ex duabus matribus natos esse duos filios, Isaac, & Ismahel; mediatè verò nouum, & vetus testamentum, quorum figura fuerunt filij Abrahæ. Sed pręter immediatam, & mediatam significationem, & media-

mediatè, atque immediatè intentum, nõ est alius modus, quo quippiam significari possit eisdem verbis: ergò præter litteralem, & spiritualem sensum, non datur alius, qui verè Scripturæ sensus dici possit.

Deindè, vt aliquis dicatur verus alicuius Scripturæ sensus, debet esse ab eius authore intentus: parum enim interest si eius verba aptentur alicui rei, vbi intentio authoris non fuit eam significandi, & ex accidenti, ac veluti fortuito contingit, vt alteri rei, de qua author non cogitauit, per solam inuentionem lectoris adaptetur: sed sensus Sacræ Scripturæ, quem accommodatitium vocamus, non est à Spiritu Sancto illius authore vllo modo intentus, vt patet ex ipsomet nomine; cum ex communi modo loquendi, accommodatio Scripturę nihil sit aliud, quam applicatio, & extensio quarumdam sententiarum, aut historiarum Scripturę ad morum informationem, & nonnunquam ex consequenti ad aliqua fidei dogmata confirmanda, vel illustranda; quomodo etiam in Scripturis humanis multa accommodari cõtingit alicui rei, quia ei aptè conueniunt; quanquam ex intentione authoris ad eã relata minime fuerint: sic Alexander accommodabat sibi frequenter id, quod Homerus de Agamemnone cecinit: *Dux bonus, atque idem strenuus pugnator in armis*; Et posset aliquis de homine subitaneo timore correpto dicere, quod Virgilius de Aenea scripsit: *Obstupuit, steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit*; aut illud Didonis, *Non ignara mali miseris succurrere disco*; de aliquo, qui ex suis afflictionibus, erga alios compassione vti nosset; ad quæ tamen nunquam cogitauit Virgilius, aut Homerus. Ergo sensus accommodatitius precisè non est verus, aut proprius Scripturæ sensus, appellandus, sed impropriè tantùm sicut homo pictus, siue quid idem est, non tam est sensus, quam vsus verborum, aut illorum accommodatio, & extensio, ad aliqua quæ author Scripturæ nullo modo, neque in sensu litterali, neque in mystico intendit.

Nec refert si dicatur primò, hunc sensum accommodatitium fuisse à Spiritu Sancto præuisum; ex quo enim verba hoc aut illo modo contexuit, satis superque ea omnia ad quæ poterant accommodari præuidit: ergò sensus ille fuit à Spiritu Sancto intentus; atque adeò proprius est Scripturæ sensus.

Respondetur enim inter præuisionẽ, & intentionem multum differre; præuisio enim est merum opus intellectus speculatiui, & nihil propterea sub illa ratione in opus influit: at verò intentio est in voluntate, & est actus illius positiuus, & determinatus, circa opus quod producitur, quo fit, vt etiamsi Deus præuiderit ex verborum Scripturę dispositione, & constructione omnes sensus, qui vel ab Ecclesia, vel à concionatoribus ad populum in moribus instruendum, aut veritatem aliquam fidei confirmandam accommodarentur: non tamen sequitur eũ in scripturis componendis ipsos intendisse, & voluisse, quod requiritur necessariò vt aliquis sensus dicatur esse illarũ proprius. Siue etiam potuit Deus positiuè velle, & intendere, quod Ecclesia, vel cõcionatores haberẽt eiusmodi sensus accommodatitios, illisque vterentur, ipso tamen illos tanquam proprios non intendente, aut ad illa, quibus adaptantur significanda non referente.

Dices secundò, sensum Tropologicũ nullis alijs finibus, quàm pietatis circũscribi; ita vt quocumque modo Scripturæ testimonia applicentur, dummodo talis applicatio pia sit, & ad bonos mores conducat, sit existimandum esse verum Scripturę sensum; id ita docente D. Augustino lib. 12. confess. cap. 30. & 31. de omni eo, *quod piè cogitanti sine errore, & falsitate, in eius verbis occurrerit*: accommodatitius ergò sensus videtur etiam verus Scripturæ sensus.

Respondetur, sensum quidem Tropologicum, siue moralem, nullis alijs finibus quam pietatis circumscribi, intra tamen intentionem Spiritus Sancti, ita vt si præter illam ad alios quantumuis pios

pios & bonos transferatur, non fit verus Scripturæ sensus, vt contingit in sensu accommodatitio: & nihil aliud docuit D. Augustinus loco citato; vbi contendit solùm Scripturæ posse esse plures sensus nec vtitur regula illa tam lata, & incerta, vt quidquid in Scripturæ verbis occurrerit piè cogitandi, sit statim illius sensus, à Spiritu Sancto intentus, sed tantùm vult, id quod piè cogitanti sine errore & falsitate occurrerit, esse Scripturæ sensum à Spiritu Sancto intentum, dummodo illud ex contextu ipso, & antecedentibus; atque consequentibus piè cogitanti occurrat: nam si aliter occurrat, potius est intentus, & excogitatus à lectore ipso, quàm à Spiritu Sancto.

CAPVT C.

De sensu litterali Sacræ Scripturæ.

PRimùm quod circa litteralem Scripturæ sensum occurrit examinandũ, est eius definitio, siue in quonam consistat ratio illius; Cùm enim sensus Scripturæ in genere, sit ipsum Scripturæ significatum, seu veritas, quæ per Scripturæ verba significatur: difficultas est, quid supra hanc rationem genericam addant species ipsius: & primum quid addat, seu quid sit sensus litteralis; qui etiam vocatur historicus, vt potè qui secundum historiam, siue narrationem in nuda plerumque littera consistentem accipiatur, satis tamen impropriè, & largè quoniam historia propriè est narratio alicuius euentus. In sensu autem litterali non solùm referuntur historiæ, sed proponuntur documenta, Dei laudes, reuelationes futurorum, & alia quæ non sunt propriè historia: Vnde magis vsitato, ac proprio nomine sensum eiusmodi, qui in promptu est, & litteræ maximè congruit, litteralem deinceps appellabimus.

Incipiendo igitur ab eius definitione, Abulensis in cap. 13. Matth. quæst. 28 sensum litteralem ita definit, vt sit omnis ille, *quem quomodocumque Spiritus Sanctus intendit*; siue *quem voces, aut res, per voces significata, designant, modo à Spiritu Sancto fuerit intentus*; Quo fit, vt secundum Abulensem, non solùm significatio immediata vocum, sed etiam mediata, seu res ipsæ ad sensum litteralem pertineant; vndè ex consequenti, vt notauimus superiori capite, nullũ in Scriptura sensum spiritualem admittit, nisi fortè eum, qui à lectoribus, & concionatoribus excogitatur, quem tamen sensũ Scripturæ verum non esse ibidem ostendimus, sed tantùm accommodatitium, & per quamdam applicationem. At hec definitio insufficiens est, quoniam ex ea sequitur, omnem sensum esse litteralem, & nullum esse discrimen inter litteralem & mysticum; quia omnis sensus, vt sit verus Scripturæ sensus, debet esse à Spiritu Sancto eius authore intentus; cum tamen superiori capite satis probauerimus, eiusmodi sensus in Sacra Scriptura necessariò distinguendos esse. Deindè præfatus author in hoc hallucinatus esse videtur, quod inter proprium, & litteralem Scripturæ sensum nihil distinxerit; et si enim proprius Scripturę sensus, pro vt abstrahit à litterali, & mystico tanquam à suis speciebus, rectè definiri possit in genere, quod sit omnis ille, *quem quomodocumque Spiritus Sanctus intendit*; satis tamen patet per talem definitionem sufficienter non explicari sensum litteralem, nisi insuper addatur modus eius significandi specialis à Spiritu Sancto intentus, per quem differt à sensu spirituali, modoque significandi illius sicut malè definiretur aliqua species animalis dicendo, *quod sit viuens quomodocumque sensibile*, licèt animal genericè sumptum sic posset rectè definiri, aut describi. Ad id verò quod Abulensis adfert in patrocinium suæ sententiæ, videlicet in Scriptura parabolas inueniri, abundè patebit infra, ostendendo parabolas suo modo habere sensum litteralem; ita vt in ipsis vtrumque extremum, nempè exemplum quod assumitur, & id etiã ad quod assumitur litteralitèr & primariò significetur. Vndè præcisè ob figurarum, & parabolarum in Scriptura vsũ

malè

malè posuit Abulensis in definitione sensus litteralis, quod sit ille, *quem voces, aut res per voces significatæ designant*, &c.

Secunda opinio est quorumdam recentiorum, de quibus Lorca 22. tract. de locis disputat. 15. in alio veluti extremo afferentium; *Sensum litteralem esse, qui intenditur à proximo authore Scripturę*; spiritualem verò esse illum, qui à Deo intentus fuit; siue, ad sensum litteralem nõ esse necessarium, vt Spiritus Sanctus eum intendat, sed satis esse, si à proximo Scriptore intendatur. Ratio est, quod in Scriptura plures loci inueniantur omnino falsi, quique proinde Spiritui Sancto nequaquam attribui possunt: vt verba Serpentis Genes. 2. *Eritis sicut Dij*; & verba Cain, *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear*; aliaque multa similia: ergò eorum sensus litteralis est tantùm à proximo, & immediato authore intentus. Verùm ista sententia facilè redarguitur erroris: præter quã quod enim omnem sensum litteralem Deo subtrahere videtur: quod est vim Scripturæ diluere, & totam eius fabricam euertere: ruinoso etiam innititur fundamento, nã verba statim adducta nõ sunt Scripturę, aut eius authorum tanquam ab illis assertiuè proposita, cũ sint sacrilega, & blasphema: sed sunt earum personarum, de quibus loquuntur, neque aliter dicuntur esse de Scriptura, nisi quatenus à Scriptoribus Sacris historicè referuntur: vndè nihil quicquam interest, si sensus eorum sit falsus, imo hoc ipso, quod à talibus personis prolata narrantur, vt diabolo, & Cain, aut Pharisæis, potius conuenit habere falsum, quam verum sensum.

Itaque dicendum est cum D. Thoma 1. p. quæst. 1. artic. 10. cuius sententiam Theologi cõmuniter amplectuntur, sensum litteralem esse illum, *qui proximè, & immediatè ex vocum significatione, siue propria, siue translatitia, aut metaphorica colligitur*. V.g. cum Exodi 12. dicitur: *Os non comminuetis ex eo*; sensus litteralis proprius est, in Sacramento Agni Paschalis seruandam esse illam cęremoniã, vt ossa eius integra manerent, quia id voces in proprio sensu sumptæ immediatè significant, & intentio narrationis requirit. Cum verò dicitur, *Deus ignis est, vicit Leo de Tribu Iuda, brachium Domini cui reuelatum est*, & similia; sensus litteralis eiusmodi propositionum non sumitur ex propria vocum significatione, sed translatitia, & metaphorica, ita vt immediatus illarum sensus à Spiritu Sancto intentus non sit brachium verũ, leo verus, ignis verus, aliàs essent falsæ, sed ipsa metaphora: Conclusio sic explicata probatur primò, quia sicuti se habet in Scripturis humanis, quantùm ad litteralem illarum sensum, ita proportionaliter debemus concipere, quod se habeat in diuinis, si quidem vt superiori capite iam notauimus, voces quibus in Scripturis Sacris Spiritus Sanctus res supernaturales significare voluit, non sunt aliæ quam vsuales, & communes in tota republica. Sed in scripturis humanis, vel communi modo loquendi hominum, sensus litteralis est ille, qui proximè & immediatè ex vocum significatione siue propria, siue translatitia, aut metaphorica colligitur; ergò eodem modo discurrere debemus de diuinis Scripturis, quantum ad litteralem illarum sensum. Contingit enim dupliciter vocibus posse exprimi conceptum, siue res significari, vno modo per voces secundũ primam intentionem ad significandum impositas, altero modo secundum quãdam similitudinem, & translationem; in quo cum non attendatur prima impositio, siue id à quo, nomen ad significandum imponitur, sed secunda, nempè id, ad quod significãdum imponitur; alias verba non transferrentur à naturali significatione, ad alienam, vt supponimus; satis patet litteralem tàm diuinarum, quam humanarum Scripturarum sensum esse illum, quem voces immediatè in propria, vel translata significatione habent, quia omnia ista fundantur in significatione litteræ.

Confirmatur, siue probatur secundò, quia

quia sensus litteralis est sensus vocum per seipsas, vel vt docet Diuus Thomas quodlibeto 7. artic. 15. *totum id ad sensum litteralem pertinet, quod ex ipsa verborum significatione rectè accipitur*; significatio igitur verborum, cum non solum sit propria, sed impropria, seu figurata, vt ibidem docet D. Thomas ad 1. & 1. p. quæst. 1. artic. 10. ad 3. rectè definitur, vel describitur litteralis sacræ Scripturæ sensus esse ille, qui proximè & immediatè per voces, seu litteras illius intenditur, & significatur, siue propriè, siue impropriè seu figuratè.

Indè colligo, quàm insulsè aliqui hæretici Vvitacherus, Sibrandus, & Kekermannus lib. Systemat. Theologiæ cap. 9. dictam definitionem sensus litteralis à D. Thoma traditam, & à cæteris post eum doctoribus Scholasticis acceptatam reprehendant; nimirum quod sensus litteralis nequaquam sit, quem voces immediatè significant; quia, inquit Vvitacherus, quis erit sensus litteralis horum verborum Psal. 90. *Super Aspidem, & Basiliscum ambulabis &c.* Si is sit sensus litteralis horum verborum, sensus quem verba immediatè præ se ferant; ostendant leonem, quem Christus conculcauerit, ostendant aspidem, vel basiliscum, super quem ambulauerit. In hoc enim decepti sunt prædicti hæretici, dum talia obijciunt, quod in metaphoricis Scripturæ locutionibus, nesciunt, vel potius nolunt distinguere, id à quo nomen imponitur, vel desumitur, & id, ad quod significandum imponitur; immediatum enim illarum significatum, non est id à quo nomen imponitur, vt patet in loco ex Psalmis adducto, sed id ad quod significandum imponitur; & ideo D. Thomas 1. p. quæst. 1. art. 10. ad 3. signanter docet, quod cum dicitur, *brachium Domini*, non est sensus litteralis; quatenus in eiusmodi locutionibus non est litteralis sensus ipsa figura, vt falso sibi persuadent hæretici, sed id quod est figuratum; non enim cum Scriptura nominat brachium Dei, est litteralis sensus, quòd in Deo sit membrum huiusmodi corporale, sed id, quod per hoc membrum significat, scilicet virtus operatiua. Vide S. Augustinum lib. contra mendacium cap. 10.

Infero similiter minus bene Lyranũ in 3. prologo Postillæ Bibliorum docuisse, quod sensus ille, quem voces impropriè acceptæ declarant, spiritualis sit, seu mysticus; eo quod non immediatè conueniat vocibus sed mediatè. Nam cum dicitur, inquit, *Vicit Leo de Tribu Iuda*, vox *leo* non significat immediatè Christum; sed quatenus Leo animal fortitudine sua & inuicta animositate similitudinem Christi gerit. Et si quæratur ab ipso, quisnam ergò est sensus litteralis harum propositionum; respondet eas nullum habere, sed solum spiritalem; *Si enim*, inquit, *aliquem haberent, ille esset omninò falsus*: falsum quippe est, leonem ferocissimam belluam exiuisse de tribu Iuda, & superasse hostes suos. Minus, inquam, bene Lyranus talia docuit; prætérquàm quod enim, vt dicemus infra, nullus Scripturæ locus vacat sensu litterali, iam satis ostendimus sensum, quem loquutiones figuratæ in impropria significatione habent, proximè & immediatè vocibus conuenire, atquè adeò verè litteralem esse; Quia quandò voces secundum translatitiam, vel figuratam significationem accipiuntur, nullo modo significant id, quod si propriè acciperentur, significarent; nec etiam significant impropriè, mediante propria significatione tantùm, sed sunt quasi voces æquiuocæ, quæ plura significare possunt, & quæ ex contextu, siue antecedentibus, atque consequentibus ad vnum determinantur. Falsum ergò est, in figuratis locutionibus, mediatè tantum significari, quod impropriè vel metaphoricè significatur. Etsi enim propter quamdam similitudinem nomen Leonis ad Christum transferatur; attamen quando Christus appellatur Leo, vox illa non significat id, à quo translata est; siue quod idem, Spiritus Sanctus nullo modo intendit per eam significare id quod in prima impositione & institu-

tione

tione significat: sed tantùm quod translatitiè & metaphoricè designat, nimirum Christum. Argumentum autem, quo Lyranus probat, in illis locis deesse sensum litteralem, non probat deesse, sed tantùm voces impropriè, & non propriè accipi debere; quia si propriè sumerentur, falsum sensum inducerent.

Notandum est tamen, plures ex Patribus metaphoricum sensum appellasse spiritualem, vt Origenes lib. 4. Periarchon cap. 11. Chrisostomus homil. 19. in Ioannem; Ambrosius lib. 5. in Lucã, capite de missione discipulorum Ioannis; Hieronymus in cap. 13. Matthæi; Augustinus epist. 46. & lib. 3. de doctrina Christiana cap. 5. Gregorius Magnus 4. Moral. cap. 1. alijque plures. Sed non attenderunt exactam rationẽ sensus litteralis, & spiritualis, quam inquirimus modo, largaque duntaxat significatione, & secundum quemdam metaphoricum sensum appellarunt spiritualem, vel quia vt in littera includitur spiritus, sic in verbis, quæ propriè aliquid significant, metaphoræ &c. & in voce, à qua nomẽ imponitur, latet id, ad quod significandum imponitur. Vel etiam quia recedit *à cortice litteræ* ex Nazianzeno ad Nemesium; *à superficie litteræ* ex Gregorio 20. Moral. cap. 11. *ab intellectu simplicis formæ*, ex Ambrosio loco citato; quibus omnibus nominibus vocatur expositio Scripturæ secundum proprietatem litteræ, & sermonis. Vndè si in tali sensu locutus fuisset Lyranus, vt illum excusant aliqui, dum asseruit spiritalem seu mysticum Scripturæ sensum esse illum, quem voces impropriè, atque metaphoricè acceptæ designant, nihil falsi dixisset; eius tamen sententia non videtur talem admittere posse explicationem, cum expressè doceat sensum Metaphoricum non immediatè conuenire vocibus, sed mediatè: in quo essentialiter differt sensus spiritualis propriè dictus, à sensu litterali propriè dicto, pro vt sunt duæ primæ species distinctæ, sẽsus Scripturæ in genere, vt dicetur infra.

Dico secundò litteralem sacræ Scripturæ sensum non esse noxium, vel mortiferum, sed potius vtilem & salutarem; ista conclusio est contra Sebastianum Frankium superiori capite citatum, & alios quosdam phanaticos nostrorum etiam temporum homines, qui omne studium scripturæ ad eius litteralẽ sensum eliciendum improbarunt. Quamuis enim illud diligenter cauendum sit, quod D. Augustinus lib. 3. de doctrina Christ. cap. 5. & 9. præmonet, ne quod figuratè in scripturis dicitur, secundum litteræ proprietatẽ accipiatur, alioquin littera occidit. Item illud, ne tanquàm figuratè scripta accipiantur, quæ secundum proprietatem in illis scribuntur, taliqve pacto veritas subuertatur Scripturarum. Quo pacto fœdè lapsus est Origenes, dum quæ de paradiso secundum litteram propriè dicuntur, nonnisi mysticè, & spiritualiter intelligi voluit, auferens historiæ de paradiso veritatem. Attamen si regia incedatur via, ita vt, quidquid in sermone diuino, etiam historicè dictum, quod secundum regulam D. Augustini libro citato cap. 10. neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem referri potest, figuratè; & quicquid enunciatur secundum proprietatem verborum propriè accipiatur, nisi absurditas sequatur, vel tropi figuratam locutionem insinuent, ex eiusdẽ Augustini documentis cap. 29. sic asserimus constanter sensum litteralem nullo modo noxium, sed proficuum esse, solumque sufficere ad diuinæ loquelæ explicationem, & fidei doctrinam confirmandam; ita enim nudo litterarum sono non adhæretur, sed quod ipse sonus siue propriè, siue figuratè significat, tenetur, in quo vera, ac perfecta Scripturarum intelligentia consistit.

Probatur primò authoritate Scripturæ; nam Christus Dominus Matth. 19. verba illa Geneseos c. 2. referens; *Quãobrem relinquet homo patrem suũ, & matrem, & adhærebit vxori suæ &c.* Secundum litteralem sensum intellexit, illisque sic intellectis vinculi matrimonialis

lis indissolubilitatem comprobauit. Similiter D. Paulus ex litterali sensu scripturarum ostendit mortem & resurrectionem Christi dicens, 1. Corinth. cap. 15. v. 3. *Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi: quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas: & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundum Scripturas.* Eodem modo Christi Domini incarnatio, conceptio, natiuitas, aliaque fidei nostræ mysteria, ex scripturis secundum litteralem sensum iuxta Conciliorum, & Patrum expositionē deducuntur, quæ certè si ita non intelligerentur, fides nostra prorsus corrueret; vt apud Cochlæum de authoritate sacræ Scripturæ, quidam Otho Brunsfeldius ad hæreticos transfuga infelicissimus impiè scripsit, Euangelium esse somnium figuratum, & rem Kabalisticam prorsus, nihilque ad salutem promouendam facere.

Secundò Concilia, quotquot ab initio Ecclesiæ fuerunt, ex sensu Scripturæ litterali, tanquam aliorum omnium radice, ac fundamento, omnes hæreticos debellarūt; Symbolica enim Theologia non est argumentatiua, siue ex illa firmum non deducitur argumentum, ex D. Dionysio, vt explicabitur infra; & ex D. Hieronymo in cap. 13. Matthæi; vbi tractans parabolam fermenti, ait, *nunquam parabolæ, & obscura ænigmatum intelligentia ad probationem dogmatum proficere potest.* Quatenus litterali sensu nō ante comperto, & constituto, necesse est plerumque sensus mysticos inanes esse & futiles.

Tertio probatur conclusio authoritate Sanctorum Patrum, qui non solum praxi illam docuerunt, suis litteralibus commentarijs Scripturā illustrando, sed etiam expressis verbis litteralem sensum extollendo, omnibusque alijs præferendo. Inter quos Athanasius sermone in illud Euangelij *Profecti in pagum, qui ex aduerso est, inuenietis pullum alligatum,* ait; *Hæc cum dico, historiam non aufero, non enim spiritu litteram tollimus, sed spiritus vim officiūque littera conseruat. &c.* Chrisostomus Procemio in Psal. *Apostolus,* inquit, *nusquam euertit historiam, licet contemplationem vocarit Allegoriam; non quod nomina quid sibi vellent ignoraret; sed docens, quod licet sententijs Allegoriæ nomen attribuerit, per contemplationē tamen id sufficiat accipere; nusquam lædentes naturæ historiam: sed diuinæ Scripturæ innouatores, & qui sibi videntur sapientes, de historia vel dubitantes, vel in eam se improbè gerentes, introduxerūt Allegoriam non ex sententia Apostolica, sed ex vana sua gloria, facientes vt qui legūt, alia pro alijs accipiant.* S. Hieronymus in Amos cap. 4. ait, *debemus enim scripturam sanctam primùm secundum litteram intelligere.* Vndè idem Sanctus cū Abdiam Prophetam secundum sensum mysticum iunior exposuisset, senior ad litteram tanquàm ad perfectiorem cōmentandi rationem confugit, vt in præfatione monet; *Quid igitur,* inquit, *condemnamus, quæ olim pueri lusimus? minimè, sed liberè profitemur illa fuisse puerilis ingenij, & hoc esse naturæ senectutis.* Idem docet in Isaiam cap. 13. *Verborum sacræ Scripturæ intelligētia imprimis quærenda est, & constituenda, non quia tropologicam intelligentiam condemnemus, sed quia spiritualis interpretatio debet sequi ordinem historiæ, quod plerique ignorantes lymphatico in sacra Scriptura vagātur errore.* Et quamuis in epitaphio Paulæ laudet illam, quod in legendis Scripturis intelligentiam quæ ad animi ædificationem pertinet, studiosius requireret, supponit tamen illam amasse historiam, & hoc veritatis dixisse fundamentum; dum de illa sic habet: *eum amaret historiam, & hoc veritatis diceret fundamentum, magis tamen sequebatur intelligentiam spiritualem, & hoc culmine ædificationem animæ protegebat.* Quibus omnibus consentit D. Augustinus de Genesi ad litteram lib. 8. *Sanè inquam quisquis voluerit omnia, quæ dicta sunt, secundum litteram accipere, id est non aliter intelligere, quam littera sonat, & potest euitare blasphemias, & omnia congruentia fidei Catholicæ prædicare, non solum ei non*

est

est inuidendum, sed præcipuus multumque laudabilis intellectus habendus est. Quare cum prius lib. 2. fallus fuisset, dum esset tyro, Moysis doctrinã de mundi creatione duobus libris contra Manichæos figuratè tantùm explicuisse, quod difficeret se verum sensum litteralem assequi posse: postea illo comperto 12. de Genesi ad litteram libros composuit.

Quarto probatur rationibus. Primò, quia vt suo loco supra probauimus; quãuis Scriptores sacri per assistentiam Spiritus Sancti suos libros conscripserint: ita tamen specialis fuit assistentia, atque etiam motio, & determinatio eorumdẽ à Spiritu Sancto, vt illi Scriptura sacra debeat multo magis, imò penitus attribui, nec non ex consequenti sensus omnes, tàm litterales, quàm spirituales, qui in ea verè continentur, cum sensus ab authore ipso, & non ab alio dependeat. Ergò litteralis Scripturæ sensus nonnisi proficuus, & vtilis esse potest, qui est intentus à Spiritu Sancto: cum ipse sit author præcipuus, & primarius Scripturæ, & Scriptores proximi sint tantùm instrumenta, & veluti amanuenses.

Secundò, certè si in humanis litteris, vel scripturis tanti fit litteralis sensus, vt, à verborum significatione, & proprietate non sit recedendum: vndè in vtroque, iure Canonico, & Ciuili habemus tam elegantes titulos de verborum significatione. Insuper cùm litigatur, vel aliqua oritur controuersia, proprietas verborũ attenditur, nec loquentis intentio alia fuisse demonstratur, quàm quod verbis litteraliter exprimitur, nisi vel rerum ipsarum absurditas, vel manifesta alia indicia contrarium ostenderent, vt docent iuristæ; ergo etiam id in sacra Scriptura intelligenda, & interpretanda seruandũ est, vt à litterali verborum significatione non recedatur, nisi vbi in illa esset manifesta aliqua absurditas.

Tertiò, quia ex litterali sensu percipiuntur omnes illi fructus, omnia illa cõmoda, quæ ex diuinis Scripturis prouenire possunt. Primum ædificatio fidei: ex littera enim Scripturæ edocentur fideles de mundi creatione, humani generis reparatione, corporum resurrectione, & alijs mysterijs, quæ in articulis fidei reposita, secundum litteram à fidelibus creduntur, atque traduntur intelligenda. Secundum est ædificatio, vel instructio morum, per ostensionem iustitiæ diuinæ punientis protoparentẽ Adamum, totumque postea mundum diluuio &c. similiter & misericordiæ, aliorumque attributorum. Per propositionem virtutum heroicarum Sanctorum virorum, vt religionis in Abel, obedientiæ in Abraham &c. vndè & ille eas imitandas proposuit, *mementote quomodo salui facti sunt Patres vestri*. Item per detestationem vitiorum & peccatorum ab impijs commissorum, v.g. murmurationis, concupiscentiæ &c. quare Paulus monebat, *ne simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt*. Quibus omnibus satis patet veritas nostræ conclusionis, sensũ videlicet Scripturæ litteralem non esse noxium, & mortiferũ, ex quo tot bona prouenire comperiuntur.

Quando igitur aliqui Sancti Patres, ex illo loco 2. Corinth. cap. 3. vbi dicitur, *qui idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non littera, sed spiritu: littera enim occidit, spiritus autem viuificat*: reprehendere videntur sensum litteralem tanquam noxium; debent intelligi secundum distributionem accommodam, primo nõ de vero & germano sensu litterali, sed apparenti tantùm; qui duplex est, vnus quidem translata ac figurata locutione expressus, alter qui ex proprijs quidem verbis eruitur, sed Grammaticæ potius regulæ, & præcepta in eo obseruantur, quam Spiritus Sancti intentio & libertas animaduertatur, quę quidem eiusmodi legibus imperat, non eisdem astringitur. Cum igitur hac summa & exacta Grammaticæ obseruatione verus & germanus Scripturæ sensus aliquando excludatur, apparens autem aliquis falsò suscipiatur, non secus atque ex translata locutione oritur, si quis eam perindè accipiat, interpreteturque, ac si pro-

propria verba explanaret: merito Sancti Patres sensum litteralem sic acceptum tanquàm mortiferum non solùm in veteri, sed etiam in nouo testamẽto reprehendunt: *Non enim*, inquit Augustinus, *sonum litterarum, ac syllabarum, sed quod ipse sonus significat; & quod eo sono rectè ac veraciter intelligitur, hoc accipiendum est dicere.*

Vel secundò, si loquuntur Patres de vero ac germano litterali sensu, quamuis verax semper sit, aliquando tamen noxium esse, litteramque proinde occidere docent, si quod iubet seruetur, aut ab aliquo seruandum putetur; v.g. præcepta iudicialia, & ceremonialia veteris testamenti. Sicut enim Iudiciales veteris testamenti leges seruandæ non sunt, ita antiquæ cęremoniæ eos occidunt, qui secundum litteralem sensum illas custodiunt; in quo errore infideles Iudæi in primis versantur, qui obtusos habent sensus: sunt igitur ea omnia, quæ tùm ad cæremonias, tum ad iudicia ipsa antiqua pertinent, secundùm spiritum à nobis tenenda; propterea D. Paulus carnalem circumcisionem ad spiritualem, siue ad eam quæ cordis est transferebat: atque iudiciale illud præceptum Deuteron. 15. *Non alligabis os boui trituranti*, ad spirituales ministros alendos conuertebat, & litterales Iudæos interpretes tacitè arguens dicebat, *Nunquid Deo cura est de bobus*. Quos adhuc apertiùs reprehendens Augustinus lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 5. & in cap. 3. secundæ epistol. ad Corinth. *Qui enim sequitur litteram, translata verba sicut propria tenet, neque illud, quod proprio verbo significatur refert ad aliam significationem, sed cũ sabbathum audierit, V.g. non intelligit nisi vnum diem de septem, qui continuo volumine repetuntur, & cum audierit sacrificium, non excedit cognitione illud, quod fieri de victimis pecorum, vel terrenis fructibus solet.*

Vel tertiò, præter cæremonias, & iudicia, sensus litteralis, etiam verus plerumque reprehenditur à Patribus, doceturque in illo non esse sistendum, sed ad spiritualem statim progrediendum, cùm scilicet ipsa littera, vel turpe aliquod narrat, vel saltem non ædificat, & leuia facta commemorat, tunc enim grauia tegere, & signare mysteria putanda est; Apostolicaque sententia Rom. 15. iudicare debemus ea omnia tum ad doctrinã; tùm ad correptionem nostram scripta esse, Iudęis autem in figura contigisse; qui hoc ignorantes, in leuissimis, & minutissimis narrationibus, ac turpibus maiorum factis omnino acquiescunt. Ea propter dicebat Athanasius loco superius citato, *Nos igitur fratres certi litteram occidere, spiritum viuificare, non solam historiam Scripturarum sequamur, neque vt Iudæi nudæ litteræ adhæreamus, sed quemadmodum scriptum est, perscrutemur, vt ibi testimonia de Christo reperiamus.* Quia quædam leguntur, inquit Gregorius Magnus lib. 18. Moral. *quæ sunt omnino digna despectu, si ex sola narratione pensentur.* Et lib. 3. *Aliquando res gesta in facto causa damnationis est, in scripto autem prophetia virtutis*: Item, *Virtus sacri eloquij sic gesta narrat, vt hæc mysticè gerenda persuadeat.* Quod D. Hieronymus in comment. Epistolę ad Galatas cap. 5. multis demonstrat exemplis, tandem his verbis concludens; *Multorum ergò malorum occasio est, si quis in Scriptura carne permaneat.*

Vel quartò, tandem D. Augustinus, & Hieronymus, alijq; plures illud Apostoli, *littera occidit*, &c. ad ipsum Decalogum contraxerunt; quatenus præceptis diuinis in illo contentis, nos quidẽ astringemur, & pecati vinculo obligamur, ita vt ab illis discedentes condemnemur, & supplicio afficiamur; & tamen ad ipsa tenenda, & opere, vt decet, explenda, ab eisdem non perducimur, nec etiam iuuamur, hoc enim Dei gratia, non præcepto assequimur; Dei verò gratiam Spiritu ipso haurimus, præceptum autẽ littera accipimus, ex quo fit, vt iubens, vel prohibens littera nos occidere dicatur, gratia autem redundans ipse spiritus salutem, & vitam dare. *Littera occidit*, inquit Augustinus 2. Corinth. cap. 3. *Spiri-*

Spiritus autem viuificat, non vt aliud impleas, quàm tibi per litteram iubetur, sed sola littera reum facit, gratia & à peccato liberat, & litteram donat impleri. Et post pauca; *Nolite ergò putare damnatam esse litteram, quia dictum est, littera occidit, hoc est enim littera reos facit.* Et Hieronymus ibidem scribit: *Littera occidit, Spiritus autem viuificat, quomodo alibi dicit legem esse spiritalem spiritalibus, caeterum peccatores occidit, gratia autem viuificat impium conuertens.* Quibus consentit Occumenius dicens: *Littera occidit, lex inquit occidit, si enim peccantem deprehenderit, interimit eum; nam qui transgressus est,* inquit, *legem Moysis, sine misericordia sub duobus, vel tribus testibus moritur, Spiritus verò si deprehenderit peccatis mortuos per baptisma viuificat.* Properea falluntur Iudæi, legis præcepta seruare se posse arbitrantes, qui etiam cum in quadruplici iam enumerata litteralis sensus significatione, & vsu decipiantur, & in singulis eiusdem erroribus versentur, meritò illi, eorumque similes, vt nostrorum temporum hæretici, qui omnem spiritualem Scripturæ sensum negant, veluti litterales, & litteræ plus æquo tribuentes à prędictis Patribus reprehenduntur, atque damnantur. Cæterum vbi sensus litteralis ipse ad fidei doctrinam, morumque instructionem conducit, spirituali præferendus est, imo spiritualis ibi quærendus non est; vt dicetur infra. Et hæc sufficiant pro explicatione sententiæ Apostolicæ, *Littera occidit, Spiritus autem viuificat.*

Dico tertiò, litteralem Scripturæ sensum esse fundamentum spiritualis, multisque alijs insuper titulis illo nobiliorē, ac præstantiorem esse. Conclusio videtur sequi ex dictis; & probatur quo ad primam partem, authoritate D. Chrysostomi proœm. in Psalm. *Non enim aduersatur historia sublimiori contēplationi, sed contra, ea est basis & fundamentum altiorum intelligentiarum.* Idem docet Gregorius Magnus lib. 3. Moralium, & homil. 15. in Ezechielem, vbi litteralem sensum faciei, quia primum aspicitur, & limini exteriori, per quod ad interius venitur comparat; deinde homil. 40. in Euangelia ait; *In verbis sancti eloquij, fratres charissimi, priùs seruanda est veritas historiæ, postmodum requirenda spiritalis intelligentia allegoriæ: tunc namquè allegoriæ fructus suauiter carpitur, cum prius per historiam in veritatis radice solidatur.* Ratio est, quia voces non possunt aliquid mediatè significare, nisi etiam immeditè quidpiam significent: mediatū enim respectum habet, seu relatiuè dicitur ad immediatum; cum igitur spiritualis sensus ille sit, quem voces mediatè tantùm, res autem immediatè significant, necesse est in litterali fundari proximè & immediatè vocibus significato. Quare litterali sensu non antè cōperto, & constituto, vt videmus plerumque plures sensus mysticos inanes dari, & futiles; & nonnunquam falsos, & commentitios, vt sunt propè modum infinitæ expositiones nuper adinuentæ in solo verborum sono fundatæ, quibus multorum sermonariorum, vt aiunt, scripta, vernacula præcipuè lingua euulgata redundant; quæ si non sunt prohibenda, vt videtur velle Lorca 22. tract. de locis disput. 12. asserens id genus librorum comprehendi in eo decreto, quo cautum est, ne vernaculæ editiones Sacræ Scripturæ vulgares sint, & venales omnibus pateant, negandum tamen non est, siue latina, siue vernacula scribantur lingua, valdè cautos lectores requirere; ne vanitate rei allecti magis huiusmodi adhæreant sensibus, quam puritas diuini eloquij, & christiana exposcat sinceritas. Sanè Anastasius Synaita lib. 7. Anagog. contemplat. Origenem his sensibus nimis deditum damnans, de eo sic habet: *Oportebat enim primum admittere historiam, quæ conuenit litteræ; deinde vbi oportet procedere ad Anagogiam.* Et S. Thomas 1. p. quæst. 68. art. 1. in corpore curandum esse docet, ne diuina Scriptura sic exponatur, vt ab infidelibus irrideatur. Vt, inquam, sensu litterali non comperto, & constituto, plura sequuntur incommoda, ita per oppositum in illo

illo semel tanquam fundamento posito, stabile sensuum spiritualium ædificium construetur. Tantùm pro prima parte conclusionis, quæ debet intelligi de sensu litterali proprio, comparatiuè ad spiritualem strictè dictum, non autem impropriè, aut largo modo, cuiusmodi supra notauimus esse sensum metaphoricum, qui verè est sensus litteralis, nec debet consequenter fundari in alio sensu litterali, imò repugnat, cum in figuratis Scripturę locutionibus, sensus litteralis proprius semper sit falsus. V. g. cum dicitur de Christo, quod sit agnus, leo &c.

Probatur secunda pars, *primò* quia sensus litteralis, si in ratione modi significandi spectetur est perfectior; immediatè enim, magisque perspicuè per ipsas voces significatur, vndè vt statim diximus, ille solus aliorum sensuum mysticorum est basis, & fundamentum; siue omnis sensus mysticus ex litterali oritur, & in eo fundatur; V. g. Christus in tantùm illis Scripturæ testimonijs, quibus Agnus Paschalis, Salomon, Dauid, sacrificia antiqua describebantur, spiritualiter ac mysticè significabatur, in quantum illa quæ secundum proprietatem litteræ in his testimonijs exprimuntur, analogiam habent ex ordinatione & institutione cum ipso Christo: vnde prius est illa litteraliter significari, quã Christum. *Secundò*, quia licet ex natura rei par in vtroque sensu certitudo eluceat, vterque enim diuina authoritate, & veritate nititur: ratione tamen nostri, regulariter loquendo, certiùs innotescit sensus litteralis, cum ex vocum, seu verborum significatione, quæ magis est perspicua petatur, spiritualis verò ex reipsa, eiusque analogia, & similitudine, quæ multò difficiliùs cognoscitur. *Tertiò*, quia sensus litteralis est vniuersalior: nullus enim Scripturæ locus illo caret, plures autẽ sunt qui sensu spirituali destituuntur, vt in quibus de gloria cęlesti agitur: vlterius enim ipsa gloria referri nequit. *Quartò*, si consideretur sensus vel ratione rei significatæ, vel in ordine ad Spiritum Sanctum; et si in quibusdam locis spiritualis excedat litteralem; quatenus res quas in figuram Scriptura assumit, & quæ litteralitèr in Scriptura ipsa continentur, communitèt sunt inferiores rebus figuratis, vt sacrificia antiqua, sacrificio Eucharistiæ, Salomon & Dauid ipso Christo, vnde etiam in huiusmodi locis spiritualis sensus potest dici magis à Spiritu Sancto intentus quam litteralis, atque adeò secundum hoc prior, & nobilior. Quia tamen ex D. Augustino lib. 11. de ciuitate Dei c. 9. habetur, nihil ad fidem, & mores esse necessarium, quod in Scriptura ad litteram non tradatur, intellige explicitè vel implicitè, & si in vno loco allegoricè contineatur, alibi litteraliter traditur; satis patet vtrumque sensum, si ratione rei significatæ, vel obiecti, siue materiæ spectetur, interdum æqualis, interdum verò inæqualis esse nobilitatis; æqualis quidem, vt si testimonium in quo litteraliter continetur beatitudo, vel Diuinitatis, Christique Domini mysteria, cum altero, in quo ipsa spiritualiter significantur, conferatur: inæqualis, si litteraliter significetur terra promissionis, vel ceremoniæ antiquę legis veteris, & spiritualiter beatitudo, vel Sacramenta legis nouæ. Vnde dum quæritur, vter sensus sit præstantior, litteralis, an spiritalis, simpliciter & absolutè pręferendus est litteralis; Quodque Michael Medina lib. 6. de recta in Deum fide cap. 23. refert, Hebręos sensum mysticũ litterali prętulisse: vocarunt enim sensum Spiritualem, *Dabbar Gaddol*, id est verbum grande: litteralem verò *Dabbar Catton*, id est, verbum paruum; nullius est momenti; debet enim hoc intelligi de illis locis, in quibus, vt statim dicebam, res quæ litteralitèr significantur, & in figuram à Scriptura assumitur, est inferior rebus figuratis, vt in toto ferè veteri testamento sunt cęremoniæ, sacrificia, iudicia, & alia similia comparatiuè ad statum noui testamenti, rerumque, & mysteriorum ad illud pertinentium.

Dico quartò, nullum Scripturæ locum vacare sensu litterali; conclusio ista debet

debet intelligi de sensu litterali pro vt abstrahit à proprio, & improprio, siue figurato; sequiturque manifestè ex dictis; quia cum sensus litteralis sit primus & fundamentum spiritualis non potest deesse in aliquo loco; si enim deesset, deberet etiam spiritualis & mysticus, atque adeò omnis sensus deesse. Quando igitur Lyranus obijcit plurima esse in sacris litteris, quæ si ad litteram intelligantur; non tantum sunt vilia, & indigna, sed etiam contra morum honestatem euidenter pugnant, quippè cum vel virtutis actum prohibeant, aut facinus aliquod præcipiant; quale est illud Matth. 18. *Si oculus tuus scandalizat, erue eum*, &c. & illud: *Qui non odit patrem suum, & matrem, adhuc autem & animam suam non potest meus esse discipulus*; tàm ista, quàm alia similia loca probant solùm, iuxta vulgatam Augustini regulam esse accipipienda, non in propria vocum significatione, sed in translatitia, seu metaphorica, vt per manum quæ nos scandalizat, intelligendus sit ille, qui nobiscum æque ac manus coniunctus, si nobis sit scandalo, debemus eum à nobis proijcere, ac præscindere, id est, euitare & relinquere; quod libenter admittimus sicut etiam, quod talis sensus, qui simpliciter est litteralis; cùm in vocum significatione, quę vel est propria, vel impropria siue figurata fundetur, larga quadam significatione vocari possit spiritualis, vt notauimus supra.

Dico quintò, & vltimò suas non deesse regulas, ad dignoscendum in Scriptura sensum litteralem proprium, tàm ab improprio, & metaphorico, quàm ab omnibus alijs spiritualibus sensibus; Accipiendo videlicet semper in sensu verborum proprio, quicquid in illo sine falsitate, aut indecentia, intelligi potest. Ista regula, ad quam omnes ferè alię reducuntur, quatenus docet non esse recedendum à sensu verborum proprio, siue voces semper in sua propria significatione vsurpandas esse, desumitur ex D. Basilio in Hexamer. homil. 9. super cap. 12. *Ego*, inquit, *cùm fœnum audio fœnum intelligo*. Quo ad suas verò limitationes ex D. Augustino lib. 1. de Genesi ad litteram cap. 31, nec non lib. 3. de Doctrina Christiano cap. 5. 15. 16. & 30. *Quicquid*, inquit, *in sermone diuino, neque admodum honestum, id est ad diligendum Deū, vel proximum, neque ad fidei veritatem propriè referri potest, figuras esse cognosces: quod si perspicuè dicitur, non est ad aliud referendum, quasi figuratè dictam*, &c. vt enim ex eodem cap. 10. si illa tanquā figuratè scripta sumantur, quæ secundum proprietatem scribuntur, tali pacto veritas subuertitur diuinarum Scripturarum, ita etiam, si quod figuratè in Scripturis dicitur, secundum litterę proprietatem accipiatur, littera occidit; Nam ex dictis sæpè sensus litteralis scripturę non est is, quem voces in propria significatione faciunt, sed vel ipse, vel ille quem habent in sua significatione figurata. Ex quibus satis apparet vanitas obiectionis aliquorum, qui ob difficultatem, inquiunt, cognoscendi quando sensus est proprius, quando figuratus & ne inde in interpretanda Scriptura oriatur confusio, vel perplexitas, asserunt quod solus sensus litteralis sit, quem voces ipsę proximè, & immediatè significant in propria significatione.

CAPVT CI.

Vtrum vnius & eiusdem loci possint esse plures sensus litterales.

Constat iam ex dictis, vnius & eiusdem loci Scripturæ posse esse plures sensus, litteralem scilicet, & spiritualem, dicemus etiam infra agendo de sensu spirituali, posse esse plures sensus spirituales; quæritur ergo nunc vtrū eadē sit ratio sensus litteralis, ita vt vnus & idem Scripturæ locus plures sensus litterales simul habere possit. Qua in re diuisi sunt doctores Catholici, ex antiquis enim Alensis 1. p. q. 1. memb. 4. artic. 3. ad vltimum, Albertus in sua Summa quæst. 5. memb. 2. ad 4. Henricus in Summa artic. 16. quęst. 2. & 3. ex moder-

dernis vero Michael Medina lib. 6. de recta in Deum fide cap. 25. Ribera in Oseam cap. 11. absolutè negant pluralitatem sensus litteralis sub vna eademque littera; quàm sententiam vt probabilem sequitur Gillius 1.p.lib. 1.tract.7. cap.4. Bellarminus lib. 3. de verbi Dei interpretat. cap. 3.num.20.quatenus ait, non esse improbabile, interdum plures litterales sensus in eadem sententia reperiri. Alij existimant quidem eadem Scripturæ verba plures habere sẽsus litterales, non tamen in eodem loco, vel capite, sed diuersis: vt patet in his verbis: *Ex Aegypto vocaui filium meum; & ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium*; quæ in veteri testamento de Israelitis, & Salomone litteraliter intelliguntur: in nouo verò testamento de Christo. Ex nouatoribus quidam Rullus Basileensis thesi 281. vt contra cõmunem Theologorum sententiam vnũ duntaxat sensum litteralem contineri in vnaquaque Scripturæ sententia suaderet, nouam commentus est distinctionem sensus litteralis in simplicem, & compositum, & explicans siue definiens sensum compositum ait, esse illum, qui ex figura, & veritate consistit, & hic est, inquit, in omnibus illis locis, in quibus sub typo aliquo Christus describitur, vt, *ex Aegypto vocaui filium meum*, Osee 11. in hoc dicto, *filium*, non populum modo Israelis, sed & Christum significat. Qui tantùm de populo Israelitico interpretantur, partem tantùm sensus litteralis afferunt, non omnem sensum, quia totus sensus litteralis compositus, de signo, & re significata simul intelligendus est: consistit enim in accommodatione signi ad signatum. Nihilominus tamen opposita sententia tanquàm magis probabilis, imo certa tenenda est: quam ex Patribus expresè docuit D. Augustinus, & post ipsum communiter Theologi, Diuus Thomas 1.p. quæst.1. artic.10. ibique omnes eius interpretes, & alij plures ab illis citati, Abulensis, Lyranus, Burgensis, Castro, Catherinus, Dridonius, Pagninus, Sixtus Senensis, &c. vndè aliqui existimant aliam sententiã esse omnino improbabilem.

Dico igitur primò, aliqua loca Scripturæ plures sensus litterales simul habere. Primò probatur ostensiuè adducendo eiusmodi loca. Primum testimonium est illud Exodi 12. *Os non comminuetis ex eo*: quod in veteri testamento litteraliter intelligebatur de Agno Paschali, cuius ossa frangi non debebant; & tamen Ioannis 19. litteraliter etiam de Christo Domino verificatur, dicente Euangelista. *Hoc autem factum est, vt impleretur Scriptura quæ dicit, os non comminuetis ex eo*. Impletio enim Scripturæ fit propriè per sensum litteralem.

Instabis, optimè etiam dici posse rem adimpletam, etsi ipsa tantùm mysticè significata fuerit. Respondetur ita esse, sed tamen istud minoris est roboris, ac certitudinis, ad confirmationem ipsius veritatis; non solùm quia plerumque ex sensu mystico firmum pro fide non eruitur argumentum, sed ex solo sensu litterali; verum etiam quia in sensu mystico non semper certo scitur, si ita vel ita verificatur, cum sæpè inter se discordantes sint sensus mystici, vndè secundum hoc determinata nõ potest desumi veritas; imò cùm liberum vnicuique sit varios sensus mysticos adinuenire, nunquàm dici posset impleta, aut saltem nesciremus quando esset impleta, si quidem alij sensus essent illi applicabiles; Igitur vt magis certò Scriptura dicatur adimpleta, sitque magis certa Euangelistæ probatio, dicendum est verba, quæ in vtroque testamento citantur, duplicem sensum litteralem habere; siue quod idem est nõ solùm secundùm mysticum, sed etiam litteralem sensum adduci; v.g. dùm dicitur, *os non comminuetis ex eo*, tàm secundum sensum mysticum significatur illo facto, fortitudinem Christi, & doctrinam eiusdem per passionem non comminuendam, aut aliquid aliud simile; quàm secundum litteram, ossa Christi non fuisse comminuta, de quo etiam ad litteram intelligitur illud Isaiæ Prophetæ, *sicut ouis ad occi-*

ictionem ductus est.

Secundùm testimonium multo efficacius, habetur Psalmo 2. vbi illa verba; *filius meus es tu ego hodie genui te*; de æterna Christi generatione, quà à Deo Patre est genitus intelliguntur, iuxta explicationem D. Pauli ad Hebræos c. 1. illis verbis, *Cui enim Angelorum aliquãdo dixit: filius meus es tu, ego hodie genui te?* nempe testimonio huius Psalmi probat, Christum esse filium Dei naturalem à Patre genitum; Actuum vero 13. ab eodem Apostolo assumitur ad eius resurrectionem ex mortuis confirmandã: ab alijs verò, de generatione eiusdem temporali per incarnationem exponitur. Quod autem respondent aliqui prædictum testimonium, tantùm esse intelligendum ad litteram de Christi resurrectione, iuxta ea quæ habet Apostolus loco citato actuum 13. *Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad Patres nostros repromissio facta est. Quoniam hanc Deus adimpleuit filijs vestris resuscitans Iesum, sicut in Psalmo 2. scriptum est, filius meus es tu, ego hodie genui te.* De æterna autem generatione nec mysticè, nec ad litteram intelligi debere; quia etsi Apostolus illud, 1. ad Hebræos ad confirmandam Christi diuinitatem attulerit: hanc tamen duntaxat per priora verba, scilicet, *filius meus es tu*, confirmauit: subsequentia verò, nempe *ego hodie genui te*, attulit, vt completè versum integrum adduceret, non autem vt per ea quidquam significaret.

Hæc, inquam, responsio vel potius euasio, licet subtilis videatur, non est tamen tuta, imo ab alijs vocatur temeraria; tùm quia absurdum est, aliqua, tanquàm otiosè & inutiliter allata, in sacra Scriptura admittere; cum singula verba, vt potè à Spiritu Sancto dictata, aliquod mysterium contineant; tùm quia absolutè falsum est prædicta verba in particulari, ita ab Apostolo fuisse citata; Quomodo enim affirmari potest, illa verba otiosè & solùm ad complementũ testimonij adducta fuisse, quæ in sensu proprio, & gennina significatione maximè confirmant Apostoli intentum, de probanda Christi diuinitate; de qua eo ipso quod hæc verba priora, *filius meus es tu*, intelliguntur, posteriora etiã de generatione diuina, & æterna, quæ veluti causam reddunt cur Verbum diuinum Deus sit, siue quod idem est, filius Dei non adoptiuus, sed naturalis, necessario debent intelligi; regulare enim est in sacris litteris, vt verba præcedentia significationem posteriorum, & è conuerso posteriora priorum arguant, eiusque rationem reddant. Tùm denique, quia omnes Patres tam in expositione huius Psalmi, quàm Epistolæ ad Hebræos, de æterna generatione illa verba intelligũt, secundum contextum vtriusque; omnes contra Arium disputantes illis vtuntur ad probandum filium esse genitum, & non factum; omnes denique Scholastici in tractatu de Trinitate, inde probant processionem Verbi esse veram generationem. Concilia quoque eodem testimonio vsa sunt contra Arium, & Arianos; Nicænum, vt constat ex D. Athanasio in epistola de decretis Nicænæ Synodi: Ephesinum in epistola Synodica Cyrilli ad Imperatorem Theodosiũ, Cum ergò simul de resurrectione, & æterna Christi generatione, intelligatur, vnius & eiusdem loci plures sunt sensus litterales.

Tertium testimonium est in Psal. 8, quem ad litteram intelligi de humano genere, & hominis natura, ab illis verbis, *Quid est homo quia magnificas eum?* vsque ad illa, *Omnia subiecisti sub pedibus eius &c.* euidentissimum est tam ex contextu, quàm ex communi Patrum interpretatione: Et tamen ab Apostolo ad Hebræos cap. 2. de Christo Domino exponuntur: vt probet eum ab Angelis aliquo pacto minoratum secundũ naturam humanam fuisse, & secundum eamdem naturam super omnia exaltatum; & vterque sensus est litteralis: humana quippe natura nõ fuit figura Christi, nec Christus humanæ naturæ: ideoque in verbis immediatè, & non vnum mediante altero, significatur.

Quar-

Quartò in illo Geneſeos 1. *In principio creauit Deus cælum & terram*; particula, *in principio*, de initio temporis à Concilio Lateranenſi litteraliter explicatur: ab alijs verò de Verbo diuino, in quo creauit Deus cælum & terram; iuxta illud S. Ioannis; *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factū eſt nihil. Quintò*, Iſaiæ cap. 53. vbi dicitur, *generationē eius quis enarrabit, quia abſciſſus eſt de terra viuentiū*: S. Hieronymus in Matth. cap. 2. Cyrillus lib. 4. in Iſaiam, Auguſtinus tract. 31. in Ioannē referunt hunc locum litteraliter ad æternā Chriſti generationem: Alij vt Iuſtinus dialogo 2. contra Triphon. Tertullianus contra Iudæos, cum pluribus alijs temporali eius generationi adaptant: Alij reſurrectioni; cui fauet cauſalis addita, nempe mors ignominioſa quæ præceſſit, *quia abſciſſus eſt de terra viuentium*; Alij ad regenerationem filiorum per gratiam adoptantem, quæ ex Chriſti morte proceſſit, accommodant; eo quod ibidem idem Propheta dicat; *ſi poſuerit pro peccato animam ſuam videbit ſemen longæuū*. Tandem alij referunt ad totum progreſſum, & œconomiam vitæ Saluatoris, hoc eſt natiuitatem, geſta, dicta, mortē &c. quatenus plerūmque in ſcriptura generationis nomine omnia iſta ſignificantur; vndè ſcriptum eſt. *Noe vir iuſtus, atque perfectus in generationibus ſuis. Sextò* Danielis cap. 9. vbi prædicitur templi Hieroſolymitani deſtructio, & dicitur; *Et erit in templo abominatio deſolationis*. lib. 2. Machab. cap. 1. ſub Antiocho ſucceſſiſſe narratur; *quinto, & quadrageſimo, & centeſimo anno ædificauit rex Antiochus abominandum idolum deſolationis ſuper altare Dei*. Matthæi verò cap. 24. Chriſtus Dominus ex eiſdem verbis, vaſtitatem eiuſdem templi per Romanos futuram prænuntiat; *Cum videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta ſtantem in loco ſancto: qui legit intelligat &c.*

In nouo quoque teſtamento, illud Matthæi cap. vltimo, *Ecce vobiſcum ſum omnibus diebus*, plures ſenſus litterales ſuſcipit. Nā D. Auguſtinus lib. de quinque hereſibus cap. 6. explicat hoc de Chriſto, ſecundum quod Deus, dicens quod nos non deſeruit, cum ad patrem aſcendit; & alibi de aſſiſtentia vniuerſæ Eccleſiæ, *quæ alijs*, inquit, *morientibus, alijs naſcentibus hic vſque in ſæculi conſummationem futura eſt*: Alij doctores de præſentia ſacramentali id interpretantur. Similiter illud Philipp. 2. *Qui cum in forma Dei eſſet non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed exinaniuit ſemetipſum*; de exinanitione multiplici litteraliter exponitur, de exinanitione in paſſione, de exinanitione per carnis ſuſceptionem, & etiam in myſterio Euchariſtiæ, vt dignaretur dari nobis in cibum; quod videtur docere Diuus Auguſtinus in Pſal. 33. dicens; *Niſi humilis eſſet non manducaretur, neque biberetur*. Et ante ipſum fuit expreſſa Dionyſij Alexandrini ſententia, qui exponens prædictum D. Pauli locum ait: *Exinanitionem dicit factam ad nos, ad capiendum Sacramentum vitæ per puras, & incorruptibiles, ac diuinas ipſius manus*; Methodius etiam Martyr in ſympoſio 10. Virginum docet, quod per hoc Sacramentum Chriſtus exinaniuit ſe vt cogi poſſet.

Secundò probatur concluſio, authoritate D. Auguſtini illam expreſsè docentis lib. 12. Confeſſ. cap. 28. *Deus*, inquit, *per ſermonem vnum in litteris ſacris plerūmque non vnum ſolūm, ſed plures etiā litterales voluit ſignificare ſentētias*; quod idem aſſerit cap. 30. & 31. & lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 27. cuius verba mox citabimus adducendo rationes noſtræ concluſionis. Aliqui etiam alij Patres pro hac ſententia citari ſolent, Baſilius lib. de Spiritu Sancto in principio, Chriſoſtomus homil. 2. in Geneſ. Hieronymus epiſt. 103. ad Paulinum, & in illa verba Danielis cap. 12. *Tu autē Daniel claude ſermones &c.* Verùm cum diſtinctè non loquantur de pluralitate ſenſuum litteralium, poſſintque intelligi de ſenſibus myſticis, dum aſſerunt, *in verbis ſingulis multiplices latere ſententias*; aut,

aut, *singulos sermones, singulos apices & puncta in diuinis scripturis plena esse sensibus*: nam intolerabilis esset hyperbole asserere in singulis verbis minutissimis esse multiplices sensus litterales, quod non est adeò dictu intolerabile de sensibus mysticis; inde sufficiat in præsenti authoritas S. Augustini, & post ipsum D. Thomæ 1. p. q.1. artic.10.

Tertio probatur afferendo rationes, siue congruentias, cur Deus auctor diuinæ Scripturæ voluerit ita rem se habere, vt sub vna & eadem sententia plures laterent sensus litterales: Prima est, quia hoc facit ad maiorem scripturæ certitudinem, vt ea quæ ab Euangelistis, & Apostolis ex veteri testamento citantur, secundum vtrumque sensum, & litteralem, & mysticum citentur: alias enim si tantùm secundum mysticum proferrentur, non essent magni ad confirmationem eorum quæ scripserunt, roboris, vt expendimus supra; Ergò, cum alias hæc sensuum pluralitas sub vna eademque littera nullo modo repugnet: non ex parte Dei, qui vt omnia vnico simul actu comprehendit: ita etiam vnico verbo diuersa, & plura, si non omnia potest exprimere: neque ex parte verborum, si quidem pleraque verba sunt communia, & plures significationes habentia: neque ex parte finis ipsius Scripturæ, qui est rei alicuius notitiam ingerere: nam etsi multitudo sensuum aliquam difficultatem pariat, nihilominus quando non est impossibile omnes illos sensus assequi, vt certum est, non esse impossibile; maiorem semper notitiam, & iucunditatem legentibus & intelligentibus adfert; cùm res, inquam, ita sit, merito voluit Deus, vnius & eiusdem loci scripturæ plures esse posse sensus litterales.

Secunda ratio desumitur ex maiori dignitate & excellentia tam diuinarū Scripturarum, quàm ipsiusmet Dei illarum authoris, ad quam mirum in modum videtur conducere, quod supra mortalium conditionem diuinæ Scripturæ ita ab illo conderentur, vt sub vna littera non solum multos sensus mysticos, sed etiam litterales continerent; essentque fons vberrimus, diuersas easque compossibiles sententias scaturiens, non riuulus angustus in vno tantùm alueo decurrens; quod luculenter ostendit Augustinus locis superius citatis: *Quid, inquit, diuinis eloquijs potuit largius, & vberius diuinitus prouideri, quàm vt eadem verba pluribus intelligantur modis, quos alia diuina contextantia faciant approbari? Et ego certè, quod intrepidus de corde meo pronuntio, si ad culmen authoritatis aliquid scriberem, sic mallem scribere, vt quod veri quisquam de his rebus capere posset, mea verba resonarent, quàm vt vnā veram sententiam ponerem.* Si enim ex D. Thoma 1. p. quæst.65. articulo vltimo in corpore, quo quisque est perfectior intelligens, maiorique præditus scientia, signis ijsdem, & paucioribus plura significare, & exprimere solet, sicut etiam eo perfectior est artifex, si vnū duntaxat adhibeat instrumentum. A fortiori dicendum est quod Deus, cùm sit summæ, & infinitæ sapientiæ per vnū cognoscens omnia, nempe per suam essentiam, æternoque suo Verbo se totū, & omnia dicat, voluerit etiam, & intenderit verbo suo scripto in sacris litteris plures sensus litterales includi, eosdemque per illud sub vna & eadem littera significari.

Tertia ratio est, quia ex ista multiplicitate litteraliū sensuum sub vna littera, vel sententia, nedum sapientia conditoris ostēditur, maiorque præ omnibus alijs diuinarum Scripturarum in significando fæcunditas; sed etiam maxima inde prouenit hominibus iucunditas & vtilitas; *dùm* mira illa diuinarum Scripturarum fæcunditate ad plures & plures intelligentias perquirendas prouocamur, vt dicatur, *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa*; *dùm* tot præclara Patrum, & doctorum commentaria cernuntur, vt repleta sit terra scientia Domini, quæ scripta non essent, si ad vnum solùm sensum è sacris litteris eruendū attendissent: *dùm* vnusquis-

quisque miratur se in diuina Scriptura posse inuenire veritatem quam mente concepit: *dum* denique plures nobis exitus danrur illam defendendi aduersus infideles, soluendique illorum argumenta; quandò enim ex vno sensu litterali non soluerentur, relinquitur semper nobis alia via, recursusque ad alios sensus litterales veros indagãdos, vndè solui possint. Vide D. Augustinum lib.12.Confess.cap.30.

Dico secundò; eadē scripturæ verba plures habere sensus litterales, intelligitur in eodem capite, & in eodem loco, non in diuersis; ista conclusio est contra secundam sententiam; & quamuis non sit ita certa, ac præcedens, videtur tamen sequi ex illa, & probatur; quia cùm profertur veteris testamenti locus in nouo, ideo profertur, vt ostendatur significatum immediatum illorum verborum, in nouo esse adimpletum: ergò in vtroque eodem sensu debet accipi; ita vt v. g. verba illa Oseæ: *Ex Aegypto vocaui filium meum*; aut illa, *os non comminuetis ex eo*; vtrobiq; litteraliter Christum, non minùs quam Israelitas significauerint: si enim in nouo alius à veteri sensus adderetur, loci citatio esset inutilis, nihilque pro adimpletione rei prędictæ probaret: quod tamen apertè cōtra Euangelistas pugnat, quippe cum proferendo hæc verba dicant: *vt adimpleretur quod dictum est per Prophetã dicentem*: Eadem igitur verba scripturæ plures habent sensus litterales in eodem capite, & loco: Sensus enim litteralis ille est, qui immediatè per voces à Spiritu Sancto intenditur: atqui Spiritus Sanctus, vt statim probauimus plura simul, & immediatè in vno eodemque Scripturæ loco & capite intendit; igitur vnius & eiusdem loci plures sunt sensus litterales.

Dicò tertiò, ita sub ijsdem verbis vnius & eiusdem Scripturæ loci plures sensus contineri: vt communiter tamen, & regulariter non sit nisi vnicus sensus litteralis; ista conclusio videtur esse certa, illamque docet expressè Andreas Dunallius tractatu de fide quæst.1. Probatur, nàm sicut ex vna parte ad dignitatem Scripturæ, eiusque authoris commendandam, & alios ob fines dictos recta ratio suadet Deum voluisse hanc sensuum sub vno eodemque contextu multiplicitatem, in aliqnibus Scripturæ locis; ita ex alia parte vt se accommodaret communi hominū in scribendo consuetudini, quæ non fert vt ijsdem verbis, & vocibus plures subsint sententiæ, pertinuit ad suauitatem diuinæ prouidentiæ disponere, ne communiter & regulariter loquendo esset in sacris Scripturis nisi vnicus sensus litteralis. Quo fit, vt qui Scripturam ita fæcundam faciunt, vt in omnibus ferè locis plures sensus excogitare velint, ridiculos plerumque se ostendant, magnamque in Scriptura confusionem adferant. Est tamen aduertendum, frequentius euenire, vt vna littera plures sensus litterales cōtineat in originali Hebræo, quàm in translatione Latina; quia voces Hebręæ magis æquiuocæ sunt, & plures significationes admittunt, quam Latinæ, vt iam supra suo loco notauimus.

Dico quartò contra Rullū Basileensem, contradictionem esse, fieri vnum sensum litteralem compositum ex signo, & re signata, nam si ex ipsomet, litteralis sensus est, quem verba tanquàm rerum signa immediatè præseferunt: certè in illo loco Prophetæ ab ipso citato, *Ex Aegypto vocaui filium meum*; eductio filiorum Israel de Aegypto, vt res quædam est non facit sensum litteralem, sed spiritualem Allegoricum in ordine ad Christum ex Aegypto redeuntem: Deinde ad hominem contra Rullum in illa sententia, *ex Aegypto vocaui filium meū*, sunt duo significata distincta ab illis verbis immediatè declarata, vt fatetur Rullus, ergo etiam in illa sunt duo sensus litterales, quorum vnus alterius pars non est, vt ex illis sensus litteralis compositus perficiatur.

Dico quintò, ex hac sensuum pluralitate sub vna eademque littera, nullam sequi in Scriptura æquiuocationem, aut

in

in arguendo ex illa confusionem. Probatur, tum quia sæpe isti sensus habent inter se aliquam similitudinem, seu ordinem, vbi autem est ordo non est æquiuocatio: Tum quia multiplicitas sensuum tunc solùm facit æquiuocationem, quando est causa deceptionis; est autem causa deceptionis, quando in altero sensu potest esse falsitas: quando autem vterque sensus est verus sicut necessariò est hoc ipso, quod à Deo est intentus, nulla est occasio deceptionis, neque æquiuocationis, sed potius pertinet ad mysterium, & ad maiestatem dicentis, quod possit vnica oratione plures sensus amplecti, & significare. Igitur, licet tunc committatur æquiuocatio, deturque locus deceptioni, & confusioni, cũ vnum tantùm significatum intenditur, siue potius cum aliqua propositio verbis æquiuocis profertur, in qua vnus sensus est verus, alter falsus ad decipiendũ audientem, vt de oraculis Dæmonum supra notauimus. Secus tamen quando vterque sensus est verus, cohærensque textui; tantùm enim abest, vt in ambiguitatem, & fallaciam inducat, quin potius ad maiorem intelligentiam conducat. Vnde etiam patet, ex hac sensuum pluralitate nullam in arguendo ex Scriptura sequi confusionem, aut incertitudinem, quasi vnusquisque sensum suum posset obtrudere, alienum repellere; vel si vrgeretur argumentum in vno sensu, effugeretur recurrendo ad alium. Quoniam non ita admittimus plures sensus, vt indeterminatè, & sub disiunctione conueniant: sed ita, vt quilibet sit determinatus, & à Spiritu Sancto intentus, & vterque simul: vnde cum vnus alium non excludat, firmum ex quolibet eorum argumentum desumetur. Quamuis vt argumentum sit efficax, oporteat certò sensum constare; siue sit vnus, siue plures: nam etiam si sit vnus tantùm, si tamen non certò constet, sicut non potest validum efficere argumentum, ita licet fuerint plures, & è conuerso. Cui dignoscendo suæ non desunt regulæ.

Dico igitur sextò, eisdem regulis ipsã pluralitatem, & vnitatem sensus litteralis certò dignosci posse. Et si enim illud discrimen versetur inter vnum sensum, & plures, quod faciliùs certò constare potest de vno sensu, quàm de pluribus: quoniam difficilius est duas sententias eidem locutioni aptare, quam vnam, vt satis per se patet; eisdem tamen regulis certò constare possunt & debent plures sensus litterales, quibus constare debet vnus, quæ potissimè sunt sequentes. *Prima*, si ex verbis, vel ex contextu euidenter colligitur, seruata nimirùm connexione antecedentium, & consequentiũ, narrationisque intentione. *Secunda*, ex communi Patrum interpretatione; cum enim videmus Patres communiter hoc & illo modo aliquem locum exponere, certò tunc constat pluralitas illa sensuũ. *Tertia*, si in alio Scripturæ loco, in altero sensu illa eadem verba proferantur, tunc sine dubio iudicatur duos sensus habere. *Quarta*, quando narratio ipsa istam sensuum pluralitatem commodissimè, & apertissimè patitur, tunc cum Scriptura sit in sensibus fæcundissima, argumento est hunc locum plures sensus recipere. *Quinta*, & quo ad nos omnium certissima, Ecclesiæ interpretatio: sed de his fusiùs infra. Interim aduertendum est in hac pluralitate sensuum, sub ijsdem verbis, illum pro certo, & indubitato præ alijs habendum esse, quem verba in sensu proprio magis præ se ferunt, vt constat in verbis illis: *In principio creauit Deus cælum & terram*; quorũ prior expositio, qua particula *principium* temporis initium significat, magis est litteralis, & ideo sensus ille est certus & indubitatus. Sciendum quippe est, hos omnes sensus litterales eorumdem verborum non æqualiter, aut æquali certitudine constare: si quidem illi qui à propria vocum significatione magis recedunt, minus sunt indubitati, quam alij, qui ad verborum ipsorum proprietatem magis accedunt.

Vnde illud, quod Augustinus loco superius citato lib. 3. de doctr. Christ. cap. 31. docuit, quando expositores variant,

riant, & diuersa opinantur circa interpretationem alicuius loci, existimandum esse sensum à Spiritu Sancto intentum, & simul debere recipi; si quod singuli dicunt, verum, & pium inuenitur, nec abhorret à contextu; ita accipiendum, & intelligendum est: vt non existimetur, omnes illas interpretationes certas esse, & omnes sensus indubitanter admitti debere: sed probabiliter dumtaxat, si tamen inter se non pugnent, nec cum ipso contextu, nec cum veritate. Et contingere potest, vt tanta sit authoritas diuersorum interpretum, tamque congrua variorum sensuum expositio, vt plusquam probabile sit, omnes esse veros, & à Spiritu Sancto intentos. Quod maximè sentiendum est de illis verbis Isaiæ 53. superiùs relatis: *Generationem eius quis enarrabit*: habent enim plures sensus litterales magnæ authoritatis, quia à magnis auctoribus excogitati sunt, & optimè verbis, contextuique quadrare videntur: nempè vt intelligantur de æterna Christi generatione in sinu Patris, & de temporali in vtero Matris, & de resurrectione ex mortuis, & de adoptione filiorum, quos per gratiam suam spiritaliter genuit merito passionis. Tandem vltimo notandū est non fuisse necessarium, vt Scriptores sacri omnes illos sensus intellexerint, & intenderint, vt supra vidimus, sed satis esse, si à Spiritu Sancto intenti fuerint. Non repugnat tamen proximos Scripturę authores omnes illos sensus intellexisse, & intendisse; imo de Moyse affirmatiuam partem tenet D. Augustinus loco statim citato: de alijs verò Scriptoribus D. Thomas quæst. 4. de potentia artic. 2.

Inquiret aliquis in fine huius capitis vtrum sicut vnus & idem Scripturæ locus ex dictis potest habere plures sensus litterales proprios; ita etiam possit habere vnum proprium, & alterum improprium: Affirmat Catharinus lib. de clauibus Scripturæ cap. de sensu litterali &c. adducendo plura loca quæ mixtum sensum litteralem, seu carnalem, & metaphoricum habere videntur, quæque consequenter nec purè carnaliter, nec purè metaphoricè seu spiritualiter accipienda sunt, vt cum dicitur Genes. 3. *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ*: vbi de diabolo intelligitur dictū: quod dicitur de serpente, non tamen de diabolo simpliciter, sed pro vt in serpente latebat, cuius conditiones ipsi appropriantur. Similiter cùm dixit Christus Dominus Ioann. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis*. Si enim de carnali manducatione, qua dentibus carnes incidimus, & mandimus intelligatur, Iudaicus conceptus est: si de pura, & sola manducatione spirituali per fidem, Caluinistarum est hæresis. Si autem de Sacramentali manducatione, quę spiritualis manducatio est cum sensibili Sacramenti manducatione coniuncta, in qua vera caro Christi ad manducandum non solùm spiritualiter, sed sacramentaliter, non carnaliter dentibus terenda exhibetur: talis intelligentia vera est, spiritum & vitam continet; quatenus non carnaliter Iudaicè, non spiritualiter purè, hoc est, mysticè, & tropicè, secundum Caluinistarum explicationem, ea verba accipiuntur; sed eo sensu spirituali, quo designatur manducatio Sacramentalis, & spiritualis, simul tamen cum sensibili, & reali sub speciebus Eucharisticis corporis Christi manducatione coniuncta, & in hunc sensum multi Sancti Patres, pręsertim D. Augustin. lib. 3. de doctr. christ. cap. 16. dixit esse sensum spiritualem in his verbis contradistinctum à carnali: figura ergo est, inquit, præcipiens passioni Domini esse communicandū, & suauiter, atque vtiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa, & vulnerata sit.

CAPVT CII.

Quo pacto sensus litteralis diuidendus sit.

PRimum diuiditur in proprium, & improprium; quia tamen hi termini sunt æquiuoci, ita vt possint se extendere.

dere ad significandum sensum propriè dictum, cuiusmodi sunt tam sensus spiritualis, quam litteralis, pro vt distinguntur ab accommodatitio, quem supra notauimus dici tantũ impropriè talem, sicut homo pictus; non sic in præsenti sumi debent isti termini; sed nomine sensus litteralis proprij intelligitur ille, qui in propria vocum significatione immediatè fundatur; improprij verò ille qui in translatitia, siue metaphorica. Et quamuis aliqui putent hanc diuisionem non esse propriè generis in species, quia omnia, siue propriè, siue metaphoricè significentur, fundantur in eadem significatione vocum, quæ potest sic vel sic applicari diuersimodè, sed non propter hoc variat significationem, sicut nec impositionem vocum. Non minus tamen probabilitèr oppositũ teneri potest, quia propria & impropria, siue metaphorica significatio, licet vocibus immediatè cõueniant, plusquam tamen numero videntur inter se distingui, plus enim differunt, quam duæ propriæ inter se; quod sufficit, vt dicatur hanc diuisionem esse generis in species, cum hic tantùm sit sermo de speciebus artificiosis, valdèque imperfectis, ad quas sufficit quæcumque differentia accidentalis, quales in significando videntur esse propria; & impropria significatio. Notandum est hanc etiã diuisionem sensus litteralis, alijs terminis tradi in litteralem, & allegoricum, ita vt per sensum litteralem intelligatur ille duntaxat, qui ex propria, & natiua verborum significatione oritur; per allegoricum verò ille, qui ex aliena & translatitia significatione per tropũ habetur, sciendum enim est duplicem esse allegoriam vnam rerum, siue in rebus, alteram verborum, siue in verbis fundatam; quarum prima pertinet quidem ad sensum spiritualem, & mysticum, vt mox dicemus, secus autem secunda, sed ad litteralem, & cum orationis figura conuertitur, à qua dictionis exornatio est, vt ait Beda in libro de tropis, & D. Augustinus in lib. de vtilitate credendi, c.8. Allegoria igitur verborum si in genere accipiatur, cum omnia schematum genera latiore quodam significatu comprehendat, sicut & metaphora, rectè per sensum allegoricum in genere, intelligitur sensus improprius, vel figuratus in genere; dixi in genere, quia, vt statim notabimus Allegoria in specie est peculiare quoddam genus figuræ, sicut & metaphoræ.

Rursus litteralis sensus proprius, siue à propria significatione ortus, potissimum diuiditur in Historiam, Aetiologiã & Analogiam, vt colligitur ex D. Augustino, opere imperfecto in Genesim c.2. & lib. de vtilit. credendi cap. 8. Quæ tamen membra diuidentia, non tam sunt species sensus litteralis, quam diuersæ partes illius, seu modi significandi intra eamdem significationem. *Historia* enim est illa, quæ simpliciter factum aliquod narrat, *Aethiologia*, quæ assignat causam eius quod narratur, vt cum Matth. cap. 1. dicitur: *Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*; Et ibidem cap. 19. Christus Dominus ait, causam repudij vxorum in veteri lege fuisse duritiam cordis ipsorum Iudæorum: *Moyses*, inquit, *dedit vobis libellum repudij, ad duritiam cordis vestri*. In hanc recidit etymologia, id est nominis ratio. Analogia verò est, quando ostenditur veritatem vnius loci veritati alterius non repugnare, sed potius conformem esse, seu vnius loci per alterum intelligentia; vt Marci 1. Ioannes Baptista dixit Pharisæis: *Ego vox clamantis in deserto* &c. *sicut scriptum est in Isaia Propheta*. Ad analogiam etiam refertur simplex similitudo, quę est absque tropo, nam vnius ad aliud per explicationem allusio est. Id enim quod asseritur per simile explicatur. Hoc verò genus tam latè patet, quam sunt rerum explicationes per similitudines. Eius exemplũ habemus Lucæ 6. quando Christus Dominus assumpsit exemplum, vel factum Dauid, qui panes propositionis vt se in necessitate aleret, comederat, ad tuendos discipulos suos, qui in die Sabbathi spicas ad comedendum confricantes à Pharisæis

risæis carpebantur. Ex quibus omnibus satis patet prædictam sensus litteralis diuisionem non esse generis in species, vt iam notauimus; non enim complectitur diuersos sensus litterales, sed solùm diuersos modos, quibus ipsa Scripturæ testimonia vsui esse possunt ad aliquid cõfirmandum. Vbi etiam notandum est historiam hic sumi in stricta sua significatione, quatenus præcisè in Scriptura est simplex facti, vel rei alicuius narratio, nam si sumatur largo modo, quatenus, vt notauimus supra, omnis sensus litteralis, historicus dicitur, quia in historia maximè, & præcipuè reperitur, vnde translatum est postea, vt omnis littera Scripturæ, *historia* vocetur à Cassiano collat. 8. cap. 3. cæteræ etiam diuisionis partes ad historiam pertinent, dum plerumque ad litteralem rerum narrationem vsurpantur.

At sensus litteralis improprij, siue figurati, quo verba transferuntur à naturali significatione ad alienam, tot sunt species, quot sunt species figurarum, siue diuersi Rethorum tropi, quibus ornatus, necessitatisve causa verbum transfertur à propria ad alienam significationem; cùm enim duo sint figurarum, seu schematum genera, vnum ad sensum litteræ proprium spectans; alterum, quo vt statim dicebamus, verba transferuntur à naturali significatione ad alienam; satis patet per istud secundum duntaxat debere diuidi sensum litteralem impropriũ inter cuius species, quia reperitur parabola, ideo etiam sensus parabolicus, siue in parabola fundatus, magis debet dici litteralis, licet improprius, quàm spiritualis, vel mysticus: nam cum sensus litteralis sit id quod primò debet concipi à legẽte, & quod in nullo alio priori fundatur: in parabolis autem id quod primò concipitur, & intelligitur sit similitudo, & analogia rei alicuius cum altera, in qua ratio parabolæ consistit, fit vt earum sensus dici debeat potius litteralis, quã spiritualis. Vbi obiter aduertendum est, sensum litteralem in parabolis longè aliter se habere, quàm in metaphoris; nam in metaphoris ad sensum litteralem duntaxat pertinet impropria significatio vocis, propria verò penitus excluditur: at in parabolis ad sensum litteralẽ spectat, tam id quod in exemplum adducitur, quam res illa, ad quam significandam ipsum exemplum assumitur, vt in hac parabola constat: *Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farina satis tribus*: ibi enim vtrumque extremum litteraliter exprimitur, scilicet factum mulieris, fermentum ita abscondentis, & regnum ipsum cælorum, seu gratia Euangelij, quæ in corde recipi, & concipi debet. Litteraliter quippè intendit hac parabola Christus Dominus, regnum cælorum, seu gratiam Euangelij, secundùm hanc analogiam, & similitudinem debere in corde concipi, & abscondi. Sed de his satis in præsenti, cum enim huic sensui figurato, non minus quam cæteris sensibus spiritualibus innitantur Theologia Symbolica, & mystica, de illis iterum redibit sermo lib. 6. & 7. huius operis: quos exactæ vtriusque Theologiæ notitiæ destinauimus.

CAPVT CIII.

De sensu spirituali, siue Mystico Sacræ Scripturæ.

POstquam in superioribus ostendimus non tantùm spiritualem sensũ in Sacris Scripturis reperiri, sed etiam illas in hoc, omnes scientias atque doctrinas trascendere; quia, inquit Gregorius vno eodemque sermone dum narrat gestum, prodit mysterium. Nunc examinandum est, in quonam consistat ratio sensus spiritualis, quod etiam sufficienter colligitur ex dictis; vt enim sensus litteralis est ille, qui per voces, seu litteras Scripturæ intenditur, & significatur, siue propriè, siue impropriè & figuratè, quia omnia ista fundantur in significatione litteræ; ita sensus spiritualis est ille, qui significatur non per voces immediatè, sed per ipsas res significatas

tas à vocibus;secundùm quod sic vel sic ordinantur à Deo. Quæ definitio, vel descriptio cum satis ex dictis maneat explicata, tantùm circa nomen aduertendũ est, non appellari sensum spiritualem, quasi solus à Spiritu Sancto fuerit intentus, aut hominibus concessus ad eorum animæ salutem, spiritualemque vitam informandam, ac dirigendam; cum hoc etiam sensui litterali competat: vel quia sicut spiritus præcellit carni, ita sensus spiritualis litterali, nam supra vidimus sensum litteralẽ absolutè loquendo esse spirituali nobiliorem ac perfectiorem. Sed ita vocatur, quia sicut anima includitur in corpore, ita sensus spiritualis in ipsis rebus significatis à vocibus;& quia insuper regulariter loquendo, in veteri præsertim instrumento, eiusmodi res, quæ in figuram assumuntur, inferiores sunt rebus figuratis,vt notauimus supra: vnde etiam Apostolus ad Colossens. 2. veteris legis cæremonias, legalia, & id genus alia vmbræ comparat: spiritualem verò intellectum eorum corpori; quantumque præstat corpus vmbræ, anima corpori, seu spiritus carni, tantùm spiritualis sensus litterali. Tandem spiritualis vocari, spirituique comparari potest, ob illas omnes causas, quibus comparatiuè ad litteram occidentem, diximus supra illum viuificare,cùm id sit proprium spiritus, respectu corporis quod informat. Mysticus etiam dicitur, quasi occultus,& in secretò absconditus;vel quia distat à cortice, ac superficie litteræ, & in ipsis rebus latet, vel potius quia sub legis littera, veluti in secreto recondita mysteria fidei continentur:quod desumptum videtur ex D.Paulo passim, tum maximè 1. Corinth. cap. 2. vbi ait: *Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam verò non huius sæculi, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est*: Vt enim quæ pretiosiora sunt, & pluris habentur ab hominibus recõduntur, donec tempus sit opportunum, quo euulgentur: ita mysteria Christi ad ipsius vsque tempora fuerunt in lege recondita, donec per ipsum nobis reserata sunt. Denique sciendum est sensum spiritualem indifferenter à Sanctis Patribus nunc Allegoricum, nunc Tropologicum nunc etiam Anagogicum appellari; quatenus aliquando larga quadam, & ampla significatione, nomina specierum solent attribui suis generibus, & vice versa, generum nomina speciebus; vt enim mox videbimus Allegoria, Tropologia, & Anagogia, vel sensus in illis fundati, sunt tres sensus spiritualis species.

Dico igitur secundò, quod sensus spiritualis, seu mysticus diuiditur in tres species, scilicet, Allegoricum, Tropologicum, qui etiam moralis dicitur, & Anagogicum: colligitur manifestè ex Sanctis Patribus, qui licet hanc diuisionem in terminis non assignauerint: nihilominus rem ipsam, quæ per diuisionem significatur, satis expressè tradiderunt: præsertim D. Augustin. lib. 1. de Genes. ad litteram cap. 1. his verbis: *In omnibus sanctis libris intueri oportet, quæ ibi æterna intimentur, quæ facta narrentur, quæ futura prænuntientur, & quæ agenda præcipiantur, aut moneantur*: vbi cum enumeret ea capita, ad quæ facilè dicta sensuum diuisio reduci potest, meritò illius author dicitur; Quia tamen in illis verbis nihil dicit de sensu mystico, vel litterali: sed solùm enumerat varia capita, ad quæ reduci possunt omnia, quę in Scriptura continentur; vnde videtur esse diuisio quædam doctrinalis, quæque ad intelligenda distinctius Sacræ Scripturæ mysteria confert; trimembrem hanc diuisionem sensus spiritualis videtur clarius expressisse præfatus Sanctus doctor lib. de vera Religione cap. 50. in illis verbis: *Discamus quis sit modus exponendi allegoriam, an sufficiat à visibilibus, quæ præcesserunt, vsque ad inuisibilia recentiora eam perducere; an vsque ad animæ perfectiones, an vsque ad incommutabilem æternitatem*: vbi D. Augustinus per allegoriam intelligit sensum spiritualem attributo generi nomine primæ speciei, vt notauimus supra. Et quãuis ipse, neque alij Patres hanc diuisionẽ insinuassent, eam tamen intellexisse satis patet, quia de

de ſenſu myſtico, & ſpirituali in genere diſſeruerũt, qui poſtea in tres dictas ſpecies ex eorum mente ſubdiuiditur, cum his tribus modis, nempe Allegoricè, Moraliter, ſiue Tropologicè & Anagogicè ſcripturam ipſam expoſuerint. Et in tantùm nonnulli vnius duntaxat ſenſus ſpiritualis mentionem fecerunt, in quãtùm non ſolùm, vt iam notauimus, genus nomine ſpeciei, ſed etiam vnam ſpeciem nonnunquam nomine alterius ſolent appellare, vt anagogicum pro allegorico, & tropologicum pro alterutro aliorum duorum: illudque videre eſt apud D. Hieronymũ in epiſtola ad Hedibiam quæſt. 12. *Vnus*, inquit, *ſenſus ad fidem, & mores pertinet: alter verò, quo ad ſublimiora tenditur, & de futurorum beatitudine diſputatur.*

Vndè ex ſupradictis Patribus & alijs D. Thomas 1. p. q. 1. artic. 10. poſterioreſque Theologi tres illas ſpecies ſenſus Spiritualis hauſerunt, quas poſtea clarius tantum, ac diſtinctius tradiderunt & explicuerunt, ſecundùm quod res aliquæ aſſumuntur ad ſignificandum iuxta diuerſam ordinationem ad finem ſpiritualem. Cùm enim Chriſtus, qui ex Apoſtolo Roman. 10. *finis eſt legis*, datus ſit nobis primò in exemplum, ſecundò in authorem gratiæ, tertiò in conſummatorem gloriæ; ea quæ nobis ſignificant id quod debemus agere ad imitationem Chriſti, atque adeo pertinent ad morum informationem, conſtituunt ſẽſum moralem, ſeu tropologicum. Quæ verò in lege veteri per vmbras, & figuras, ſeu per modum Sacramentorum ſignificabant gratiam, & ſtatum Euangelicum, in quo veritas per Ieſum Chriſtum facta, conſtituunt ſenſum allegoricum; Anagogicum autem, id eſt, ſublimem, & ſuperiorem, quæ aſſumuntur ad ſignificandum ſtatum gloriæ futurum per eumdem Chriſtum. Vndè verſus.

Littera geſta docet, quid credas Allegoria.

Moralis quid agas, quo tendas Anagogia.

Quos verſus licet irrideat Lutherus in Pſalm. 22. tomo 3. Edit. Vvitembergenſis; parum curandum eſt, cum ea duntaxat ratione id fecerit, qua omnia bona irridere, & improbare ſolet; cui proindè cum Auguſtino lib. 1. de doctrina Chriſtiana cap. 20. reſpondendum eſt. *Sed cùm tam multis exitibus, & expoſitionibus, verba ſcripturæ, quæ tractauimus, exponantur; cohibeant ſe tandem, qui litteris inflati ſæcularibus, hic ita poſita, vt omnia pia corda nutriant, veluti imperitum, atque impolitum aliquid exagitant, ſine pennis in terra reptantes, & volatu ranarum, auium nidos irridentes.*

Præfatæ autem diuiſionis ſufficiens ratio deſumitur ex eo, quod quæcumque traduntur in ſacris litteris vel ad fidem confirmandam, vel ad mores, vel ad ſtatum Eccleſiæ militantis, aut triũphantis pertinent: ſi ad fidem confirmãdam, habetur ſenſus litteralis, argumentum quippe vim habens fidei communiter non aliundè, quam ex ſenſu litterali depromitur: ſi ad mores, habetur Tropologicus: ſi ad ſtatum Eccleſiæ militantis in nouo præſertim teſtamento, Allegoricus, ad hunc enim ſenſum omnes quotquot ſunt veteris teſtamenti figuræ, quibus Eccleſiæ militantis ſtatus deſignatur, reuocantur: ſi verò ad ſtatum triumphantis, Anagogicus. Quæ etiam diuiſio propria eſt ſẽſus ſpiritualis, nec litterali attribui poteſt. Etſi enim verum ſit de his tribus in ſcriptura litteraliter agi, diuerſis tamen in locis; nihilominus quia tunc immediatè per ipſas voces propriè, aut figuratè acceptas ſignificantur; certum eſt ad ſenſum ſpiritualem, ſeu myſticum non pertinere, ſed ad litteralem: quem ſi ratione materiæ ſignificatæ vellet quis ita diſtribuere, eſſet quidem eadem diuiſio veluti materialis, ſiue quo ad nomẽ vtriuſque ſenſus, non autem formalis; quomodo loquimur in præſenti, aſſerendo, quod ſenſus ſpiritualis in dictas ſpecies diuidatur, non autem ſenſus litteralis.

Dico tertiò non inuenitur ſpiritualis ſenſus in omni ſententia ſcripturæ, nec

in

in testamento veteri, neque in nouo. Conclusio est communis inter Theologos; Illud enim v. g. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, Deuter. 6. & Matth. 22. non habet nisi vnum sensum litteralem, vt rectè docet Cassianus collat.8. cap.3. Idem asserendum est de similibus præceptis, iurisq; naturæ principijs, & moralibus exhortationibus ad virtutem, quæ frequenter in sapientialibus, & alibi reperiuntur, in quibus ipsemet sensus spiritualis, id est de materijs spiritualibus tractans, historialis ac litteralis est. Et licet aliqua sint in ijs locis, quæ metaphoris constant: haud tamen illa suo carent litterali sensu, sed in illis sensus litteralis, vt multoties diximus, ille tunc est, quem voces in sua figurata, vel metaphorica significatione habent, vt cum dicitur, V.g. in Canticis cap.7. *Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra faciem Damasci*; litteraliter, prudentia sponsæ significatur, quæ à longè media ad bene operandum necessaria, subolfaciebat.

Quarto dico. Non quicumque locus Scripturæ habēs sensum mysticum, suscipit omnes tres sensus supra memoratos: sed nonnulla habent vnum tantùm; nonnulla duos: nōnulla tres. Huic etiam conclusioni Theologi communiter subscribunt: quæ facilè declaratur & probatur exemplis; in illo enim numeror.cap.21. de serpente æneo, qui Ioannis 3. allegoricè de passione Christi Domini, & cruce eius explicatur; nullus sensus moralis, neque anagogicus excogitari posse videtur. Similiter in illo loco ad Hebræos 13. vbi D.Paulus dicit, Christum extra portam passum fuisse, vt significaret nobis sæculi abrenuntiationem; *vt exeamus*, inquit, *& nos extra castra, improperium eius portantes*; reperitur quidem præfatus sensus tropologicus; allegoricus autem non habet locum; quia ipsa littera explicat mysteriū fidei: neque anagogicus; quia nihil ibi figuratur, quod pertineat ad statum beatitudinis. Idem Apostolus ad Galat. 4. exponit figuram de duobus filijs Abrahæ allegoricè de duobus testamentis, nouo, & veteri; & de duabus ciuitatibus Hierusalem terrestri & Ecclesia; deinde anagogicè de superna Hierusalem, illis verbis: *Illa autem, quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra*; Nihil verò dicit, quod ad tropologicum sensum referri possit: neque apparet, quomodo talis sensus illi figuræ conuenienter aptari possit. At verò ad Hebræos 3. & 4. illa verba Psalmi 94. *Quibus iuraui in ira mea, si intrabunt in requiem meam*; declarat allegoricè, tropologicè, & anagogicè. Nam quod ad litteram dixit Psalmista de filijs Israel, qui fuerunt proterui & inobedientes, accōmodat allegoricè ijs, qui recusantes fidem, ad Ecclesiæ requiem introire noluerunt; & omnibus vniuersim, qui inobedientes præceptis Dei ad æternam beatitudinem non peruenient, in quo satis exprimitur tam sensus moralis, quam anagogicus. Eodem modo Sancti Patres interpretantur alia plura tàm veteris, quam noui testamenti loca: Quin imo tres illi sensus satis frequenter in vnica etiam Scripturæ dictione reperiuntur, V.g. *Hierusalem*, quæ præter litteralem sensum, quo ciuitatem Palæstinæ significat; Allegoricè Ecclesiam militantem; Tropologicè animam fidelem; Anagogicè verò Ecclesiam triumphantem denotat. Tantùm de sensu spirituali, de quo fusius agemus infra lib.6.

Solùm in fine huius capitis inquiret aliquis, vtrum ex sensu mystico efficax argumentum ad res fidei confirmandas, desumi possit. Qua in re duæ sunt diuersæ Theologorum sententiæ. Prima Medinæ lib. 6. de recta in Deum fide cap.25. Alphonsi à Castro lib.1. contra hæresos cap. 3. & aliorum putantiū sensum mysticum non esse minoris roboris, ad dogma aliquod de fide probādum, quam litteralem. Secunda verò sententia oppositum asserit, videlicet ex hoc sensu mystico efficax argumentum, pro rebus fidei confirmandis, sumi non posse; tribuitur D.Thomæ 1.p.quęst.1. artic.10. & reliquis ferè omnibus Theologis.

logis. Quæ tamen duæ sententiæ facile possunt ad concordiam reuocari, præsensque difficultas solui, ex his quæ docuimus supra lib. 2. sect. 5. cap. 1. vbi ostendendo quantam probationem Theologicam faciat locus ab authoritate diuinarum Scripturarum, diximus, ex sensu spirituali illarum desumi posse secũdum se irrefragabile argumentum; cùm enim omnis sensus, siue litteralis, siue mysticus, sit intentus à Spiritu Sancto, necessario dicendum est, quod omnis sensus etiam mysticus infallibilem secũdum se contineat authotitatem; nec solùm secundum se, sed etiam quo ad nos, vbi certò semel de illo nobis constaret, aut per aliquod aliud litterale testimonium, vel quandò allatus esset ab Apostolis, sacrisque Scriptoribus; vel propter magnam authoritatem Patrum, qui aliquam expositionem mysticam traderent; quamque approbaret Ecclesia. Quomodo debet intelligi prima sententia, negareq; non possunt authores posterioris sententiæ, quin ex sensu mystico efficax argumentum erui possit. Attamen quia regulariter loquendo raro euenit, vt sensus mysticus tanta certitudine constet, ac litteralis; nàm litteralis determinatus est, & solis verbis probatur; mysticus verò cum pendeat ex rebus ipsis, & earum similitudine, non est ex vi verborum determinatus; vnde etiam quia non potest conuinci ex vi verborum, vt certò, & indubitanter constet, debet habere adminiculum alterius loci, vel Ecclesiæ approbantis, vel magnæ authoritatis Patrum; ideo regulariter non est vtilis ad arguendum: & in hoc differt à litterali; quod litteralis regulariter firmissima præbeat argumẽta; Spiritualis verò non item; Quomodo verissima est sententia D. Thomæ, rectèque Dionysius & alij Patres loco citato adducti docuerunt Theologiam symbolicam non esse argumentatiuam.

CAPVT CIV.

De sensu accommodatitio sacræ Scripturæ.

ETsi ex dictis supra sensus accõmodatitius sacræ Scripturæ non sit verus illius sensus, sed impropriè tantùm, sicut homo pictus; accommodatio enim scripturæ nihil est aliud, quàm applicatio, & extensio quarumdam sententiarum, aut historiarum scripturæ ad morum informationem, & nonnunquã ex cõsequenti, ad aliqua religionis dogmata confirmanda: ita tamen, vt hanc applicationem, seu extensionem author Scripturæ, nullo modo neque in sensu litterali, neque in spirituali intenderit; vndè non tàm sensus videtur appellandus, quàm merus verborum scripturæ vsus. Quia tamen nihil prohibet multa illius verba accommodari posse alicui rei, quia ei aptè conueniunt, quamquàm ex intentione authoris ad eam relata minimè fuerint. Quomodo Ecclesia vsurpat in diuinis officijs ad commendationem aliquorum Sanctorum in eorum festis, quæ de alijs dicta fuerũt, vt quod Ecclesiastici 44. de Moyse dicitur: *Dilectus Deo, & hominibus*; & quod de Abraham: *Non est inuentus similis qui conseruaret legem Excelsi &c.* In hoc etiã sensu illud Canticor. 2. vbi dicitur de sponso, quod *pascitur inter lilia*, assumitur ad commendandam Regum Christianissimorum ergà Ecclesiam singularem reuerentiã, quodque Christus Dominus verus eius sponsus in sũmis Pontificibus Romanis suis vicarijs, specialẽ semper apud illos protectionem inuenerit. Insuper illud Psal. 19. *Domine saluum fac regem*; quod ex Nauarro de Regibus Galliæ pariter intelligitur, qui ob insignia Ecclesiæ Romanæ collata beneficia, ab ea reges per antonomasiam appellati sunt. Et tandem illa verba Euãgelij Lucæ 12. *Considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborãt, neque nent:* quibus Galli contra Anglos fœminas à

sceptro

sceptro Gallico iure diuino arceri olim contendebant: si quidem lilia, quæ sunt insignia Regum Galliæ, & quæ eos propterea significant, non laborant scilicet in partu, neque nent, colum gestando: hæc inquam verba per meram accommodationem dicta sunt: Cum Spiritus Sanctus per illa legem Salicam, qua soli masculi ad regnum euehuntur, & fœminæ excluduntur, litteraliter aut mysticè significare non intenderit.

Quia igitur sic se habet ex dictis, vt multa Scripturæ loca per accommodationem duntaxat citari possint; grauis oritur difficultas an sententiæ, quas ex veteri testamento proferunt Euangelistæ, in confirmationem eorum, quæ de Christo narrant, sint per accommodationem solam ab ijs vsurpata: Qua in re fuit error Theodori Mosuesteni quæcunque dicta sunt de Christo, & eius mysterijs interpretantis κατ' ἔκβασιν, id est secundum rei euentum, simplicemque accommodationem; ita exponebat illud Ioelis: *Effundam de spiritu meo super omnem carnem*; illud Micheæ, *Et tu Bethleem terra Iuda*; aliaque similia quæ passim occurrunt in historia Euangelica. Hanc interpretandi rationem quosdam in Hispania renouare conatos fuisse tradunt Turrianus lib. 2. constitut. Apostolic. cap. 5. & Vasques 1. p. disp. 6. cap. 4. Ex doctoribus etiam Catholicis Cornelius Iansenius Gandauensis cap. 11. suæ concordiæ Euangelicæ existimauit omnes illas sententias, quæ ab Euangelistis, & Apostolis ex veteri testamento citantur, maiori ex parte per expositionem accommodatitiam fuisse allatas. Differt tamen ab hæreticis supradictis, quod illi peruerso dogmate docuerunt nec per verba, nec per res, nec proximè, nec remotè, à Spiritu Sancto fuisse mysteria gratiæ & gloriæ significata: At præfatus auctor, admisso sensu tàm litterali, quàm spirituali diuinarum Scripturarũ, nonnulla tantùm loca ex illis per accõmodationem ab Euangelistis intellecta, & vsurpata fuisse putauit, quòd ipsa neque mysticè, neque litteraliter ad Christum referri posse viderentur; & tantam adhuc illis authoritatem tribuit, quantam habet sacer author, qui ea adduxit, suoque intento adaptauit; quam authoritatem non habet priuatus scriptor, vel doctor tali vtens accommodatione. Cõtraria tamèn sententia est omniũ Theologorum asserentium omnia testimonia, quæ proferunt Euangelistæ in cõfirmationem eorum quæ narrant, non posse dici per solam accommodationem assumpta.

Pro cuius intelligentia, veraque difficultatis resolutione notandum est breuiter, quandò scriptura vtitur verbis alterius loci, dupliciter id contingere posse. Primò ita vt adducantur in confirmationem veritatis, quoties nimirum dicunt sacri Scriptores: tunc impletum est: Vel, vt impleretur quod Scriptura, aut Prophetæ dicunt. Secundò ita vt simplici duntaxat narratione proferantur. Hoc prænotato.

Dico primò, nullum esse Scripturæ locum à Scriptoribus canonicis in confirmationem alicuius mysterij aut veritatis adductum, qui sola accommodatione intelligendus sit; sed vel in sensu litterali, vel mystico. Ista conclusio est omnium fere Theologorum, adeoque certa vt à permultis opposita sententia temeritatis arguatur, & meritò. Nam primò Vigilius Papa, cùm cap. 22. retulisset errores Theodori Mosuesteni, ait. *In supradicto capite hoc videtur dici, prophetiam, quæ ex persona Christi loquens ait, non derelinques animam meam in inferno, non de ipso Christo prædictam fuisse; sed de populo Israelitico: hoc autem verum euentũ ex ipsis rebus accepisse in Domino: & ideo Beatum Petrum ad Christũ hanc prophetiam per euentum aptare voluisse; qui hæc ita sapit, docet, credit, prædicat, anathema sit.* Et cap. 23. relatis alijs Prophetarum locis, quæ per euentum similiter dicebat Theodorus euenisse, sub eodem anathemate illud interdicit. Secundò probant aliqui conclusionem authoritate Patrũ, Irenæi lib. 1. cap. 1. Tertulliani de præscript. cap. 39.

Auguſtini lib. 3. contra Donatiſtas c. 19. Sed vt fatear verum, nihil circa propoſitam difficultatem clarè docent, ſed hæreticos tantum reprehendunt, quod ſibi, ſuiſque erroribus confirmandis authoritatem Scripturæ per accommodationem adaptarent; ſic Donatiſtæ ex illo Cantic. 1. *Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie*; dicebant Eccleſiam ex orbe terrarum perijſſe, & in Africa ſolùm penes ipſos remanſiſſe; quos redarguens D. Auguſtinus epiſt. 48. ait, eodem modo id ipſum poſſe fingere Aquilonares Eccleſias, quia adducere, ſibique accommodare poſſent illud Pſalm. 47. *Latera Aquilonis ciuitas regis magni.* Sic noſtris tẽporibus Michael Seruetus referente Beza in vita Caluini, illum locũ Apocalipſ. *Michael, & Angeli eius præliabantur cum dracone* ad ſeipſum referebat. Solus D. Hieronymus videtur apertè ſupponere ſenſum accommodatitium non eſſe verum Scripturæ ſenſum, atque adeò non poſſe in illa reperiri, vbi loca Scripturæ à Scriptoribus ſacris allegantur in confirmationem, vel probationem eorum, quæ aſſeruntur: dum in epiſtola ad Paulinum indè arguit *Virgiliũ ſine Chriſto poſſe dici Chriſtianum* quia ſcripſit;

Iam redit & virgo; redeunt Saturnia regna
Iam noua progenies cælo demittitur alto.

aliaque multa ſimilia, quæ ſecundum rei euentum, ſenſumque accommodatitium, rectè Chriſto Domino, & eius myſterijs adaptari poſſunt; vt ſatis patet ex opere Probæ Falconiæ, Illuſtris Matronæ Romanæ, circa annum Domini 430. quæ prima omnium excogitauit ex verſibus Virgilij Maronis, quem totum memoria tenebat, varia vtriuſque teſtamenti loca metricè deſcribere; ipſumque opus *Virgiliocẽtonas* inſcripſit, quod habetur in Bibliotheca SS. Patrum, & eius initium eſt,

Iamdudum temeraſſe duces pia fœdera pacis

Fulgoſus in collectaneis ſuis refert eandem hoc ipſum homericis carminibus confeciſſe. Verum quiquid ſit de hoc; certum eſt ad imitationem Probæ, alteram Illuſtrem fæminam, Eudociã Leonis Athenienſis Philoſophi filiam, & Theodoſij Iunioris Auguſti vxorem, ex Græcis Homeri Carminibus admirabili induſtria plurimas veteris ac noui teſtamenti hiſtorias, ſeruata pedum menſura, & Homerici carminis maieſtate collegiſſe, quod opus Ὁμηρόκεντρα, hoc eſt Homerocentonas attitulauit. Sicut igitur ſi quis videns prędictorum verſuum ad Chriſtum, fideique Catholicæ myſteria accommodationem, diceret, V. g. impletum eſt, quod Virgilius & Homerus dixerunt, vel, hoc autem factum eſt, vt adimpleretur illud Virgilij, & Homeri, falſum certè & ineptum eſſet; nõ alia ratione, niſi quia præter inſtitutum, & ſcopum prædictorum Poëtarum, eorum verſus, rebus alijs ſignificãdis, quas illi nunquam intenderunt accommodarentur: Ita ex D. Hieronymo, ſi ſola accommodatione intelligendum eſſet, atque adeò tanquàm quid à Spiritu Sãcto non intentũ, omne id quod ex ſcriptura proferunt Euangeliſtæ in confirmationem eorum quæ narrant; falsò dicerent: *Hoc autem factum eſt, vt impleretur quod dictum eſt*: Prophetia enim nõ impletur, niſi quando fit, quod prædictum eſt, & prouiſum vt fieret; vt ſatis per ſe patet, conſtabitque ex ſequentibus rationibus, quibus tertio probatur noſtra concluſio.

Prima eſt, quia ſenſus accommodatitius, vt ſupponunt etiam aduerſarij, nõ eſt vllo modo propheticus, neque intẽtus à Spiritu Sancto: ex eo igitur ſolo non poteſt dici propheticam quamdam fuiſſe adimpletam. Atqui Euangeliſtæ, quando aliquod Prophetarum teſtimonium adducunt, ſolent præmittere, *Vt adimpleretur quod dictum eſt per prophetam*. Item, *bene prophetauit de vobis Iſaias*; Ergò dicendum eſt talia teſtimonia, non ſolùm per accommodationem allata eſſe ab ipſis Euangeliſtis, ſed quia reipſa Prophetæ in ſenſu litterali, aut my-

ſtico

ftico istud quod scribebant Euangelistę, significauerant, & prædixerant.

Secunda, quoniam Euangelistæ, & alij Scriptores sacri noui testamenti, quandò in confirmationem veritatis adducunt aliqua facta, vel dicta Prophetica, remque ita se habere, vel contigisse testantur, *vt adimpleretur quod scriptum est*; debent id afferre in aliquo sensu probatiuo, quique negari non possit: si quidem scribebant non solum Gentibus, sed etiã Iudęis infensissimis Christi, & Christianæ religionis hostibus, qui, si semel testimonia scripturæ, aliter ac à prophetis intenta fuerãt, quàmque ipsi admittebant, afferri vidissent, facilè omnia negassent. At sensus accommodatitius, vt potè non intentus à Spiritu Sancto non est ita probatiuus, siue ex illo ita firmum, & efficax argumentum erui nõ potest, quin facilè Gentiles, aut Iudæi illud negare potuissent; apud quos non magis Euangelistæ suum intentum tali sensu probassent, quàm si ex prophana quadam historia, aliqua Christo accommodassent. Ergò vbi Euangelistæ aliquem locum veteris Scripturæ proferũt in confirmationem veritatis; quod fit maximè quoties dicunt; *tunc impletum est*: vel, *vt impleretur quod scriptum est*; quoniam nullo verbo clarius exprimi potest, non esse fortuitum euentum, sed in eo impleri, quod Propheta dixerat: prophetia quippè non aliter impletur, quàm cùm fit, quod prædixerat; vndè Christus Dominus Matth. 26. affirmans, se non posse recusare passionem, dixit: *Quomodo ergò implebũtur scripturæ?* quia nimirum aliter impleri non possunt, quã si fiat, quod dixerunt, aut significarunt; Tunc dicendum est, ac pro regula generali statuendum, talia testimonia non adduci per solam accommodationem, sed quia in sensu litterali, vel ad minus mystico intentum ipsorum probant, siue quod idem est, quia reipsa prophetæ in sẽsu litterali, aut mystico istud quod narrant Euangelistæ, significare voluerunt.

Vltimò probatur conclusio ostendendo loca illa, quæ Iansenius in suæ sententiæ patrocinium affert, non posse dici per solam accommodationẽ assumpta ab ipsis Euangelistis. Et quidem ille qui ex Ieremia cap. 31. depromitur Matth. 2. *Vox in Rama audita est &c.* litteraliter, aut saltem mysticè de nece Innocentiũ debet intelligi; Mysticè, quatenus captiuitas filiorum Israel, & fletus matrum videntium suos filios durè excipi, & multos eorum ab Assyrijs interfici, internecionẽ paruulorum, sub Herode Rege figurabat: vel, quod probabilius est, litteraliter, quatenus prædictus Prophetæ locus duplicem sensum litteralem habet, vt ibi docere videtur D. Thomas, vnum de fletu ob captiuitatem Israelitarum, sub Nabuchodonosor: alterum de lamentatione, & ploratu matrum paruulorum occisorum ab Herode: in hoc enim capite, præter ea quæ sunt de captiuitate sub ipso Nabuchodonosor, multa de Christo, & eius effectibus traduntur: quo fit, vt duplex sensus litteralis horum Ieremiæ verborum admittendus sit, potius quàm ad sensus accommodatitios, qui ad confirmationem alicuius dogmatis, aut etiam historiæ, quæ describitur, sunt prorsus inutiles, confugere: præsertim cùm iuxta regulam à nobis datam Euangelista præmiserit, *Tunc adimpletum est, quod dictum est per Ieremiam Prophetam dicentem*. Cur autem figurãta Rachelis locutione, siue sub figura Rachelis plorantis vtrumque sensum Propheta voluerit exprimere, videndi sunt ibi interpretes; fortasse, quia quando pertransierunt captiui, per illum locum, plorarunt, dicitur figuratè Rachel plorasse; eodẽ modo; plorantibus Bethleemicis matribus, designatis in plorante Rachele, quæ in Bethleem in via Beniamin erat sepulta.

Similiter ille locus, quem idẽ Matthæus cap. 2. refert ex Osea cap. 11. *ex Aegypto vocaui filium meum*, sensum accommodatitium non admittit, quandoquidem præmisit Euangelista, *vt adimpleretur quod dictũ est à Domino per Prophetam dicentem*; sed ibi verè prædixit Oseas

Oseas fugam Christi in Aegyptum, & reditum eiusdem ex Aegypto: pluribus placet, fuisse ibi sensum mysticum tantùm, eo quod exitus populi Israel de Aegypto figura fuit reditus Christi ex eadem regione. Nec obiectio Iansenij in contrarium, quod per vniuersum aliquem populum, vnum hominem nempe Christum voluerit Propheta significare, alicuius est momenti: non solùm quia Patres satis frequêter asserunt Populum Israeliticum in multis figuram gessisse Saluatoris; Verum etiam quia, sicut vnus homo potest Vniuersum aliquem populum significare, ita vnus populus potest vnum hominem designare, Par enim vtrobique est ratio, præsertim quando ipse vnus, qui significatur, est princeps & caput totius alicuius communitatis, sicut est Christus: quod quidem probatur Genes. 25. vbi dictum est Rebeccæ, *Duæ gentes in vtero tuo sunt*, propter Esau, & Iacob, qui in eius vtero tunc degebant. Alijs magis arridet prædictum Oseæ locum non solùm debere intelligi in sensu mystico, sed etiam litterali, quatenus duos habet sensus litterales vnum de Christo; alterum de populo Israelitico, vt supra suo loco notauimus; vel si vnum tantùm habet, de solo Christo; vt putat Lorca 22. tract. de locis disp. 18. Quod de duobus præfatis locis ostendimus, facilè de omnibus alijs intelligi potest, quibus iuxta regulam assignatam prçmittunt Scriptores sacri noui testamenti, *Impletum est*, vel, *vt adimpleretur &c.* debere litteraliter, vel saltem Mysticè exponi, & non per solam accommodationem. Dicitur, aut saltem mysticè, quia hic de qualitate sensus non laboramus, satisque est nobis probasse, per solam accommodationem talia testimonia non fuisse ab Euangelistis allata. Quamuis, vt dixi supra, probabilius sit ea, quæ ab illis ex veteri testamento citantur, secundum vtrumque sensum & litteralem, & mysticum citari: alias enim si tantùm secundum mysticum citarentur, non essent tàm magni ad confirmationem eorum quæ scripserunt, roboris: cum regulariter ex sensu mystico firmum pro fide argumétum non eruatur.

Dico secundò, quando Scriptores sacri aliqua Scripturæ testimonia, non in confirmationem veritatis, sed simplici duntaxat narratione proferunt, tunc per accommodationem illis vti, congruè dici potest. Conclusio est communis inter Theologos; cuius ratio desumitur ex dictis; sacram videlicet Scripturam in sensu accommodatitio posse vsurpari, cù igitur talis in tantùm admitti non possit, in aliquibus Scripturæ locis, in quantùm Euangelistæ illis vtuntur ad confirmandam aliquam veritatem, aut ostendendũ aliquam prophetiam in ea fuisse adimpletam; quod falsum esset, si nec mysticè, nec litteraliter in illis prædicta, aut significata fuisset, vbi cessat ista ratio, simplicique tantùm narratione aliqua testimonia proferuntur, sine vllo inconuenienti dici potest, tunc per solam accommodationem illa vsurpari. Imò cum æqualis periculi plerumque sit, quod nõ est effingere, & quod est vana interpretatione eludere, sicut, quæ litteraliter, vel mysticè traduntur ab Euangelistis ex Scriptura veteri, cum illa nota, *hoc factũ est, vt adimpleretur &c.* aut alia simili, non sunt per accommodationem solùm temere explicanda, ita nec pro litterali, vel mystico sensu venditanda illa, quibus sine vllo incommodo accommodatitius sensus adaptari potest. Tripliciter enim possunt accommodari verba Scripturç ad rem alteram, quæ tamen non venit in mentem Scriptoris, nec fuit ab illo intenta. Primò, solo simplici vsu verborum; cuius exemplum habetur Apocalips. cap. 11. vbi Ioannes loquens de Enoch & Elia vsurpat illa verba: *Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra, in conspectu Domini stantes:* quæ Zacharias cap. 4. paululum immutata protulit, vel de Iesu Sacerdote, & Zorobabele duce, vel de alijs, & nullo modo de Enoch & Elia. Secundò, in orationibus, quæ ad Deum funduntur, potest vnus vsurpare verba, aut orationem alterius, quia suo instituto accom-

accommodata est. Quomodo Iudith c. 9. in sua oratione multa verba congerit ex alijs Scripturæ locis, vt illud; *Qui confidunt in multitudine sua, & in curribus suis gloriantur*. Et illud; *Dominus conterens bella, Dominus nomen est tibi*, & alia nõnulla. Tertiò adducendo in exemplum, vt vnius rei similitudine declaretur alia. Qua ratione Lucæ c. 6. assumpsit Christus exemplum Dauidis, qui panes propositionis necessitate pressus comederat ad tuendos discipulos, qui in die sabbathi spicas ad vescendum in suis manibus contriuerant, ex quo Christus luculenter explicauit, quænam licerent die sabbathi, & quomodo prohibitio operum in tali die deberet intelligi. Qui tres modi cum ita se habeant, vt duobus prioribus nullum argumentum fiat ex verbis accõmodatis; tertiò autem licet fiat, non tamen cõfirmando rem testimonij verbis, sed à simili, ab vna re ad alteram ducendo similitudinem, quoties aliquo ex illis accommodantur verba Scripturæ ad rem alteram, sufficit in illis accommodatitium sensum admittere.

Dico tertiò Scripturæ accommodationem, siue sensum eius accommodatitium inutilem prorsus esse ad arguendum: quoniam neque est sensus Scripturæ verus, neque à Spiritu Sancto intentus, vt supra probatum est: non potest igitur validum argumentum ad res fidei confirmandas suppeditare: quando tamen eiusmodi accommodationes veritatem exprimunt, suamque grauitatem, & energiam præferunt, præsertim vbi ab vniuersali Ecclesia fiunt, mirificè fidei mysteria illustrant, viamque ad illa capienda fidelibus aperiunt. Vndè nullus est Scripturarum abusus, si in officijs sacris aliquando Ecclesia vel immutat, vel truncat, vel addit aliqua, quoniam ea duntaxat assumit, quæ proposito mysterio declarando & proponendo magis conducere videntur. Quod cùm ad priuatos homines minimè pertineat, non passim temere vsurpandum est; sicubi tamen tali Scripturarum accommodatione vti contigerit, sibi in ea præscribãt fideles, puram mysteriorum diuinorum explicationem, morum informationem, sanctorum virorum commendationem, aliaque similia; nullo autem modo ad facetias, & nęnias verba Scripturę transferant, vel ad proprios sensus extorqueant, nec accommodationem illam, tanquam litteralem, aut mysticum sensu venditare præsumant. Si enim reprehensione digni sunt, qui vana curiositate, vt notauimus supra, in omnibus Scripturæ locis spiritualem sensum requirunt, & ex omnibus eum eruere conantur; nam hoc studio frequenter eos sensus Scripturæ tribuũt, qui indigni sunt eius maiestate, plura frigida, & inepta comminiscendo, quæ potius risum, quàm deuotionem excitent; & potius somnia, sint humani ingenij, quam Spiritus Sancti mysteria; pro vt reprehendit Hieronymus Origenem lib. 5. in Ieremiam, & in prologo commentariorum in Malachiam, vocando eum *Allegoricum & delirum interpretem*; Id à fortiori in nostro casu dicendum est.

CAPVT CV.

Vnde authentica, & infallibilis diuinarum Scripturarum interpretatio petenda sit.

CVm ex supradictis abundè constet Scripturam esse difficilem, multis de causis, sed præsertim ob varios, quos habet sensus, nunc agendum est de illius interpretatione, quæ circa tales sensus eruendos tanquam circa suum obiectum potissimè versatur. Cum enim duplex sit interpretatio vna, qua Scriptura ex vna lingua ignota, aut minus nota, in aliam magis notam transfertur, & per illam declaratur; altera qua in vnaquaque lingua, veri eius sensus aperiuntur, & explicantur, nunc de ista differimus, & primum inquirimus, vnde petenda, vt infallibilis, & authentica sit. Cùm enim inter Catholicos conueniat Scripturas intelligi, & interpretari debere eo spiritu quo factæ sunt, id est, Spiritu San-

Sancto; quòd Apostolus Petrus epist. 2. cap. 1. docet, cum ait: *Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim humana voluntate allata est aliquãdo prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.* Vbi B. Petrus probat non debere exponi Scripturas ex proprio ingenio, sed secundum dictamen Spiritus Sancti, quia non sunt scriptæ humana ingenio, sed ex inspiratione eiusdem Spiritus Sancti. Grauis tamen controuersia existit, vbi sit iste Spiritus. Hæretici enim omnes huius temporis, tam Lutherani, quam Caluinistæ, vt suis erroribus viam sternerent, publicamque & communem veritatem, facerent priuatam cum illo suo priuato Spiritu, authoritatem interpretandę Scripturæ ab Ecclesiæ iudicio, & magisterio, ad priuatũ quemque hominẽ deduxerunt, qui spiritum Dei habeat, vel potius se habere iactet. At Catholici, licet admittant libenter hunc spiritum multis priuatis hominibus sæpe concedi, constanter tamen asserunt certò tantum inueniri in Ecclesia, atque adeò expectandam esse ab illa sola infallibilem, & authenticam diuinarum Scripturarũ interpretationẽ. Quod quia satis manet probatũ ex dictis lib. 2. huius operis, sect. 6. vbi agendo de loco Theologico, cui tanquam Iudici controuersiarum diuinæ fidei sistendum est, ostendimus esse Ecclesiam; vnum hic tantum argumentum subiungam.

Ibi quærenda est authentica Scripturarum interpretatio, vbi verus ac legitimus illarum sensus asseruatur, certòque reperitur, sed in Ecclesia, vt in ditissimo deposito illibatè custoditur verus, ac legitimus Scripturarum sensus; ergo ex D. Irenæo lib. 3. cap. 4. *Non oportet quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cùm Apostoli quasi in depositum dives, plenissimè in eam contulerint quæ sint veritatis.* Maior istius argumenti videtur esse certa. Minor antem probatur; quia hæc tria, vera fides, vera doctrina, & vera intelligẽtia Sacræ Scripturæ sunt essentialiter connexa, separarique ab inuicem non possunt: doctrina enim idem docet, quod fides credit: intelligentia autem Sacræ Scripturæ, tum doctrinæ, tùm fidei fundamentum est; vnde Tertullianus lib. de præscription. cap. 19. *Vbi apparuerit esse veritatem disciplinę, & fidei christianæ, illic erit veritas Scripturarum, & expositionum, & omnium traditionum.* Ergò ea ratione, qua sola fides Ecclesiæ Catholicæ est certa, siue quod idem est, eo ipso quod in sola Ecclesia Catholica certò reperitur vera fides, ita vt fides singulorum fidelium eatenus sit vera & certa, quatenus cum fide Ecclesiæ concordat, quam de necessitate salutis tenentur credere; manifestè sequitur in ea etiam sola certò reperiri verum ac legitimum Scripturarum sensum, siue intelligentiam, atque adeò authoritatiuam earum interpretationem ad illam pertinere, & ab illa humiliter quærendam esse; Quod etiam apertè colligitur ex perpetua praxi Ecclesiæ ab initio decurrentis: mota enim quæstione de legalibus, conuenerunt Apostoli, & seniores videre de verbo hoc, & declararunt eo facto, cui pręsidebat Petrus, in iudicio publico enodationem controuersiarum, super sensum & intelligentiam Scripturarum, non ab vnius, vel alterius priuato spiritu, sed ab Ecclesia petendã esse. Vt inuiolata lege deinceps obseruatum est, quoties aliquæ difficultates natæ sunt, circa earumdem Scripturarũ interpretationem, occasione pręsertim hæreticorum, qui vt dixit Irenæus lib. 1. aduersus hæres. cap. 1. *Sacræ Scripturæ authoritatibus perperam expositis, atque transpositis imaginem perfidiæ suæ conficiunt, & ornant dicentes illam esse fidei, & veritatis imaginem, eo quod ex ijsdem Sacrarum Scripturarum locis est constructa.* Vnde Augustinus dicebat epist. 222. ad Consentium, *Intellectum valde ama, quia & ipsa Scriptura Sancta, quæ magnarum rerum ante intelligentiam suadent fidem, nisi eas rectè intelligas, vtiles esse non possunt. Omnes enim hæretici, qui eas in authoritate recipiunt, ipsas sibi videntur sectari, cum suos potius sectentur errores, &*

per

per hoc non quod eas contemnant, sed quod non intelligant. haeretici sunt. Vide Bellarm. lib. 3. de verbi Dei interpr. c. 6.

Deinde ad probationem eiusdem minoris facit, quod voluerit Deus in omnibus rebus ad fidem pertinentibus, Ecclesiam esse columnam, & firmamentum veritatis; quod Matth. 16. illi dederit claues regni cælorum, inter quas est etiã clauis scientiæ, qua significatur authoritas interpretandi Scripturas, vt exponunt Patres. Quod Ioannis 16. promiserit illi spiritum veritatis; & alia sexcenta similia, ex quibus demonstratiuè colligitur in sola Ecclesia reperiri verum, ac legitimum Scripturæ sensum; non quasi ab illa Scriptura testimonium accipiat, quoad veritatem, seu quo ad se, vt insulsè arguunt hæretici, sed quia illa semel supposita, per Ecclesiæ interpretationem certi simus hunc vel illum esse legitimum Scripturæ sensum; sicut iudex ciuilis non tribuit legibus veritatẽ, sed illam, quam in se continẽt ex suo testimonio & authoritate declarat. Idem enim Deus, qui Scripturam condidit, tanquam primarius, & principalis eius author, sic eam condidit, vt authoritatiua & infallibilis illius interpretatio quoad nos per Ecclesiam fieret; quæ institutio cum nullo modo fit ab homine, sed à Deo Scripturæ authore; propterea concessit eidem Ecclesiæ singulare priuilegium, siue gratiam, & virtutem, qua infallibiliter nobis verum Scripturę sensum sua interpretatione traderet. Propterea Matth. 18. dicit: *si Ecclesiam non audierit, sit tibi veluti Ethnicus, & Publicanus*. Si enim qui Ecclesiam non audit, debet esse ex pręcepto Christi Domini, vt Ethnicus & Publicanus, manifestè sequitur in rebus ad fidem pertinẽtibus, inter quas primùm obtinet locum vera & certa Scripturarum interpretatio siue intelligentia, ex priuilegio Christi Ecclesiam esse vltimum & infallibile iudicium, cui pro illa sistere debemus. Etsi enim in pręfato loco Christus Dominus loquutus fuerit de iniurijs, quas vnus ab alio patitur, à fortiori intelligendus etiam est, de iniurijs, quę fiunt in totam Ecclesiam, & in Deum, qualis est illa, si ab ea Scripturarum, sensum non accipiamus, sed contra illum, vt faciunt hæretici priuato iudicio, vel spiritui nostro credere velimus.

Igitur, per quod multa Scripturæ loca facilè conciliari possunt, cùm Sacræ Scripturæ interpretatio non solùm in seipsa, de qua agemus infra; sed etiam quo ad finem, & causam interpretandi, pro varietate finis, & causæ, varia quoque fit: vno modo, quando aliquid ad dubium fidei dogma vel statuendum, & definiendum, vel contra fidei hostes confirmandum, & defendendum, ex Scriptura colligitur. Alio modo, quando ad eius, quod certò creditur, explicationem, maioremque elucidationem aliquid ex eadem Scriptura desumitur. Tertiò, quando sensus mysticus, & spiritualis iuxta tria genera superius dicta inquiritur, nõ autem litteralis. Cum, inquam, tribus prædictis modis, aut alijs similibus interpretatio Scripturæ fieri possit, ita vt ad primum interpretatio quæ datur, certa, & infallibilis necessario esse debeat; secus autem ad secundum, & tertium, sed sufficit probabilis: Et ratio est, quia in secundo intellectus docetur, fides nõ traditur: in tertio autem, cum ex solo sensu litterali firmum, & efficax desumatur argumentum, sensus spiritualis, nec ad fidem, nec ad mores absolutè necessarius est, sed vel fidem tantùm elucidat; vel doctrinam morum perfectius informat. Licet admittamus libenter, quod interpretatio Scripturæ duobus vltimis modis possit à multis etiam priuatis dari si quidem sensus litteralis, qui necessario præscribi debet, quando fidei dogma per se inquiritur, non est vnicus, nec excludit alios sensus probabiles, qui ædificant charitatem: sensus enim probabilis non est falsus; vnde D. Augustinus lib. 1. de doctrina christiana cap. 36. ait: *Quisquis talem sententiam ex Scriptura deducit vt ædificandæ charitati sit vtilis, nec tamen hoc dixerit, quod ille, quem legit, eo loco sensit, nec perniciosè fallitur, nec omnino*

men-

mentitur. Et in lib. 83. quæst. q. 59. & lib. 1. de Genesi ad litteram cap. 21. respectu fidei docet, expositionem Scripturarum, quæ secundum regulam fidei fit, non præiudicare alijs qui eamdem Scripturam nihilominus secundum fidē interpretari potuerint. Similiter Sacræ Scripturæ interpretatio authentica, non sic obligat, vt fidelibus tollatur facultas & libertas exponendi Scripturas sacras. Primùm, quia possunt præter litteralem sensum principalem, & necessariū alios adferre sensus; vel litterales etiam, etsi secundarios, & minus principales quo ad fidem; vel expositorios, & elucidatorios quo ad fidem, vel homiliasticos quo ad mores. Et in hoc duplici genere nunquam deerit Scripturæ interpretibus materia interpretandi. Scripturarum enim liber abyssus illa scientiæ est, de qua Augustinus epist. 3. dixit; *Quando homo consummauerit tunc incipiet*. Vnde noui Sacrarum Scripturarum commentatores semper prodeunt, Ecclesia non improbante, sed potius vehementer exhortante, & approbante. Deinde, quia ex D. Augustino loco statim citato de Genesi ad litteram; tres gradus cum sint explicandi Scripturas; *Primus & felicissimus, id docere, quod certum est, eum sensisse quem legimus; secundus, id sequi, quod circumstantia Scripturæ non impedit; tertius id saltem amplecti quod cum sana fide concordat*: Laudabile certè est, qui non potest ad primum gradum pertingere, saltem in secundo, vel tertio subsistere. Et si, inquam, admittendum sit, prædictis modis Sacram Scripturā à priuatis Doctoribus exponi posse; quia probabilitatis, siue probabilis interpretationis limites secundum se non transgrediuntur; attamen si de certa, & authentica eiusdem Scripturæ interpretatione sermo sit, cōstanter asserimus illam ab Ecclesiæ iudicio repetendam esse, secundum legem Dei ordinariam, & nullo modo à priuato spiritu.

Insuper, quia priuata interpretatio Scripturæ ex priuato spiritu profecta tribus etiam modis considerari potest ex parte personæ, modi, & finis. Ex parte personæ priuata est, & à priuato spiritu procedens, quando is qui interpretatur, nullam ad hoc habet authoritatem legitimam, vel ordinariam, vt Ecclesiæ pastores; vel cum euidenti signo extraordinariam, vt olim Prophetæ. Ex parte modi, cum, et si qui interpretatur, sit persona authoritate prædita, tamen non vtitur regulis aut medijs interpretandi, quę adhiberi debent, de quibus in sequenti capite, sed proprium iudicium sequitur, excluso communi. Ex parte finis, quando alterutra prædictarum ad fidei definitionem procedit, nec contenta vel ad suam, vel ad aliorum instructionem & consolationem, per modum consulendi in cōmuni, & probabiliter Scripturas exponere, vult sensum fidei, aut dogmatis dubij definitiuum tradere. Concedimus quidem priuatā primi generis interpretationem, nisi sit ex parte finis quoque & modi priuata, tolerabilem esse; nec absolutè à Catholicis damnari. Nusquam tamen certa, & infallibilis, siue authentica esse potest. Nam vt lib. 2. sect. 6. diximus iudicium de fide nō pertinet ad priuatos homines spiritu donatos. Dare autem Scripturarum interpretationem authenticam, & obligatoriam, ad iudiciū fidei pertinet; quia talis semper datur ad fidem vel statuendam, vel confirmandam: Certa igitur & authētica quo ad nos interpretatio à priuato spiritu dari non potest. Dixi quo ad nos; quia secundum se, priuata etiam persona potest illā aliquando dare, adhibendo media, quæ ad veram Scripturarum intelligentiam assequendam perducere possunt. Dum igitur ex tali priuilegio Ecclesiæ à Deo concesso, quod ipsa sola sua authoritate certam aliquam & authenticam S. Scripturæ interpretationem dare possit, sic arguit Saubrandus hæreticus; *Qui docet ex cathedra Petri non errat*; *Ergo qui non docet ex cathedra Petri errat*. Apparet quàm insulsa sit huiusmodi argumentatio: etsi enim non sequatur, quod qui non docet ex cathedra, siue quod qui non gaudet priui-

legio

legio infallibilitatis, semper erret, nam in ore plurimorum Patrum, qui solùm fuerunt Episcopi, & aliorum Doctorum, veritas abundè reperitur. Necessariò tamen sequitur, quod qui non docet ex cathedra, atque adeo nō gaudet priuilegio infallibilitatis, licet aliquando non erret, possit tamen aliquando errare; & consequēter quod nunquam quo ad nos possit esse authoritatiua fidei regula pro intelligendis Sacris Scripturis, sed Ecclesia sola, siue Cathedra Petri, quæ ex priuilegio Christi semper habet hanc non errandi immunitatem.

Secundi verò generis priuata interpretatio, quamuis nec ex parte personæ, nec ex parte finis absolutè priuata sit, semper nihilominus est impia, & reijciēda; & de illa valet supradicta Saabrandi deductio, quod qui non docet ex cathedra Petri, id est conformiter ad regulas, & media ab illa præscripta, semper erret, vt ipse cū omnibus alijs hæreticis. Omnis enim talis, *quia ex proprijs loquitur mendacium loquitur*, vt diabolus, Ioan.8. *Et dum veritatem habere vult priuatam, quam tosi fidelium societati communem esse voluit Deus, priuatur ea; & dum suum esse vult quod omnium est, à communi propellitur ad sua, id est, à veritate ad mendacium*; vt sapienter docet August. lib. 12. confess. cap. 25. Denique omnis talis *sequitur spiritum suum, ideoque nihil videt*, Ezech. 13. quod alijs verbis dixit Apostolus 1. Timoth. cap. 1. *Volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*. Talis non stat *in vno spiritu, vnanimis; collaborans fidei Euangelij*, vt omnes facere vult Apostolus ad Philippens. 1. nec *sapit ad sobrietatem* Rom. 12. nec est membrum vnius corporis, & pars vnius spiritus, ad Ephes. 4. *sed abducit discipulos post se*. Act. 20. venit vt mactet, & perdat & lupus est Ioan. 10. quia rapaciter auellit à communi sensu fideles; *& seipsum prædicat, regulam veritatis communem deprauans*; vt de hæreticis scribit Ireneus lib. 3. cap. 2. Hanc causam erroris in Pelagianis notat Augustinus in lib. de gratia Christi cap. 42. quod *Scripturas secundum sensum suum legerent*; de Origene Vincentius Lerinensis c. 23. quod *quædam Scripturarum vocabula nouo more interpretaretur*: & de Nestorio ex Concilio Ephesino cap. 42. quod *Sacram Scripturam se solum & primum intelligere dictaret*. De Priscillianistis Augustinus in libello de hæresibus, hæres. 70. quod *in suos sensus allegorizando vertunt Scripturas*; de Seuerianis hæreticis Euseb. histor. Eccles. lib. 4. cap. 27. quod *Sacrarum Scripturarum sensus ac sententias pro suo arbitratu interpretantur*. Denique de omnibus hæreticis Irenæus lib. 1. c. 1. Clemens Alexandrinus lib. 7. stromat. Tertullianus lib. de præscript. cap. 38. S. Athanas. tom. 2. fol. 271. S. Hilar. lib. 2. de Trinitate, S. Ambrosius lib. 4. in Lucam, S. Hieronymus in Oseæ c. 7. S. Gregorius lib. 18. moral. cap. 10. Vincentius Lerinensis cap. 36. explicans illa verba Matth. 7. *Attendite vobis à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouiū* &c. alijque plures Patres docent, non ob aliud fieri hæreticos, nisi quia Scripturas non intelligentes suas falsas opiniones contra earum veritatem pertinaciter asserunt, à communi Ecclesiæ sensu recedentes, & priuatas Scripturarum interpretationes obtrudentes. Nec mirum cum de illis scripserit D. Petrus epist. 2. cap. 3. quod *indocti & instabiles deprauant Scripturas ad suam, & aliorum perditionem*.

Quo vitio hæreticorum supposito, cui priuata quæcumque persona obnoxia esse potest, deprauandi Scripturas, & ad voluntatem illas trahendi; apparet certè quam fuerit necessarium, pertinuerit que ad suauitatem diuinæ prouidentiæ publicam nobis in Ecclesia dare authoritatem, quæ priuatam priuatorum hominum temeritatem compesceret, & contra hęreticorum perfidiam certò stabiliret quis verus & indubitatus Sacræ Scripturæ sensus sit: alioquin nihil de fide certò concludi posset. Quod quia non solùm clarè, sed grauissimis etiam verbis docuit Vincentius Lerinensis c. 2. libel-

libelli aurei aduersus prophanas vocum nouitates, placet hic illa referre, ad confundendos nostrorum temporum hæreticos, qui eo quod nihil magis timeant quam Ecclesiæ iudicium, illud omnibus viribus infirmare contendunt. *Hic forsitan*, inquit præfatus author, *requiret aliquis, cum sit perfectus canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est vt ei Ecclesiasticæ intelligentiæ iungatur authoritas?* Quæsito statim respondens ait: *Quia videlicet Scripturam Sacram pro ipsa altitudine, non vno, eodemque sensu vniuersi accipiunt; sed eiusdem eloquia aliter, atque aliter alius, atque alius interpretatur, vt penè quot homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse videantur. Aliter namque illam Nouatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exposuit: aliter Arius, Eunomius* &c. dicamus nos aliter Lutherus, aliter Caluinus, aliter Zuuinglius, aliter Oecolampadius, vt in vno solo cœnæ articulo, sit implacabilis plusquam 60. diuersarum explicationũ ministromachia, quos refert Claudius Sanctesius lib. repetit. Eucharistiæ. *Atque necesse est idcirco, propter tantos ac tam varij erroris anfractus, vt Propheticæ & Apostolicæ interpretationis linea, secundum Ecclesiastici, & Catholici sensus normam dirigatur.* Hæc Sanctus. Nec valet quod respondent hæretici, videlicet ex eius aliorumque Patrum authoritate, in tantùm iudicio Ecclesię circa Scripturarum interpretationem standum esse, in quantum conformiter ad Dei verbum interpretatur; hoc enim verissimum esse concedimus. Sed etiam verisimum est eamdem Ecclesiam non posse non interpretari Scripturam nisi hoc modo, nec non etiam non adhibere omnia media ad illum necessaria, eo ipso quod voluerit Deus illam quo ad nos esse authenticam fidei regulam pro intelligendis Sacris Scripturis. Valdè enim incongruè dicitur, nobisque objiciunt hæretici, quod asseramus Ecclesiæ definitionem esse regulam Scripturę, loquendo secundum se, regulæ enim non est regula; nihilque nisi distortum, est regulabile; cùm id tantùm doceamus respectu nostri; nõ enim, quia Ecclesia dicit, aut determinat Scripturę veritatem in se, vel in actu primo obtinent; sed quia sic illam habent, veraque sunt ea, quæ definiuntur, propterea quoad nos, & veluti in actu secundo, quia plerumque nescimus, sub quo sensu vera, aut reuelata sint, per Ecclesiasticam definitionem vera esse, seque sic habere declarantur. Quod non solùm absurdũ non esse sed omnino necessarium, satis patet ex dictis; tàm ad priuatorum hominum temeritatem cõpescendam, quàm ad vnitatem fidei conseruandam, non enim possemus id ipsũ dicere omnes, & in vna Scripturarum intelligentia conuenire, nisi per eorum à quibus Scripturas accepimus, ad earumdem intelligentiam tenendam, iudicium authoritatiuè cõstringeremur; V.g. illius, qui toti Ecclesiæ præest, aut generalis cõcilij, Summi Pontificis authoritate confirmati. In præsenti enim intendimus tantùm contra hæreticos vnũ esse debere cõmune tribunal, à quo omnes petant diuinæ legis interpretationẽ, & cui omnes simpliciter acquiescãt; quod in genere diximus esse Ecclesiam; siue per illam intelligatur summus Pontifex, sine Concilio; vel Concilium cum summo Pontifice; vel vtrumque simul: supposito enim quod illa omnia gaudeant priuilegio infallibilitatis in rebus ad fidem pertinentibus, de quo agemus infra suo loco, certum est vnumquodque illorum, non solùm probabiliter, sed etiam certò, & authenticè Scripturam interpretari posse.

Per quod patet ad alteram hæreticorum calumniam, dum Gripus Lauinganus disput. de sacræ Script. authoritate &c. thesi 13. sic ludit: *Notetur hic Papistarum vertigo, & inconstantia: nam alij simpliciter Ecclesiam, alij Sanctos Patres, alij Concilia Ecclesiastica iudicem illum supremum statuunt.* Et Labrax disputat. de Iudice controuersiarũ thesi 6. ait: *Papistæ in discrepantes abeuntes sententias modo Patrum Orthodoxorum consensum, modo Ecclesiam, modo Papam pro*

tali Indice venditant. Falsum enim est Catholicos, circa iudicem veri sensus Scripturæ & omnium controuersiarum, discrepantes inter se habere sententias, cùm omnes vnanimiter affirment esse Ecclesiam, id est Pontificem cum Concilio, in quo pariter omnes Catholici conueniunt,& habetur expresè in Concilio Tridentino sess.4. Licet aliqui eorum disputent an solus Põtifex gaudeat priuilegio infallibilitatis, & an solum Concilium, affirmantibus vnis, negantibus alijs; sed qui negant, non statuunt Summum Pontificem pro vltimo fidei iudicio cui stare debemus, nec etiam Concilium,sed vtrumque simul; qui verò affirmant, libenter admittunt ad omnia præfata tribunalia pertinere authoritatiuam diuinarum Scripturarum interpretationem, & controuersiarum fidei definitionem; nec modo ad vnum, modo ad alterum recurrunt, quasi si illa excluderent, siue vt ita loquar exclusiuè, sed cumulatiuè, quatenus in sententia illorum gaudent singula priuilegio infallibilitatis: in quo sane nulla est Papistarum vertigo, nulla inconstantia, vt insulse objiciunt hęretici; nec ex alio capite hoc repugnare probabimus infra suis locis. Quod insuper dicunt de consensu Patrum, falsum est, nullus enim Catholicus vnquã docuit eiusmodi consensum, vel authoritatem Patrum esse iudicem veri sensus Scripturarum, aut controuersiarum fidei, sed solùm si sit, vnanimis esse medium efficax ad assequendam veram illarum interpretationem, vt explicabitur in sequenti capite, quod si præfati hæretici distinxissent, non ita mendaciter Catholicis imposuissent.

Verùm si in Ecclesia sola conseruatur verus, ac legitimus sacræ Scripturæ sensus, cum innumeri sint eiusmodi sensus omnium verborum,& dictorum,quę in ea leguntur, vel ab Apostolis tributi, vel à Spiritu Sancto speciatim reuelati; Inquiret aliquis an in Ecclesia distinctè reperiantur omnes. Affirmant enim aliqui,melius tamen negant alij. Etsi enim certum sit multos quidem Scripturarum singulares sensus ab Apostolis traditos, in Ecclesia, vt in ditissimo deposito illibatè custodiri, quod tamen omnes, nulla nec authoritate, nec ratione conuinci videtur. Sufficit enim si asseratur,totius Scripturæ, & singularum eius partium sensus, eisdem ab Apostolis tributos vel à Spiritu Sancto speciatim reuelatos in Ecclesia conseruari, qui fidei, & charitatis legibus necessarij sunt: abditarum verò quæstionum, præsertim earum, quæ ad fidem non pertinent, vel occultiorum Dei mysteriorum, singulos sensus,aut veritates quotquot sunt ex Apostolica traditione descendentes, certò constare, & in Ecclesia apparere necessarium non est. Vbi tamen semel opus esset, nunquàm illi Deus sua prouidentia deesset,quam Apostolici depositi custodem fidelissimam, fidei magistram infallibilem, veritatisque firmamentum, & columnã inconcussam esse voluit.Sed de hoc iterũ redibit sermo infra,vbi agemus de Ecclesia,supremoq;eius pastore.

Iam ex dictis facilè colligitur apud Hæreticos veram,& legitimam Scripturarum interpretationem non reperiri; etsi enim vetus sit illorum iactantia se solos sapere, rectèque Scripturas intelligere; quam hæretici nostri temporis iterum renouarunt, inflatis buccis volentes apud se esse purum Dei verbum, pureque sine hominum glossis intellectum, sic enim omnium Sanctorum Patrum commentaria vocant; satis tamen constat hunc esse morem hæreticorum, quod sub Scripturæ sacræ titulo, & fallantur & fallant,nec enim alio titulo tales deprehenduntur, vt ait Augustinus lib.7.de Genes. ad litter.cap.9. *Nisi quia Scripturas non rectè intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem pertinaciter asserunt*. Certè cum iuxta regulas rationis ex veris nunquam falsa probari possint; & multo magis ex fidei principijs, diuinisque Scripturis rectè intellectis impossibile sit errores,aut falsitates sequi; necessarium habent, Scripturas deprauare, vt ex illis perperam intel-

intellectis, & extortis, suas subornent atque corroborent hæreses. Propterea inquit S. Irenæus lib. 1. cap. 1. *Parabolas Dominicas, vel dictiones propheticas, aut sermones Apostolicos peruertere conantur, vt figmentum illorum non sine teste esse videatur &c.* Quod & docent cæteri Patres, locis à nobis supra relatis. Probarique potest inductiuè discurrendo per singulos hæreticos. Nam Sabelliani illum Scripturæ locum *Ego & pater vnum sumus*; qui identitatem essentiæ significat, perperam ad identitatem personarum referentes, docuerunt eamdem personam vocari Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, diuersis tamen respectibus. Arriani ex illo loco, *Pater maior me est*, Filium non esse Patri æqualem voluerunt, contra verum Ecclesiæ sensum interpretantis minoritatem illam intelligi debere secundum humanitatē. Macedoniani legentes illud 1. Corinth. 2. *Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei*. Spiritum Sanctum negauerunt esse Deum, sic insulsè ratiocinando. Qui scrutatur dubitat, dubitans est ignorans, ignorans Deus esse nequit; cùm tamen secundum verum Ecclesiæ sensum scrutari significet etiam omnia penetrare, atque comprehendere, quod est propriū Dei, ex illo 1. Pet. cap. 2. *Omnium corda scrutatur Deus &c.* Et sic de alijs hæreticis deinceps vsque ad nostra tempora; quibus Lutherus tom. 1. Vvitemberg. in explicatione 8. præcepti ait de Piccardis, *Quod nudo ingenio freti in Scripturam irruunt, illotis pedibus, sicut porci, tanquam sit humana quadā scientia, adeò nullo reuerentiæ discrimine versantur in illa &c.* Caluinus autem de Luthero & suis ait lib. 4. institut. cap. 17. §. 25. *Excipiunt se verbum Dei habere, quo palam facta est Dei voluntas; nempe si illis conceditur donum interpretationis ex Ecclesia profligare, quod verbo lucem afferat. Fateor illos habere verbum, sed quale olim Antropomorphitæ, qui Deum corporeum fecerunt, quale Marcion, & Manichæi, cum fingerent Christi corpus, vel celeste, vel phantasticum; citabant enim testimonia. Primus Adam è terra terrestris, secundus Adam è cælo cælestis. Item Christus seipsum exinaniuit, forma accepta.* Tantùm Lutherus & Caluinus de se inuicē; quorum proinde testimonia non tàm ad probationem adduximus, quam vt ea contra suos authores retorqueremus, qui in hac re peiores omnibus fuere, & viā omnimodæ Scripturarū corruptioni largam aperuere, non solùm innumeris erroribus suis, falsisque interpretationibus; sed ea præsertim assertione, qua vnumquemque Scripturæ interpretem esse volunt, neglecto Ecclesiæ iudicio; Quid enim est Conciliorum etiam maximè Generalium, definitiones ad amussim Scripturarū examinari iubere Caluinum lib. 4. institut. cap. 9. §. 8. 12. & 13. nisi priuatos homines iudices facere in Scripturis interpretandis, alijsque fidei causis, non solum Patrum, sed etiam Conciliorum, nec vllum omnino relinquere Ecclesiæ commune iudicium.

Quod igitur prædicti hæretici imperitæ plebeculæ venditant se purum habere Euangelium, secus autem Catholicos, quos Papistas vocant, qui Patrum commenta, inquiunt, sequuntur, captiuando & cruciando cōsci entias hominum vtilla amplectantur; patet quā sit falsum; cum puritas Euangelicæ doctrinæ in hoc consistat, quod Scripturarum interpretatio, ad normam Patrū, ac per alia media sequenti capite explicanda, secundum Ecclesiæ sensum, ac iudicium dirigatur, finaliterque tradatur, vt docet Lerinensis cap. 2. Qua in re neque captiuantur, neque cruciantur hominum conscientiæ, sed potius mirum in modum solantur, dum vna infallibili Ecclesiæ definitione, (ne in incertum feramur) intellectus nostri firmantur. Ipsi sunt, qui captiuos & miseros auditores faciunt, dùm, vt ait Gregorius 18. Moral. cap. 14. *Laudari tanquàm de excellenti ingenio cupiunt, quasi noua quædam proferant, quæ in antiquorum Patrū libris veteribus non tenentur; sicque fit, vt dum videri sapientes desiderant, miseris suis auditoribus stultitiæ sermones spargunt.*

gunt. Et Irenæus lib. 1. aduerſ. hęreſ. cap. 1. *Non ſolùm autem ex Euangelicis, & Apoſtolicis tentant oſtenſiones facere, cõuertentes interpretationes, & adulterantes expoſitiones: ſed etiam ex lege, & prophetis, cum multæ parabolæ, & allegoriæ ſint dictæ, & in multa trahi poſſint, ambiguũ per expoſitionem propenſius ad figmentum ſuum, & doloſè adaptantes in captiuitatem ducunt à veritate eos, qui non firmant fidem in vnum Deum Patrem omnipotentem, & in Vnum Ieſum Chriſtum filium Dei Vnigenitum*. Quare vt nos monuit idem Irenæus lib.5.cap.20. *Fugere oportèt ſententias ipſorum, & intentius obſeruare, vti ne vexemur ab ipſis, confugere ad Eccleſiam, & eius ſinu educari, & Dominicis ſcripturis enutriri*. Quippe qui in illa ſola, per eam, quæ eſt ab Apoſtolis, ſucceſſionem reperitur ex eodem Irenæo lib.4. cap.4. & 45. *id quod ſanũ, quod irreprobabile, & incorruptibile*; hoc eſt, vt exponit cap.63. *Cuſtodita traditio ſine fictione, Scripturarum tractatio pleniſſima neque additamentum, neque ablationem recipiens, & lectio ſine falſatione, & ſecundum Scripturas expoſitio diligens*. Verus ergò Scripturæ ſenſus, quique cum illa de Apoſtolico fonte puriſſimè manauit, ſollicitè quærendus eſt apud Eccleſiam Catholicam ſuis veris notis facilè ab omnibus alijs ſectis dignoſcendam, in quam Apoſtoli quaſi in depoſitorium, vt loquitur Irenæus, diues pleniſſimè contulerunt, quæ ſint veritatis; non autem apud priuatum & particularem hæreticorum ſpiritum, quaſi ſi Spiritus Sanctus ſingulis fidelibus immediatè inſpiraret veram, & certam Scripturæ intelligentiam.

Quod de hęreticis diximus, idem penitus de Iudęis & Rabbinis aſſerimus, nempè apud illos non reperiri veram ac legitimam Scripturarum intelligentiam, vt docent aliqui hęretici, de quibus meminit Michael Medina lib.7. de recta in Deum fide cap.11. Adeò enim Hęreticorum, & Iudęorum ſchola ſuccreuit, vt relictis Eccleſiæ expoſitionibus, velint non aliundè petendas eſſe ſacrarum litterarum interpretationes, quàm è Lutulentis Rabbinorum commentarijs, vndè ex eorum ſcriptis compilant ſcholia, vt nonniſi Rabbinos, non Apoſtolos, eorumque ſucceſſores pro magiſtris ſibi elegiſſe videantur. Quare Tertullianus alludens ad Marcionem lib.3. contra ipſum cap.8. rectè dicit, quod *Hæreticus à Iudæo ſolet, vt aſpis à vipera mutuari venenum*. Etſi igitur Rabbinorum interpretationes, qui antè Chriſti aduentum floruerunt, non ſint omninò aſpernandæ, ſicut nec aliorum, qui poſt illius aduentum ſcripſerunt, non quidem in ijs, quæ ſunt de Chriſtiana fide, & ceremonijs eiuſdem, ſed de alijs, quæ ſunt alterius à fide illa argumenti; vbi ad Scripturarum elucidationem cõducere poſſunt, tanquàm ab iniuſtis poſeſſoribus illa eripiendo, & iuſta trutina, catholicæque veritatis examine expendendo; Nihilominus tamen cum Iudæi, vt dicit Epiphanius, inimicitias gerant cum Vnigenito filio Dei, & cum Spiritu Sancto, ac omnia vt inimici interpretentur, & cauillentur, lib.2. aduerſus hereſes, nullo modo eis aurem accommodare debemus. *Fides veſtra*, inquit Auguſtinus, de vera religione cap. 15. *neque in purgamentis hæreticorum, neque in languore Schiſmaticorum, neque in cæcitate Iudæorum quærenda eſt, ſed apud eos ſolos, qui Chriſtiani Catholici, vel orthodoxi nuncupantur*. Quod etiam docent omnes alij Sancti Patres. Quare D. Hieronymus quandòque plus iuſto aliquibus Rabbinorum ſententijs adhęrens, præ ſua humilitate fatetur in cap.7. Oſeæ *iuxta Hebræorum ſententiam audacter magis, quàm ſcienter locutum fuiſſe*. Legendus eſt idem Hieronymus in Ierem. cap.22. Iſaiæ cap. 55. Nahum cap.2. prefat. in lib. Paralipom. & in Tobiam; in Apologia 1. aduerſus Ruffinum, & in epiſtolis ad Auguſtinum. Indè enim colligitur prefatum doctorem eo conſilio Rabbinorum interpretationes aliquando ſecutũ fuiſſe, vt expoſitionem Hebraicam cum Euangelica concordaret; vel per doctrinam Euangelicam, vbi diſſonabat, corrigen-

rigendam ostenderet; vel commentatorum more omnium sententias complecteretur, & hæreticorum, & Iudæorum; liberum postea relinquens delectum, probata recipiendi, & improbata damnandi.

CAPVT CVI.

De medijs Iudicij Ecclesiastici, quo ad interpretationem sacrarum Scripturarum.

QVoniã Ecclesia tàm in sensu Scripturæ, quàm in cæteris fidei cõtrouersijs definiendis immediata reuelatione ordinariè non vtitur, sed magna conquisitione adhibita, exemplo Apostolorum Act. 15. per certa media veritatem inquirit, quibus Deus voluit annexum esse infallibilitatis priuilegium ipsi concessum. Postquam superiori capite vidimus ad illam solam pertinere supremum interpretandæ Scripturæ iudicium, nunc talis iudicij media inuestigamus; quæ sunt in triplici differentia; medium enim, siue ad sensum Scripturæ contra deprauantes eam, siue ad aliud aliquod de fide dubium dogma determinandum, tribus modis intelligi potest. Vno modo, pro efficiente causa talis determinationis, qualis est gratia Spiritus Sancti, qui ipsam Ecclesiam docet intus in corde operans. Alio modo, pro medio argumenti, vndè aliquid formaliter, & syllogisticè concludatur; cuiusmodi sunt in sacta doctrina, vt docet S. Thomas 1. p. q. 1. artic. 8. Scriptura sacta principaliter, sacræ traditiones; deinde SS. Patrum authoritas. Tertio modo medium determinandi fidem circa Scripturarũ sensum sumitur pro certa quadam via, & ratione quibus talis sensus eruitur; alij regulas, & claues appellant, de quibus, multi ex antiquis Patribus scripserunt, potissimum Augustinus lib. de doctrina Christiana, Hilarius libris de Trinitate, Cyrillus Alexandrinus, & alij; quod non tantùm, ad Scripturæ sensum facilius, & sine errore assequendum essent necessariæ, sed etiam ad prauas hæreticorum expositiones cauendas, ex Clemente Alexandrino lib. 7. Stromat. *Cum nec ipsi ingressus claues habeant, sed falsam quamdam, & vt dicit consuetudo* ἀντικλεῖδα, *id est, aduersam clauem, per quam non relaxato velo, vt nos ingredimur per domini traditionem, sed exciso ostio, & muro Ecclesiæ clam perfosso veritatem transgredientes, efficiuntur participes, & duces mysteriorum animæ impiorum.*

Primum igitur, cùm oporteat verã sacræ Scripturæ interpretationem eius instinctu fieri, à quo initio fuit dictata, ideoque interpretatio sermonum à Beato Paulo inter dona Spiritus Sancti numeretur; quando Ecclesia authenticè illam definitura, traditura, & consignatura est; id primum à Deo continuis precibus efflagitat. Quod etiam eius exemplo fideles præstare debent, si talem intelligentiam assequi volunt: vndè Propheta Dauid Psal. 118. orabat dicens, *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.* Item: *reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Et Salomon Sap. 8. ver. 21. *Dixi*, inquit, *ex totis præcordijs meis: da mihi Domine sedium tuarum assistricem Sapientiam.* Hinc Hieronymus epist. ad Paulinum de institut. Monach. *Hoc*, inquit, *donum Dei non quærunt Iudæi, & hæretici, ideo legunt quidem Scripturam sacram, sed verum eius sensum inuenire nunquam possunt.* & lib. 2. in Isaiam & in cap. 8. Amos; *Dominus reprimit ab hæreticis pluuias spirituales, & omnem rorem diuinæ Sapientiæ, & mandat nubibus suis, ne pluant super eos imbrem &c. vt ad fructus mysterij Trinitatis peruenire non possint.* Et postea, *pluit autem Dominus super vnam ciuitatem veræ confessionis Ecclesiam, & super alteram non pluit, quæ in hæreticorum conciliabulis est.* Quare, ait Augustinus de doctrina Christiana lib. 3. cap. 37. *non solùm admonendi sunt studiosi venerabilium litterarum, vt in scripturis sanctis genera locutionum sciant, & quomodo apud eas aliquid*

quid dici soleat vigilanter aduertant, memoriterque retineant: verum etiam, quod est præcipuum, & maximè necessarium, orent vt intelligant. In eis quippe litteris, quarum studiosi sunt, legant, quoniã Dominus dat sapientiam, & à facie eius scientia, & intellectus, à quo & ipsum studium, si pietate præditum est, acceperunt.

Ad hoc idem medium pertinet, vt, qui sacræ Scripturæ, in qua diuina Sapientia continetur, sensum assequi cupit, non solum fidei pietatem habeat, quã Augustinus lib.2. de doctr.Christ.cap.7. secundum gradum ad Scripturas intelligendas constituit (vt enim in actis c.8. dicitur: *Nisi credideritis, non intelligetis*) sed etiam cor omni iniustitia mundatum obtineat. Cum vera Sapientia illi tantùm à Deo communicetur, qui purgato à vitijs animo vnam virtutem complectitur. Vnde Ecclesiasticus c.1. v.33. *Concupiscis*, inquit, *Sapientiam, serua iustitiam, & Dominus præbebit eam tibi*. Et Gregorius Nazianzenus de dig. & statu Episcop. *Vis Theologus aliquando fieri, ac diuinitate dignus? mandata serua, per Dei præcepta incede*. Hinc Abbas Theodoretus, apud Cassianum lib.5. inst.cap.9. dicere solitus erat ad Scripturarum notitiam pertingere cupientem, nõ tàm debere suos labores tempusque commentariorum libris euoluendis impendere; quàm omnem mentis industriam, conatumque, & laudis intentionem in carnalium vitiorum emendatione detinere? Amplectenda deindè humilitas, sine qua arcana diuinarũ Scripturarum mysteria intelligere ipso attestante Christo, nequaquã valemus: Vnde ait Matth. 11. *Confiteor tibi Pater, Domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis*. Quod nouerat & Psaltes cum dixit Psalm. 118. v.130. *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis*, id est, humilibus, ait Augustinus. His tamen omnibus postremò diligens & assidua meditatio est adiungenda. Sic enim legimus Christum Ioannis 5. suos ad Scripturarum non simplicem, & nudam lectionem, sed ad inuestigationem perquã diligentem relegasse, dum ait, *Scrutamini Scripturas*; Vt enim ait Chrisostomus ibi: *idcirco Dominus effodere profundius iubet, vt quæ altè delitescunt inuenire possimus*. Ad quod sequentia media iuuabunt.

Secundo loco sunt media probationis, siue argumenti, quibus tamen ab extrinseco solùm colligi potest verus ac legitimus Scripturæ sensus; iugis nimirùm, & continua Ecclesiæ traditio. Summorum Pontificum, Conciliorumque definitiones; Sanctorum Patrum, atque doctorum Ecclesiæ consentiens interpretatio. Cùm enim determinatio fidei tam circa Scripturæ sensum, quam circa alia dogmata fieri possit dupliciter. Vno modo vt fides antea non reuelata de nouo tradatur, ac determinetur in se: qui sanè modus solis Apostolis, & primis Ecclesiarum magistris proprius est; quibus solis competebat nouos fidei articulos condere. Alio modo, vt quo ad nos, & propter instabiles in fide, aliquid determinetur quod in dubium vocatur, etsi prius reuelatum, & creditum. Licet ad primam determinationem nec supradictis medijs, nec vllo alio modo externo opus fuerit, sed solo Spiritus Sancti Magisterio. Attamen vbi aliqua de nouo sunt ab Ecclesia determinanda, siue ipsa scriptura contra negantes eam, siue sensus Scripturæ contra deprauantes eã, siue aliud aliquod de fide dubium dogma; debet iuxta media prædicta illa definire vt dicetur infra; nam reuelatio fidei moderna innititur antiquæ fidei Ecclesiæ, & antiquis reuelationibus, igitur illæ consulendæ sunt, & iuxta illas antiquis medijs & vijs insistendum est; quorum vim, & efficaciam, quia ostendimus lib.2. huius operis sect.5. examinando, quantã vnusquisque locus Theologicus probationem facit; & in præsenti libro, vbi potissimum agimus de illis, secundum quod dicuntur media, principia, fundamenta, vel regulæ nostræ fidei; ad tertium mediorum genus transeundum est.

Tertio

Tertio igitur loco sunt media, quæ voco intrinseca, siue propria, quatenus illis eruitur Scripturæ sensus, attenta ratione verborum illius, modo loquendi, rebus significatis; locos cum locis, vetus testamentum cum nouo, obscura cum manifestis conferendo. Quæ tamen media per se & solitariè sumpta, absolutè probabilia potius, quam certa, aut irrefragabilia dici debent; cum adiuuent quidem plurimum, non tamen per se sufficiant semper ad germanam SS. Scripturarum intelligentiam: Quicquid in contrarium obganniant hęretici, qui, vt effugiant Ecclesiæ iudicium, denique locum suo particulari, & priuato spiritui, quatenus facilè vnusquisque pro suo beneplacito prædictis medijs abuti potest, ea sola firma, & efficacia esse pertinaciter contendunt. Contra est enim, quod hęc media cum omnibus hęreticis, imo etiam cum Iudæis interdum & Paganis, sunt nobis communia. Hęretici enim, vt ex Scripturis male intellectis falsa dogmata stabiliant; Iudæi vt Christi aduentum destruant; Pagani vt Scripturas sanctas infament; conferunt loca Scripturarum, considerant antecedentia & consequentia, inspiciunt fontes, obseruant phrases, singuli respectiuè: à vera tamen Scripturarum intelligentia quàm longissimè absunt. Igitur hæc media præcisè, siue per se & solitariè sumpta, possunt quidem vt probabilia ad intelligendas Scripturas assumi, non tamen vt certa, vel irrefragabilia; nisi in quantùm secundis prorsus subijciuntur, & suam ab illis firmitatem obtinent. Præterea hęc media studio, & industria humana comparantur, ideòque merè humana sunt; secundà verò authoritate diuina, & promissionibus Christi nituntur, propatereaque infallibilia sunt. Igitur cùm in istis medijs nulla talis diuini Spiritus assistentia certò appareat; nec ipsa etiam certa esse possunt, aut infallibilia, qualia sunt secunda. Quod magis adhuc constabit breuiter discurrendo per singula.

Primùm enim solam Scripturarum collationem non esse medium infallibile ad interpretandam Scripturarum, sed potius incertum plerumque, & fallax, quatuor ob causas principaliter asserimus. Prima, quia in collatione Scripturarum aliquid similiter, vel dissimiliter dictum videtur, non tam ex locorum ipsorum similitudine aut dissimilitudine, quàm ex affectu & præiudicata ipsorum conferentium sententia. *Quamuis enim omne dictum*, inquit Hilarius lib. 10. de Trinitate, *veri ratione perfectum sit, tamen dum alijs aliud videtur, aut complacet, patet veritatis sermo aduersantium responsioni, quia contra veritatem aut non intellectam, aut offendentem, vel stultæ vel vitiosæ voluntatis error obnititur*. Et sicut D. Augustinus lib. 32. contra Faustum cap. 19. docet *Hæreticorum esse propriũ, vt omnis de medio Scripturarũ tollatur authoritas, vt suus vnicuique animus author sit, quid in vnaquaque scriptura probet, quid improbet, id est, vt non authoritati Scripturarum homo subijciatur ad fidem, sed sibi Scripturas ipse subijciat, non vt ideo illi placeat aliquid, quia hoc in sublimi authoritate scriptum legitur, sed ideò rectè scriptum videatur, quia hoc illi placet*; ita similiter in intelligentia Scripturarum ad Scripturæ locos consimiles prouocant, non quia plerumque verè tales sint, sed quia placet illis, vt consimiles accipere, ad suos errores facilius confirmandos. Cuius rei manifestum habemus exemplum in hęreticis horum temporum, qui verba illa Christi sanctissima, *Hoc est corpus meũ*, variè pro suo quique palato conferendo, in sensus diuersos plusquam 60. distraxerunt, vt iam multoties notauimus. Lutherus enim in lib. de Cœna Domini, vult ea sic sonare sicut, *Verbum caro factum est*, vt manente natura panis, sit verum corpus &c. Carolstadius contulit ea cum illis Pauli verbis 1. Corinth. 10. *Petra erat Christus*, vt ostenderet figuratam esse locutionem. Zvvinglius confert illa cum alijs Christi verbis, Ioannis 6. *Caro non prodest quicquam*, vt propterea necessario non de vera sua carne,

carne, sed tantum de spirituali aliqua virtute loqui debeat Christus. Caluinus in commentar. in Matth. cap.26. confert illa cum eo quod Ioannes scribit, *Spiritum Sanctum descendisse sicut columbam*, vt repræsentationē tantùm corporis significent; & sic de alijs apud Claudium Sanctesium in opere Eucharistico repetit.1. cap.vltimo, qui pro suo beneplacito contulerunt, & diuersissimos sensus conferendo posuerunt; cum tamen vnicus tantùm sit illorum verborum verus ac litteralis sensus.

Altera causa, cur hoc medium efficax, & certum dici non debeat, illa est, quod nec eadem dictio, nec eadem phrasis, vbique idem sonat, atque significat; nequidem in eodem orationis contextu aliquando, sed planè diuersa, vt mox ostendemus. Tertia, quia multa loca in Scripturis sunt, quæ semel tantum dicta cum alijs similibus conferri non possunt; vnde ad ea intelligēda collatio nihil iuuat. Quarta tandem causa est, quod omnes hæretici, & omnium ætatum, conferendo Scripturas, vt dicebant diligentissimè, errauerunt tamen turpissimè. Arriani illud Christi Ioann. 10. *Ego & Pater vnum sumus*, quod de vnitate naturæ omnes semper Patres exposuerunt conferendo cum illis Ioann.17. *Rogo pater, vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te*; vbi vnitas tantùm voluntatis significatur; inde Christi Domini diuinitatem negauerunt. Pelagiani quoque illud Apostoli Rom.5. *In quo omnes peccauerunt*, exposuerunt sic, vt illa particula, *in quo*, significaret propter quod, quia sic accipitur illa phrasis, aut modus loquendi Psal. 118. *In quo corrigit adolescentior viam suam*, id est, propter quod. Item Act.7. *Fugit Moyses in verbo hoc*: id est propter verbum illius Aegyptij. Cum tamen in Concilio Mileuitano can.1. aliter definitum sit, & credat Ecclesia iuxta regulam fidei, siue traditionem à maioribus acceptam, quod prædicta verba Apostoli, *in quo omnes peccauerunt*, ipsum peccatum, vel certè personam peccantis Adæ significent, & originale peccatū notent: apud August. lib.6. contra Iulianum cap.11. Ex quibus satis patet, solam Scripturarum collationem seclusa Ecclesiæ authoritate, non esse medium ex se efficax, aut certum ad illarum intelligentiam, sed potius incertum; vt autem hæretici eo abutuntur, etiam fallax est, & falsum. Attamen sicut hoc medium collationis Scripturæ cum Scriptura, seclusa Ecclesiæ authoritate infallibilem ex se, non subministrat interpretationem; imò falsam, vt eo abutuntur hæretici; sic illa semel supposita non mediocrem affert lucem, ad verum ac legitimum Scripturarum sensum assequendum, vbi in tali collatione suæ seruantur regulæ; Quo sensu Sancti Patres docent frequenter intelligentiam Scripturæ, quantùm fieri potest, ex Scriptura petendam esse, locos cum locis, vetus testamentum cum nouo, obscura cum manifestis conferendo: Chrisostomus in Genes. homil.13. vbi ait, *Sacram Scripturam se ipsam exponere, & neminem errare sinere*; Origenes homil.24. in Numeros; *facilius*, inquit, *in Scripturis agnoscitur, quod quæritur, si ex pluribus locis, quæ de eadem re scripta sunt, exempla proferātur*. D. Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap.6. *Nihil fere*, inquit, *de obscuritatibus Scripturæ eruitur, quod non alibi planissimè dictum reperitur*. Idem ait c.9. & lib.3. cap.28. Cæterum nullus Patrū absolutè docet in omnibus locis Scripturam seipsam interpretari, cum interdum singulares sint loci obscuri in illa, qui alibi clariùs non exponuntur; vel solam collationem esse vnicā interpretationis regulam per se seorsim, ac solitariè acceptam, seclusa fidei regula, viuaque Ecclesiæ voce, cuius infallibilitatem tam apertè eædem Sacræ testantur Scripturæ & ex illis Patres; quibus in hac re fidem adhibere deberent hæretici, nisi sibi ipsis credendi formam in omnibus esse vellent.

De secundo quoque medio, quod est antecedentia, & consequentia sacri textus diligenter obseruare, fatemur cō-ducere quidem posse ad inuestigandum eius

eius sensum, vt docent communiter Patres, Clemens Alexandrinus lib. 2. stromat. S. Augustinus lib. 3. de doctr. Christ. cap. 3. non tamen, ita vt eius ope certò semper, & infallibiliter ad illum peruenire possimus. Primò, quia contextus S. Scripturæ non est oratio continua, vel demonstratio methodica, in quibus duobus propter ordinis obseruationem, rerumque connexarum seriem, multum iuuare solet, antecedentia & consequentia pensare; sed in vno & eodem orationis contextu, historicis mystica, & mysticis historica plerumque S. Scriptura permiscet, vt docet S. Gregorius lib. 20. Moral. in Iob cap. 1. Secundò propter connexionem corporis mystici, nempè Ecclesiæ, cum suo capite Christo, in vno eodemque contextu, de vno statim trāsitur ad aliud; sicut etiam contingit inter dæmonē, & peruersos homines propter amborum connexionem; & quia boni cū malis permixti sunt in Ecclesia: ideo interdum in Scripturis vituperio simul cū illis afficiuntur; & è contra mali propter eamdem rationem cum bonis nonnunquam commendantur. Tertiò quia in eodē contextu sæpe ascenditur de specie ad genus, & de genere ad speciem descenditur, & è conuerso de specie ad genus fit regressus; cùm enim genus, & species connexionem inter se habeant, & in se inuicem contineantur, facilè fuit Spiritui Sancto monere Prophetas, vt de vtroque in eodem ferè contextu scriberent, & prophetarent. Quartò, quia in vna & eadem narratione, aliqua propriè, alia figuratè dicuntur, imò vnum & idē vocabulum in eodem membro diuersam habet significationem. Quintò, quoniam ordo dicēdi in SS. Scripturis sępe numero non solùm interruptus est, sed etiam præposterus, vel per anticipationem, quando posteriora prius recensentur, vel per recapitulationem, quando priora posterius commemorantur. Quæ omnia, quorum exempla omisimus, quia facilè videri possunt apud authores in fine huius capitis referendos, clarissimè demonstrant, quàm sit incertum hoc medium considerationis antecedentium & consequentium, quodque eius beneficio Scripturę sensū infallibiliter assequi non possimus, nisi aliunde per Ecclesiæ iudicium, veræ fidei regulam dirigatur. Vndè S. Augustinus docet quidem, *id potissimum eligendum, quod circumstantia Scripturæ non impedit*, sed addit, *& cū sana fide concordat*. Moxque subiungit: *si autem S. Scripturæ circumstantia pertractari ac discuti non potest* (nempè propter difficultates prędictas aut alias similes) *saltem id solum teneatur quod fides sana præscribit*. Hæc ille de Genesi ad litteram lib. 1. cap. vlt.

Tertium denique medium, quod linguarum peritiam, styli ac phrasium, seu idiotismorum Scripturæ notitiam, & alia similia comprehendit, concedimus etiam libenter non solum vtile, sed etiā necessarium esse ad intelligendas Scripturas, non quidem in indiuiduo, sed in specie, vt loquuntur, non enim necesse est omnes, qui Scripturas exponendas suscipiunt, linguarum esse peritissimos, sed satis si in specie Ecclesiæ aliqui eas calleant. Negamus tamen per se sufficere, aut esse regulam certam, ac infallibilem interpretationis Scripturarū; tum quia, vt diximus supra, hæretici ipsi ex obseruatione phrasium, & styli S. Scripturę illam intelligere putantes, in contrarias abiere sententias, vnoquoque suam pro legitimo Scripturæ sensu venditante. Tum quia in huiusmodi phrasibus multæ reperiuntur exceptiones, limitationes, ampliationes; tum denique, quia, cum non vnum, sed diuersos authores Scriptura habeat tàm veteris, quàm noui testamenti, plures etiam in ea reperiuntur modi, formulęque loquendi inter se diuersæ. Non ergo phrasis obseruata, vel stylus certum semper, aut infallibile Scripturę interpretandę mediū esse potest, quod ob rationes dictas tantam in se admittit incertitudinem, ac dubietatem. Quare dum dicit Vvitacherus cap. 11. *Hæc media*, loquendo tam de hoc, quam de alijs prædictis, *singula si per se sumantur, & adhibeantur seorsim sem-*

semper sufficere ad Scripturæ verum sensũ inuestigandum;sed ea coniunctim, vniuersa si legitimè tractentur,satis valere; quod idem asserit Gripus disputat. de Scripturę interpretat. thesi 28. addens, *valere,si adhibeantur sine præiudicio,seu præconcepta persuasione, item sine arrogantia, & contendendi studio*. Ex hoc inquam hęreticorum asserto ad hominem contra illos apertè colligitur,nec etiam coniuncta talia media, certa per se aut efficacia esse,cum tales adhibeantur conditiones, *si legitimè tractētur,si sine præiudicio adhibeantur*; vnoquoque enim hæretico sic se tractare, sic se illa adhibere pro certo affirmante nouo examine opus est, an ita se habeat, & sic lubrica semper & incerta remaneat eorum regula necesse est, donec accedat vltimum Ecclesiæ iudicium; Tantùm de medijs ad Scripturarũ intelligentiam conducentibus; quorum prima generali quadam ratione animum legentis potius disponunt, & præparant ad illam, dum mediantibus illis recipit Spiritus Sancti assistentiam, quam eo legentem perducant; secunda quantumuis extrinseca, sunt omnino certa & infallibilia; Tertia verò vtilia,& studioso Theologo digna, modo secundis semper subijciantur, & per ea in omnibus vltimatè regulentur. De quibus ad copiam videri possunt sequentes doctores, sufficiunt enim dicta pro instituti nostri ratione.

Augustinus in suis septem libris locutionum Sacræ Scripturæ, qui habentur operum eiusdem tom. 3. Eucherius Episcopus Lugdunensis in libro de spiritualibus formis. Beda Venerabilis in duobus libris de Schematibus & tropis Sacræ Scripturæ; qui quia ab aliquibus tribuuntur Marco Aurelio Cassiodoro habentur etiam inter eiusdem opera. Franciscus Ruizius Hispanus Monachus Vallisoletanus,& Abbas S.Facundi Cõgregationis Mõtisferrati,qui anno 1549 collegit è Patribus Græcis & Latinis ad vniuersam Scripturam intelligendam regulas 334. quas breuibus explanationibus illustrauit, Laurentius à Villavincentio Xeresanus Augustinianus, qui circa annũ Domini 1559. collegit phrases Sacræ Scripturæ, Ioannes Baulesius, qui mysticos sacræ Scripturæ sensus,variasque dictionum significationes in cõpendium redegit. Sanctes Pagninus Lucensis ordinis Prædicatorum in libro cui titulus est, *Isagoge ad sacras litteras*, & in alio cui titulus, *Isagoge ad mysticos Sacræ Scripturæ sensus*. Hieronymus Lauretus Monachus Mõtisferrati, qui anno 1566. consimile Pagnino opus celebrauit. Benedictus Arrias Montanus in suo apparatu ad Sacra Biblia,quæ regia dicuntur. Martinus Martines Cantapretensis Hispanus, qui scripsit libros decem Hipothiposeon Theologicarum, siue regularum ad diuinas Scripturas intelligendas. Driedo de regulis & dogmatibus sacræ Scripturæ lib. 3. Ambrosius Catharinus Senensis Ord. Prædicat. in opusculo de Clauibus;item Dominicus Grauina eiusdem Ordinis in opusculo de clauibus,& regulis intelligendæ Scripturæ: alijque plures citati tam apud Sixtum Senensē lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ, quam apud Posseuinum in Bibliotheca selecta lib. 2. & Fabianum Iustinianum in indice vniuersali.

Nos etiam infra sect. 7. huius libri, agendo de loco Theologico à ratione naturali desumpto, ostēdemus quantùm illa; scientiæque in illa fundatę prodesse possint ad sacrarum Scripturarũ intelligentiam; Etsi enim huiusmodi scientiæ pluribus interdũ erroribus abundēt; attamen sicut lumen sensus, etiamsi crebrò decipiatur, nihilominus non desinit iuuare ipsum intellectum ad intelligendũ, à quo postea ita de suis erroribus corrigitur, vt in omnibus eum non sequatur, sed tantùm in ijs quę veritati & rationi cõsentanea iudicat; sic etiã scientiæ omnes naturales, quæ se habent respectu fidei, quæ in Scriptura tanquam in organo, per quod Deus nos alloquitur, continetur; sicuti lumen sensus ad intellectũ quatenus fides est supra rationem, sicut lumen intellectus supra lumen sensus; quatumuis in pluribus etiam deficiant, non

non desinunt tamen ad Scripturarũ intelligentiam, mysteriorumque fidei in ea contentorum explicationem magnopere cõducere: licet fides & Scriptura in omnibus illas nõ sequatur, sed vbi opus est, emendet, & ab erroribus expurget; vt fusius dicemus loco statim citato.

CAPVT CVII.

Varij referuntur modi Sacras Scripturas interpretandi.

POstquam egimus de medijs conducentibus ad diuinarum Scripturarũ interpretationem; superest iam ad complementum doctrinæ breuiter explicare varias eiusdem species, aut modos: siue quod idem est rationem, & ordinem, qui ab interpretibus sacris, in exponendis scripturis obseruari potest. Sixtus Senensis lib. 3. Bibliothecæ Sanctæ, qui est de arte exponendi sacra volumina illam diuidit in tres partes, hoc est, in Definitiuam, Inuentiuam, & Dispositiuam, de quibus ibi consuli potest. Interim diuidimus illam, primò per illos omnes modos, qui respiciunt putam textus Biblici dispositionem, vel ordine alphabetico verborum & materiarum in eo contentarum, vel ordine doctrinali; qui multiplex esse potest, non solùm pro varietate finis & causæ, quam in interpretationę Scripturæ sibi potest vnusquisque præfigere; vel statuendi & definiendi ex ea fidei dogmata; vel ea confirmandi, & defendendi contra infideles, & sic de alijs: sed etiam attenta præsertim ipsa diuersitate materiæ, de qua in Scripturis diuinis agitur: Cum enim alia sit naturalis, siue de rebus ad quarum cognitionem perducere potest etiam ratio naturalis, & scientię humanę in illa fundatę; alia supernaturalis, siue de rebus, ad quas cognoscendas solo fidei lumine in diuinis scripturis reuelatæ peruenire possumus; primum explicari & artificiosè disponi potest sacra Scriptura, per omnia scientiarum naturaliũ genera, & species. Scientiæ sermocinales, Grammatica videlicet, Rethorica, & Dialectica, versabuntur circa ęquiuocationem & amphibologiam vocum; quo casu nomen aliquod sumendum sit, & an substantiuè, vel adiectiuè; circa tropos, schematismos, idiotismos, proprietates, locutiones, pręsertim Hebraicas, & Gręcas, atque omnes figuratas orationes, probationis modos; quibus vt diuinę litteræ supra omnium gentium scripturas abundant, ita sine illorum notitia mediantibus supradictis scientijs, perfectè intelligi non possunt. Physicę disciplinæ docebunt Historiam, proprietates, mores, ac vires pręcipuas omnium rerum naturalium; hoc est cælorum, elementorum, metallorum, lapidum, meteororum, plantarũ, animalium, quę vbique in sanctis litteris describuntur. Mathematica similite viam aperiet ad intelligendas considerationes quasdam in scripturis contentas, quæ illarum sunt proprię; Arithmetica, vbi de numeris; Musica, vbi de varia sonorum, ac vocum harmonia, de musicis instrumentis, & alijs similibus. Geometria vbi de mensuris & figuris; Astronomia, vbi de motibus cœlorum, de planetis, & stellis; Chronographia, vbi de ratione temporum, explicãdo omnes series, successiones, ac dinumerationes, annorum, sęculorum, olympiadum, hebdomadarum, ætatum, ac generationum, quę tota passim diuina scriptura sparsa sunt, & ex quibus in illa nõ paruę emergunt difficultates. Cosmographia, describendo tabulas prouinciarum, regionum, marium, montium, fluuiorum, syluarum, vrbium, oppidorum, aliorumque locorum, quorum fit mentio in sacris litteris. Philosophia denique moralis versabitur circa omnia, quæ pro diuersis eius partibus, ad mores in scriptura pertinent; de quibus omnibus fusius agitur infra sect. 7. huius libri. Vbi antẽ Scriptura ratione materiæ subiectę supernaturalis est, tradendo nimirum fidei nostrę mysteria, circa eius explicationem potissimum versatur Theologia, cuius diuersas methodos adducemus libro 5. huius operis.

Insu-

Insuper nulla prædictarum scientiarum habita ratione, potest etiam interpretanda Scriptura diuidi per titulos, & locos communes, ad quos omnia alia, tanquam suprema quædam capita facilè reducantur; tales tituli sunt, Deus, Christus, Deipara, Angeli, Dęmones, Sancti, Dij falsi, homo, & quę ad corpus, animũ statusque eius diuersos pertinent, Animalia, Plantæ, Metalla, Lapides, Meteora, Elementa, Cęlum, Planetę, Stellę, Mundus. Qui enim hos titulos, in suas deinde partes, veluti riuos, aut ramos arboris opacæ diuisos exhauserit penitus, omne planè Scripturę scibile, vel orbem eius litterarium decurrerit. Hac ferè methodo Ludouicus Ballester Societatis Iesu Valentinus, omnia quę in sacra Scriptura tractantur, attingens suam composuit Onomatographiam, & Hierologiam. Onomotographia, siue descriptio nominum diuiditur in duas partes, quarum prima continet nomina præcipuè rerum veteris & noui testamẽti per ordinem alphabeticum digesta. Secunda verò nomina insignium personarum cum distinctione temporum, quibus personæ istæ floruerunt. Hierologia autem siue sacer sermo, quatuor libris absoluitur, primus est de substantia diuina. Secundus de substantia corporea non viuente. Tertius de substantia corporea vegetatiua. Quartus de substãtia corporea sensitiua. Quibus tamen addi possent alij duo, de substantia humana, & Angelica, siue purè spirituali. Tantùm de primo interpretandi genere, & varijs eius speciebus, quæ respiciunt puram textus biblici, materiarumve in eo contentarum artificiosam dispositionem.

Secundò ars per quam sacra Scriptura exponitur, iuxta varios quos habet sensus diuidi potest: ita vt duo veluti suprema illius genera sint, Historicum siue litterale & mysticũ siue spirituale. Porrò historica expositio, siue interpretatio est, quæ sensum historicum, siue litteralem elucidat: qui sensus litteralis, cum sit duplex, alius proprius, alius improprius & metaphoricus, iterum litteralis expositio diuiditur in propriam, quæ verba, ac nomina iuxta primam nudamque vocis significationem considerat; & impropriam, siue metaphoricam & figuratam, quæ voces transumptas, & ad nouam significationem translatas explicat; Spirituale verò, siue Mysticum interpretandi genus, quod mysticorum sensuum, qui in sancta Scriptura clauduntur, declarationem attendit, tres alias explanationis species, siue partes complectitur, hoc est, Allegoricam, Tropologicam, & Anagogicam. Allegorica expositio est, quæ gestorum in veteri lege narrationem futurorum vmbram prætulisse demonstrat. Tropologica; quæ in Scripturis sanctis gesta, dictaque sunt, ad præsentis vitæ moralem institutionẽ refert. Anagogica verò ad futurę beatitudinis, & cęlestis gloriæ sublimiora mysteria, sacratioraque secreta animum attollit. Cum autem multi Sancti Patres in prædictis expositionum generibus excelluerint; primæ tamen dantur Hieronymo pro sensu litterali, qui est aliorum, vt diximus, fundamentum; cuique eruendo præfatus doctor laborem, & industriam potissimum adhibuit propter Origenistas; Origenes quippè quãplurimos Scripturæ locos, imo integra quędam capita ex historijs Bibliorum, vt Genesis, & aliorum librorum, ad sensus allegoricos traduxerat, & Scripturã magna ex parte ineptam, & inutilem ad varia fidei dogmata confirmanda reddiderat. Ambrosio per eccellentiam tribuitur sensus Allegoricus; Gregorio Magno Tropologicus siue Moralis; Augustino Anagogicus. Quamuis Sixtus Senensis lib. 3. Bibliothecæ paulò aliter id recenseat his versibus.

Historiã Hebrais & Græcis fontibus haustã
Hieronymo disces duce.
Allegoriam, Anagogiamque recludent
Origenes, Ambrosius
Exponent sensus formandis moribus aptos
Chrisostomus, Gregorius
In dubijs aliaque locis caligine mersis
Aurelius lucem feret.
At breuis, & facilis non est spernẽda tyroni
Lyrensis expositio. Prę-

Præfatis expositionum generibus annumeranda quoque venit accommodatitia expositio, qua per quamdam extensionem, sententiæ aut historiæ scripturæ ad alias res applicantur; vnde etiam pro diuersitate illarum multipliciter diuidi potest; Vbi enim v. g. Prophetarũ oracula, vaticinia, visiones, prophetias & typicas eorum actiones, quæ in sacris litteris continentur, refert ad futuras tẽporum mutationes, & sęculorum reuolutiones, ad regnorum vicissitudines, ad gentium, populorum, vrbium aduersitates, bella, clades, ruinas, victorias, instaurationes, felicitates, atque alia his similia, quæ, licet diuina prouidentia, vel ita exigentibus mortalium meritis, vel occulto, sed tamen iusto iudicio suo, in posterum fieri decreuerit, in diuinarum tamen Scripturarum oraculis intẽta nõ fuere, Prophetica dici potest; Physica verò, vbi eosdem Scripturæ sermones transfert ad naturæ vniuersitatem, siue ad totius naturæ vires & opera, hoc est ad materiam, formam, partesque huius mundi sensibilis: cuius exemplum ex Philone, Iosepho, Clemente Alexandrino, & Hieronymo adduxit Sixtus Senensis lib. 3. in Tabernaculo à Mose descripto, Exodi cap. 26. & 27. Moralis etiam, Allegorica, & Anagogica, imo etiã litteralis dicetur, cùm ad res illis sensibus proportionatas, Scripturam accommodabit: quo in genere præcipuè excelluerunt S. Bernardus, Riccardus, & Hugo Victorini; sicut in Prophetico Melito Sardensis, Methodius Martyr, Proclus Archiepiscopus Constantinopolitanus, qui vt Socrates lib. 7. historiæ cap. 42. testatur, cum Scythæ, duce Ruga, aduersus Romanum imperium arma sumpsissent, edidit coram Theodosio Augusto atque eius exercitu propheticã orationem: in qua exponens prophetiam illam ex libro Ezechielis cap. 30. fili hominis vaticinare contra Gog, & Magog, sic ad instantis belli occasionem verba deflexit, vt pœnas omnes, ab Ezechiele descriptas, barbaris imminere prædixerit. Cui prædictioni Deus paulo post felicem exitum dedit, igne cælitus demisso, & pręcipuis barbarorũ incendio absumptis.

Notandum est tamen, quod cum triplex sit Propheticæ expositionis modus; vnus, quo quædam nondum impleta, vel nondum intellecta veterum Prophetarum vaticinia, diuino illustrante lumine, referantur, ostendendo, & veluti digito certissimè demonstrando loca, personas, ac tempora, in quibus iamdudum prænuntiata, sed nondum intellecta oracula compleantur. Alter, quo antiquæ vatum pręd ictiones, multis iam sæculis impletæ & agnitæ, iterum futuris temporibus adimplendas fore denũtiantur. Si quidem multæ sunt in diuinis Scripturis prophetiæ, quæ varios & multiplices habent, tàm historicos, quã Typicos sensus, aliquando æquales, aliquando inæquales, quatenus vnus potest esse magis, vel minus intentus; aut in vnum vaticinantis animus primario contuitu, in alium vero secundario ferri potuit. Cum igitur aliquæ ex his prophetijs iuxta vnum sensum expletæ fuerint; rursus easdem iuxta alios sensus vel historicos, vel typicos reimplendas fore diuini quidam interpretes tradiderunt; cuius exemplum habemus in illo Hieremiæ vaticinio cap. 31. *Vox in Rhama audita est; ploratus, & vlulatus multus; Rachel plorans filios suos &c.* Quod, vt vidimus supra, cum Propheta de filijs Israel in captiuitatem Babylonicam abducendis protulisset; S. Matthæus c. 2. secundum alterius intelligentiæ veritatem ad Sanctorum Innocentium necem transtulit; itemque alij rursus iuxta alium sensum, impletionem eiusdem vaticinij factam dixerunt in vltimo vrbis sanctæ excidio; cum per viã, in qua Rachel prope Bethleem condita est, infinita captiuorum Iudæorum millia Romam missa sunt. Tertius modus Propheticæ expositionis est, quando diuinarum Scripturarum oracula, rebus futuris prædicendis adaptantur, quæ ab earum authore, nullo modo fuerunt intentæ: Quando igitur dicimus dari expositionem

positionem accommodatitiam propheticam, debet intelligi in hoc tertio sensu; alij enim duo pertinent ad verum Scripturæ sensum Historicum, vel mysticum; quandò fiunt iuxta Patrum & Ecclesiæ regulas; quas cum non seruauerit Ioachimus Abbas, in multis hallucinatum fuisse aliqui putant; eiusque Propheticas expositiones, non tam in diuinam inspirationem refundi debere, quàm humano nixas esse ingenio. Certè inter omnia exponendi genera, istud non solùm difficilius, sed etiam periculosius existimari debet; nec vnquam vsurpari, nisi præuio diuini Spiritus afflatu, cuius solius, vt proprium est futura prænoscere, ita etiam illo solo inspirante possumus illa eadem prædicere. Verum tàm de præfato Abbate Ioachimo, quàm de Hieronymo Sauonarola, qui in expositione publica Prophetarum, præsertim Amos, Zachariæ & Ezechielis, horũ iam expleta vaticinia, iterum temporibus suis implenda prænuntiauit, videri potest Antonius Posseuinus in Apparatu sacro.

Tandem quia scripturæ materia, siue textus Biblicus semel ordinatus, & artificiosè dispositus, secundùm diuersos etiam, quos habet sensus, potest insuper varijs tractandi, vel docendi modis, ac vijs exponi, quas alij methodos appellant; hinc tertio ars interpretandi Scripturam, potest veluti ratione styli vel formæ scribendi, diuidi in tot species, quot sunt huiusmodi formæ, ac methodi sacris expositoribus deseruientes in explanandis diuinarum Scripturarum materijs. De illis tamen agemus tantùm, quæ sunt præcipuæ, & inter cæteras magis vsitatæ, quales sunt sequentes. *Primò* Stigmatica siue Punctuaria exponendi methodus; quæ ex diuersis vocalium, punctorum posituris sonos, voces, prolationes, ac significata singularum dictionum, & sensum totius sanctæ lectionis ostendit. Cum hac punctuaria Hebræorum propria expositione aliquam similitudinis vmbram habere videtur Prosodica apud Græcos diuinæ Scripturæ illustratio, hoc est, tonorum, spirituum, accentuum, punctorũ, & hypostigmaton appositio; quæ nunc vbique visuntur in Græcis codicibus, quos antiquitus nudis tantùm litteris absque vllis accentuum notis fuisse cõscriptos testãtur Epiphanius in libro de partibus diuinæ Scripturæ, & Cardinalis Franciscus Ximenius in editione noui testamenti, in Bibl. Complutens. Visum est enim postea Græcis Patribus hæc addere, non solum ad rectam ac magis distinctam Scripturæ sanctæ lectionem, sed ad tollendas quoque ambiguitates quasdam non parui momenti, quæ sine his notulis, apicibus ac punctis dirimi non poterant. Quod etiam contingit in editione Latina; Vnde inter regulas interpretandæ Scripturæ, vna ex præcipuis assignatur, diligenter attendere, quomodo propositio Scripturæ distinguenda, vel pronuntianda sit: distinctio quippe, & pronuntiatio quæ sensum fidei, aut bonis moribus, seu etiã charitati & amicitiæ diuinæ repugnantem continet, vitanda est; vt cum Arriani ita distinguerent, hæc verba Euangelij S. Ioannis; *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat*, cui particulæ punctum apponebãt, subiungendo, *Verbum hoc erat in principio apud Deum*; quomodo blasphemiã suam, contra Christi diuinitatem, eludendo argumentum Catholicorum, tuebantur. Similis etiam illa est distinctio, quamuis in re non ita graui, *Dico tibi hodie*, cui particulæ punctum datur à quibusdam, & postea legitur, *mecum eris in paradiso*, cum tamen punctum potius poni debeat post particulam *tibi*, vt notat Cassianus collat. 1. cap. 14. pro pronuntiatione autem habetur illud Psalmi, *Frater non redimit, redimet homo?* per interrogationem, sic enim significatur purum hominem non esse redemptorũ, nec posse redimere genus humanum. Quamobrem in Concilio Aquisgranensi Can. 3. definitur, multa esse in Scripturis, quæ nisi proprio modo significentur, & pronuntientur, in contrariam recidunt

cidunt sententiam; & in hoc præsertim sensu debet intelligi D. Hieronymus in cap. 3. epistol. ad Ephes. aliique Patres, quando docent, *singulas voces, litteras, & apices, & puncta in diuinis litteris plena esse sensibus.*

Secundò, est, Expositio Notariaca, siue Notaria, quæ per notas quasdam, siue characterum, siue linearum, vel pũctorum, diuinis Scripturis vel appositas, vel insertas, verborum, ac sententiarum, & latentium sensuum rationem demonstrat: quarum apud vetustissimos, præsertim Græcos, expositores & in veteri potissimum testamento frequentissimus fuit vsus; duplicique notarum varietate, litteratarum scilicet, & illiteratarum fiebat; quas ex Epiphanio, Hieronymo, Stratonico, Suida, & Isidoro collegit Sixtus Senensis lib. 3. *Tertiò*, est expositio Paraphrastica, quæ ipsam diuinæ Scripturæ narrationem in aliam vertit narrationem, ei proportione respondentem; cuius duæ sunt species: altera pressior, ac strictior, quæ nihil aliud est, quã liberior quædam translatio: Altera, quę aliquanto fusior ac latior est; quatenus, vt Themistius asserit in præfat. poster. Aristotelis, licet Paraphrastæ, seruata semper eiusdem sensus integritate, pressa, & confusa liberè dilatare, atque ampliare; omissa supplere; hiantia explere; inuoluta & obscura claris & apertis verbis illustrare, & decora sermonis elegãtia exornare; atque etiam ea, quæ longè inter se dissita, & nullo ordine videntur disposita connectere, & in ordinatam seriem redigere. Sed hæc iterum paraphrasis species duplici varietate distinguitur; ex quibus prior, magis verborum sensus, quam ipsa verba secuta, sententiam sacræ lectionis sub copiosa quadam breuiloquentia elucidat. Posterior verò, quæ plus artificij continet, vsque adeò est verborum tenax, vt ne vllum quidem verbum sacri textus patiatur, aut transponi, aut immutari, aut transmitti; sed illius tantum verba, vna cum ipsis elucidationis verbis intertexit, vertitque, vndè etiam nõ ineptè Paraphrasis intertexta dicitur. *Quartò* est expositio Scholiastica, vel Glossalis, quæ quoties deest ocium ad integra conficienda commentaria, breuibus duntaxat interpretatiunculis illustrantur ea, quæ in sacris litteris vel obscuriora, vel magis insignia videntur; notulis quibusdã alphabeticis, vel alijs, dictionibus interiectis, quæ ostendant locos annotationum respondentes locis sacri textus. Cũ autem eiusmodi glossæ vel annotationes dupliciter fieri possint vel ad marginem sacri textus, vel intra linearum septa; dantur etiam apud glossatores duæ glossarum differentiæ, vna marginalis, siue extrinseca, alia interlinearis, siue intrinseca, quæ non alia ratione inter se differunt, quam scripturæ situ, & positione.

Quintò est expositio commentaria, siue commentatio; etsi enim iam in cõsuetudinem abierit, vt sub communi cõmentariorum appellatione omnia penè interpretationum genera designentur; nihilominus commentatio strictè sumpta, est breuis diuinæ Scripturæ expositio, Annotatione, siue Scholiastica expositione aliquanto copiosior, in qua quæcunque nobis in dies tàm ex quotidiana auctorum lectione, quam ex propria inuentione occurrunt & in mentem veniunt, sine multa cura & ordine colligimus, præparantes vel nobis, vel alijs veluti materiam, ad construendum longè maiora, longèque ampliora explanationum volumina. Quomodo Ammonius, Hypomnemata, latinè commentaria dixit esse præparationes ad Syntagmata, hoc est coordinata scripta, quæ multo tempore, multaque solertia in ordinem rediguntur. *Sextò* est Expositio Sciographica, hoc est Vmbratilis & picturalis, quæ per varias figurarum & imaginum delineationes clarius & apertius præ oculis ponit ea, quæ non ita facilè verbis exprimi possunt: V. g. forma, figuraque Arcæ à Noe fabricatæ, quam Ioannes Buteo mathematico artificio demonstrauit; structura Tabernaculi Mosaici, & Templi Salomonis, quorum

rum Schemata Beda excudit; Sacerdotalium vestimentorum ornatus; terræ sanctæ, siue totius Palęstinæ geographica descriptio; & alia similia. *Septimò* est expositio Tabellaria, siue columnaris, sic dicta, quod duabus potissimum tabellis, siue columnellis, ita in eadem pagina digestis, artificiosè coaptetur, vt prima tabella, siue columna contineat singulas sacri textus dictiones grandioribus litteris expressas, & alteram sub altera à capite vsque ad calcem eiusdem columnæ aptissimo ordine collocatas, & suis numeris signatas. Secunda verò columna complectitur verba expositionis, minoribus characteribus descripta, singulisque sãctæ lectionis verbis è regione respondentia.

Octauo est expositio enarratiua, qua publicè populo diuinæ elucidãtur Scripturæ; diuiditurque in Homiliam & declamationem. Homilia, quam alij tractatum appellant, alij familiare colloquium, est familiaris & domestica diuinæ Scripturæ ad plebem explanatio; cuius finis cum sit explicare sensus Scripturarũ, non solùm vt auditores ad pernoscenda illarum mysteria introducat, sed vt eos etiam ad obseruantiam eorũ quæ audierunt hortetur, solent homiliæ ab earum authoribus plerumque distribui in tres partes, hoc est Pręparatoriã, Didacticam, & Paręneticã siue Adhortatoriam. Declamatio, siue Concio, eadem, ac eodem fere ordine obseruat, quę Homilia, nisi quod stylo aliquantulum grandiori vtitur, tam in persuadendis virtutibus, quàm in reprehendendis cuiuscumque status, ordinis, ac sexus vitijs aut sceleribus. *Nono* est Collatiua expositio, quæ diuina eloquia familiaribus, mutuisque colloquijs, ac dialogis exponit; cuius duæ sunt species, cõtinuata nimirũ, in qua continuato orationis incessu, vnus perpetuò loquitur, referens colloquium à se vel ab alio cũ alijs habitum, simulque connectens per particulas inquam, & inquit colloquentium interrogata & responsa; & interrupta, in qua variæ inducuntur personæ inter se colloquentes, & sensus Sanctorum voluminum mutuis interrogationibus examinantes. *Decimo* est meditatio, siue affectiua expositio, qua potissimum verbis ad excitandum affectum in viua & ardentia rerum cęlestium desideria proportionatis diuinæ explanantur litteræ. *Vndecimo* est Poetica expositio, diuina volumina varijs carminum generibus exponens; cuius duplex est species, vna carmine duntaxat constans, Carminea appellata; altera prosæ, & carminis varietate intermixta; & ob id Prosocarminea ab aliquibus nuncupata. *Duodecimo* est Expositio Epistolaris, qua diuinæ Scripturæ per litteras, & epistolas ad amicos pręsertim consulentes transmissas explanantur. *Decimo tertio* est Expositio inquisitiua, quæ per inuestigationem, & solutionem difficultatum, diuinas Scripturas interpretatur, cuius quidem tres sunt veluti species, Problema, Quęstio, Disputatio. Problema illud est, in quo ad propositam de sanctis litteris difficultatem nihil certi respondetur, sed adhuc diligentius examinanda relinquitur. Quęstio verò illa est, in qua ad propositas difficultates cum certa firmaque assertione, ac simplici breuitate respondetur. Disputatio autem illa est, quæ super aliqua sacrorum voluminum parte, adhibitis vtrinque contrarijs tam hęreticorum, quam Catholicorum sententijs & argumentis latissimè, doctissimeque disputat, vel ad tuendam apologetico more diuinarum Scripturarum veritatem, contra illam negantes; vel ad exercendas, ac magis magisque exacuendas ingenij vires.

Decimo quarto est Expositio collectanea, siue collecticia, quæ ex quibuscũque scriptis aut ipsamet authorum verba cum sensibus, aut solos absque verbis sensus desumit, & in proprium vsum conuertit. Huius autem tres sunt species, Rapsodia videlicet, Syllegma, & Abbreuiatio. Rapsodia, quam aliqui stroma, siue Stromaticam enarrationem appellauere, est expositio ex varijs authorũ compositionibus coalescens, coacerua-

ceruatis in vnam connexionem non solum sensibus, sed ipsis quoque authorum clausulis, sententijs, atque integris periodis & paragraphis, nullo prorsus immutato verbo: diuiditurque in *Agiographicam*, quæ ex ipsis diuinæ Scripturæ verbis, merisque sententijs hinc inde dispersis collecta, & in vnum corpus redacta, ex apertioribus locis obscuriores illustrat; in *Ecclesiasticam*, communi appellatione Catena dictam, quæ ex diuersis Ecclesiasticorum Patrum scriptis verbotenus collectis Scripturam exponit; quorum si nomina supprimit, solas ipsorum sententias referẽs dicitur Anonyma; si autem illa intra expositionis contextum, vel extra in marginibus paginarum ascribit, Proonyma Catena vocatur: Et in *Etnicam*, quæ nihil aliud est, quàm ex dictis ac sententijs Gentilium authorum verbotenus decerpta expositio: & hęc quoque duplex est Catena, & cento. Differunt autem quod catena citra magnum laborem prolixas periodos & sententias in vnam texturã congregat, pręsertim verò ex scriptis, quæ prosa siue soluta oratione cõstant: Cento autem maiori labore, & solertiori industria, adunatur potissimum ex scriptis poetarum; ex quorum varijs & inconnexis versibus noua quędam carminis structura solidatur; Syllegma, id est sensuum collectio, est ex diuersis expositorum commentarijs iuxta sensum tãtùm collecta expositio: Abbreuiatio verò est expositio, qua specialiter expositorum diuinæ Scripturæ prolixæ explanationes, latissimaque volumina in cõpendium, summamque perstringuntur, succincta ac dilucida breuitate, vt & ab occupatis, & à simplicioribus paruo tẽporis, ac laboris dispendio facilius legi & intelligi possint. *Decimo quinto* est Coaceruatio, siue coaceruatus exponẽdi modus, qui duplex est, alter in sensuum, alter in testimoniorum accumulatione consistens. Primus enim ad elucidationẽ loci exponendi, quatuor præcipuas diuinæ Scripturæ explicationes, Litteralem, videlicet, Allegoricam, Tropologicam, & Anagogicam, in vnam continuatæ explanationis seriem iungit. Secundus autem in testimoniorum aggregatione positus, ad enodationem & confirmationem propositi loci varias Scripturarum authoritates, & locos in vnum contractos adducit, & hos rursũ, pręsertim si obscuri fuerint, & impliciti, superaddita nouæ expositionis interpositione, particulariter edisserit. *Decimo sexto*, est Thematica expositio, quæ peculiares diuinæ Scripturæ partes vnà cũ earum expositionibus applicat ad alicuius particularis argumenti tractationem, ostendens totum suscepti argumenti corpus, membra, partesque singulas in propositis Scripturæ sanctæ locis veluti in tabula depictas inueniri; V. g. dum proposita Abrahami persona, & rerum ab eo gestarum narratione, vita Sapientis per doctrinam vt apud Philonem, vel per actionem, vt apud Ambrosium, perfecti ex intimo Scripturæ sinu describitur.

Decimo septimo est expositio Scholastica; cuius species quæ vsque in hanc diem fuerunt in scholis vsitatiores, distribuit Sixtus Senensis in decem ordines; quorum primus complectitur concordantias; secundus dictionaria; tertius historias; quartus Postillas; quintus Quęstionaria; sextus Lecturas; septimus Compendia; octauus Sermonaria; nonus Metrica; decimus Meditationes. *Decimo septimò* est Elementaria expositio, quæ circa significationem simplicium elementorum, siue litterarum versatur; Cum autem litteræ duo potissimum significent, hoc est, partes Syllabarum indiuiduas, & notas numerorum indices, pręsertim apud Hebręos, & Gręcos, qui omne numerorum genus per litteras repręsentant; expositio hęc in duos potissimum explanandi modos diuiditur; de quibus, & eorum speciebus vide predictum Sixtum Senensem lib. 3. Biblioth. Bernardum Gomesium lib. 5. de Sale; Petrum Brutum Episcopum Catarẽsem, in suo aduersus Iudeos volumine; Alphonsum Xamorensem in sua

sua Grammatica, & in epistola sua ad Hebręos Romæ commorantes; Ludouicum Lusitanũ de diuin. arcan. lib.10. cap.14. Leonardum Marium in prolegom. quęst.8. sect.2. in Pentateuch. Michaelem Medina lib.2. de recta in Deũ fide cap.7. itẽ quæ dicemus infra sect.7. cap.4. huius libri; & lib.4. sect. 6. Solùm hic pro instituti nostri ratione breuiter examinandum est, quantæ sit authoritatis hęc expositio. Aliqui enim illam admirantur, & vsque in cælum tollunt; indeque probant, quod Christus Dominus Matthæi 5. dixerit; *Amen dico vobis, donec transeat cælum & terra, Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant*. Diuus quoque Hieronymus in epistola ad Ephes. cap.3. aperte docet, Scripturæ syllabas apices, & puncta diuinis sensibus esse plena. Idem asserit Chrisostomus homil. 18. & 42. in Genes. Cyrillus in Ioannem lib.2. cap. 102. Alij per oppositum vt Salmeron proleg. 7. vniuersum hoc expositionis genus explodunt, tanquam rem ludicram & fortuitam, merũque Rabbinorum, Massoretharum, Kabalistarumque figmentum: Nos quid in hac re probabilius, aut certius sit tenendum breuiter sequentibus dictis explicabimus.

Primùm igitur dico, prędicta Christi Domini verba Matth.5. *Iota vnum, aut vnus apex, non præteribit à lege donec omnia fiant*; non referri ad elemantariam Scripturæ expositionem, sed tantùm Christus Dominus voluit his verbis vehementer exprimere perfectam totius legis obseruationem in se ipso vsque ad minima & leuissima præcepta implendã: hæc enim Iod, & apices minimæ legis particulæ significabant. Verùm quoniã Apicis nomine tam apud Græcos, quam apud Latinos duo significantur, puncta videlicet, ac supremæ litterarum summitates; occasionem præbuit hic locus inquirendi, quid apex nunc significet, puncta ne an litterarum summitates. Illi auctores, qui puncta illa, quæ in codicibus Hebræis scribuntur ad formandos vocalium litterarum sonos, existimant non solùm Christi temporibus, sed etiã longè antea fuisse, attestantibus id multis Hebræorum doctoribus vt vidimus supra: ex quibus aliqui inuentionem taliũ vocalium punctorum referunt ad viros Synagogæ magnæ; in qua fuerunt Aggæus, Zacharias, Malachias, Daniel, Ananias, Azarias, Ezdras, & Nehemias: alij verò censent inuentionem hanc esse à Deo qui legem tradidit Moysi in mõte Sinai vna cũ litteris & vocalibus punctis; illi inquam doctores putant per apices hic intelligi oportere puncta illa. Alij verò qui opinantur Rabbinos vrbis Tiberiadis, præ cæteris in lingua sancta exercitatos, præfata puncta duntaxar inuenisse, & legi addidisse anno ab vltima templi deuastatione 436. hoc est anno Christi 476. per Apices notas quasdam, quæ apud antiquos semper quibusdam litteris ponebantur, siue differentiæ causa ad assimiles Hebraicarum litterarum figuras distinguendas; siue vt ostenderetur geminandam esse litteram. Verùm quocumque modo res intelligatur, vtraque enim sententia est valde probabilis, nihil fauet elementariæ expositioni; sed tantùm Dominus ostendit, tales notas non prætereundas in Scriptura diuina: quia, si negligerentur, sensus quoque interiret; vt vidimus supra agendo de expositione stigmatica: & in hoc sensu debent intelligi Patres, quando asserunt Scripturæ syllabas, apices, & puncta diuinis sensibus esse plena; docetque Sanctus Thomas in Isaiam prælud.2. littera K. quod sicut in artificioso corpore hominis, nec minimę partes otiosæ, vel superuacaneæ sunt, ita nec commas puncta, syllabas &c. vllus sanæ mentis superflua iudicabit.

Dico secundò, expositionem elemẽtariam, quando fit iuxta regulas fidei, iuuare quidem posse ad illius veritates illustrandas, nunquam tamen firmum aut efficax argumentum suppeditare ad illas confirmandas, cum eiusmodi expositio plerumque fiat ab ingenioso interprete, neque sit à Spiritu Sancto intenta.

A quo vbi certo semel constaret aliquã fuisse intentam, non est dubium, quin pro vera tenenda esset; sicut è contrario pro falsa reijcienda esset, quando contra fidei regulam, Conciliorum definitiones aut SS. Patrum consensum illa faceret. Quales olim fuere superstitiosę Gnosticorum, & Valentinianorum expositiones; & quæ adhuc hodiè proferuntur è ruginoso Rabbinorum, Iudaisantiumque Kabalistarum penu. Vnde hoc interpretationis genus, neque ita absolutè cum prima sententia laudandum, vel probandum est; neque etiam omninò cum secunda reprobandum, aut aspernendũ, præsertim loquendo de secundo illius modo, quem Arithmeticum appellare possumus, quia laborat in inuestigandis significationibus numerorum, quos litterę in dictionibus & syllabis positæ repræsentant, vel qui litteris respondent, propter locos aliquos diuinæ Scripturæ; qui sine aliqua obseruatione numeraliũ elementorum commodè videntur explicari non posse. Inter hos maximè insignis est locus ex cap. 13. Apocalypseos, cuius arithmeticas litteras diligẽter nos considerare, & supputare iubet Spiritus Sanctus, his verbis: *Hic sapientia est, qui habet intellectum, computet numerum bestiæ, numerus enim hominis est, & numerus eius sexcenti sexaginta sex*. Quibus verbis admonet Spiritus Sanctus nomen quose iniquus ille Antichristus appellabit, componi ex litteris numeralibus significantibus numerum *666*. de quibus arithmeticis litteris, & nomine ex eis resultante, varia à Patribus ad exercitationem ingenij magis, quam ad assertionis firmitatem, dicta sunt; de quibus videri potest Ioannes Maluenda in tractatu de Antichristo; Tantùm de tertio interpretandi genere, & eius speciebus, de quibus etiam consuli potest Sixtus Senensis lib. 3. Biblioth.

Solùm hic aduertendum est præfatum doctorem, aliam diuisionem secutum, prædictis speciebus sex alias addidisse, translationem, syllabicam exponẽdi rationem, partitionem, Epitomen, Eglogen, & Lexicen siue vocabulariam vel dictionariam expositionẽ; quas nos omisimus, quia non agimus hic de interpretatione Scripturæ ex alia in aliã linguam, qualis est translatio; sed de interpretatione in ordine ad eruendos in quacumque lingua veros ac germanos Scripturæ sensus; nec de diuisione ratione materiæ, ad quam aliæ quinque species pertinere videntur, sed tantùm ratione styli, seu formę interpretandi. Syllabica enim, siue indicatoria methodus est illa, quæ librorum indices, à Græcis συλλαβοὺς appellatos componit, cuiusmodi sunt omnes sacræ bibliæ concordantiæ, tabulæ, repertoria, & alia similia. Partitio verò iuxta duo quæ potissimum habet munera, primum diuidit totum cuiusque voluminis corpus in membra, & in partes, quas capita, siue capitula vocant; deinde peculiares diuisarum partium summas strictissimis titulis, siue inscriptionibus colligit. Sicut Epitome, siue Compendium, est breuissimum diuinorum voluminum Summarium, comprehendens paucissimis verbis, quæ fusius, & per multas repetitiones in diuina Scriptura enarrantur, seruata semper sacræ narrationis integritate, ac sensu. Egloge autem siue excerptum, methodus est decerpens hinc inde ex omnibus sparsim diuinis voluminibus diuersas Scripturarum authoritates, sententias, periodos, testimonia, exẽpla, variaque dicta, & facta, aut ad instructionem fidei, & probationem dogmatum Christianorum, aut ad disciplinam morum, & ad pietatis exercitationem. Cuius quidem Methodi diuersæ formulæ cum fuerint excogitatæ, tres tamèn vsitatiores habentur, videlicet specula, loci cõmunes, & harmonię, quarum duo sunt modi; vnus in quo litteralis contextus partes, ac periodi consimilem habentes sensum accommodantur; alter, qui absque vlla litterarum scriptura ex solis numeralibus notis componitur. Lexice tandem, siue vocabularia expositio grammaticam vocabulorum significationem declarat. Verùm

cùm

cùm prędictę omnes diuisiones sint accidentales, nullum est inconueniens, secundùm diuersos respectus vnam sub altera collocari. Hactenus de varijs sacras Scripturas interpretandi modis, nec non de causa formali illarum, rebusque ad illam pertinentibus.

CAPVT CVIII.

De causa finali Sacræ Scripturæ, illiusque vsu, & vtilitate.

CVm causa finalis ita sit prima in ordine intentionis, vt tamen sit vltima in ordine executionis, quem nos in præsenti tractatu secuti sumus, agentes de diuina Scriptura secundum omnes suas causas, ideo vltimo etiam loco de illa agimus. Quia autem finis rei, V. g. hominis omnino idem est cum fine materię & formę illius, si quidem res cum tota sua essentia ad proprium finem est ordinata; qui etiam multiplex esse potest vltimus, proximus, principalis, minus principalis; Eodem modo discurrere debemus de scriptura, cuius materia & forma, cùm habeant pro fine vltimo principali Deum, & eius gloriam, quia prouerb. 6. dicitur, *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*; vnde sicut in creatione mundi, quem diuinorum operum librum appellare possumus, finis principalis fuit gloria Dei, quatenus talis communicatio diuinę bonitatis in suorum operum productione, ad eiusdem manifestationem ordinatur, manifestatio autem habet pro fine notitiam, notitia verò laudem, gloriam, & honorem; ita similiter in libro diuinarum Scripturarum, cum singula eius verba, eiusque significationes, eo tendant, vt nobis Dei, operumque illius, gratiæ pręsertim & glorię cognitionem ingeneret, quia ordinarium medium ad manifestanda illa, quæ latent, verba sunt; apertè sequitur, Scripturæ quoque finem vltimum principalem esse Deum, & eius gloriam. Finis verò vltimus minus principalis, siue quod idem est secundarius, priorique subordinatus, est Christus, & eius gloria: Vnde cum Apostolus ad Romanos 10. dixisset, *finis legis Christus est*, deinde, *omnia vestra sunt, vos autem Christi*, mox subdit, *vos autem Dei*; & 1. Corinth. cap. 11. ver. 3. *Volo autem vos scire, quod omnis viri caput Christus est: caput autem mulieris vir: caput verò Christi Deus*: vt ostenderet Christum, vt hominē esse finem, sub fine, quomodo etiā intelligi debent S. Augustinus, quando in explicatione Psalm. 4. & in epistola 2. Ioannis ait: *Quidquid Scripturarum est, sonat Christum si aures inueniat*, & Chrisostom. homil. 10. in Marcum. *Ego quando lego Euangelium, & video ibi testimonia de lege, testimonia de prophetis solùm Christum considero*. Si enim Christus vt homo refertur ad Deum tanquam ad caput & ipsum quoque incarnationis mysteriū tanquam diuinę gratiæ opus excellentissimum ordinatur ad manifestationem diuinæ bonitatis, Christus enim ipse Ioannis 3. ait: *Sic Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret*; ipsa quoque Scriptura Christum docens & reuelans, ad eumdem finem manifestationis gloriæ Dei rursus ordinata est.

Loquendo iam de fine veluti proximo, & immediato Scripturæ, dubitari non debet quin sit vita ęterna, siue Deus & vltimus finis per media virtutum, & fugam vitiorum ab hominibus consequendus. Id enim S. Ioannes claris verbis tradidisse videtur cap. 20. dum ait: *Hæc scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est Christus filius Dei, & vt credentes, vitam habeatis in nomine eius*. Et D. Paulus 2. ad Timoth. cap. 3. cum ad sacrarū Scripturarum lectionem exhortatus ait: *Quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu*. Cum enim Deus qui Scripturas dictauit, vt essent fidei obiectum materiale, nec non & Theologiæ principia, nedum sit obiectum cognitionis supernaturalis intellectus nostri, sed etiam finis actionum nostrarum, optimè earumdem Scripturarum finis veluti proximus asseritur, tanquam regula speculationis, & actionis,

nis, per quam ipsum, vt vltimum finem nostrum tandem consequamur. Sic igitur finis vltimus principalis diuinarum Scripturarum est Deus, vel eius gloria absolutè sumpta, minus principalis Christus Dominus; proximus autem, ac veluti immediatus respectu hominum, vita æterna siue Deus, vt vltimus finis, in quem vt suam consequantur beatitudinem, totis viribus tendere debent: ita vt finis totalis, & adæquatus diuinarum Scripturarum ex omnibus istis coalescere dici possit.

Iam videndum est, quantùm Scriptura respectu omnium illorum sit vtilis; quia autem vtilitas in vsu posita est; qui ex D.Thoma 1. 2. quæst. 10. artic. 1. & quæst. 16. artic. 1. nihil est aliud, quàm applicatio rei ad finem, & ad actionem finalem; clarè de illa constabit, si breuiter eiusdem Scripturę consideremus vsũ qui duplex distingui potest; vnus quidẽ respectu fidelium in particulari: alter autem respectu Ecclesię totius. Primus cùm in eo maximè sit positus, vt fideles Scripturam legentes, vel illius lectionem audientes percipiant ea quæ pertinent ad fidei veritates, & morum disciplinam siue quid agere debeant, vt æternam à Deo salutem consequantur, tam in prosequutione omnium virtutum, in adimpletione omnium præceptorum, & consiliorum Dei, quàm in fuga, & detestatione omnium vitiorum; præclarè D. Hieronymus ait in prologo super Psalmos, quod in Sacra Scriptura: *Habet infans quid lactet, puer quid laudet, adolescens quid corrigat, iuuenis quid sequatur, senior quid precetur. Hinc discant fœmina pudicitiam, populi inueniant pietatem, viduæ iudicem, pauperes protectorem, aduenæ custodem: hic Reges inuenient quid audiant iudices quid timeant: hæc tristem consolatur, lætum temperat, iratum mitigat, pauperem recreat, diuitem, vt se cognoscat, increpat: omnibus se suscipientibus apta medicamenta tribuit, neque peccatorem despicit, sed per pœnitentiam remedium ei ingerit. Post hæc Deus ostenditur, simulacra irridentur, fides asseritur, perfidia repudiatur, iustitia ingreditur, prohibetur iniquitas, misericordia laudatur, crudelitas abdicatur, veritas requiritur, mendacium damnatur, dolus accusatur, prædicatur pœnitentia, pax sequenda promittitur, spes certa nutritur: sed (quod his omnibus excellentius est) Christi Sacramenta laudantur.* Hactenus Hieronymus, cui concordant cæteri Patres, Chrisostomus in Matth. cap. 24. *In scripturis*, inquit, *ignorans inuenit quid discat, contumax quid timeat*, &c. adeoque salutiferas profert doctrinas, vt idem illam comparet pratis omne florum, atque herbarum salutarium genus producentibus, ac proinde ad eorum amænitatem viatorem inuitantibus. Et Augustinus lib. 3. de doctr. Christ. cap. vltimo ait: *Quicquid homo extra didicerit, si noxium est ibi damnatur, si vtile est ibi inuenitur, & cum ibi quisque inuenerit omnia, quæ vtiliter alibi discit, multò abundantius ibi inuenit ea, quæ nusquam omnino alibi, sed in illarum tantummodo Scripturarum mirabili altitudine, & mirabili humilitate discuntur.* Et tandem, *In Sacra Scriptura* (ait Hugo lib. de anima) *quicquid docetur, veritas; quicquid præcipitur, bonitas; quicquid promittitur, fœlicitas est. Nam Deus est veritas sine fallacia, bonitas sine malitia, fœlicitas sine miseria.*

Quare meritò præfatus Hieronymus in epistola ad Demetriadem ait: *Diuinas Scripturas sæpius lege, imo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur. Scitò in diuinis Scripturis (per quas Dei solùm potes cognoscere voluntatẽ) prohiberi quædam, concedi quædam, suaderi nonnulla: prohibentur mala, præcipiuntur bona, conceduntur media, persuadentur perfecta*: Et in speculo Monachor. est sacra Scriptura Puteus Iacob, ex quo hauriuntur aquæ, quæ in oratione funduntur. Est eiusdem virga decorticata, cuius intuitu varios bonorum operum fætus producimus. Est currus igneus Eliæ, quo ad æternam hæreditatem capessendam in cœlum vehimur; Est mons Sion, in quo mãdata magni Regis tradũtur. Est panis, quẽ populo in deserto dedit olim Deus,

omne

omne in se delectamentum habens, & in ore edentium spiritualem saporem producens, quem cum gustasset Dauid: *Quã dulcia*, dixit, *faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo*: *Sicut enim*, ait Augustin. serm. 112. de tempore, *ex carnalibus escis alitur caro, sic ex diuinis eloquijs interior homo nutritur, & pascitur*. Sed de hac re satis, de qua latius agit Scalante lib. 4. de causis Sacrę Scripturæ cap. 29. & 30. Montoia lib. 1. de concordia Sacrarum editionum controuersia 5. & 6.

Quod pertinet iam ad vsum Scripturæ, respectu Ecclesiæ, videtur plenè illum expressisse B. Paulus, quando secunda Epistola ad Timotheum cap. 3. ait: *Omnis Scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum in iustitia*. Ad docendum quidem; quatenus ex illa doctores sua depromunt argumenta ad confirmandas fidei veritates, ad arguendum verò, quatenus eisdem spiritualia arma suggerit, vt eas aduersus impios, & infideles defendant; Nam vt ait D. Gregorius homil. 15. in Ezechielem; *In Scriptura armaturam nostræ mentis inuenimus, vt inde præcepta creditoris, inde sumamus exempla præcedentium, per quæ contra aduersarios nostros inexpugnabiliter armemur*; milleque clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortium, vt alludens ad locum Cantici Canticorum dicit Eucherius lib. de spirit. form. cap. 7. Quod satis demõstrat omnium Sanctorum Patrum euidẽtissima, & frequentissima praxis, qui hoc Scripturæ medio ad refutandas hæreses vsi sunt. Præterea vtilis est ad corripiendum, ad impios nimirum rebelles, & non obedientes coercendos, siue etiam corrigendos. *Ad hoc enim data est*, inquit Ambrosius in epistol. Pauli ad Timoth. *vt proficiat imperitis, & instauret deformes, attrahens iniquos ad iustitiam*. Sic vtilis etiam est ad erudiendum in iustitia, elementariæ institutionis, siue pędagogię scientiam præscribendo, vt quilibet iustitiam Christianam amplectens, veræ virtutis iter sequi mali verò declinare condiscat. Et hęc breuiter dicta sufficiant in re facili, & omnibus obuia.

CAPVT CIX.

De nominibus, vel elogijs quibus Sacra Scriptura communiter insignitur; & alijs rebus ad eius dignitatem pertinentibus.

EX dictis vltimo loco patet, quàm rectè Sacrę Scripturæ conueniat, quod de rebus excellentibus, atque sublimibus docuit D. Thomas 1. p. q. 13. artic. 1. plurium videlicet, & variorum appellatione insigniri; quę eius dignitatem, & maiestatem non mediocriter ostendunt. In primis enim per excellentiam dicitur Scriptura Ioann. 10. & ad Roman. 9. quia quod in ea exprimitur, solùm penè dignum est, quod legatur, aut scribatur; nam cętera, quæ de rebus humanis scribi solent volumina, cùm plerumque vel inanitatis plenissima sint vel etiam erroribus scateant, scribi vix debent. Vnde S. Augustinus ait: *Non illa inumerabiles, & impiæ fabulæ quibus vanorum plena sunt carmina Poetarum, vllo modo nostra consonant libertati, non oratorum inflata, & expolita mendacia: nõ denique ipsorum Philosophorum garrulæ argutiæ, qui vel prorsus Deum non cognouerunt, vel cum cognouissent, non sicut Deũ glorificauerunt*, &c. & paulò post: *Absit omninò vt istorum vanitates, & insaniæ mendaces, ventosa nugæ, ac superbus error, rectè liberales litteræ nominentur, hominum scilicet infelicium, qui Dei gratiam per Iesum Christum Dominum nostrum, qua sola liberamur de morte corporis huius, non cognouerunt, nec in eis ipsis, quæ vera sunt censuerunt*.

Appellatur etiam *Scriptura sacra*, nõ solùm quia Scriptores illius non ambitione aliqua, vel gloriæ aucupandę studio incitati; vt profani solent, calamum arripuerunt; aut de rebus sacris agunt; verùm etiam quia, vt sacra debet inuiolabiliter custodiri, & ab vsibus prophanis separari ex sess. 4. Concilij Tridentini

tini ſub finem, vbì hoc ſub grauiſſimis pœnis prohibetur.

Item vocatur Antonomaſticos *Biblia*; vt enim ex D. Auguſtino in Pſalm. 5. & Hieronymo in 29. Iſaiæ dicitur liber vnus, propter authoris, & finis præcipui identitatem; ita & in plurali Biblia; id eſt libri, vt 1. Machab. cap. 12. *Habentes ſolatio libros ſanctos*; non tam quia ex pluribus partibus à ſe inuicem ratione materiæ differentibus, corpus eius integrum coaleſcit quippe quę legem, hiſtoriam, Pſalmos, Prophetias, Euangelia, & epiſtolas continet; vel quia à pluribus Sanctis Patriarchis, ſcilicet Prophetis, Euangeliſtis, & Apoſtolis conſcripta; quàm quia omne genus librorum humanorum, omneſque eorum Bibliothecas longè poſt ſe relinquit ſacrum volumen, quo omnis vtriuſque teſtamēti continetur Scriptura.

Dicitur inſuper *Verbum Dei*; quòd ex ore Altiſſimi prodierit, Deoque authore hominum mentibus expreſſum, atque formatum ſit; quicquid per Scripturā ſignificatur; vel quod pręter alia notitiam nobis Ieſu Chriſti, qui eſt Verbum Dei, ſuppeditet, ex qua vt origine manat firmitas, & intellectio totius Scripturæ, quippe is factus eſt nobis Sapiētia à Deo 1. Corinth. 1. & in ipſo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi Coloſſ. 2. qui ſolus verus eſt doctor, qui, ait Auguſtinus, poteſt ſpeciem imprimere, ac lumen infundere, atque virtutem dare cordi audientis, cathedram habens in cælo, & intus corde docens filius Dei, & ars Patris.

Nuncupatur etiam *teſtamentum Dei*, quod eius, & Chriſti teſtatoris voluntatem ac diſpoſitionem ſiue ordinationem contineat; nam & propterea Græcè habetur διαθήκη; cuius in veteri lege promiſsio erat terræ manantis lac, & mel; eaque brutorum ſanguine ſanciebatur; in noua autem æternæ hęreditatis, quæ & iure iurando, & filij ipſius Dei ſanguine confirmata eſt. Eamdem ferè cū teſtamento ſignificationem habent illæ voces, *Pactum, fœdus, & Chirographum*; Vbicumque enim in Gręcò textu, vox hęc, teſtamentum, eſt, ibi, ait Hieronymus tom. 3. in quęſt. ſuper Geneſim, habetur Hebraicè *Berith*, quod ducitur à verbo Barar, mandauit; quodque deſignat fœdus inter viuentes liquido ac pręcisè tranſactum. In quo nimirum conditiones vtrinque conſtent: Dei quidem, promiſſa nobis vita felicitaſque ſupernaturalis; noſtri autem, ad ſuperhumana oblatio fidei, atque operum filijs Dei, mediante eius gratia, dignorū. Quæ omnia, cum certa ſtipulatione ſancita ſint, Scriptura ſacra quaſi *Chirographum, ac Tabulæ Dei* ab Auguſtino etiā dicta ſunt. Quoniam enim, inquit, generatio labitur, generatio venit, & celeri curſu currunt tempora; voluit Deus Scripturam ſacram manere veluti tabulas quaſdam, & quoddam Dei chirographum, quod omnes tranſeuntes legerēt, viam, qua ad Dei promiſſa venitur, tenerent. De quo vide plura ſupra vbi egimus de diuiſione Scripturæ in vtrumque teſtamentum.

Vocatur præterea Omnipotētis Dei, & Imperatoris cæli Epiſtola; ex D. Gregorio Epiſtola 84. ad Theodorum Medicum lib. 4. vbi illi gratias agens de pecunia pauperibus tranſmiſſa, eum diligentiſsimè hortatur ad legendas litteras ſacras; *Sed quia*, inquit, *ille plus diligit, qui plus præſumit: erga dulciſſimam mentem glorioſiſſimi filij mei Theodori habeo aliquam querelam, quia donum ingenij, donum rerum, donum miſericordiæ, atque caritatis à ſancta Trinitate percepit; ſed tamen ſæcularibus indeſinenter cauſis adſtringitur, aſſiduis proceſſionibus occupatur, & quotidie legere negligit verba Redemptoris ſui. Quid eſt autem Scriptura ſacra, niſi quædam Epiſtola omnipotentis Dei ad creaturam ſuam? Et certè ſicubi eſſet gloria veſtra alibi conſtituta, & ſcripta terreni iam Imperatoris acciperet, non ceſſaret, non quieſceret, ſomnum oculis non daret, niſi prius quid ſibi Imperator terrenus ſcripſiſſet, agnouiſſet. Imperator cæli, Dominus hominum & Angelorum, pro vita tua tibi ſuas Epiſtolas tranſmiſit, & tamen*

men gloriosè fili easdem epistolas ardenter legere negligis. Stude ergo quaeso, & quotidie creatoris tui verba meditare. Disce cor Dei in verbis Dei, vt ardentius ad aeterna suspires, vt mens vestra ad caelestia regna maioribus desiderijs accendatur. Tantò enim tunc maior erit requies, quanto modo ab amore conditoris sui requies nulla fuerit. Sed ad hac agenda infundat nobis omnipotens Deus consolatorem Spiritũ.

Praeterea vocantur *Instrumenta Dei*, à Tertull. contra Marcion. Hieronymo praefat. in Euangel. & Augustino epistola 86. non quidem quòd quemadmodũ artifices per instrumenta opera sua conficiunt, ita per Biblia, tanquàm per causam efficientem, benè operemur & sanctificemur: hęc enim interpretatio fauet hereticis, qui Euangelio & verbo praedicationis causam salutis nostrae efficientem tribuunt, cùm tamen reipsa constet, ea duntaxat obiectiuè, & per modum proponentis ad salutem nostrã concurrere: Sacrae igitur Scripturae dicuntur instrumenta, quia Deus per illas voluntatem suam patefacit, sicut & quęnam sit sua natura bonitas, sapientia &c. item qualis sit beatitudo, & quaenam media ad illius assecutionem sint necessaria.

Lex item vocantur Scripturae veteris testamenti; noui autem, *Euangelium*; illae quoniam praeceperunt; istae, quia felicissimo nuntio declarauerunt, & perfecerunt: *Virtus enim Dei est in salutem omni credenti*; Rom. 1. videlicet in Euãgelio sunt, quae multo antea lex vna cũ prophetis & Psalmis indicarat. Quare huc illa pertinent; *Non veni legem soluere sed adimplere Matth.* 5. & cap. 11. *lex & Prophetae vsque ad Ioannem*; aliaque similia. Sacrae tandem Scripturae, tanquàm firmissimo fidei doctrinaeque Catholicae fundamento cõueniunt omnes illi tituli, vnius, sanctae, vniuersalis, &c. ex quibus infra libro quarto desumemus omnia motiua credibilitatis, ad ostendendum, fidem Catholicã fuisse à Deo reuelatam.

Praeter dictos titulos, seu nomina quibus passim in Sanctorum Patrum libris diuinae insigniuntur Scripturae; ad earum quoque dignitatem & excellentiam cõmendandam multa alia faciunt. Primò maxima qua sẽper tractatae fuerunt reuerentia: erant enim olim in templis duo Secretaria, à dextro sinistroque latere absidis posita: in quorum altero sacra Eucharistia asseruabatur, in altero diuinae Scripturae codices sacri. Vndè S. Paulinus (vti ipse testatur epistola 12. ad Seuerum) in templo Nolano à se erecto, hos versus ad dextram inscribi voluit;

Hic locus est, veneranda penus qua conditur, & qua
Ponitur alma sacri pompa ministerij.

à sinistra vero hosce;

Si quem sancta tenet meditandi in lege voluntas
Hic poterit residens sacris intendere libris.

Ita etiamnum Iudaei in suis Synagogis legem Mosis, quasi oraculum, magnificè in tabernaculo, perindè ac nos S. Eucharistiã, condunt, & publicè proponunt. Quin eisdem Feuardentius in pręfat. ad Sixtum V. Pontif. Maximum asserit piaculum publicis ieiunijs expiãdum existimatum fuisse, sacros codices super nudam terram deponere, aut illotis manibus contrectare, aut in suis Synagogis à Leuita circumlatos non religiosissimè venerari, simulque adorare. Osculantur etiam eos quoties aperiunt, & claudunt; nec vnquam sedent in eo scamno in quo sunt; magnae profectò nonnullorum Christianorum confusioni, qui aliquando minus reuerenter illos pertractant; dixi nonnullorum; quia multi pij viri solent cum Sancto Francisco eos si quando inuenerint in parum honestis locis, vel etiam aliqua eorum verba scripta, colligere, indeque honestioribus, magna veneratione reponere; & cum S. Carolo Boromeo, nonnisi nudo capite, & flexo poplite venerabundos legere.

Verum si magna qua semper Scripturae tractatae sunt, reuerentia, earumdem

dem arguit dignitatem; secundò non minus illam demonstrat, quod in eos, qui aliquo pacto illas contempsisse noscuntur, miris modis vltio diuina deseuijt. Hanc enim ob causam, vt referunt Eusebius lib.8. Histor. Nicephorus lib.7. cap.4. & Sigibertus, Diocletianus lingua vermibus corrosa, sibi ipsi vim intulit, prius corporis tabe, mentisque insania correptus; & Proculus Genserici Vvandalorum Regis minister, sibi frustulatim linguam dentibus lacerans fœda morte sublatus est, quod sacra volumina flammis voracibus publicè concremanda dederit. Habemus ex eodem Eusebio lib.8. Pręparat. Euangel. cap.1. Theopompum nonnulla ex Hebręorum libris græca oratione conatum exornare, mentis turbatione illico fuisse correptum; & Theodectem tragædum, cum ad quandam fabulam etiam aliqua ex illis desumpta aptare vellet, continuò vtroque captum lumine obmutuisse. Alius quoque, ex Philone lib. de mutat. nom. in sac. litt. nominis Abrahæ commutationem irridens, & contumeliosis verbis identidem exagitans, vesaniæ suę pœnas impura, & pręposteta morte persoluit. Quare optimo iure Patres Arelatenses Concil. 1. cap. 13. eos è Cleri ordine delendos censuerunt, qui scripturas sanctas persecutoribus dedisse probarentur; & Patres Tridentini Concilij sess.4. quasi temeratores, & violatores verbi Dei, eos seuerè coerceri iusserunt, qui quomodolibet earum verba, & sententias ad scurrilia, fabulosa, adulationes, detractiones, superstitionesue detorquerent. *Nihil enim in illis est*, vt ait Hieronymus epistola ad Iub. *quod non luceat, & splendore suo mundum illuminet; vt etiam quæ parua putantur, Spiritus Sancti fulgeant maiestate.*

Tertio ad Scripturæ dignitatem pertinet, non solum eius antiquitas, præ omnibus alijs Philosophorum libris vt diximus supra; sed maximè quod pro obiecto, siue materia habeat omne scibile, disciplinas omnes, & quidquid sciri potest, suo sinu complectatur: ideoque vniuersitas quędam est scientiarum, illas omnes vel formaliter, vel eminenter continens, vt videbimus infra Sect.7. huius libri. Imò ex D. Augustino lib.2. de doctrina Christiana; *Quantùm minor est auri, argenti, vestisque copia, quam de Aegypto secum Hebræus populus abstulit, præ diuitijs, quas postea Hierosolymæ, maximè sub Salomone consecutus est; tanta est cuncta scientia, etiam vtilis collecta de libris gentium, si diuinarum Scripturarum scientiæ comparentur. Nam quicquid homo extra didicerit, si noxium est, ibi dãnatur; & cum ibi quisque inuenerit omnia, quæ vtiliter alibi didicit, multo abundantius inueniet ea, quæ nusquam omnino alibi, sed in illarum tantummodo Scripturarum mirabili altitudine, & mirabili humilitate discuntur.* Ancillantur enim illi, quasi Dominæ & Reginæ, omnes liberales disciplinæ, omnes linguæ, omnes scientiæ atque artes, quæ certis singulæ terminis restringuntur; Sacra autē hęc doctrina ambit omnia, cōplectitur vniuersa, omniumque vsum suo iure sibi assumit; vt proindè quasi omnium perfectissima, omnium finis & scopus, vltimo loco veniat addiscenda. Quare meritò comparatur Soli sapientiæ, quæ omnis veritatis radios à se diffundit; quodque Aristoteles, vel quisquis est author lib. de mundo, dixit, quęrens quid sit Deus; ac definiens *Hoc in mundo illū esse, quod in naui gubernator, quod in curru auriga, in choro præcentor, in ciuitate lex, in exercitu imperator*; nisi quod in illis principatus laboriosus est, perturbatus & anxius; in Deo verò facillimus, liberrimus, ordinatissimus; hoc, inquam, idem proportione seruata dici potest de sacra Scriptura, quæ alijs sciētijs dux est, lex, princeps & moderatrix; sicut etiam, quod sit sphera disciplinæ incomprehensibilis, cuius centrum est vbique, circumferentia nusquam; quomodo Empedocles rogatus quid esset Deus illum definiuit. Sacra enim Scriptura est Dei verbum, quare vt mentis nostræ verbum mentem ipsam, eiusque sensa omnia refert, ita sacra Scriptura

men-

mentis diuinæ verbum, in se se vnicum, & diuino intellectui vel cognitioni quasi adęquatum (quo scilicet se, res omnes naturales, & supernaturales, Deus vno mentis in ictu cernit) exprimit per multas, & varias sententias, velati frustatim & per partes, quæ simul tota, pro vt in se sunt, humana intelligentia comprehendi, quippe quæ eius captum longè excedant, omnino nequeunt. Atqui ex hoc deindè quasi mari, Scholastici riuos conclusionum Theologicarum educūt. Si enim tollatur à Scholastica sacra Scriptura, non tàm Theologia, quam Philosophia erit. Sacra enim Scriptura Theologiæ principia iacit, quibus Theologus suas demonstrationes mentis ratiocinio ceu matre fœtus nouos gignat atque proliciat.

Quartò tandem non parum Scripturarum excellentiam, ac maiestatem cōmendat indefessum studium, quo omni semper ætate Sancti Patres illarum intelligentiæ vacauerunt; nec non singulares illæ dispositiones, quibus tali studio se se accinxerunt, nosque etiam ad illud accedere debere docuerunt; V. g. humilis animi modestia, mansuetudo, & pax, eiusque comes mentis puritas, oratio quasi cęlestis fistula & organum, quo ex Deo ipso, ve bi Dei sensum haurimus; aliaque similia, de quibus egimus supra, viderique possunt interpretes sacri passim in suis prolegomenis ad sacræ Scripturæ commentaria. Superesset iam texere coronam, vel catenam omnium tàm Sanctorum, & antiquorum Patrum, quàm modernorum Scriptorum, qui sacram Scripturam, vel eius partes commentarijs, notis, elucidationibus, quęstionibus, homilijs explanarunt, & illustrarunt; sed quia iam adduximus veteres Patres, agendo supra de vnoquoque sacræ Scripturæ libro; recentiores autem interpretes sunt omnibus obuiam, tàm in Bibliotheca Sancta Sixti Senensis lib. 4. quàm in indice vniuersali secundæ editionis Fabiani Iustiniani in fine, in apparatu sacro Posseuini, & alijs Bibliothecarijs, sit huius tractatus finis ad Maiorem Dei Gloriam, Virginisque Matris, & Omnium Sanctorum.



SECTIO SECVNDA.

De ſacris Traditionibus, ſeu de Verbo Dei non ſcripto.

CAPVT PRIMVM.

Præmittitur Definitio Traditionis, breuiſque Idea rerum in hac Sectione tractandarum.



ATTENTO quidem ordine naturæ prius de ſacris traditionibus agẽdũ fuiſſet, priores enim origine ſunt ipſa ſacra Scriptura, quæ ad nos per traditionem tranſmiſſa eſt; verum iuxta ordinem doctrinæ, poſtquam in ſuperiori Sectione tractauimus de verbo Dei ſcripto, nunc erit nobis ſermo de non ſcripto, ſiue tradito. Etſi enim nomine traditionis generatim, & indiſtinctè ſumpto ſignificetur interdum doctrina ab vno alteri quouis modo cõmunicata, ſiue ſcripto, ſiue viua voce. Vt Exodi 17. *Scribe hoc monumentum in libro,& trade in auribus Ioſue*. Nec non Theſſalonicenſium ſecunda cap. 2. *Itaque fratres ſtate;& tenete traditiones,quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram*. Nihilominus iam per Eccleſiam vſus inualuit, vt nomen traditionis dumtaxat accommodetur ad ſignificandam doctrinam aliquam ad religionem pertinentem, viuâ voce, non autem ſcripto traditam, aut ſi fuerit ſcripta, obſcurè tantùm & implicitè, adeo vt ex ſola per ſe Scriptura infallibiliter ſeu euidenter colligi non poſſit. Vnde traditio hoc modo accepta poteſt vtcunque definiri, vel deſcribi; *Doctrina ad religionem pertinens, viua voce communicata,& in poſteros transfuſa*. Vbi obiter animaduertendum eſt,nos nolle traditiones ab Eccleſia obſeruatas,non eſſe ſimpliciter & abſolutè deſcriptas: hoc enim falſum eſt, cum ipſę in ſcriptis veterum Patrum reperiantur; ſed tantum aſſerimus non extare in libris Veteris & Noui teſtamenti; aut ſi extent, ſolùm obſcurè, & in genere. Cuius ſit exemplum Baptiſmus Paruulorum,qui vocatur traditio non ſcripta, quia non inuenitur ſcriptum in vllo Apoſtolico, vel canonico libro, paruulos eſſe baptizandos, tametſi contineatur in libris omnium ferè Veterum Patrum.

De ſacris igitur traditionibus hoc ſẽſu ſumptis & explicatis deinceps agemus; *primumque* de illarum exiſtentia, an ſcilicet præter Scripturam, ſeu verbum Dei ſcriptum, quod in libris tùm Veteris cùm noui teſtamenti continetur,admittendæ ſint traditiones,ſeu verbum Dei non ſcriptum? Aliter,an Apoſtoli omnem fidei doctrinam Chriſti ac Spiritus Sancti magiſterio ſuſceptam libris conſignarint? *Secundò* de earumdẽ neceſſitate, vel conuenientia, an nimirũ congruenter Apoſtoli talem doctrinam partim ſcriptis, partim non ſcriptis inſtitutionibus Eccleſiæ reliquerint. *Tertiò* de multiplici ſacrarum traditionum genere, aut diuiſione. *Quartò* qua ratione legitimæ dignoſci poſſint ab illegitimis. *Quintò*, quibus iterum modis, ac regulis legitimæ ſint internoſcendæ, quęnam videlicet ſint Diuinæ, quę Apoſtolicæ, quæ Eccleſiaſticæ. *Sextò* quanta ſit vniuſcuiuſque authoritas, ad aſtruen-

truenda fidei dogmata, disciplinam & cultum; an eiusdem cũ verbo Dei scripto? simulque cum illo sint adęquata fidei regula, vel norma.

CAPVT II.

An præter Scripturam, seu Verbum Dei scriptum, admittendæ sint in Ecclesia Traditiones, seu Verbum Dei non scriptum.

Circa pręsentem controuersiam cõmune omnium quasi hęreticorum principium fuit, adeoque origo apostasiæ, & totius confusionis Babylonicæ, quam in mundum hęreses intulerunt, Scripturam vtriusque testamenti paginis comprehensam esse vnicam fidei normam, quasi in illa contineantur apertè & euidenter omnia ad fidem, & mores necessaria, proindeque nullas esse traditiones, seu verbum Dei non scriptum, quod pro fidei & religionis regula habendum sit. Singulorum dictis sigillatim referẽdis libenter supersedeo, quod facile videri possint tàm apud eos qui 22. suis hanc materiam commentarijs illustrarunt, quàm apud alios plures qui de eodem argumẽto speciales tractatus, aut cõtrouersias aduersus hęreticos ediderunt.

Contraria est omnium Catholicorũ sententia; quam expressè definiuit sacrum Concilium Tridentinum sess. 4. decret. de Canon. Scriptur. vbi dicitur: *Sacrosancta Oecumenica & generalis Tridentina Synodus, perspiciens, veritatem fidei, & disciplinam morum contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore, ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictãte, quasi per manus traditæ, ad nos vsque peruenerunt; Orthodoxorum Patrũ exempla secuta, omnes libros tam Veteris, quàm noui testamenti, cum vtriusque vnus Deus sit auctor; nec non traditiones, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam oretenus à Christo, vel à Spiritu Sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conseruatas, pari pietatis affectu ac reuerentia suscipit & veneratur.*

Quæ Catholica veritas vt clarius intelligatur, statusque etiam controuersiæ inter nos & hęreticos apertius constet; obseruandum est primò Nouatores, ad euertendum magisterium Spiritus Sancti Apostolos & Ecclesiam docentis, indeque ortam sacrarum traditionum veritatem, hunc errorem pro fundamento assumpsisse. Christum videlicet Apostolos omnia docuisse, & nihil docendum Spiritui Sancto reseruasse. Ita Caluinus lib.4. Institut. cap. 8. n.8. Verùm, pręterquam talis error manifestè repugnat diuinis Scripturis, communique SS. Patrum sensui asserentium multa Apostolos à Spiritu Sãcto edoctos fuisse post Christi Domini Ascensionem; adeo vt in die Pentecostes non solum ex parte potentiæ perfectiori lumine, supernaturali fidei per Spiritus Sancti aduentum confortati fuerint, sed insuper ex parte obiecti multarum rerum ad fidem pertinentium, prius in vniuersali, & veluti in confuso cognitarum plenissimam habuerint scientiam etiam in particulari; adhuc eo concesso, nihil penitus conducit ad negandas sacras traditiones; siue enim Apostoli fuerint à Spiritu Sancto edocti, iuxta Christi promissionem, omnem fidei veritatem, siue non, ita vt suggesserit dumtaxat quęcumque Christus ante voce docuerat, & veluti subscriptor confirmauerit, vt ait Caluinus loco citato, restat adhuc locus controuersiæ, An Apostoli omnem fidei doctrinam à Christo Domino acceptam, & deinde Spiritus Sancti Magisterio illis confirmatam, litteris consignarint, nec ne, atque adeo, an dentur diuinæ traditiones, nec ne?

Notandum est secundò, aliquos Gẽtiles apud D. Augustinum lib.1. de consensu Euangel. cap.8. 9. & 10. existimasse Apostolos à Christo Domino Euangelicam doctrinam, non viua voce, sed scripto accepisse, ideoque ipsum quosdã libros scripsisse epistolari titulo pręnotatos ad Petrum & Paulum; sed hęc quo-

quoque phantasia, quam loco citato egregiè refutat S. Augustinus parum fauet negantibus sacrarum traditionum veritatem, illa enim admissa, quæstio iterum excitari posset, num taliter Christus omnia fidei dogmata scripto suos edocuisset Apostolos, vt nihil eis penitus viua voce tradidisset, quod etiam ipsi postea non conscripsissent.

Animaduertendum est tertiò hic nō disputari, an ea quę ab Apostolis, Christo authore, & Spiritu Sancto suggerente viua voce tradita sunt, sint ab omnibus incunctanter credenda: hoc enim credendum esse ita manifestum est, vt ne ipsi quidem aduersarij vnquam negauerint, sed nec negare audeant: esset enim Dei, & Christi verbo fidem denegare, cùm nihil intersit, quo pacto Deus suam nobis mentem aperiat, siue atramento, & litteris, siue viua voce, dummodo certum sit, eum nobis eam manifestasse; Scriptura enim sacra non ideo infallibilis creditur, quia atramento, & characteribus fuit expressa, sed quia à Spiritu Sancto prodijt: ideoque si aliquid à Deo prodijsse ostendatur, etiam si ab eo scriptis non fuerit mandatum, pari reuerentia, pietatisque affectu, ac si esset scriptum, ab omnibus debet suscipi. Status ergò controuersiæ inter nos, & hæreticos in eo positus est, an de facto aliqua à Deo specialiter mandata & ordinata fuerint, quæ in Scripturis sanctis non extant, cuius partem negatiuam tenent hęretici, affirmatiuam autē omnes Catholici: cuius probationem ad tres potissimum argumentorū classes reducemus; prima erit authoritatum sacrę Scripturę; secunda Sanctorum Patrum; tertia rationum illis innixarum.

Primus ergò Scripturæ locus ex quo videtur demonstratiuè colligi contra hæreticos, non omnia quæ ad fidem, & mores pertinent in Scripturis expresśè contineri, vel per expressam aut euidentem consequentiam ex illis posse elici, habetur Ioannis cap. vlt. *Sunt alia multa quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros*. Quæ verba non debent restringi ad sola Christi signa, & prodigia, vt perperam illa nouatores interpretantur, sed absolutè, & simpliciter intelligi tàm de omnibus quę dixit, & docuit, quàm quæ fecit, inter quæ dubio procul multa fuere ad salutē, fideique dogmata spectantia, sicut nullum propè factum Christi à Ioanne, aut alijs Euangelistis, sine aliquibus eiusdē dictis commemoratur: igitur cum ea ipsius dicta, & doctrina nusquam scripta sint, ad traditiones ac verbum Dei non scriptum pertinere necessariò fatendum est. Ita etiam Lucæ 24. v. 27. *Christus incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant*; Et tamen quænam in particulari Scripturæ veteris loca, & qua ratione Christum significent, quæue Christi fuerit eorum locorum interpretatio, quæ omnia sine dubio pertinent ad præcipua fidei dogmata, nullibi scriptis mandatum reperitur.

Rursum Actuum Apostol. cap. 1. v. 3. de eodem Christo dicitur, quod *Apostolis præbuit seipsum viuum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei*. Nam indè communiter arguunt veteres Patres, plura tunc Christum Apostolos suos docuisse ad fidem salutemque necessaria, quæ in eorum scriptis non continentur, cuiusmodi sunt illa quæ in fine huius capit. adducemus. Etsi enim tam ex hoc loco, quam ex alio Ioann. 16. v. 12. *Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*; temerarium sit propria velle authoritate determinare, & asserere hæc vel illa in particulari fuisse dicta, & suggesta, vt optimè aduertit D. August. tract. 92. & 96. in Ioannem, propterea que diuersos hæreticos multa adinuenisse figmenta, quasi Christus ea tunc suis Apostolis declarasset: Nihilominus omnia etiam velle negare ad libitum maximæ impietatis est, præsertim cum ex dicendis infra non desint

nobis regulæ & notæ, quibus legitimæ ab illegitimis, veræ à falsis dignosci possint traditiones.

Vltimò tandem Apostolus ita apertè varijs in locis traditiones commendat, earumque mentionem facit, vt eas inficiari sit in meridiana luce cœcutire. 1. Corinth. 11. *Laudo vos*, inquit, *quia per omnia memores mei estis, & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis*. Quo loco Apostolum de præceptis traditis, non autem scriptis agere, docent Chrisostomus, Theophilactus & alij in hunc locum, Epiphanius hæres. 61. Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 29. & Damascen. lib. 4. de fide cap. 17. Quod respondent aliqui nouatores, agi ibi de quibusdam ritibus indifferentibus & liberis, non de his, quæ fidelibus obligationem inducerent, nullius est momenti, præterquam enim tali responsione iam admittunt aliquas traditiones, manifestè insuper ostenditur, eas dici non posse adiaphoras & indifferentes; si enim non fuissent honestæ & bonæ, sed tantùm adiaphoræ, profectò non esset, cur Apostolus Corinthios de illarum obseruatione laudaret; ex actionibus enim indifferentibus laudem non promeremur. Tandem cum in fine capitis dixit Apostolus: *Cætera autem, cum venero disponam*: quæ tamen ex Scriptura non constat disposuisse, sine dubio loquebatur de quibusdam ritibus Sacramenti Eucharistiæ, quos tanquam bonos, & rationi tanti Sacramenti admodum consentaneos credere debebant Corinthij; de quo redibit sermo infra.

Secundæ Thessalonicensium secundo: *Itaque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram*. Ex quo loco, inquit Epiphanius, termini nobis positi sunt, & fundamenta, & ædificatio fidei, & Apostolorum traditiones, & Scripturæ sanctæ, & successiones doctrinæ, & vndequaque veritas Dei munita est, vt nemo decipiatur nouis fabulis, hæres. 55. contra Mechisedecianos. Huic testimonio omnium sanè clarissimo, quoque veteres Patres ad sacrarum traditionum commendationem frequentius vtuntur, respondere solent aduersarij Apostolum eadem, & non diuersa, tùm sermone, cùm epistola tradidisse, vel si de diuersis rebus loquutus sit, eas quidem cum hæc diceret non fuisse scriptas, sed tamen postea, vel ab ipso, vel ab alijs Apostolis litteris mandatas fuisse. Verùm quam sit insulsa huiusmodi responsio, patet primo ex eo quod alterat, & torquet textum, sensumque Apostoli: quē satis superque liquet ex particula hac disiunctiua, *siue*, loqui de diuersis rebus; si enim de eadem re locutus fuisset, ea certè particula non fuisset vsus, sed copulatiua, *&*, dixissetque, *tenete traditiones, quas didicistis, & per sermonem, & per epistolam*. Secundò quia gratis omnino dicitur, & illud etiam est quod controuertitur, quod à D. Paulo, vel ab alijs Apostolis, scriptis consignata fuerint, quæ viua prius voce tradiderant.

Præterea 2. ad Timoth. v. 2. *Et quæ audisti à me per multos testes, hæc commēda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere*; cùm prius scripsisset cap. 1. *formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide, & in dilectione in Christo Iesu. Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis*. Tandem vt alia plura omittam, D. Ioannes epistola secunda cap. 1. v. 12. *Multa*, inquit, *habui tibi scribere: sed nolui per atramentum, & calamum scribere tibi. Spero autem protinus te videre, & os ad os loquemur*. Ex quibus omnibus Scripturæ locis tàm apertè sacrarum traditionum veritas conuincitur, vt soli hæreticorum pertinaciæ tribuendum sit, si illam negent, quibus enim clarioribus vnquam verbis exprimi potuit.

Ex Patribus, quorum locupletissima extant testimonia apud Cardinalem Baronium tom. 1. Annal. Cardinalem Bellarminum tom. 1. Controuers. Dominicum Grauinam tom. 1. Cathol. præscriptionum lib. 4. illos duntaxat in medium adducam, qui primis quinque sæculis floruere, & hanc rem perspicacius docuisse videntur.

In

In primo sæculo, primus occurrit S.Ignatius Martyr tertius post Petrum Apostolum Antiochenæ Ecclesię Episcopus, qui in suis epistolis nullo fortiori clypeo quam traditionibus suos discipulos aduersùs hæreses, quæ iam tùm primo nasci,& emergere cæperunt, præmunire putauit. Vnde etiam Eusepius lib.3. Histor. cap.30. ait illum cum Romam duceretur singulas hortarum fuisse Ecclesias, vt Apostolorum traditioni mordicus adhęrescerent. *Quamquidem asseueranter testificatus, quo tutius posteritati reseruaretur, necessariò scriptis mandandam existimauit*. Vbi aduertendum, has traditiones non aliquo opere particulari D.Ignatij contineri, sed epistolis illis,quas in via ad varias Ecclesias destinauit, vt rectè docet Baronius, in quibus de facto inuenitur ieiuniũ Quadragesimę, ordines minores, dies Dominicus, & alia quę non sunt in Scripturis, quæque si tunc fuissent, quorsum D.Ignatius iudicauisset esse necessarium vt cautionis gratia etiam scriberentur.

Sanctùs Dionysius Areopagita libro de Ecclesiastica Hierarchia cap.1. *Quocirca*, inquit, *primi illi hierarchiæ nostræ duces ac principes, cum & ipsi à diuina bonitate plenè cumulatèque sanctum hoc munus accepissent, & à diuina benignitate eius apud posteros propagandi prorogandique causa missi essent, ijdemque valdè vt diuini posteros ad calestia, & diuinitatis similitudinem traducere cuperent, ea partim scriptis, partim non scriptis suis institutionibus ex Sacrosãctis legibus nobis tradiderunt*. Toto deinde libro ritus Sacramentorum exponit,quos docet ab Apostolis esse acceptos, & cum in Scriptura Sacra non extent, sequitur Dionysium velle eos fuisse ab Apostolis per traditionem acceptos, & ad nos ex animo in animum medio intercurrente verbo prędicationis sine litteris transfusos. Quod autem respondent aduersarij traditionũ odio obcęcati, libros qui nomine Dionysij circumferuntur, non esse Dionysij, non est audiendum, contra VI. VII. & VIII.Synodi Generalis authoritatem, nec non Summorum Pontificum,& aliorum Doctorum,quos citant Petrus Halloix, Martinus Delrius, Petrus Lanssellius, Ioannes Chaumont, Ioannes Saussæus; qui etiam tot tantique ponderis argumentis opera iamdudum S. Dionysio adscripta vindicant,vt nemo prudens amplius de ijs dubitare posse videatur. Consuli possunt tom.2. operum S. Dionysij opera & studio Petri Lanssellij, & Balthasaris Corderij Societ. Iesu primũ Antuerpiæ, deinde Parisijs editorum.

Hegesippus quoque, quem ad primum sæculum referunt multi, quemque Eusebius lib.4 Histor. Eccles. cap.8. vocat virum propter doctrinæ prestantiam in luce atque in hominum notitia versatum, ibidem scribitur, quod *sinceram & minimè fucatam Apostolicę prædicationis traditionem quinque libris, illo quidem scribendi genere maximè simplici, & summisso litteris persecutus fuerit*. Qui libri tametsi modo non extent,tamen satis indicat præclarum hoc Eusebij testimoniũ Apostolos non omnia scripsisse,quę docuerunt, sed multa etiam ab illis per traditionem habita fuisse. Vnde de Policarpo Apostolorum familiari,Smyrnensisque Ecclesiæ Episcopo, refert ex Ireneo eius discipulo idem Eusebius libro citato cap.13. *Illum ea perpetuo docuisse, quæ ab Apostolis didicerat, quæ Ecclesia tradit, quæ denique sola vera sunt*.

In secundo sæculo Sanctus Iustinus Philosophus & Martyr primus eorum, quorum post Apostolica tempora scripta ad nos peruenerunt, in fine secundæ Apologię pro Christianis,postquam exposuit multa de illis, & inter alia quædã non scripta in diuinis litteris, vt, quod conueniant singulis Dominicis, & post lectionem Scripturarum offeratur, & consecretur panis, & vinum aqua temperatum, & quod non liceat vllo modo participare de Eucharistia nisi post Baptismum, & alia similia: subiungit statim: *Postridie Saturni, qui dies solis est, cum Apostolis, discipulisque suis apparuisset, hæc illis tradidit, quæ nobis quoque consideranda permittimus*.

D.Ire-

D. Ireneus Lugdunensis Episcopus & Martyr lib. 3. aduersus hæreses cap. 2. sciens quantum ducta à traditionibus Apostolorum argumenta sint aduersus Hæreticos firma, conqueritur de illis, quod neque Scripturis neque traditionibus obsequantur: his egregijs verbis: *Cum ad eam iterum Traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones Presbyterorum in Ecclesijs custoditur, prouocamus eos: aduersantur traditioni* dicentes, se non solùm presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores, sinceram inuenisse veritatem. Et paulò post: *Euenit itaque neque Scripturis iam, neque traditioni consentire eos.* Vnde iure merito Franciscus Feuardentius ad hunc Irenæi locum adnotauit Erasmum Roterod. toto cęlo aberrasse, quem in epistola libris istis ab eo præfixa, scribit ipsum Irenęũ solis Scripturarum pręsidijs aduersus hęreticorum cateruam pugnasse. Contrarium enim apertè colligitur tàm ex præfatis verbis, quam ex his, quę iterum habet cap. 3. & 4. vbi videri possunt.

In tertio sæculo, Tertullianus lib. de Præscriptionibus cap. 19. & 21. affirmat, non esse cum hæreticis ex Scripturis dũtaxat agendum, sed insuper ex traditionibus, *quæ*, inquit, *in Ecclesijs Apostolicis retinentur*: cuius subdit rationem, quia hæretici Scripturas in alienum sensum facilè contorquent, sed ex traditione clarius & faciliùs constat veritas, consulendo nimirum Ecclesias, in quibus est successio Episcoporum ab Apostolis, & considerando quid ibi doceatur, & quam dicant illæ Ecclesiæ esse Apostolicam traditionem. Iterum libro de corona militis cap. 3. enumeratis pluribus Ecclesię institutis, quę ex traditione profecta sunt, concludit: *Harum & similium disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam inuenies: traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, fides obseruatrix.*

Clemens Alexãdrinæ Ecclesiæ Presbyter, vndè Alexandrinus dictus, vir doctissimus Panteni discipulus, & Origenis magister, in libro quem de Paschate cõposuit, fatetur apud Eusebiũ lib. 6. c. 11. *Se à familiaribus suis compulsum, vt traditiones, quas à veteribus Presbyteris accepisset, litteris proderet ad posteritatem*; quibus & alijs similibus ibidem relatis nihil clarius pro traditionibus dici posse videtur. Origenes quoque in cap. 6. epistolæ ad Romanos, *Ecclesia*, inquit, *ab Apostolis traditionem accepit, etiam paruulis baptismum dare.* Et homil. 5. in lib. Numerorum: *In Ecclesiasticis obseruationibus, sunt nonnulla, quæ cum omnibus facere necesse sit, eorum tamen ratio non omnibus patet*: Moxque enumerat multas traditiones nõ scriptas: & rursus tract. 29 in Mathæum: *Quoties*, inquit, *Canonicas proferunt Scripturas, videntur dicere: Ecce in domibus est veritatis. Sed nos illis credere non debemus, nec exire à prima, & ecclesiastica traditione, neque aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis.*

Sanctus Cyprianus vir eloquentissimus, & Sãctissimus Christi Martyr lib. 2. epistol. 3. docet, Dominicam esse traditionem, vt calicis vino admisceatur aqua in sacrificio: quod tamen nullibi in Scriptura sacra clarè & euidenter inuenitur.

In quarto sæculo ab anno videlicet 300. ad 400. Eusebius Pamphili Episcopus Cæsariensis lib. 1. de demonstratione Euangelica cap. 8. *Ceterum*, inquit, *Moses in tabulis inanimatis, Christus autẽ in mentibus vita præditis perfecta noui testamenti documenta descripsit. Eius verò discipuli ad magistri sui nutum, auribus multorum doctrinam suam commendantes, quæcunque quidem veluti vltra habitum progressis à perfecto ipsorum magistro præcepta fuerant, ea ijs, qui capere poterant, tradiderunt, quæcunque verò ijs conuenire arbitrabantur, qui animas adhuc affectibus obnoxias gererent, curationisque indigẽtes, ea ipsi ad imbecillitatem multorum se demittentes, partim litteris, partim sine litteris, quasi iure quodam non scripto seruãda commendarunt.*

Sanctus Athanasius Episcopus Alexandrinus lib. 1. de decretis Nicenæ Synodi: *Ecce*, inquit, *nos quidem ex Patri-*

bus ad Patres per manus traditam fuisse hanc sententiam demonstrauimus. Vos autem, o noui Iudæi, & Caiphæ filij, quos tandem nominum vestrorum potestis ostendere progenitores.

Sanctus Hilarius Pictauorum Episcopus libro aduersus Constantium Augustum, circa medium, obijcienti Ariano Principi: *Nolo verba, quæ non scripta sunt legi*. Respondet: *Hoc tandem rogo quis Episcopis iubeat? Quis Apostolicæ prædicationis vetet formam? Dic prius, si rectè dici putas, nolo aduersus noua venena, nouas medicamentorum comparationes*. Vbi duo indicat Hilarius, primùm prædicationem consubstantialitatis Patris & Filij, esse Apostolicæ traditionis, licet expressis verbis non habeatur in Scripturis Sacris, filium esse patri consubstantialem; alterum, nomen ipsum ὁμοούσιος, esse quidem nouum, sed tamen retinendum, quia conforme est prędicationi Apostolicæ, vt toto illo libro demonstrat.

S. Basilius Magnus Archiepiscopus Cæsariensis lib. de Spiritu Sancto c. 27. circa initium; *Dogmata*, inquit, *quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus è doctrina Scriptorum prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, id est, in occulto tradita recepimus. Quorum vtraque parem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit, quisquis sanè vel tenuiter expertus est, quæ sint iura Ecclesiastica*. Enumeratis deinde plurimis huiusmodi traditionibus nō scriptis, concludit; *Ex quibus scriptis? nonne ex tacita, secretaque traditione?* Similia habet cap. 29. *Apostolicum*, inquit, *arbitror esse, etiam in non scriptis traditionibus perseuerare*. Vbi in confirmationem, testimonium prioris ad Thessalonicenses cap. 2. profert.

S. Gregorius Episcopus Nazianzenus cognomento Theologus orat. 1. in Iulianum, vltra medium, cum dixisset propter dogmata veteris, & noui Testamenti doctrinam Ecclesiæ visam fuisse Iuliano mirabilem, statim subiungit, *Maiorem atque insigniorem esse ob eas Ecclesiæ figuras, quas traditione acceptas in hunc vsque diem seruamus*. Vbi per Ecclesiæ figuras intelligit ibidem disciplinam, politiam, ordinem Ecclesiæ, rationem psallendi, modum pœnitentiæ imponendæ; Sacraria in Templis, monachorum, Virginumque cœnobia, & alia similia, quæ ex sola traditione profecta sunt; quorum etiam vsum voluit Iulianus inter Etnicos induci, vt eo modo Christianos facilius ad paganismum trahere posset.

Sanctus Epiphanius Salaminæ Cypri Episcopus, hæresi 55. quę est Melchisedecianorum superiùs citata; & rursus hæresi 61. quę est Apostolicorum: *Oportet*, inquit, *& traditione vti: non enim omnia à diuina Scriptura accipi possunt. Quapropter aliqua in Scipturis, aliqua in traditione Sancti Apostoli tradiderunt. quemadmodum dicit S. Apostolus: sicut tradidi vobis*.

Sanctus Ambrosius Episcopus Mediolanensis, tam libro de ijs, qui mysterijs initiantur, capite præsertim 2. & 6. quam libro 1. de Sacramentis cap. 1. & 2. refert & explicat varios ritus, qui ab vniuersa Ecclesia seruantur, quī nusquā scripti reperiuntur in diuinis litteris, & quorum origo alio referri non potest, quàm in Apostolos authores; serm. 25. 34. & 36. docet, Quadragesimā à Christo præceptam: Epistola verò 81. & sermone 38. Symbolum Apostolorum Apostolicam esse traditionem non scriptam.

Sanctus Hieronymus passim contra Vigilantium docentem, non esse honorandas reliquias Sanctorum, inanemque esse illorum inuocationem, traditione non scripta vtitur. Itemque contra Luciferianos, vbi inter cętera ait hęreticos non esse rebaptizandos, *Quoniam ita nostri tradiderunt maiores*. Ibi etiam aduersario obijcienti, *multa quæ per traditionem in Ecclesijs obseruantur, authoritatem sibi scriptæ legis vsurpare posse*; concessa libenter huiusmodi propositione, Sanctus Doctor illius malum duntaxat vsum reprehendit his verbis; *Non quidem abnuo, hanc esse Ecclesiarum consuetudinem,*

dinem,

dinem, sed quale est, ut legem Ecclesiæ ad hæresim transferas. In epistola denique ad Marcellam de erroribus Montani: *Nos*, inquit, *unam quadragesimam ex Apostolica traditione tempore nobis congruo ieiunamus*.

Sanctus Ioannes Chrisostomus homil. 4. in illud 2. Thessalon. 2. *State & tenete traditiones. Hinc est perspicuum*, inquit, *quod non omnia per epistolam tradiderunt, sed multa etiam sine scriptis; & ea quoque sunt fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoque traditionem censeamus esse fide dignam. Est traditio, nihil quæras amplius*. & Homil. 1. in Acta, *Apostolos non parum multa etiam absque scripto tradidisse*, affirmat.

In quinto demum sæculo ab anno 400. ad 500. D. Augustinus passim cum alijs Patribus agnoscit traditiones non scriptas, præsertim in libris contra hæreticos Donatistas docentes baptizatos ab hæreticis iterum esse in Ecclesia baptizandos: quærentibus enim illis à Catholicis, vt ostenderent aliquod exemplum in diuinis Scripturis alicuius recepti ab Ecclesia sine nouo baptismo, respondit Augustinus exempla in Scripturis nulla esse, nec pro vna parte, nec pro alia, indeque concludit tàm in hac controuersia, quàm in alijs pluribus terminandis, standum esse consuetudini Ecclesiæ: *Quam*, inquit lib. 2. cap. 7. *credo ex Apostolica traditione venientem, sicut multa non inueniuntur in litteris eorum, neque in concilijs posterorum, & tamen quia custodiuntur per vniuersam Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur*. Idem docet lib. 4. cap. 6. & 24. lib. 5. cap. 23. libro de vnitate Ecclesiæ cap. 19. & lib. 1. contra Cresconium c. 31. 32. & 33. itē lib. 10. de Genesi ad litterā cap. 23. & epistola 118. vbi expresse distinguit inter Apostolicas traditiones necessarias, siue vt legem necessariam, accipiendas, & obseruationes liberas, siue quæ liberas habent conseruationes.

Vltimo loco sit Vincentius Monasterij Lyrinensis presbyter in suo libello planè aureo de prophanis vocum nouitatibus, vbi contra hæreticos suos plerumque errores Scripturæ verbis adumbrare conantes, hanc regulam assignat Catholicis, qua in Scripturis Sanctis veritatem à falsitate discernere possint. *Diuinum*, inquit, *Canonem, secundum vniuersalis Ecclesiæ traditiones, & iuxta Catholici dogmatis regulas interpretentur*. Tantùm ex SS. Patribus tùm Græcis, tum Latinis priorum quinque sæculorum, quos omnes alij deinceps secuti sunt, in asserenda eadem sacrarum traditionum doctrina, & veritate.

At quia prællegatis Patrum testimonijs, duo potissimum respondere solent aduersarij, placuit ea breuiter hic examinare; primum est aliquos ex illis, vel etiam omnes alicubi errasse; secundum eos duntaxat locutos fuisse de traditionibus spectantibus ad ritus quosdam liberos, & indifferentes, non autem ad fidei doctrinam, eiusue dogmata necessarijs.

Libenter ad primū concedimus aliquos è Patribus errasse; nusquam tamē omnes simul in eodem errore conuenire potuisse, vt fusius ostendetur infra Sect. 6. huius libri; vndè cum sufficienter huc vsque demonstrauerimus omnes in traditionibus non scriptis asserendis concordasse; satis inde patet illos in hoc puncto non aberrasse, sed veram fidei doctrinam docuisse.

Ad secundum dicimus falsum esse quod Sancti Patres egerint, aut locuti fuerint solùm de quibusdam traditionibus liberis, non autem ad fidem necessarijs, aut essentialibus. Primò quia contrarium liquet ex ipsismet eorum verbis; secundò quia non fuisset, cur adeo hæretici ab illis exhorruissent, vt mox dicemus. Tertiò cur Patres eas, tanquam firmissimas fidei regulas in dirimendis illius cōtrouersijs adduxissent. Quartò cur æqualem eis cum Scriptura authoritatem tribuissent, vt infra explicabitur. Quintò, quia in sequenti ratione plures ex ijsdem Patribus proferemus, de quibus dubitari nō potest, quin ad fidei doctrinam essentialiter pertineant.

neant. Vltimo igitur probatur sententia Catholica rationibus.

Primã sic efformo; Admittẽdæ sunt in Ecclesia traditiones, modo & sensu explicato, si doctrina diuinitus reuelata, & inspirata non omnis est sacris cõmendata litteris; sed res ita se habet, quod non omnis doctrina diuinitus inspirata contineatur in Scripturis, vel ex illis per expressam & euidentem consequentiam elici possit: Igitur admittendæ sunt in Ecclesia traditiones, siue Verbum Dei non scriptum. Maior huius argumenti est omnino certa, fundatur enim in propositione hypotethica, & conditionali procedente à Definitione rei controuersæ ad existentiam eiusdem: per traditiones enim conuentione facta cum aduersarijs nihil aliud intelligimus, quam doctrinam diuinitus reuelatam non scriptam, ad quam vt sit diuina, infallibilemque proinde habeat authoritatem ad fidei cõtrouersias finiendas, parum interest quod litteris, vel viua voce declarata fuerit, dummodo Spiritu Sancto suggerente, vel Christo authore ab Apostolis ad nos peruenerit; sicut mandatum principis eamdẽ vim, & authoritatem habet apud subditos, siue scripto, siue viua voce proferatur. Minor in qua est difficultas, probatur primo præallegatis omnibus tàm sacræ Scripturæ, quàm Sanctorum Patrum authoritatibus: secundò producẽdo in medium huiusmodi doctrinam de qua sit sermo in minori.

Proculdubio est doctrina diuinitus inspirata, maximèque ad fidem necessaria, quod tota Scriptura Veteris ac noui testamenti simul sumpta sit verbũ Dei: iterum quod tota illa Scriptura, præsertim in ijs quæ ad fidem & salutem necessaria sunt, manet nobis salua & incorrupta; ac tandem quod habeamus verum ac legitimum illius sensum; sed talis doctrina nullibi habetur in Scripturis sacris, neque etiam ex illis per expressam, & euidentem consequentiam erui potest: Igitur non omnis doctrina diuinitus inspirata, & ad salutem necessaria, continetur in Scripturis, aut ex illis euidenter deduci potest. Maior huius argumenti videtur esse omnino certa; qua enim ratione concedere possunt aduersarij, sacram Scripturam vnicum esse medium hominibus à Deo datum, quo de rebus fidei, & ad æternam salutem spectantibus instruerentur; quodque solum per illam fidei certitudinem habeamus respectu omnium credendorum, nisi eadem certitudine nobis constet, atque adeo doctrina diuinitus inspirata, omnes eius libros esse canonicos, talique & non alio sensu esse intelligendos, vbi oritur aliqua de rebus fidei controuersia, aut difficultas: Profectò si sacra Scriptura, in quantum est sacra Scriptura, Verbumue diuinum litteris exaratum, certiores nos reddit omnium eorũ quæ docet, multo magis aliqua via certi esse debemus, quod ipsa sit sacra Scriptura, verumque Dei verbum; nutante enim semel circa hoc nostra fide, possemus omnia etiam in illa contenta ad dubium reuocare. Vnde satis patet veritas maioris propositionis, nec non totius argumenti illi innixi, cuius vi coacti plures aduersarij, cum prius constanter assererent, Verbum Dei Prophetarum, Euangelistarum & Apostolorum scriptis comprehensum, doctrinę, cultus, ac fidei Christianæ, vnicam, certam atque infallibilem normam esse, postea tandem fassi sunt Scripturam sacram non esse vnicam fidei normam, sed earum tantum veritatum, quæ articulos aut dogmata illius concernant. Quod sufficit nobis, sic enim concedunt, & admittunt aliquid extra Scripturam diuina fide esse credendum, quicquid id demũ sit, & quocumque nomine appelletur; siue quod idem est, testificationem illam per traditionem in Ecclesia conseruatam, & ab eadem habitam hos vel illos libros esse canonicos, hunc vel illum esse legitimum eorum sensum, diuina fide credendam esse, nec tamen esse partem verbi diuini, scilicet scripti, indè enim euidens est, aliquid diuina fide credendum esse, quod tamen non extet

in

in Scriptura, neque ex illa euidenter deducatur; atque adeo dari traditionem aliquam, verbumue Dei non scriptum, non solum ad fidem necessarium, sed quod sit basis, cui vniuersa religio Catholica, innititur. Si autem hęc traditio semel ad nos peruenire potuit, non est cur aliæ plures, de quibus statim, non potuerint etiam per eamdem viã transmitti.

Dictam autem testificationem, siue doctrinam, non contineri in Scripturis, neque per expressam consequentiam ex ijs posse elici, quæ erat minor huius argumenti probanda, clarè testantur præteritæ & præsentes inter ipsosmet Nouatores de Canonicorum librorum numero, deque legitima & vera illorum intelligentia controuersiæ; quibus non daretur locus, si in aliqua Scripturæ parte dictorum librorum Canon expresśè haberetur, illorumque sensus ita esset vbique ex se perspicuus & certus, vt sine traditionis beneficio in Ecclesia veluti in diuiti veritatis depositorio custoditę, inquit Irenæus loco superius citato, cũctis innotescere, natæque de illis difficultates absolui possent.

Quod aliqui ex aduersarijs respondent, principia non probari, sed supponi, ne detur processus in infinitum; atque adeo, quod Scriptura, cum sit fidei principium, nulla indigeat traditione, vt certò nobis de librorum eius numero, & sensu constet; nullius est momenti; si enim hæc responsio aliquid valeret plures hæretici, qui varios libros apocriphos, tanquã Canonicos Ecclesiæ olim obtrudere conati sunt, facile potuissent illorum authoritate, suos aduersus eam errores confirmare, nosque etiam possemus cõtra aduersarios illis vti, quos nobiscum pro Canonicis non admittunt; quorum vbi probationem à nobis exigerent, iuxta responsionem ab illis datam, ad hominem diceremus eos non probari, sed supponi debere, quandoquidem sunt fidei principium.

Vt ergo appareat quàm male à Nouatoribus applicetur huiusmodi axioma Philosophicum, nullus est quantumuis rudis, & in schola nouitius, qui non sciat, duo esse principiorum genera; vnũ eorum quæ aliquali indigent probatione, quòd ex seipsis, & ad simplicem terminorum declarationem, sufficientem non habeant perspicuitatem, vndè licet in aliquo supponantur loco, in alio tamen ea probari necessum est. Ita sciẽtiarum inferiorum principia, supponuntur quidem ab illis, sed à superioribus postea demonstrantur; Exempli gratia supponitur à Medicina hoc principiũ, *contraria contrarijs curãtur*: quod à Physica probatur. Aliud genus est eorum, quæ sua sunt natura adeo clara & euidentia, vt esset omnino contra sensum communem, si aliqua eorum probatio desideraretur; V. g. *quod totum sit maius sua parte*: impossibile esse, *quod vna & eadem res simul sit & non sit*. Vndè manifestè sequitur, vt cum Nouatoribus dicatur, libros sacros esse fidei principia huius generis, quæ nullatenus sunt probanda, supponi debere, rem ita esse claram, & euidentem, quod illi, vel illi sint libri sacri, atque adeò diuinitus inspirati, quodque ille, vel ille sit verus illorum sensus, vt nullus esset homo, quãtumuis simplex, & rudis, qui id in illis perlegendis statim non agnosceret. Verùm quis non fateatur huiusmodi suppositionem, meram esse phantasiam, merumque delirium. Profectò principia quæ nulla indigent probatione, sed sola terminorum expositione, semper ab omnibus recepta fuere, nullusque vnquam sanæ mentis fuit, qui duo præallegata aliquandò negauerit; At in contrarium videmus dubitatum fuisse antiquitus de aliqua Scripturę parte, & etiãnum hodie de multis eius libris magnã esse inter ipsos aduersarios controuersiam; Caluinus enim nobiscum admittit librum Apocalipsis, & Epistolam D. Iacobi, quam reijcit Lutherus, & sic de alijs. Vt ergo in tanta rerum ambiguitate certo nobis constet, hæc tria fidei principia esse vera, scilicet quod tota Scriptura veteris ac noui testamenti simul

mul sumpta, sit verbum Dei. Alterum, quod tota illa Scriptura præsertim in ijs quæ ad fidem & salutem necessaria sunt manet nobis salua & incorrupta. Tertiũ, quod habeamus verum ac legitimum illius sensum; necessariò recurrendum est ad aliquam probationem extra Scripturam, nimirum ad Ecclesiæ testificationem, in traditione, seu verbo Dei non scripto fundatam, per quam illa diuinitus accepit; cum enim fides nitatur Verbo Dei, nisi huiusmodi traditio, & aliæ similes essent verbum Dei non scriptum, nulla esset nostra fides, nulla religio.

Secundo probatur minor primi argumenti, discurrendo per singulos Ecclesiæ Militantis status, Legis naturæ, legis scriptæ, & legis gratiæ, in quibus multa ad fidem, & salutem necessaria per solam traditionem habita reperiuntur. De lege naturæ nullum est dubiũ: nam per bis mille annos & amplius ab Adamo vsque ad Moysem Scriptura sacra nulla fuit, cum omnium consensu Moyses fuerit primus Scriptor sacer: toto ergo illo tempore in quo plerique Sancti floruerunt, vt Abraham, Isaac, Iacob & alij, solis traditionibus, soloue Dei verbo non scripto gubernata fuit vera tunc existens Ecclesia, creditaque à fidelibus plura eiusdem mysteria: vt creatio Mundi in tempore, Incarnatio, remuneratio bonorum, & castigatio malorum, aliaque id genus similia: quæ in quacumque lege scitu & creditu fuere ad salutem necessaria.

In lege quoque scripta, siue Mosaica, cum Iudæi fide crederent femellas concipi in peccato originali non minus quam Masculos, pro quibus circumcisio fuerat instituta: eadem etiam fide credere debebant, illas saluari non posse, nisi per aliquod remedium à Deo institutum; atque adeò scire in particulari, quod & quale esset illud; alioqui omnes femellę perijsset sine remedio; quod valde pugnaret cum diuina prouidentia de salute omnium tantopere sollicita. At nusquam scriptum reperitur in veteri testamento, quod & quale fuerit hoc remedium in particulari: ergo per traditionem id sciebant, quæ tunc in Ecclesia & inter Israelitas asseruabatur. Hæc autem traditio, erat ad salutem maximè necessaria, quia sine remedio non poterant saluari femellæ. Quod de illis dicitur, debet etiam ad Gentiles extendi, qui Iudæis per conuersionem sui ipsorum ad fidem aggregabantur, & fiebant Proselyti: cùm enim circumcisio tantùm posteros Abrahæ secundũ Scripturam obligaret, debuit traditio remedium quoddam ipsis Gentilibus contra peccatum originale dictare, & manifestare, qualecumque illud fuerit.

Insuper Iudæi fide tenebant, quędam cruēta Sacrificia fuisse inter illos à Deo instituta pro expiatione peccatorum. Vel ergò putabant eiusmodi sacrificia per se, & propria virtute id præstare; vel virtute passionis, & mortis Christi, quæ per illa sacrificia significabantur. Si prius erant hæretici: si posterius, erant fideles, quia credebant, quod erat credendum. Hanc autem fidei notitiam ex Scriptura non habebant, quia nusquã in veteri Testamento id inuenitur: Ergo ex traditione; quam nemo negare potest fuisse necessariam ad salutem, nõ quod opus fuerit in veteri lege, singulos de populo credere, futuram Christi mortem per cruenta eius sacrificia præfigurari; sed quod oportuerit aliquos id credere, præsertim Sacerdotes & doctores, quibus incumbebat cura docendi & instruendi alios. Alioqui tota Synagoga, in hoc quidem puncto, quod sane erat grauissimum, fuisset sine fide. Quod absurdum esse docent omnes Theologi post D. Thomam in tractatu de fide, 22. quæst. 2. art. 7.

Et ideò, tàm de his, quàm de alijs huiusmodi traditionibus, quas 22. disput. 1. de fide quæst. 5. dubio 3. refert Adamus Tannerus; puto intelligi debere illud Ecclesiastici 8. v. 9. *Ne despicias narrationem presbyterorum sapientiũ, & in prouerbijs eorum conuersare: ab ipsis enim disces sapientiam &c.* Et v. 11. *Non te*

te praeterea narratio seniorum; ipsi enim didicerunt à Patribus suis: quoniam ab ipsis disces intellectum. Item Deuteronomij 32. v. 7. *Interroga patrem tuum, & enuntiabit tibi; maiores tuos & dicent tibi.* & Psal. 77. *Quanta mandauit patribus, nota facere filijs suis, vt cognoscat generatio altera.*

In lege demum nouâ, de qua potissimum est controuersia inter nos & hęreticos, multa sunt etiam de fide, quæ tamen nullibi in Scriptura reperiuntur, sed per solam traditionem habentur. Huiusmodi est primò Symbolum Apostolorum; de quo D. Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 27. ait; *Ipsam fidei professionem, qua credimus in Patrem, Filiũ, & Spiritum Sanctum, è quibus Scripturis habemus?* quasi diceret, non haberi ex Scriptura, sed ex traditione. Hoc enim ibi probare contendit, multa esse dogmata, quæ credimus, non quia scripta sunt, sed quia ab Apostolis tradita. In hoc quoque Symbolo aliqua sunt, de quibus Scriptura omninò tacet, aut nonnisi obscurè admodũ loquitur, vt Christum descendisse ad inferos, Ecclesiam Catholicam, & Apostolicam, & communionem Sanctorum.

Secundum est, paruulos esse baptizandos, etiã absque propria fide actuali; hoc enim ex sola per se Scriptura sufficienter non colligitur seclusã traditione; vt testantur Origenes in cap. 6. epist. ad Roman. *Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit, etiam paruulis baptismum dare;* & D. Augustinus lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 23. nec non lib. 10. de Genesi ad litteram cap. 23. vbi ait: *Consuetudo Matris Ecclesiæ in baptizãdis paruulis nequaquam spernenda est, neque vllo modo superflua reputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset traditio.*

Tertium, quod baptizati ab hereticis, non sint rebaptizandi. Id enim tantùm abest, vt ex sola Scriptura, seposita traditione, euidenter deducatur, vt potius S. Cyprianus ex ea contrarium colligere sibi certo visus fuerit: cum Stephanus Papa, & postea Augustinus, alijque Patres, è contrario ad Catholicum dogma defendendũ Ecclesiæ potius traditionem allegarent. Vndè quamuis Sãctus Cyprianus, eiusque in episcopatu prædecessor Agrippinus heretici appellari non possint, cum Ecclesiæ communionem nunquam reliquerint; posteri tamen eorum Donatistæ, qui contra Ecclesiæ traditionem pertinaciter anabaptismũ defenderunt, merito heretici habiti sunt. Vide S. August. lib. 2. contra Donatistas.

Quartum est, intemerata Beatissimæ Virginis Mariæ Virginitas, etiam post partũ, quam se quoque credere iactant nostri temporis hæretici, damnata iam olim contraria Heluidij hæresi, de qua D. Hieronymus lib. contra illum, & Augustinus lib. de Hæresibus cap. 84. vbi sic ait: *Heluidiani exorti ab Heluidio, ita virginitati Mariæ contradicunt, vt eam post Christum, alios etiam filios de viro suo Ioseph peperisse contendant. Sed mirum ni istos, prætermisso Heluidij nomine, Antidicomaritas Epiphanius appellauit.* Quæ tamen Virginitas itidem ex sola Scriptura sufficienter probari non potest, si excludatur traditio, vt satis per se patet.

Quintum est, celebrandum esse Pascha die Dominico post decimamquartam lunam Martij, non autem more Iudæorum ipsa luna decimaquarta; & quãuis talis celebratio, liberæ forsan esset obseruationis re nondũ ab Ecclesia sufficienter determinata, antè Concilium Nicænum primum, vel ante definitionem Victoris I. circa annũ Christi 198. qui primus oppositum errorem condẽnauit, excommunicatis etiam ob illum Asiaticis Ecclesijs; à dicto tamen Concilio coacti sunt omnes Catholici ita Pascha celebrare, & sentire ita esse celebrandum, adeo vt deinceps Quarto-Decimani pro hæreticis semper fuerint habiti, vt videre est apud Epiphanium hæresi 50. & D. Augustinũ hæresi 29. Non alia certè ratione, nisi quia huiusmodi ritum celebrandi Pascha ab Apostolis profectum esse, & à maioribus per continuam traditionẽ tunc ad ipsos perue-

uenisse iudicarunt, & crediderunt præfati Concilij Patres, cum in nullo sacræ Scripturæ loco de eo fiat mentio. Idem asserendum est de translatione Sabbati in diem Dominicum contra Iudæos, siue de die Dominico festiuè celebrando: vnde mirum est, quo pacto aliqui ex aduersarijs dicant istud esse ad salutem indifferens: quandoquidem nullus est, qui Sabbato feriantem, & die Dominico laborantem, tanquam Iudæũ, & per consequens ab Ecclesia extorrem nõ habeat.

Sextum tandem & vltimũ est, quod certus ac determinatus sit sacramentorũ numerus in nouo testamento, quodque in ea forma, & materia, quam obseruat Ecclesia, & non in alijs fuerint à Christo Domino instituta. Hoc tam Catholici, quam aduersarij credunt; solumque interest quod Catholici constantissimè credant illum numerum esse septenarium; aduersarij autem, vt alibi semper, ita etiam hic inconstantes sint. Nam aliqui agnoscunt solum Baptismum & Eucharistiam vt Philippus Melanthon in locis communibus. Alij Baptismum, Eucharistiam, & Pœnitentiam, vt multi Lutherani in suis catechismis. Alij Baptismum, Cœnam, & matrimonium, vt Zvvinglius in libro de vera & falsa religione. Alij Baptismum, Cœnam, & ordinationem, vt Caluinus lib. 4. institut. cap. 19. §. 31. At hic numerus, quisquis tandem sit, non inuenitur in Scriptura euidenter definitus, aut expressus; nusquam enim dicit, duo vel tria tantũ esse sacramenta; immo quod maius est, nusquam vel Baptismo, vel Eucharistiæ tribuit nomen Sacramenti; nusquam definit, quid propriè sit Sacramentum nouæ legis; quæ vniuscuiusque vera materia & forma. Igitur necessario confugiendum est ad sacrã traditionem, Verbumue Dei non scriptum, quo semper in Ecclesia traditum, & creditum est, septem esse nouæ legis Sacramẽta, talemque esse vniuscuiusque materiam & formam; pro vt Doctores Polemici disputatione de Sacramentis illud euidentissimè demonstrant.

Secunda ratio pro sententia Catholica desumitur ex voluntate Dei, quam sic in formam redigo. Admittendæ sunt in Ecclesia sacræ traditiones, præsertim in statu legis Euangelicæ, si Deus eam voluit in tali statu gubernari, non tantùm per verbum suum scriptum, verum etiam per non scriptum, aut traditum; sed ita Deus voluit; ergo. Maior huius argumenti est certa, & indubitata, omnia enim quæcumque voluit Deus fecit. Minor probatur primò, omnibus sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum authoritatibus superius adductis; si quidem diuina voluntas nobis potissimùm innotescit, ac manifestatur per sacram Scripturam, iuxtà communem Sanctorum Patrum sensum intellectam, & interpretatam; cum igitur iuxta talem sensum, sacræ nos edoceant litteræ traditionum veritatem, & earumdem obseruantiam nobis commendent; *State*, inquit Apostolus, *& tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram*. Nulli cordato viro rationabile dubium suboriri potest, quin Deus per illas voluerit suam Ecclesiam, remue publicam Christianam regi & gubernari.

Secundò probatur eadem minor, ex hoc quod in nouo testamento Christus nihil scripsit, nec vnquam aliquid scribi iussit, sed tantùm præcepit Euangelium prædicari omni creaturæ; & ideò pauci ex Apostolis ac discipulis scripserũt, omnes verò prædicationi operam dederũt; cum enim prædicatio, quatenus fit viua voce, ad traditionem magis, quam ad Scripturam reducatur, præsertim quia Apostoli diu prædicauerunt, antequam scriberent; videtur indè etiam manifestè sequi Deum voluisse non minus viua voce, seu verbo suo non scripto, quã scripto doctrinam Euangelicam primùm tradi, & inde ad nos feliciter peruenire, aliquam eius principalem etiam partẽ.

Quod adhuc confirmatur ex eo, quod Apostolis, & Euangelistis non fuerit propositum, omnia dogmata ad fidem, & mores pertinentia scripto complecti: tũ

quia

quia nullibi in Scriptura legitur illis tale præceptum impositũ fuisse, sed tantùm prædicandi vt statim diximus: tum quia ex occasione dumtaxat scripserunt, vt Diuus Matthæus rogatu Hebræorum à quibus erat discessurus, & ad gentes profecturus; Marcus à Romanis compulsus; Lucas, quia videbat aliquos Pseudo-Apostolos id malè tentasse; Diuus tandem Ioannes propter Ebionem, contra quem erat diuinitas Christi confirmanda; Hęc enim, & alia similia argumenta certò euincunt eos non habuisse animum omnia dogmata ad salutem necessaria conscribendi; siue quod idem est conficiendi vnum aliquod corpus doctrinæ sacræ excluso quocunque iure non scripto; si enim id voluissent, aut fuisset necessariũ; debuissent inter se conuenire, & vni aut pluribus vnum hoc committere, quod tamen, vt satis constat, non fecerunt. Itemque si id necessarium fuisset, aut ita Christus fieri voluisset, illud sine dubio præcepisset, sicut prędicationem præceperat: at nusquam tale eius præceptum extat. Igitur concludendum est eum non minus voluisse Ecclesiam suam traditione, quam Scriptura subsistere & conseruari; imo forsan magis, quandoquidem ab illo non fuit impositum scribendi prçceptum, sed solùm prędicandi, siue tradendi viua voce legem Euangelicam: Et hac potissimum ratione dicitur scripta, non vt lex vetus, in tabulis lapideis, sed in cordibus, seu in tabulis cordis carnalibus. Ieremiæ 31. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in cordibus eorum scribam eam.* Quo loco, vt ait Apostolus ad Hebrços 9. sermo est de nouo testamento; & 2. Corinth. 3. *Epistola nostra vos estis scripta non atramento, sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Vocatur enim scripta in visceribus, seu in cordibus, quia non tam per atramentum & characteres, quam viua voce & traditione sua edocet mysteria: qua etiam de causa, in primitiua Ecclesia, vbi de præcipuis fidei mysterijs agebatur, dicere solebant Patres: *Norunt fideles, norunt initiati*: ac si dixissent: non possunt Pagani & infideles hæc scire, tametsi Scripturas, quæ omnium manibus teruntur, legant: quippè quæ tantum per traditionem, & consuetudinem, quæ inter Catholicos asseruatur illa cognoscantur verusque circa illa diuinarum Scripturarum sensus. Cum enim duo sint in Scriptura, voces scriptæ, & sensus in eis inclusus: licet ex his duobus primum haberi possit ab omnibus, quicumque enim nouit litteras, potest etiam legere Scripturas; secundum tamen non habent omnes, nec possumus in pluribus locis certi de illo esse, nisi accedat traditio. Et hoc fortè significare voluit D. Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 27. quando ait, sine traditionibus non scriptis Euangelium esse purum nomen, id est, esse tantùm voces, & verba sine sensu.

Tertia tandem, & vltima ratio pro sententia Catholica desumitur ex acerbo odio, quo semper omnes hæretici sacras traditiones prosequuti sunt. Si enim ex communi consensu Sanctorum Patrũ omnium ætatum recipientium traditiones, illasque opponentium nouis hæreticorum erroribus, collegimus supra eas esse admittendas; non minus ex vnanimi consensu Hæreticorum omnium ętatum, in traditionibus reijciendis, sequitur eas in Ecclesia semper viguisse, minimèque reijciendas esse; vnde sic arguo. Si traditiones sacræ non fuissent semper in Ecclesia, per quas tanquam per verbum Dei non scriptum, certamque proinde fidei regulam ac normam, tunc exortæ circa illius dogmata quæstiones & controuersiæ terminarentur; non esset cur omnium ætatum hæretici tam ferali, & implacabili odio illas habuissent; sed in Ecclesiasticis historijs, nihil eis odiosius fuisse passim legitur; Ergo fatendum est in Ecclesia semper extitisse sacras traditiones, per quas &c. Maior huius argumẽti videtur esse omnino certa; ab Hæreticis enim odio haberi non poterat, quod omnino nõ fuisset, aut ad confutandos ipsorum errores nihil certi contulisset, vt satis ex se constat.

ſtat. Igitur ſi tale probetur illorũ odium, manifeſtum erit argumentum ſacras traditiones ſemper in Eccleſia fuiſſe; quodque in omnibus retro ſæculis ad illas tãquam ad ſacram anchoram confugerint, quotquot Chriſtiani & Catholici vnquã habiti ſunt, quoties de dogmatibus fidei exorta eſt in ea contra hæreticos diſputatio.

Minor itaque probatur diſcurrendo per ſingula Eccleſię ſęcula, & natas in illis hæreſes. Primo loco ſint Arriani, qui diſputantes de Diuinitate Chriſti Domini, nihil volebant admittere, niſi Scripturam. Ita teſtatur D. Hilarius lib. contra Conſtantium; vbi Arrianũ hunc in modum loquentem introducit: *Nolo verba, quæ non ſcripta ſunt legi.* Et Maximinus Arrianorum Epiſcopus cum Auguſtino diſputaturus initio libri 1. contra eumdem, ait, *Si quid de diuinis Scripturis protuleris, quod commune eſt cum omnibus, neceſſe eſt vt audiamus: hæ verò voces, quæ extra Scripturam ſunt, nullo caſu à nobis ſuſcipiuntur.* Et iidem Arriani apud Epiphanium hęreſi 73. *Reijcimus*, inquiunt, *vocem coeſſentialem*, homouſion, *velut alienam à diuina Scriptura*; quam tamen, etſi nuſquam ſcriptam, ſacratiſſima Synodus prima Nicena cõtra illos ſanxerat, ad Sanctorum Patrum, & Apoſtolicarum Eccleſiarum traditiones potiſſimum reſpiciens, circa annum Domini 325.

Macedoniani quoque, & Eunomiani diuinitatis Spiritus Sancti impugnatores nolebant admittere hanc locutionem, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, eo quod non haberetur in Scriptura; de quibus S. Baſilius lib. de Spiritu Sancto cap. 25. circa finem ait: *At non deſinunt iſti ſurſum deorſum iactare, Dei cum Sancto Spiritu glorificationem, carere Scriptura*: & initio cap. 29. *Sanè contra id, quod dicunt, præpoſitionem, cum, carere teſtimonio, nec in Scripturis extare, illud dicimus: ſi nihil aliud eſt receptum abſque Scripturis, ne hoc quidem recipiatur: ſin plurima arcana citra Scripturam recepta ſunt nobis, cum alijs plurimis & hoc recipiamus. Arbitror autem Apoſtolicum eſſe etiam non ſcriptis traditionibus adhærere.* Propterea ſacroſancta Synodus Conſtãtinopolitana, præfatę locutionis munimento à maioribus per traditionem acceptę, & hymnus glorificationis ab eiſdem appellatę, quantumuis expreſsè in Sacra Scriptura non contineretur, diuinam Spiritus Sancti naturam à dictorum hæreticorum blaſphemijs cõſtantiſſimè aſſeruit, circa annum Domini 379.

Tertiò Pelagiani à Pelagio ſic dicti, qui circa annum Domini 415. cępit docere peccatum originale non eſſe in hominibus: ſine Dei gratia poſſe impleri omnia mandata, & alia huiuſmodi, ſacrarum traditionum hoſtes, & inimicos ſatis ſe ſe declararunt, dum apud Auguſtinum illarum vſum vbique admittentem aiunt lib. de nat. & grat. cap. 39. *Credamus quod legimus: & quod non legimus, nefas credamus aſtruere: quod de cunctis etiam dixiſſe ſufficiat.*

Quartò de Neſtorio Epiſcopo Conſtantinopolitano, qui circa annum Domini 430. cœpit docere B. Virginem nõ eſſe matrem Dei, & in Chriſto duas eſſe perſonas, alteram diuinam, alteram humanam, refertur lib. 12. hiſtoricę tripartitę cap. 4. *quod cum naturaliter eloquens eſſet, ſe putabat doctum, & libris antiquiorum interpretum dedignabatur incumbere, omnibuſque ſe meliorẽ putabat eſſe.* Quod etiam habetur apud Socratem, Cyrillũ, & in actis Concilij Epheſini, circa annũ Domini 431. celebrati; vbi Sanctiſſimi eius Patres, Beatam Mariam θεοτόκον, id eſt Dei Matrem, etſi huius vocis nullam mentionem Sacræ litteræ faciant, quod hanc fidem diuini tradiderant diſcipuli, & à Patribus ita ſentire edocti eſſent, ſumma fide prędicandam definierunt.

Quinto Euthichete Abbate docente, vt Neſtorio contradiceret, in Chriſto vnam eſſe perſonam, & vnam naturam, diceteq; vt habetur in Concilio Chalcedonenſi act. 1. contra ipſum, & Dioſcorum circa annum Domini 461. celebrato: *In qua Scripturæ iacent duæ naturæ?*

Idem Concilium, impermixtas Dei & hominis subſtãtias, in vnica Chriſti perſona, ſiue hypoſtaſi iuxta Patrum placita, adeoque & Eccleſiæ traditionem, Eutychetis ſpretis captionibus confirmauit.

Iſtos præcipuos priorum ſæculorum Hereſiarchas, ſecuti ſunt deinceps alij, eodemque, quo illi ſpiritu afflati, repudiarunt Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, & ad ſolam Scripturam contẽtiosè prouocarunt; Lollardi apud Bernardum de Luxemburgo catalogo hęreticorum, & Thomã Vualdenſem tom. 1. doctrin. c. 3. Abaibardus teſte S. Bernardo epiſt. 190. vbi ait: *Eum ab omnium Patrum fide* (adeoque & Eccleſiæ traditione, quæ potiſsimum attenditur penes vnanimem illorum ſenſum in aliquo religionis dogmate) *diſcedere non curaſſe*. Vviclefus in ſupplemento trialogi cap. 9. ac tandem omnes ferè huius ſæculi nouatores; qui tamen non omnino inter ſe conſentiunt. Nam aliqui, ſine vlla exceptione, reijciunt vniuerſaliter omnes traditiones, ſiue ad fidem, ſiue ad externum Dei cultum pertinentes, & nihil aliud volunt eſſe credendum, aut faciendum, quam quod in Scriptura credendũ, aut faciendum expreſsè præcipitur, vel ex illa per neceſſariam & euidentem cõſequentiam deducitur. Ita Caluinus varijs in locis, pręſertim lib. 4. Inſtitut. c. 8. n. 8. lib. de neceſsitate reformandæ Eccleſiæ, & in epiſt. 87. ad protectorem Angliæ. Alij quaſdam ſaltem admittunt traditiones, vt Kemnitius in Examine Concilij Trid. ſeſſ. 4. vbi ait: *Hanc traditionem, qua nobis in manum dantur Sacræ Scripturæ libri reuerenter accipimus*. Vndè, cum Sacra Scriptura ſecundum ipſum ad ſalutem neceſſaria ſit, procul dubio admittit aliquam traditionem de re ad ſalutem neceſſaria. Alij tandem vtuntur diſtinctione; & aiunt admitti poſſe traditiones de rebus adiaphoris ſeu indifferentibus, non autem de rebus ad ſalutem neceſsarijs, de quibus per ſolam Scripturam ſufficienter nobis proſpectũ fuiſſe docent. Omnes autem Catholici ſunt labij vnius in admittendo ſacras traditiones, Deumque voluiſſe per illas æque ac per Scripturas Eccleſiam ſuam gubernari in rebus etiam ad fidẽ & mores ſpectantibus, prout huc vſque apertè demonſtratum puto; cuius iterum voluntatis plures adducentur congruentiæ capite quarto, vbi prius in ſequenti ſatisfactum fuerit aduerſariorum obiectionibus.

CAPVT III.

Satisfit hæreticorum obiectionibus, contra doctrinam ſuperiori capite ſtabilitam de ſacrarum Traditionum exiſtentia.

AD tres potiſſimum claſſes reducuntur omnes hæreticorum obiectiones, quibus cõtendunt modo ſæpius explicato, & inter nos ac illos controuerſo non eſſe admittendas ſacras traditiones; prima componitur ex Sacrę Scripturæ, ſecunda ex Sanctorum Patrum malè intellectis auctoritatibus, tertia ex quibuſdam apparentibus rationibus.

Obijciunt ergo primò illud Deuteron. cap. 3. v. 2. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor nec auferetis ex eo*. Et cap. 12. v. 32. *Quod præcipio tibi hoc tantùm facito Domino, nec addas quidquam nec minuas*: Indè enim videtur colligi omnes traditiones repudiandas eſſe, quæcumque ſint; dum abſolutè prohibetur, ne quidquam ad verbum Dei ſcriptum addatur.

Reſpondetur hæc duo loca non habere, nec habere poſſe iſtum ſenſum ab Hæreticis intentum. Cum enim iam ſuperiori capite probauerimus olim tẽpore legis ſcriptę, aliquas fuiſſe traditiones extra Scripturam, etiam ad ſalutem neceſſarias, ſuppetantque inſuper multa exempla diuini cultus & obſequij eodẽ tempore extra Scripturam legitimè inſtituti vel ſuſcepti. I. enim Dauid abſque vllo Scripturæ mandato, conſtituit ſtata lege cantores in organis Muſicorum, vt habetur lib. 1. Paralip. c. 15. & 16. II. Idẽ

Dauid & Salomon absque vllo Scripturæ diuinæ præcepto, templum Domino ędificandum curarunt, & varijs quoque imaginibus ac statuis exornandum ibidem cap. 17. & lib. 2. Paralipom c. 4. & sic de alijs quę refert Tannerus disput. 1. de fide quęst. 5. dub. 3. & in apologetico pro relatione de colloquio Ratisponensi contra Hunnium & Heibrunerum. Ex quibus manifestè colligitur, aliquem cultum, absque scripto Dei mãdato, etiam in veteri lege statutum Deo placuisse; atque adeo non omnem additionem ad eius cultum fuisse à Moyse absolutè prohibitam: neque verò etiam Pentateuchum eiusdem fuisse vnicam normam cultus & religionis populo Iudęorum.

Dico primo præfata duo loca debere intelligi non solùm de verbo Dei scripto, sed etiam non scripto, viuaque duntaxat voce tradito: nam non ait Moyses, non addetis ad verbum quod scripsi, sed quod loquor & præcipio vobis, quod æquè benè potest intelligi, de verbo Dei viua voce, quàm litteris ab eo tradito, & consignato; & in hoc sensu libenter concedimus nihil illi addendum, aut minuendum fuisse; per vtrumque enim illud ius, tanquam per adæquatam religionis normam sufficientèr, imò integrè & perfectè Ecclesiam in illo statu gubernatam fuisse, & etiam nunc gubernari, ac regi contendimus, in statu legis Euangelicæ.

Dico secundò, dato quod Moyses locis citatis locutus tantùm fuisset de libris ab eo conscriptis, non propterea sequitur exclusas ibi fuisse ab eo sacras traditiones; sed legitimus ac planus illorum sensus esse potest; debere integrè & perfectè seruari mandata vt ipse præcipit, nulloque penitus modo ea esse deprauanda, aut corrumpenda. Hoc enim significat illa phrasis, *non addetis, nec auferetis*. Quod alijs etiam verbis, sed eodem tamen sensu explicatur in varijs Scripturę locis cùm dicitur, *non declinabitis ab eis, vel ad dexteram, vel ad sinistram*. Adeò vt hæc tria idem penitus significent. 1. Integrè & perfectè seruare præcepta Mosaica. 2. Non declinare ab eis, vel ad dextrã, vel ad sinistrã. 3. Nihil in eorũ obseruatione, vel addere, vel detrahere. Nõ ergò voluit Moyses dicere, non seruabitis aliud, quã id quod nunc scripto præcipio, cũ in veteri quoque lege multa circa cultum ac religionẽ licita, & aliqua etiam necessaria fuisse, quæ ab eo non solùm scripta, sed nec prę-cepta erant, superius demõstrauimus, sed tantùm significare, in eo quod præcipiebat, ne quis omnino, seu omissione, seu commissione quidquã illi aduersum faceret: hoc enim est, nihil demere vel addere, & nec ad sinistram declinare, nec dexteram. Exempli gratia præceptum erat Mosaicum: *Mulier*, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, ac die octauo circumcidetur infantulus. Leuit. cap. 12. v. 2. vbi non licebat aliquid addere vel auferre, id est, non licebat, nec post diem octauum circumcidere infantulum: nec immunditia matris poterat paucioribus vel pluribus diebus durare, quam septem. Eadem est ratio de alijs præceptis.

Dico tertio testimonium ex 12. Deuteronomij adductum, nihil ad rem facere, sensumque illius non esse eum, quẽ fingunt aduersarij, sed longè diuersum. Nam sicut in præcedenti testimonio c. 4. agebatur generatim de præceptis Mosaicis integrè vt dixi obseruandis, ita in secundo speciatim agitur de vno duntaxat præcepto sacrificij integrè ad modum ibi prescriptum implendo; non autem more gentium, & iuxta cęremonias earum, vt satis patet ex textu, qui sic habet: *Quando disperdiderit Dominus Deus tuus gentes ad quas ingredieris possidendas, & possederis eas, atque habitaueris in terra earum, caue ne imiteris eas, & requiras caremonias earum dicens: Sicut coluerunt gentes istæ Deos suos, ita & ego colam. Non facies similiter Domino Deo tuo; omnes enim abominationes, quas auersatur Dominus, fecerunt Dijs suis, offerentes filios, & filias, & comburentes igni, Quod præcipio tibi, hoc tantum facite Domino:*

mino; nec addas quicquam, nec minuas.

Quasi diceretur: Quando veneris in terram Palæstinam, & ibi obtuleris Domino Deo tuo sacrificium: non imitaberis Gentiles, qui falsis Dijs suos offerunt filios & filias per ignem; sed hoc solùm, quod ego tibi pręcipio, offeres: nempè ex animalibus, oues, capras, hædos, boues, vitulos, columbas, passeres, turtures. Ex fructibus terrę, panem, similam, salem, thus, manipulum spicarum, & triticum. Ex liquoribus sanguinem, vinum, oleum, aquam. *Hoc tantùm facito*, id est, offerto. Nec addas quicquam ex sacrificijs gentiliũ; nec minuas ex eis, quę iam enumerata sunt. Vnde satis constat, quàm insulsè ab aduersarijs pręfata adducantur loca ad negandã sacrarum traditionum existentiam, siue in lege veteri, siue in noua, aut Euangelica.

Obijciunt secundò, ex Propheta Isaia cap. 29. *In vanum colunt me docentes mandata; & doctrinas hominum*; ibi enim videntur damnari traditiones, per doctrinas hominum intellectæ, & reprehendi qui illis ad aliqua peragenda innituntur. Sicut etiam Matthęi 15. 6. *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram*: Colossens. 2. 8. *Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam secundum traditionem hominum*. 1. Petri 1. 18. *Redempti estis de vana vestrâ conuersatione paternæ traditionis*.

Respondetur ex his locis, & alijs similibus, non rectè colligi ab aduersarijs omnes traditiones ab Isaia in veteri lege, à Christo Domino & Apostolis in noua damnatas fuisse; tantùm enim loquuntur, vel de traditionibus Iudæorũ, & Gentilium, quæ cum Scripturis, fideque Christiana pugnabant, quas proinde Apostolus fabulas Iudaicas appellat; *ne intendas*, inquit 1. Timoth. cap. 1. *Fabulis Iudaicis*, & Colosſ. 2. Philosophiam & inanem fallaciam; vel si loquuntur de traditionibus, alias laudabilibus, suoque genere bonis, ideo illas reprehendunt quia Pharisæi ex earum obseruatione quærebant inanem gloriam, superstitiosève eas seruabant, mandatis Dei neglectis. Sed quia iterum de his redibit sermo infra cap. 5. tantum sufficiat pro solutione obiectionis.

Obijciunt tertiò ex nouo præsertim testamento quædam loca, quibus videtur innui Scripturas esse sufficientes, & continere omnia ad salutem necessaria, atque adeo superuacaneas esse quascũque traditiones. Sic dicitur Galat. c. 1. v. 8. *Licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit &c.* 2. Timoth. cap. 3. v. 16. *Omnis Scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia. Vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.*

Respondetur hæc & alia similia loca aduersarijs minimè fauere, sed in ipsos potius retorqueri debere, qui euangelizant aliquid præter id, quod Apostolus euangelizauit, quia oppugnant traditiones, contra id, quod Apostolus dixit, *tenete traditiones*: ergo anathema sint.

Ad primum itaque locum dicitur 1. voculam præter, Græce παρ', in illo contentam, idem penitus significare quod *contra*, vt Sancti Patres Ambrosius, Chrisostomus, Oecumenius, Theophilactus & alij interpretati sunt; talique etiam expositioni dedit ansam ipsemet Apostolus Rom. 16. v. 7. vbi eamdem vocem simili sensu vsurpauit: *Rogo*, inquit, *vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinã, quam vos didicistis, faciunt; & declinate ab illis*; ibi enim sine dubio *præter*, significat idem quod *contra*; cum scandala vtique non sint tantum præter, sed etiam contra verbum Dei. Sic autem Apostolum exponendum esse, videtur manifestè colligi ex eius scopo in sua ad Galatas Epistola. Ab illo enim edocti fuerant, ceremonias legis Mosaicæ abrogatas esse; & neminem posse per huiusmodi ceremonias iustificari, sed per fidem in Iesum Christum, cap. 2. v. 16.

At

At quia ab hac doctrina fuerunt postea abducti per quosdam falsos Apostolos, qui docebant eos non posse saluari per fidem in Christum, nisi simul circumciderentur, & alias ceremonias Mosaicas obseruarent, cap. 1. 3. 4. & 5. Contra huiusmodi falsos Apostolos agit Paulus cum ait; *Si quis euangelizauerit vobis, præter id quod accepistis, anathema sit*. Quasi diceret, accepistis à me, hominem iustificari per fidem in Christum, non autem per obseruantiam legis Mosaicæ; si quis præter, id est, aliter, aut contra, vos instruit anathema sit.

Insuper si talis particula *præter*, ibi non idem omnino significatet, *ac contra*; siue quod idem est haberet solum vim particulæ exclusiuæ, & non contrariæ, sequeretur, aut Galatas de nulla alia doctrina, præter dictam ibi ab Apostolo ipsis euangelizatam, instruendos fuisse, aut ab Apostolo, vel alijs nullam aliam tradendam; quæ tamen omnia sunt absurdissima, si quidem in illa sola epistola non continentur ad amussim omnia ad fidem & ad salutem pertinentia; & ipse Apostolus post illam scriptam, multas alias scripsit, & suis prioribus epistolis, cum hac ipsa, quæ est ad Galatas addidit. Sanctus quoque Ioannes Euangelista, post obitum Pauli, suum Euangelium, suamque Apocalypsim edidit; in quibus duobus libris multa extant præter ea quæ scripsit ipse Paulus; Igitur fatendum est, particulam hanc *præter*, in citato loco idem esse ac *contra*: ac proinde Apostolum non prohibere noua dogmata, & præcepta, modo non sint contraria rebus ab eo edoctis; sed reijcere tantum aliena & illis contraria; quæ etiam omnes Catholici damnant, & anathematisant. Traditiones autem Apostolicæ, quas superiori capite diximus admittendas esse in Ecclesia, non sunt huiusmodi, siue contra id, quod Paulus euangelizauit Galatis de iustificatione; & alibi de alijs fidei dogmatibus; sed potius sunt id, quod ipse Thessalonicensibus euangelizauit, cum dixit epistola 2. cap. 2. *Tenete traditiones quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram*.

Respondetur secundò ad eumdem locum, quod Apostolus non loquatur de solo verbo scripto, siue de ijs dumtaxat quæ scribendo docuerat, sed etiam de ijs quæ per prædicationem viuæ vocis oraculo tradiderat, & consequenter de omni verbo siue scripto, siue non scripto: non enim dicit si quis euangelizauerit præter id quod scripsimus, sed præter id quod euangelizauimus. Præter hoc autem, non solū si sumatur particula *præter* contrariè, sed etiam purè, exclusiuè rectè vetat Apostolus aliquid euangelizari, & fidelibus credendum proponi, cum vtrumque verbum diuinum, scriptum, & non scriptum, sint adæquata prædicationis doctrinæq; Euangelicæ regula, & norma, extra quam nihil aliud est credendum. Quo fit vt argumentum hoc hæreticorū nihil quicquam traditiones Apostolicas, quæ in Ecclesia obseruantur, feriat.

Quibus omnibus non obstat, quod aduersatij proferre solent ex D. Basilio in Summis moralium, summa 72. cap. 1. nec non ex D. Augustino lib. 3. contra litteras Petiliani cap. 6. vbi citatum exponens locum ait: *Si quis siue de Christo, siue de eius Ecclesia, siue de quacumque alia re, quæ pertinet ad fidem, vitamque nostram, non dicam si nos, sed quod Paulus adiecit si Angelus de cælo vobis annuntiauerit, præterquam quod in Scripturis legalibus & Euangelicis accepistis, anathema sit*. Hoc, inquam, & alia similia doctrinæ Catholicæ superiori capite stabilitæ nihil obstant, pręfati enim Patres, qui vt ibi vidimus, tam disertè sacrarum traditionum veritatem asseruerunt, ne sibi ipsis contradicere videantur, tantummodò probant ex loco Apostoli non licere quidquam asserere contrarium Scripturis, non autem excludunt absolutè quasuis traditiones. Cum enim vt statim diximus, D. Paulus loquatur in genere de prædicatione Apostolica, & illa partim sit scripta, partim non scripta; potest indè quis rectè probare non licere

licere aliquid afferere contra scriptam prædicationem Apostolorum. Nam iuxta regulam logicā ex vniuersalis negatione, rectè ducitur argumentum ad negationem particularis; non tamen è contrario. Quare S. Basilius loco ab aduersarijs citato, docet ex verbis Apostoli tantùm haberi, eos esse recipiendos, qui consona Scripturis tradunt; reijciẽdos verò, qui aliena. Et S. Augustinus lib.17. contra Faustum, cap.3. exponit, *contra*; & tract.98. in Ioannem sic loquitur: *Non ait plusquam accepistis, sed praterquam quod accepistis. Nam si illud diceret, sibi ipsi praiudicaret, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, vt suppleret, quæ illorum fidei defuerunt. Sed qui supplet, quod minus erat addit, non quod inerat tollit. Qui autem pratergreditur regulam fidei, non accedit in via sed recedit de via*: Quibus omnibus nihil ad nostrum intentum præclarius dici, & afferri potest.

Ad alterum locum ex 2. Timothei cap.3. desumptum, libenter illum totum admittimus vti sonat, dixi, vti sonat; quia mirum est quot modis illū aduersarij ex suo capite distorqueant, contra genuinam verborum significationem, contra receptissimum loquendi vsum, & contra mentem Apostoli. Quando enim præmittit, *ab infantia sacras litteras nosti, qua te possunt instruere ad salutem*; volunt ipsi post relatiuum, *qua*, subintelligi *sola*, & post verba *te possunt instruere*, addi, *sufficienter*; deindè cum subiungitur, *omnis scriptura*, omnis, inquiunt, id est, *tota*, *vtilis est*, id est, *sufficiens est*. Adeo vt vel vnicus iste locus documento esse possit, quàm indignis modis scriptura ab hæreticis tractetur, & deprauetur ad suorum errorum confirmationem. Igitur manendo in nuda recitatione verborum Apostoli, plenissimoque illorum sensu, dicimus illa minimè aduersariorū intento fauere, & quocumque modo ex illis arguant, meros paralogismos esse. Si enim dicatur: Omnis Scriptura est vtilis ad docendum & arguendū; ergo superuacaneæ sunt traditiones sacræ: Perinde est, ac si argueretur: *Omnis eleemosyna* est vtilis ad salutem, ex Scriptura Daniel. 4. 24. Lucæ 11. 41. Ergo superuacanea oratio, cæteraque bona opera. Iterum si dicatur: Omnis Scriptura est vtilis, id est sufficiens: Ergo reijciendæ sunt omnes traditiones; non minus vitiosa est argumẽtatio, præterquam enim in antecedenti falsum supponitur, quod idem sint vtile esse, & sufficiens esse; adhuc dato & nō concesso, quod aliquando imo in præsenti casu possent coincidere, etiam pessima est consequentia.

Primò, quia vtile nunquam potest idem esse, seu omnino coincidere cum sufficienti absolutè, sed in aliquo dumtaxat genere: Ex hoc autem quod sacra Scriptura sic diceretur sufficiens, male inferretur nullas in Ecclesia dari traditiones; sicut enim ex hoc, quod talis sufficientia non modo Scripturæ vniuersæ, sed vnicuique etiam illius parti conuenit, & per consequens rectè dici potest regula fidei, & canon modo suo sufficiens ad id quidem infallibiliter credendum quod tradit; nō sequitur, Scriptura veteris testamenti est vtilis, id est suo ex genere sufficiens: Ergo Scriptura noui testamenti est superuacanea; Nec contra Scriptura noui testamenti est vtilis, id est suo ex genere sufficiens: Ergo Scriptura veteris testamenti est superuacanea. Sic etiam non sequitur: Vtraque Scriptura est vtilis, suoque ex genere sufficiens: Ergo traditio est superuacanea: alioqui falsum esset quod dicit Apostolus *tenete traditiones*. Sed hæc tantùm argumentatio est legitima, qua tacitè vtitur: Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est, id est suo ex genere sufficiens ad docendos subditos, & redarguendos aduersarios at Scriptura quam ab infantia didicisti, id est veteris testamenti (nam eo tempore, quo Timotheus erat infans, nondum extabat Scriptura noui testamenti) est diuinitus inspirata: Ergo est vtilis, id est, suo ex genere sufficiens ad docendos subditos, & redarguendos aduersarios. Il-

la igitur in hunc finem vtere.

Secundò quia tota Scriptura simul sumpta non potest dici absolutè sufficiens, nisi per inclusionem ipsarummet traditionum, non solum quia in illa cõmendantur, sed etiam quia non nisi illarum beneficio per modũ regulæ ab Ecclesia in suis iudicijs obseruatæ, constare nobis potest quod ipsa tota simul sũpta sit verbum Dei, quodque verum ac legitimum illius habeamus sensum, tot inter ac varias hæreticorum interpretationes pro suis erroribus confirmandis, vt probauimus supra.

Tertio diceretur sufficiens sacra Scriptura, imo etiam regula fidei adæquata; quia licet in illa expressè & euidenter, siue in particulari non contineãtur omnia prorsus credenda & agenda, qua ratione Deus voluit in Ecclesiæ suę gubernio ac regimine dari etiam locum iuri non scripto, vt diximus superiori capite, nihilominus tamen multos sigillatim fidei articulos, eosque præcipuos, & omnibus simpliciter scitu necessarios expresſè complectitur: & pro alijs quos non ita expresſè continet, tradit quædam principia generalia, quæ nos de omnibus alijs possunt sufficientissime edocere, traditiones scilicet, & Ecclesiam, quam vocat *columnam & firmamentũ veritatis* 1. Timoth. 3. Sicut enim epistola illa regis rectè diceretur esse sufficiens, & adæquata, quæ multa in specie eius præcepta aut mandata complecteretur, & pro alijs, quæ non contineret, scriberet Rex se ea tabellario explicanda commisisse, & illi hac in parte credendum esse; eodem etiam modo Scriptura regula quædam adæquata, & sufficiens totius fidei dici potest: hoc autem sensu, vt satis constat, non excludit, sed includit traditiones. Quare etiam nunquam aduersarijs concedendum est, nos quidquam credere, quod nulla ratione in diuinis Scripturis habeatur, vel ex illis deducatur, si quidem in Scripturis omnia continentur, aut explicitè, aut implicitè, modo explicato; indeque sic semper nobis argumentari licet: Quicquid Ecclesia in sacris Scripturis commendata, publica authoritate fidelibus credendũ proponit; id iuxta ipsas Scripturas, est infallibiliter verum, secundum illud Matthæi 18. v. 17. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Et 1. Timoth. 3. v. 15. *Ecclesia est columna & firmamentum veritatis.* Sed hoc vel illud est tale, V. g. pueros esse baptizandos, septem esse Ecclesiæ Sacramenta, &c. ergo ea iuxta ipsas Scripturas, sunt infallibiliter vera.

Quartò tandem & vltimo, alijs quidem verbis, sed eodem fere sensu, sacra Scriptura dici potest, sufficiens, respectu fidei quorumdam particularium, nõ autem respectu fidei vniuersalis Ecclesiæ. Explico distinctionem, supponendo quod fides vniuersalis Ecclesiæ sit multo amplior, atque explicatior fide quorumdam particularium: vnde hæc posterior tunc dicitur esse sufficiens, quando nonnulla, quæ sunt generalia quædam fidei principia credit, & pro alijs fidem habet adhærentiæ ipsi Ecclesiæ, vel suis pastoribus; quod tamen Ecclesiæ non sufficit, cum ipsa debeat expresſè omnia quæ sunt credenda credere, & nulli alteri pro ratione credendi adhærere, aut se committere. Igitur loquendo de illis dogmatibus, quæ sunt ab omnibus quibuscumque, etiam priuatis, & plebeijs credenda, vt quæ sunt de Christo Domino, Ecclesia, & decalogo, rectè Scriptura dicitur sufficiens respectu illorum, (si quidem hæc, & alia multa similia apertè & euidenter sine vlla penitus controuersia in illa continentur) non autem respectu vniuersalis Ecclesiæ, nam præter dicta, sunt alia multa quæ ad eius fidem spectant, & quæ à pastoribus, & rectoribus credi debent, nec non à particularibus, quandò de illis sufficienter sunt à suis pastoribus instructi, quæ explicitè & sigillatim, siue in particulari in Scriptura non habentur, vt diximus, sed ex sola traditione, quæ in Ecclesia conseruatur.

Secunda obiectionum classis aduersus doctrinam Catholicam, constat ex

varijs

varijs SS. Patrum testimonijs Scripturã commendantium ob suam plenitudinẽ, ac sufficientiam, talibus enim, & similibus loquendi modis videntur excludi traditiones ab Ecclesia; eiusque iudicio in dirimendis fidei controuersijs, tanquam superuacaneę, & inanes, standumque esse soli, & puro Dei verbo scripto.

Respondetur hoc minimè sequi, ex talibus loquendi formis Sanctorum Patrum, qui ne cum seipsis apertè pugnare, sibive contradicere dicantur, necessariò explicandi sunt de plenitudine, aut sufficientia vno ex modis statim explicatis sumpta, secundum subiectam materiam. Vt quando Tertullianus libro aduersus Hermogenem de Idolatria ait: *Adoro plenitudinem Scripturæ*, loquitur de plenitudine, vel sufficientia, primo modo, siue ex genere suo; tantùm enim ibi agit de creatione mundi à Deo: quæ cum in Scripturis, vt satis constat, expressè contineatur, & quidem non in vno, aut altero loco, sed in pluribus: verè asseruit contra Hermogenẽ, qui hanc veritatem negabat, se Scripturæ plenitudinem adorare.

Quando similitèr D. Cyrillus lib. 12. in Ioannem capite vltimo ait: *Non omnia quæ Dominus fecit, conscripta sunt, sed quæ scripta sunt, tam ad mores, quam ad dogmata sufficere potuerunt*. D. Chrisostomus hom. 3. in 2. ad Thessalonicenses. *Quæcumque necessaria sunt* (intellige ad salutem) *manifesta sunt ex diuinis Scripturis*. S. Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 9. In his, *quæ apertè posita sunt in Scriptura, inueniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresquè viuendi*. Hi, inquam, Patres, tantoperè sacras traditiones vbique commendantes, illisque vtentes in varijs fidei controuersijs aduersus hæreticos, intelligendi sunt de sufficientia tertio, & quarto potissimum modo sumpta; sicut & Imperator Constantinus apud Theodoretum lib. 1. c. 7. vbi ait Euangelicos, & Apostolicos libros, & antiquorum Prophetarum oracula planè, vel plenè, vt hæretici in suæ causæ patrocinium legunt, instruere nos quid de rebus diuinis sentiendum sit. Quatenus eorum omnium dogmatum, quæ ad diuinitatem Christi Domini pertinent, extant in Scripturis testimonia, ex quibus circa illam non solùm planè, sed etiam plenè instrui possumus, si ea rectè intelligamus, talem autem intelligentiã plerumque, imo in proposito etiam dogmate Diuinitatis Christi dependere ex traditione nemo non videt. Vnde Theodoretus, qui loco citato narrauerat orationem Constantini Imperatoris, idem cap. 8. refert, prolatas fuisse vtrinque Scripturas, & cum ex ijs non conuincerentur Ariani, eò quod easdem Scripturas aliter interpretarentur, quam Catholici, damnatos eos fuisse ex sermonibus non scriptis, piè tamen intellectis in Concilio Nicæno: quorum damnationi ipse Constantinus subscripsit.

Interdum etiam Sancti Patres dum Scripturæ tribuunt plenitudinem, ac sufficientiam, docentque, vt Origenes homil. 1. in Ieremiam: *Necesse nobis esse Scripturas Sanctas in testimonium vocare. Sensus quippe nostri & enarrationes sine his testibus non habent fidem*: Hieronymus in cap. 23. Matthæi: *Quod de Scripturis authoritatem non habet, eadem facilitate contemni debere, qua probatur*. Et sic de aliquibus alijs, quos aduersarij solent obijcere; talibus loquendi modis voluerunt excludere libros apocryphos, qui suo tempore circumferebantur, & ex quibus aliqui multa in Ecclesiam peregrina dogmata inuehebant; vel de quæstionibus valdè obscuris agere, quarum solutio, vbi per traditionem non est manifesta, quales vt plurimum non sunt illæ, quæ testimonium habent traditionis in tota Ecclesia receptæ, quodcumque illarum iudicium ex Scripturis depromendum est. Quod autem de alterutro horum modorum loquatur Origenes loco citato, ex eo patet, quod ibi quærat, quo pacto possit istud Ieremiæ, *Puer sum, nescio loqui*, Christo Domino applicari, dicitque illius quæstionis iudicium, non ex propria inuentione, sed ex Scripturis esse ostendendum. Quamobrem hoc lo-

eò propriam tantùm inuentionem, nulli solido fundamento innixam excludit, nō autem sacras traditiones, quas locis superiori capite citatis, tam clarè seruandas esse docet, quantumuis nulla extent de illis in Scripturis expressa testimonia. eodē modo Hieronymus non dixit vniuersalitèr, *quod de Scripturis authoritatem non habet* &c. vt ab aduersarijs non fideliter citatus est, sed loquens de particulari quadam sententia, qua quidam nitebantur ex libro apocrypho demonstrare Zachariam, quem Iudæi occiderunt inter Templum & Altare, fuisse Zachariā Patrem Ioannis Baptistæ, ait: *Hoc quia de Scripturis authoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.*

Ex quibus omnibus satis patet, collatione facta inter testimonia à nobis pro sacrarum traditionum existentia, & illa ab aduersarijs in contrarium adducta, longè plura esse nostra, quam sua: deindè nostra expresse docent traditiones non scriptas esse admittendas, adeo vt hæretici, cum id negare non possint rei euidentia conuicti, ad blasphemias plerumque confugiant; testimonia autem ab eis adducta, non propriè ad traditiones pertinent, nec de illis apertè loquuntur, sed per malas cōsequentias eò tantùm ab aduersarijs detorquentur; vndè Catholici nunquam adigi posunt vt admittant, ab vllo Patrum vniuersaliter oppugnatas fuisse traditiones, sed eas solùm quæ diuinis sunt contrariæ Scripturis, vel contrarias esse crediderunt; quod dico propter S. Cyprianum, qui vt suum de anabaptismo errorem tueretur, illā vnam traditionem contrariam reiecit in epistola ad Pompeium, quia contra Scripturas esse putabat; cęterum nunquam negauit alias, quę et si in diuinis Scripturis expresse non extent, tamen cum illis non pugnant: imo lib. 2. epistola 3. docuit, Dominicam esse traditionem, vt callicis vino admisceatur aqua in sacrificio, quantumuis nullibi in Scriptura Sacra clarè, & euidenter habeatur.

Tertiò tandem & vltimo loco sunt rationes aduersariorum, quarum prima, & principalis potest sic in formam redigi. Scriptores Sacri noui præsertim testamenti, omnia penitus quæ ad fidem, & mores pertinent Sacris consignarunt litteris: Ergo in Ecclesia nullæ sunt admittendæ traditiones, nullum Dei verbum non scriptum. Consequentia videtur omnino certa, si semel antecedens est verum: quod probari potest primò authoritate D. Irenęi lib. 3. cap. 1. vbi sic loquitur: *Nō enim per alios dispositionē salutis nostræ cognouimus, quàm per eos, per quos Euangeliū peruenit ad nos, quod quidē tunc præconiauerūt, postea verò per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderūt, fundamentum, & columnam fidei nostræ futuram.* Inde enim colligi videtur Apostolos omnia scripsisse, quæ prius viua voce, siue prædicando docuerant. Secundò probatur ratione, quia si Apostoli quædam necessaria scribere prætermisissent, vel istud negligentia illorum cōtigisset, vel inuidia; vtrumque autem absurdum cum sit; dicendum est eos omnia scripsisse.

Respondetur ad hoc argumentum negando antecedens; ad primam probationem ex authoritate D. Irenei desumptam, dicimus eam non asserere, nihil aliud Apostolos prædicauisse, quam quod scripserunt, aut omnia scripsisse, quæ prædicauerunt; sed solùm scripsisse Euangelium, quod antea prædicauerant, quod est verissimum, & nullo modo pugnat cōtra sacras traditiones, quas ibidem admittit, & tam acriter defendit Irenęus. Sed gratis adhuc dato quod ipse asseruisset, Apostolos omnia scripsisse quæ prædicauerant, nihil inde sequeretur aduersus doctrinam Catholicam, sed facilè posset intelligi, eos quidem scripsisse omnia quę ad salutem populorū, aut fidelium in particulari erant necessaria, vel vtilia; non autem absolutè, siue respectu vniuersalis Ecclesię, sic enim multa etiam viua voce illam docuere, vt explicauimus supra, quę expresse, & euidenter in Scripturis non continentur, sed ex animo in animum, à maioribus in poste-

posteros, & ab illis ad nos medio traditionis beneficio fideliter peruenerunt. *Quapropter*, inquit Irenęus lib. 4. cap. 43. *eis qui in Ecclesia sunt, Presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt.* Ad rationem ergò respondetur, Apostolos nullius negligentię, multoque minus inuidię in communicanda sacra doctrina argui posse, eò quod omnia absolutè ad illam necessaria non scripserint. Nam vt vidimus superiori capite, nullum vnquam tale pręceptum fuit eis impositū, sed prędicandi solùm, siue docendi omnes Gentes doctrinam sibi à Christo domino reuelatam; quod diligenter ac fideliter ab illis pręstitum est, partim aliqua scribendo, secundùm quod occasio se se offerebat, fideliumve necessitas exigebat, partim alia viua voce præsertim maioribus Ecclesiæ tradendo: Doctrinā enim reuelatam, siue Dei verbum latiùs multò patere, quam Scripturam, neque illud esse ad nudas litteras alligatum, clariùs patet, quam probatione indigeat consideranti quę de reuelata doctrina, siue de verbo Dei docent Orthodoxi, cū aiunt: Dei verbum duplex esse, siue potius dupliciter illud existere; impressū, & expressum. *Impressum* vocamus, vt continetur interna notitia Prophetæ vel Apostoli, quem Spiritus Sanctus sua primùm inspiratione docuit: *Expressum* autem, vt idem per prophetas & Apostolos cæteris deinceps hominibus patefit. Quod rursus verbum expressum est duplex; vnum quod dictante Spiritu Sancto Prophetæ aut Apostoli scriptis mandarunt. Alterum quod viua voce tradiderunt.

Obijcitur secundo, si fidei ac religionis negotium doctrina etiam non scripta contineretur, magnum hoc pacto ostiū aperiretur diuersis erroribus, sed credendum non est Deum, aut Apostolos id voluisse: Ergò planè commentitium est eos aliqua de dogmatibus fidei reliquisse, quæ Scripturarum Canone non comprehenderint, & per consequens dari, aut existere Verbum Dei non scriptum. Probatur maior, quia facile cuiuis est, cùm Scripturarum authoritate destitutus fuerit, traditionem comminisci Apostolicam ad suorum errorum defensionem: probatur D. Irenæus lib. 3. cap. 2. contra Gnosticos disputans ait: *Cum ex Scripturis arguuntur, in accusationem conuertuntur ipsarum Scripturarum; quasi non rectè habeant, neque sint ex authoritate, & quia variè sint dictæ, & quia non possit ex his inueniri veritas, ab his, qui nesciunt traditionem.*

Respondetur ad hoc argumentum, nullius roboris esse, sicut enim ex malo diuinarum Scripturarum vsu, quodque plures hæretici falsos, & apocriphos libros titulo Canonicorum insignire non dubitauerint, vt patet ex Gelasio Papa; non inde sequitur abijciendas esse diuinas Scripturas; ita neç veras & Apostolicas traditiones, propter aliquas fictas aut fucatas, quas veteres olim hęretici protulerunt, aut iam moderni proferrēt. Istud ergò incommodum, quod est commune traditionibus, & Scripturis, nihil penitus obest neque veris traditionibus, neque veris Scripturis, (sicut nec Christo Domino illarum authori, quod Lucę 2. in ruinam multorum positus dicatur, sicut & in resurrectionem) cùm merè per accidens se habeat ad illas: & insuper sit in Ecclesia authoritas, certaque etiam via, ac ratio discernendi veras traditiones & Scripturas à falsis: neque vnquam publico Ecclesiæ iudicio receptus fuerit liber aliquis apocryphus pro canonico, nec falsa traditio pro vera. Ad authoritatem Irenæi; cùm ibidem de ijsdem hæreticis mox subiungat, eos ad traditionem prouocatos, etiam *aduersari traditioni, & aduersus tales certamen nobis esse, qui more serpentum lubrici, vndique effugere conantur*, quæ sectarij ex illo obijciunt, rectè contra ipsos dici videntur: non autem aduersus Catholicos. Illi enim pro arbitrio Scripturas, quæ ad palatum non faciunt, respuunt, puta libros Machabæorum, epistolas Iacobi, &

Iudæ, Apocalypsim &c. *Tanquā non sint ex authoritate*; cum versione Latina Vulgata impugnantur; *non rectè se habet*, inquiunt: cum traditione ex communi Ecclesiæ sensu & consensu premuntur, *aduersantur Traditioni*; se se Patribus, & doctoribus omnes preferentes; hoc solo nequiores illis, quos Irenęus insectatur, quod nec verbo quidem tenus, & in speciem saltem, traditiones admittant.

Deindè, si quam vim haberet præfatum argumentum, potius esset contra aduersarios, quam contra nos, quod ita ostendo, retorquendo illud cōtra ipsos: si fidei ac religionis negotiū doctrina duntaxat scripta comprehenderetur, magnū hæreticis ad errores in Ecclesiam inuehendos pateret ostium: sed vt argumēto suo aduersarij sumunt, credendum non est, Apostolos vsque adeo apertum ostiū erroribus reliquisse; ergò nec eos omnia scripto tradidisse. Probatur maior, tum quia doctrina scripta non minus facilè corrumpitur, volente aliquo eam corrumpere, quam non scripta: si quidem toties ferè depravari potest, quoties scribitur; tum quia doctrina Scripturę Sacrę in particulari, cum ex dictis superiori sectione obscura fit, & multis litteris inclusa, quæ neque declarare palam seipsam, neque in controuersijs fidei tueri aduersus nouarum interpretationū corruptelas valet; facillimè à contentiosis callidisque ingenijs adulterari potest; pro vt plenam huius rei fidem faciunt, tot tamque diuersæ hæresum species in peruersa Sacræ Scripturæ intelligentia fundatæ; vbi verò traditio successione continua viuit in animis fidelium semper, in primisque Pastorum ac Doctorū Ecclesiæ; qui à maioribus illam acceperunt. Vnde ab hæreticis reijci quidem nequiter potest traditio: adulterari autē, & corrumpi, sicut Scriptura non potest, aut saltem non ita facilè.

Tum denique, quia illi quos proferunt aduersarij, & in quibus malum traditionis vsum reprehendunt, vt Papias, qui docuit Christum post resurrectionē mille annis regnaturum in terris: Quartuordecimani, qui iactabant se à D. Ioanne Apostolo, & Episcopo Ephesino accepisse celebrandum esse Pascha decima quarta luna more Iudęorum; illi inquā & similes potius ex Scripturis perperam intellectis, quàm ex traditione fuerunt decepti. Papias ex Scriptura malè intellecta Euangeliorum, & Apocalypsis, vt scribit Eusebius lib. 4. Histor. cap. 14. Hieronymus in cap. 49. Isaiæ, & 19. D. Matthæi. Quartodecimani quod ita celebrandum esse Pascha, ex Euangelio apertè colligi putarent, vt docet Polycrates, qui illorum Concilio, seu Synodo præfuit. Irenęus quoque conatur probare, Christum Dominum ad annum ferè quinquagesimum peruenisse, ex illo Ioannis cap. 8. *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* Tertullianus denique, & Cyprianus suos errores, primus quod Montanus esset Paracletus, secundus, quod baptizati ab hęreticis iterum essent in Ecclesia baptizandi, non ex traditione, sed ex sola Scriptura malè intellecta probare conati sunt. Frustra igitur talia à sectarijs contra factas traditiones obijciuntur, quæ efficacius contra diuinas Scripturas retorqueri possunt, sed potius, vt plerique etiam illorum censent credendum Ecclesię dicenti: *Hæc scripserunt Apostoli*; credere deberent eidem asserenti, *Hæc dixerunt Apostoli*; præsertim cum nec illud aliundè sciat, quam ex eo quod dixerunt, aut tradiderunt ipsimet Apostoli; nam vt superiori capite probauimus, nullo modo sufficienter cognosci potest ex Scriptura, sine aliqua traditione Apostolica, quæ sit vera Scriptura Sacra, quis sit verus, ac legitimus illius sensus. Deus nimirum est qui regit Ecclesiam suam, sine quo rectore non minus illa falli posset in Scriptura, quam in traditione.

Obijciunt tertiò, quia Deus in danda sua lege presertim Euangelica debuit maximè consulere infirmitati humanæ, quodque illa attenta talis lex omni meliori modo conseruaretur, sed hoc subsistere non potest, imo videtur impossibile,

bile, si semel admittantur traditiones, siue quod non omnia fuerint expresè scripta, quæ ad fidem & mores pertinēt; si quidem talia facilè partim obliuione, partim negligentia, partim etiam humana malitia obliterantur: propptereaque licet in lege naturæ Ecclesia tantùm traditionibus niteretur, postea in lege Mosaica datæ sunt Scripturæ: hoc autem si in illa obseruatum fuit, multò magis in lege gratię diutius perseueratura debuit obseruari.

Respondetur hanc quoque rationem nihil concludere aduersus sacras traditiones; ad minorem enim dico, non solùm non fuisse impossibile, aut difficile, quod pars doctrinæ Christianę sine scripto sincerè tradita apud christianos propagaretur, & Ecclesia per illam ad hæc vsque tempora, & deinceps conseruaretur, sed fuisse, & esse impossibile eam non conseruari. Quandoquidem cura illa non incumbit pręcipuè hominibus, sed Deo qui Ecclesiam regit. Vnde sicut per bis mille circiter annos ab Adamo vsque ad Moysen, Deo ita volente & disponente, Ecclesia in lege naturæ absque Scripturis constitit, & in ea multi extiterunt fideles Deo gratissimi, qui illum sola traditione colebant; ita quoque in lege Euāgelica facilè potuit Deus Ecclesiam conseruare sacrarum traditionum ope, ac munimento, si voluit tam per illas, quam per Scripturas eamdem regi & gubernari, vt superiori capite demonstrauimus; præsertim cum ex dicendis sequenti capite præter Dei prouidentiam, quæ est præcipua causa, nō desint aliæ plures in hunc finem adiuuātes. Ad vltimum quod dicebatur, nempè omnia in lege Mosaica post legem naturæ, fuisse scriptis exposita: & ideò voluisse Deum in illo statu per Scripturam ignorantiæ, & obliuioni hominum succurrere, quod à fortiori de lege gratiæ dicendum est; Respondetur talem suppositionem esse falsam: nam nullibi in libris Moysis extat remediū pro peccato originali in fœminis, & masculis ante octauum diem, nec non in gentilibus, qui circumcisioni non adstringebantur, & sic de alijs quæ retulimus superiori capite: ideoque falsum est, quod ex falsa suppositione deducunt aduersarij, nempè Deum noluisse homines post legem naturæ traditionibus regere, propter ignorantiam, & obliuionem illorū; si enim hoc voluisset nihil penitus eorū, quæ sunt ad salutem necessaria scribere prætermisisset.

Non eo igitur consilio à Deo per Moysen, & alios deinceps Prophetas doctrina cęlestis mandata litteris fuit, vt Scriptura sola vnoquoque tēpore esset fidei norma, neque vllus locus traditionibus relinqueretur, ob naturalem hominum obliuionem, cui alia via facilè poterat Deus consulere, pro vt de facto contigit in lege naturę; sed huius rei alię sunt quærendæ congruentiæ: V. g. I. vt ea etiam ratione, per se quoque optima, hominum saluti consuleretur. II. Vt ad plures cognitio cœlestis doctrinæ, propius imminente tempore legis gratię, facilius peruenire posset. III. Vt, vel ipsis Iudæis inuitis, aliquando populus Christianus copiam eius doctrinæ haberet, ad comprobandam illius etiam authoritate atque antiquitate rationem Christianæ religionis. IV. vt supposita tanta præsertim multitudine pręceptorum in veteri lege contentorum, hac etiam via prouideretur humanæ memoriæ labilitati, quā Catholici non negant esse huic fini valdè consentaneam, sed solùm indè male negari diuinarum traditionum existentiam; in huiusmodi enim rebus facti, siue quæ dependent à mera Dei voluntate, quales sunt, quod Ecclesia, vel per Scripturas solas, vel per traditiones solas gubernetur, doctrinave reuelata, vno aut altero modo, vel ambobus simul tradatur; quamuis supposita semel diuina de illis voluntate posint plures adduci conuenientię aut congruentiæ ad maiorem rei illustrationem; nihilominus tamen, nulla alia ratio à priori potest assignari præter diuinam voluntatem: vnde cum superiori capite sufficienter demonstrauerimus Deū voluisse suam Ecclesiam

siam tam in lege Mosaica quàm Euangelica regi non minus suo verbo tradito, quàm scripto; inde etiam fit quod ad vnum, aut alterum negandum non valeant, nec debeant adduci congruentiæ quæcumque illæ sint, sed solum ad confirmandum, & declarandum, quod semel voluit Deus, vt explicabitur capite sequenti.

CAPVT IV.

Vtrum aliquam doctrinæ fidei partem conueniens fuerit Verbo Dei duntaxat non scripto Ecclesiæ tradi.

QVi Verbi Dei non scripti negant existentiam, eius quoque conuenientiam non admittunt: Nos autem qui probauimus supra Deum de facto voluisse ita suam gubernari ac regi Ecclesiam, vt de doctrina fidei ab Apostolis suis non minus viuæ vocis oraculo, quam Scriptura edoceretur; nunc huius rei aliquas quærimus conuenientias; sicut etiam aliæ inquiri possent, si per solam Scripturam, aut per solam traditionem id fieri alias statuisset.

Pro cuius intelligentia notandum est, in operibus diuinis duplicem posse distingui conuenientiam, externam vnā, internam alteram. Externa ea est, qua aliquid dicitur conueniens, aut congruū præcisè ex eo quod sit factum à Deo, cuius sola voluntas potest esse sufficiens & adæquata regula conuenientiæ, cum non possit agere nisi sapienter: hæc autem conuenientia vocatur externa, quia desumitur per ordinem ad diuinam voluntatem, vt causam efficientem, quæ est semper externa, vel extrinseca suo effectui. Interna conuenientia ea dicitur, qua aliquod opus faciendum, vel factū dicitur esse conueniens, aut congruum ob speciales aliquot rationes sibi inexistentes in ordine ad consequendum aliquem finem particularem: & hæc conuenientia ad distinctionem prioris vocatur interna, vel intrinseca, quia tota attenditur penes ea quæ obiecto, seu effectui producto, vel producendo insunt. Dum igitur hic inquirimus, an aliquam doctrinæ fidei partem conueniens fuerit Ecclesiam edoceri per verbum Dei duntaxat non scriptum, difficultas non procedit de priori conuenientia, nam eo ipso quo id apprehenditur, tanquam aliquod opus Dei, resue ab ipso volita, statim intelligitur esse cōueniens isto priori modo: sed tantum mouetur de posteriori: Et ita asserimus multa ad fidem, & mores pertinentia conuenientissimè extra Scripturam fuisse in Ecclesia diuinitus tradita solo viuæ vocis oraculo; sicuti superioris sectionis capite tertio ostendimus conuenientissimum quoque fuisse, quod ea quæ sunt fidei, licet non omnia postmodum scriberentur. Probatur iam nostra, & Catholica sententia adducendo varias congruentias, quibus vsi sunt Sancti Patres; quæque maioris claritatis gratia ad tres potissimum classes reducentur, secundum quod ex triplici etiam capite desumi possunt. Primo, ex parte eorum qui tradiderunt. Secundo ex parte eorum quæ tradita sunt. Tertio ex parte eorum quibus traditio facta est.

Primum ergo ex parte tradentium, conuenientissimum fuit eos partim scripto, partim etiam viua voce mysteria fidei euulgare: Quia cum gratia naturam, eiusque leges non destruat, sed supponat; Apostoli in Ecclesiarum fundatione ac regimine contemnere non debuerunt, imo de facto admittere, quod in omni fere republica bene ordinata, laudabiliter institutum legimus; nimirum vt non solum essent scriptæ leges, sed etiam præter eas multæ, imo etiam alicubi solæ vigerent consuetudines non scriptæ, quæ vim legis obtinerent. Sic authore Cæsare lib. 6. de bello Gallico, Druidæ apud Gallos nefas existimauerunt disciplinæ suæ præcepta & leges litteris cōmendare: & Licurgus ex Plutarcho in eius vita, prohibuit ne Lacedæmonij vterentur legibus scriptis, sed tantum consuetudinibus, & maiorum traditionibus; quod idem Ciceroni placuisse

cuiſſe ex primo de legibus patet: Exiſtimabat enim eas multo diutius duraturas, longèque plus firmitatis habituras, ſi moribus & inſtitutis hominum mentibus eſſent impreſſæ, quàm emortuis membranis commiſſæ. Pericles quoque apud Thucididem ius Athenienſiũ in ſcriptum, & non ſcriptum diſtribuit. Vt omittam nobiliſsimos Philoſophorũ principes Socratem, Platonem, Pythagoram & alios, qui poſtquam diſcipulos ſuos de multis naturæ arcanis docuiſſent, rigidiſsimè ſanxerunt, ne litteris ea conſignarent, ſed tantùm traditione quadam, ſine vllo ſcripto, ad poſteros tranſmitterent.

Inſuper, cum non conueniret, vt qui textum ſacrarum litterarum ſcripſiſſent, ijdem commentaria in ſua opera ederẽt; debuerunt Apoſtoli illarum authores, multa ad legitimam myſteriorũ ibi contentorum intelligentiam neceſſaria viua duntaxat voce tradere, & docere, quæ poſtmodũ in Eccleſiæ depoſitorio conſeruarentur: ſenſus enim in litteræ cortice latentes, & ad fidem pertinentes explicari, & aperiri non poterant niſi ab ijſdem, qui litteras ſacras diuinitus ſcripſerant. Ad quod forſan alludens D. Paulus Roman. 15. ait: *Scio quod veniens ad vos veniam in plenitudine benedictionis Chriſti*; Clemens enim Alexandrinus in Stromatibus dicta referẽs verba docet Apoſtolum, ſpirituale donum, & traditionem quæ eſt ex cognitione, preſentibus Romanis voluiſſe impartiri, quod per epiſtolam ſignificari non poſſent, ob rationem ſtatim dictam; vel etiam, quia ſi ſcripto omnia ab illo & alijs Apoſtolis ſancita fuiſſent in nimiã molem ſacræ doctrinæ codex excreuiſſet. Ob quam cauſam Cicero lib. 1. de legibus exiſtimauit, ſuauius poſſe mores in republica traditione ſeruari; ne, inquit, ſi ſcripto ſanciantur omnia, & moleſta illa fiant, & legum ac doctrinæ codex ſua mole, & magnitudine terreat.

Inſuper rationi valdè conſentaneum erat, vt Sancti Apoſtoli tali modo ſacrã, diuinituſque inſpiratam doctrinam traderent: quo ipſi, eorumque ſucceſſores, ſuum in Eccleſia gradum, & ordinem haberent; qui in hoc potiſſimum conſiſtit, vt plebs à paſtoribus aliquid diſcat, & in difficultatibus legis ad animatos iudices confugiat; ſi autem omnia penitus myſteria ad illam pertinentia, vna cum ſuis explicationibus legitimiſque ſenſibus clarè & expreſsè ſcripto mandaſſent; vix præfato ordini, ſuperiorũque ac inferiorum inter ſe diſtinctioni daretur locus; vt ſatis ex ſe conſtat; igitur conuenientiſsimum fuit vt præter verbum Dei ſcriptum, daretur quoque aliud viua voce traditum, ſiue animatũ in ore animatorum iudicum, hoc eſt ſupremorum Eccleſiæ paſtorum repoſitũ, ad inſtructionem fidelium, vbi potiſsimum aliquæ orirentur difficultates, aut controuerſiæ circa fidei, religioniſque negotia componendæ: In cuius rei ſignificationem rectè annotauit Origenes Homil. 5. in Num. in veteri teſtamento illa, quæ nuda, & aperta tantum erant Sacerdotibus, velata & operta ſuper humeros plebis portata fuiſſe.

Secundò, attenta quoque rerũ traditarum conditione, conuenientiſsimè à Deo prouiſum fuiſſe, quod ab Apoſtolis viua dumtaxat voce, & per conſequens non ſcriptis inſtitutionibus euulgarentur, ſequentes probant rationes. Prima, ne ſacramenta, & ſecretiora fidei noſtræ myſteria, eorumque ratio ſcriptis expoſita, & omnibus hoc pacto peruia, & in promptu, ita facilè ab infidelibus viderentur & contemnerentur. Vndè Lucianus in dialogo qui inſcribitur *peregrinus* dicit, Chriſtianos tradere quędam arcana ijs qui initiati sũt quæ alijs nolunt patefacere. Nec obſtat huic rationi, quod aliqui etiam hæretici abſcõderint ſua dogmata; dixerintque Chriſtum & Apoſtolos quædam palam omnibus prædicaſſe, quædam occultè quibuſdam ſolum tradidiſſe; vt libro 1. cap. 23. de Baſilidianis & cap. 24. de Carpocratianis ſcribit Irenæus. Hæc, inquã, & alia ſimilia dictis non obſunt; ſicut enim ex hoc quod aliqui è Philoſophis genti-

gentilibus Prophetas nostros æmulati, symbolicam ac mysticam eorũ scribendi rationem suffurati sint, nihil penitus illis præiudicat; ita similiter quod aliqui hæretici, quos D. Cyprianus in epistola ad Iubaianum symias Catholicorum vocat, minus apertè aliqua docuerint, ad exemplum Christi Domini, & Apostolorum, nihil obesse debet mystico illorum docendi modo, siue quod aliqua fidei nostræ mysteria, viua duntaxat voce, tanquam secretiori via tradiderint, & adhuc non omnibus, sed Ecclesiæ tãtum maioribus, qui vulgatos deinde homines instruerent, vbi id necessitas exigebat.

Interest tamen inter affectata hæreticorum mysteria & nostra, quod eorũ mysteria ideo secretum petebant, quia turpissima erant, vt patet de illis ipsis Gnosticis ex semine viri & menstruis mulierum Eucharistiam conficientibus; quodque insuper ea hominibus doctis secreta & occulta, imperitis autem, solùm manifesta esse vellent; pro vt arguũt illos Ireneus & Tertullianus, quod assererent, Christum non tradidisse ea mysteria Apostolis, nec Apostolos suis successoribus Episcopis, sed nescio quibus alijs. At mysteria nostra non tradita sunt viua solùm voce quibusdam, quia timerent lucem, sed vel quia non erat opus, vt illa scirentur ab omnibus, sed à maioribus tantum ad cæterorum instructionem, vt in Ecclesia debita seruaretur superiorum ac inferiorum subordinatio, vel quia non erant omnes capaces. Alioqui talia sunt, vt possint publicè prędicari, nihil enim nisi purum, castum & sanctum creditur & agitur ab Ecclesia. Et hoc puto voluisse Christum Dominum significare, cum ait Matthei 10. *Quod in aure audistis, prædicate super tecta*; & Ioannis 18. *Ego palam locutus sum mundo, & in Synagoga, quo omnes Iudei conueniunt, & in occulto locutus sum nihil*. Non solum quia doctrinam quam populo tradidit, non proposuit ei in conuenticulis, sed in locis publicis, vt ibi S. Thomas lect. 4. & alij plures illa verba *in occulto locutus sum nihil*, interpretantur; verum etiam, quia nihil dixit, quod non possit vbique dici, attenta veritate, puritate, & sanctitate dictorum; cum quo tamen apertè constat non pugnare, vt aliqua seorsim, & in aure discipulis, deinde discipuli suis successoribus viua duntaxat voce exposuerint; quæ sic de aure in aurem ad nos tandem deriuarentur.

Secunda ratio pręcedenti veluti opposita est, vt mysteria nostræ fidei, quæ si fuissent per Scripturam omnibus promiscuè publici iuris facta, facilius infidelium contemptui & irrisioni obnoxia fuissent, è contra per solam traditionem accepta, tùm maiori in pretio, ac veneratione ab hominibus haberentur, tùm ab ijsdem maiori etiam studio conseruarentur. Sicut enim magis æstimatur doctrina, dum non omnia illius capita quibusuis de media plebe hominibus scripto euulgantur, sed aliqua apud superiores, & doctiores, veluti thesauri quidam reconditi custodiuntur, vt ea, quæ scripta sunt, facilius illi, vbi, & quando, & quibus opus est explicare possint; ita etiam homines maiori studio ea solent conseruare, quæ traditione acceperunt, magisque suis mentibus imprimere: præsertim si sint res magni momenti, quales sunt quæ ad religionem & salutem animæ pertinent, de quibus agimus in præsenti. Hac ratione D. Basilius libro de Spiritu Sancto c. 27. atque etiam Origenes homil. 5. in Num. authoritatem sacrarum traditionũ probarunt, eamdemque exemplo Moysis confirmarunt, qui nec omnibus cuncta templi loca patere olim voluerit, *Probè gnarus*, inquit Basilius, *id quod conculcatum est, & per se apprehendi potest, immunere contemptum: quod verò remotum est ac rarum, id naturaliter quodammodo esse coniunctam admirationem*. Qua etiam de causa docet Augustinus lib. 1. de fide & symbolo cap. 1. symbolum fidei Cathecumenis non scripto, sed viua voce traditum fuisse.

Tertia ratio desumi potest ex dignitate

tate mysteriorum fidei nostræ, quorum multa decebat quodammodo silentium, id est, quod toti mundo per Scripturas non publicarentur, neque enim omnino mysterium est, quod ad populares ac vulgares aures passim effertur; vti certè contingeret, si omnia penitus fidei nostræ arcana fuissent ab Apostolis litteris consignata. Hinc Eusebius lib. 1. Demonst. Euang. cap. 6. docet quod sublimiora Sapientibus, sine scripto tradita sunt. Quæ verò infirmioribus, & vulgo fidelium conuenire existimabant, eorū quædam quidem in scripto reliquisse, quædam verò per sanctiones, & ritus non scriptos obseruanda tradidisse.

Vltimò tandèm, etiam ex parte eorum quibus tradebantur mysteria, conuenientissimum fuit multa eorum viua voce tantùm maioribus Ecclesiæ reuelari. Ita Christum Dominum seorsim discipulis interpretatum fuisse parabolas, quas prius populo locutus fuerat legimus Lucæ cap. 8. Ad cuius exemplum Diuus quoque Paulus non mediocrem earum personarum delectum habebat, quibus essent exponenda diuina mysteria, ne omnia promiscuè omnibus propalarentur. Vndè 1. Corinth. 2. ait: *Non iudicaui me scire aliquid inter vos nisi Christum, & hunc crucifixum: sapientiam autem loquimur inter perfectos:* Quam etiam in docendo discretionem Timotheo commendat epistola 2. cap. 2. *Et quæ audisti*, inquit, *à me per multos testes, & hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere.* Quæ verba considerans Tertullianus de Præscription. cap. 26. *Consequens autem erat*, inquit, *vt cui demandabat Euangelij administrationem, non passim nec inconsideratè administrandam adyceret, secundum Dominicam vocem, ne margaritam porcis, & sanctum canibus iactaret.* Denique S. Dionisius id ipsum monet Timotheum, de custodiendo nimirum deposito, hoc est traditione seruanda, & per consequens non promiscuè euulganda in epistola ad eumdem his verbis: *Obserua diligentius ne Sancta Sanctorū efferas, neue prophanis luminibus violanda permittas. Verum reuereberis magis occulta Dei mysteria, spiritualibus, inuisibilibusque notionibus honorabis, atque intemerata seruabis, nequaquam ea passim rudibus tradens, sed sanctis solis, sanctarum rerum intelligentias sacratius pandens.* Quod idem docet cap. 1. Ecclesiasticæ Hierarchiæ. Neque tamen idcirco vult præfatus Pater, alijque idem cum ipso docentes; vt doctrinæ cęlestis traditiones perpetuo vulgatis hominibus ignotæ sint; neminem enim, cum id est necessarium aut opportunum, celat Ecclesia sua mysteria; sed solùm intendunt ea pro sua dignitate non debuisse cunctis indifferenter patere, sed quædam scriptis, quædam magis arcana & secreta non scriptis institutionibus ab Apostolis tradenda fuisse, indè ad posteros eodem modo transitura.

Si obijciant aduersarij cōuenientius fuisse, quod omnia penitus ab Apostolis scriberentur, tùm ad certiorem memoriæ vsum; tum quia vix fieri potest, vt traditione non immutetur, atque corrumpatur tandem doctrina. Respondetur si sermo sit de conuenientia extrinseca superius explicata, id esse & dici debere in operibus diuinis conuenientius imo conuenientissimum, quod de facto Deus statuit & voluit; si autem sermo sit de conuenientia intrinseca, illę rationes, siue conuenientiæ dicuntur esse meliores, alijsque præponderantes, quæ accommodantur conuenientiæ extrinsecæ, siue illi rei quam absolutè voluit Deus: Vndè cùm iam abundè probauerimus Deum de facto ordinasse, quod præter scriptum daretur adhuc in Ecclesia verbum non scriptum, rationes à nobis allatæ, quæ pugnant pro hac veritate, vocari debent conuenientiores; sicut illæ quæ adducūtur ab aduersarijs, & aliæ similes quæ possent adduci, essent tales, si oppositum statuisset Deus, nimirum quod in Ecclesia nullum aliud daretur verbum quàm scriptum; de facto autem non sunt tales, quia Deus id statuere noluit.

Quare ad illas respondetur, putandum non esse, vt notauimus supra c. 3. humana tantùm industria & cura conseruatum iri in Ecclesia sacras traditiones, sed eadem in primis Dei prouidentia singulari, qua regitur Ecclesia. Vnde minimè timendum est, ne traditionum doctrina pereat, vel corrumpatur: non magis certè, quam ne scripturā aliquando amittat Ecclesia. Quæ tamen ipsa si humanam duntaxat prouidentiā pensaremus, facile etiam ita posset interire, quomodo pleraque veterum tum Philosophorum, tum Ecclesiasticorum etiam authorum monimenta perierunt. Igitur Deus, qui traditionem fidei toto tempore legis naturæ absque vllis Scripturis conseruauit, nunc etiam, & Scripturam, & traditionem, haud difficilius cōseruabit in Ecclesia perpetuò.

Ad quam insuper conseruationem huc vsque non mediocriter contulit, & in posterum conferet: primò quod legimus apud Eusebium lib. 3. histor. cap. 36. Diuum scilicet Ignatium, *traditiones cautionis gratia etiā scriptas reliquisse*: Etsi enim viuæ tantum vocis oracula dici debeant, quia ab ipsis quidem Apostolis ita scriptæ non fuerunt, vt cęteri libri canonici, sed solum viua voce communicata; extant tamen in scriptis veterum Patrum, & quidem eorum qui immediatè successerūt Apostolis, à quibus Patres, qui postea floruerunt, eas acceperunt, & ad posteros transmiserūt. Vt iam notauimus cap. 1. huius sectionis. Secundò continuus earumdem vsus potissimum in Sacramentorum administratione, & diuinarum Scripturarum expositione: nam quemadmodum conseruantur linguæ vulgares, etiam si nullæ quandoque extent Grammaticę, propter continuum vsum, vt de lingua Hebraica dicitur, quæ conseruata est vulgatis in populo Dei ab Adam vsque ad captiuitatem Babylonis per tot annorū millia; ita etiam sine vlla scriptura ex sola praxi potuerunt in Ecclesia conseruari pura & illibata, quæ primùm ab Apostolis tradita fuere, tàm circa dogmata, quam sacros ritus. Tertio tandèm perpetua ferè hostium Ecclesiæ, siuè hæreticorum oppugnatio, qui singulis ætatibus varia eius dogmata vel absolutè negarunt, vel in dubium reuocauerunt, Deus enim qui maluit ex malo bonū educere, quam nulla penitus mala permittere, mirabiliter illis vsus est ad sacrarum traditionū conseruationem, quatenus singuiis etiam ætatibus suscitauit homines sanctos, & doctos, qui vt hęreticis resisterent, diligenter inuestigarunt doctrinam Ecclesiæ, & traditiones antiquas, magnaque diligentia eas posteris commendarunt.

CAPVT V.

Multiplex adducitur traditionum diuisio.

Stabilita iam ad copiam sacrarum traditionum in Ecclesia existentia, & conuenientia, vt earumdem authoritatē deinceps distinctius explicaremus, & etiam aduersariorum calumnias in hac parte facilius refelleremus, necessario præmittenda fuit in hoc capite multiplex traditionum diuisio, deinde in sequenti examinandi caracteres, & notæ, quibus inter se dignosci possint.

Primum igitur habita ratione veluti qualitatis, Traditiones diuidi possunt in legitimas, & illegitimas. Vniuersaliter & indistinctè loquendo legitimam traditionem appellamus, doctrinam ad religionem pertinentem, quæ ab habentibus in Ecclesia debitam authoritatem viua voce communicata, & per modum legis stabilita est. Per oppositum autem illegitimam dicimus eam, quæ in quacumque religionis materia, & in quocumque Ecclesiæ statu, aut à carentibus in ea legitima authoritate adinuēta fuit, aut Scripturæ & mandato Dei repugnat, aut si non repugnat in negotio tamen religionis est omnino inutilis, vel ridicula. Tales sunt illæ, quas plures hęretici in nouo testamento somniarunt; & in veteri Pharisæi, qui contra expressum

Dei mandatum honorandi parentes,nec non etiam charitatis erga proximũ adstruebant,liberum esse filio,patri subuenire, si modò aliquid in templi gazophylacium, aut in Sacerdotum commodum vellet erogare; quodque in Sabbato non liceret ægros sanare. Ridiculè autem & inutiliter ad finem veræ & perfectæ iustitiæ docebant, quod antè cibi sumptionẽ lauandæ essent manus Matt. 15. 1. quod etiam inter comedendum illa lotio sæpius esset repetenda Marci 7. 3. quod cum peccatoribus non esset sumendus cibus Matth. 9. 11. & Lucæ 5. 30. Gestabant quoque in frõte & in brachijs chartas aliquas, in quibus lex Dei scripta erat,existimantes mandatum hoc Dei, *Habebis legẽ ante oculos tuos, & ligabis eã in manu tua*, ita esse intelligendũ.

Has ergo,& alias similes traditiones notauimus supra cap. 3. Christum & Apostolos reprehendisse; cuius manifestum videtur esse argumentũ, quod nec Christus aut Apostoli vnquam, vocauerint eas traditiones Mosis, & Prophetarum (quas enim Iudæi ab illis acceperant erant bonæ, si quidem vna,vt mox dicemus, erat de ipsis libris Canonicis, qui essent veri) sed Scribarum, & Pharisæorum, Matthæi enim 15. alloquens eos ait: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram*. Inde veteres Patres disertè explicuerunt quinam fuerint authores eiusmodi traditionum, in quas ibi legitur Christum Dominum tàm acriter inuectum fuisse. Nam D. Irenæus lib. 4. cap. 25. & 26. disputans contra veteres hæreticos, qui putabant nomine traditionũ à Christo reprehensarum intelligi legem Mosis, docet,non Mosis legem,sed recentiorum seniorum traditiones illi contrarias à Christo redargui. Epiphanius in hæresi Ptolomęi, asserit traditiones Iudæorũ fuisse quatuor expositiones librorum sacrorum. Primam à Mose traditam, & eam non reprehendi. Secundam R. Akibam. Tertiam R. Iuda. Et quartam filiorum Asmonæi, atque has esse quæ reprehenduntur à Domino,ob varios errores illis admixtos, diuinis Scripturis apertè repugnantes.

Diuus tandem Hieronymus in cap. 8. Isaiæ, & in cap. 3. epist. ad Titum, & in epistola ad Algasiam quęst. 10. docet traditiones Iudaicas, quas Christus redarguit, suam originem habuisse à Sammai, Killel, Akiba, & alijs, qui paulo antè aduentum Saluatoris extiterant, & legem non tam exposuerant, quam corruperant; quas traditiones ipsi δευτερώσεις appellant. De quibus habetur in iure ciuili constitutio quędam Iustiniani, quæ est 146. Nouel. in hęc verba: *Quæ δευτέρωσις, quasi secundaria traditio ab ipsis dicitur, in vniuersum interdicimus, vt quæ sacris libris comprehensa nõ sit, neque desuper tradita per Prophetas, sed excerpta quadam virorum contineat, qui terrena duntaxat loquuntur, nec quicquam diuini in se habeant numinis*. Ex his postea fontibus descenderunt tot tãtæque fabulæ, quæ nunc reperiuntur in Talmud, & in omnibus fere libris Rabbinorum. Sed de his satis, de quibus etiam non egimus, nisi vt ostenderemus, quas & quales traditiones reprehenderit Dominus, ad solutionem argumenti hæreticorum desumpti ex citato loco Matth. 15. quem satis ex dictis constat non pugnare contra legitimas traditiones, quæ pręsertim sunt in lege Euangelica, quęque ab Apostolis deriuatæ per totam Ecclesiam obseruantur; nunc ad illas veniamus.

Primùm habita ratione diuersi status Ecclesiæ, legitimæ traditiones possunt diuidi in traditiones legis naturæ, quibus tunc solis sine Scriptura, recta est Ecclesia; legis scriptæ, siue Mosaicæ; & legis gratiæ, siue Euangelicæ: Earũdem iterum in vnoquoque etiam statu multiplex genus ac diuisio posset afferri; verùm quia in pręsenti potissimum agimus de traditionibus Ecclesię ad statum legis Euangelicæ spectantibus; & quæ de illis dicemus proportione seruata facilè cęteris applicari possũt, hinc etiam ad illas pręsertim sequentes diuisiones restringemus.

Igitur attenta materia poteſt in nouâ lege ſtatui triplex traditio; fidei, rituum, & morum. *Traditio fidei, eſt viua vocis doctrina fidei, in poſteros tranſfuſa*. Vt quod tota Scriptura veteris ac noui teſtamenti ſimul ſumpta ſit verbum Dei; quod ſeptenarius ſit Sacramentorum numerus, quod paruuli ſint baptizandi; quod baptizati ab hæreticis, non ſint rebaptizandi, quod Beatiſſ. Virginis Mariæ intemerata ſemper fuerit virginitas; & ſic de alijs myſterijs ab Eccleſia Catholica creditis, quę vt diximus cap.2. vel nullo planè modo in Scripturis extant, vel ſi extant, obſcurè tantùm & implicitè continentur, vt Trinitas perſonarum in diuinitate, adeò vt neque plures, neque pauciores tribus dari poſſint; proceſſio Spiritus Sancti à Patre, & Filio; hæc enim & ſimilia abſque traditionis ope, tot inter hęreticorum controuerſias Scripturis etiam diuinis vtentiũ ad ſuorum errorum cõfirmationem, apertè definiri non potuerunt. *Traditio rituum, eſt viua vocis doctrina cæremoniarum miſſæ, Sacramentorum, & Sacramentalium, in poſteros transfuſa*; vt quod in Calice Dominico miſceatur aqua vino; nullibi enim hoc apertè ſcriptum reperitur in diuinis litteris, ſed ſolùm D. Cyprianus lib.2. epiſt.3. vbi hanc traditionem, Dominicam vocat, illam myſtico argumento confirmat ex eo, quod ſanguis & aqua ex latere Chriſti pendentis in cruce profluxerint Ioannis 19. v. 34. Vt trina immerſio in Baptiſmo, exſufflatio, vnctio, & cætera id genus, de quibus videri poſſunt authores, qui de hac materia ſcripſere, noſtrum enim non eſt hic ſingula in ſpecie referre. Tandem, *Traditio morum eſt viua vocis doctrina, feſtorum, ieiuniorum, & obſeruantiarum ſalutariũ in poſteros transfuſa*. Vt celebratio Paſchæ die Dominico poſt decimamquartam lunam menſis Martij; Ieiuniũ quadrageſimale eſſe ſeruandum, nec non die Dominico ab opere ſeruili vacandum.

Rurſus habita ratione authorum, poſſunt diuidi traditiones in diuinas, ſiue Dominicas, & humanas, quę diuiſio eſſet bona, quando ſub humanis comprehenderentur Apoſtolicę dumtaxat, & Eccleſiaſticę, pro vt modo ſtatim explicando diſtinguuntur à Diuinis; verùm quia aliqui hæretici, vt Rullus Baſileen. diſput. de tradit. ſubdolè hac diuiſione vtuntur ad debacchandum contra Eccleſiam, quaſi in ea ſint aliquę traditiones humano tantùm ſpiritu adinuêtæ, & inſtitutę, indè clarius diuidi poſſunt, in Diuinas, Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas. Etſi enim nõ rarò tam Diuinę, quã Apoſtolicæ & Eccleſiaſticę traditionis nomina ſeorſim ſumpta, generatim omne genus traditionis in Eccleſia ſolitę complectantur; vel quia omnes ſunt ordinatę ad Eccleſiæ bonum, vel à Deo immediatè, aut mediatè, ipſo nimirum Eccleſiam, eiuſque paſtores inſpirante profluxerunt, vel tandem ab Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus viris Apoſtolicis ad nos deriuatæ ſunt: Nihilominus tamen maioris diſtinctionis gratia, traditionem diuinam voco, ipſum verbum Dei traditum, & non ſcriptum; ſiue, *Traditio diuina eſt doctrina ad religionem pertinens, diuinitus hominibus reuelata, & ab ijs viua voce in poſteros tranſfuſa: abſque ſcripto authoris hagiographi*. Eiuſmodi traditio fuit remedium diuinitus inſtitutum contra peccatum originale, in lege naturæ, pro omnibus; & in Moſaica, pro femellis, & Gentilibus.

Hæc autẽ traditio diuina eſt duplex; vna *externa*, altera *interna*, pro modo reuelationis, exterius vel interius factæ: docente idipſum Concilio Tridentino ſeſſ.4. in decreto de canonicis libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus: *Quæ* inquit, *ab ipſius Chriſti ore, ab Apoſtolis accepta, aut ab ipſis Apoſtolis, Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus tradita, ad nos vſque peruenerunt*. Et infra ait ſe ſuſcipere, *Traditiones, tùm ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus à Chriſto, vel à Spiritu Sancto dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſeruatas*: ſic, *traditio diuina externa eſt fidei, vel ad religionem pertinens doctri-*

ctrina ore Christi Domini exterius reuelata Apostolis; & ab ijs, viua voce fidelibus transfusa absque scripto authoris hagiographi. Eiusmodi est doctrina de numero Sacramentorum, de materia forma, & ministro quorumdam illorum: de baptismo infantium; Quod matrimonium ratum, sed non consummatum dissoluatur per solemnem professionem religionis. *Traditio diuina interna est fidei doctrina, à Spiritu Sancto interius dictante Apostolis & ab ijs, viua voce transmissa fidelibus, absque scripto authoris Hagiographi*; eiusmodi est doctrina de perpetua Virginitate B. Mariæ: de inuocatione Sanctorū: de cultu Sacrarum imaginum.

Apostolica traditio, est obseruantia sacra, vel salutaris ab Apostolis primùm instituta, & viua voce transmissa fidelibus; ad ritus religiosos, moresve fidelium formandos. Sciendum quippè est Apostolos, duobus in Ecclesia officijs functos esse: vno præconum, pro ijs, quę à Christo, tam pro fide, quam pro moribus expresse mandata erant: altero verò Pastorum & Episcoporum; quomodo potestatem habebant ordinandi ea, quæ Ecclesiæ necessaria, aut vtilia iudicabant: priori modo traditiones ab ijs promulgatæ, diuinę appellantur externę, vel internæ pro modo reuelationis ipsis factę, vt statim explicuimus, quia non sunt propriè eorum, sed Christi Domini; & de illo debet intelligi, quod ait Apost. 1. Thessal. 2. *Quoniam cum accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non vt verbum hominum, sed (sicut est verè) verbum Dei*. Posteriori verò dicuntur Apostolicæ, quia ab ijs vt pastoribus potestatem habentibus manant, & in hoc genere, quantùm ad ritus, sunt pleræque cęremoniæ missæ & Sacramentorum; quantum ad mores, est obseruatio diei Dominicæ, ieiuniū Quadragesimæ, & quatuor temporum, aliaque similia.

Tandem *Traditio Ecclesiastica est obseruantia salutaris, quæ sensim obtinuit vim legis, vel spontaneæ consuetudinis*; Quatenus post Apostolorum tempora multa à Summis Pontificibus, sacrisque Concilijs sancita sunt, & Ecclesiæ tradita, vel per modum legis, vt obseruatio festorum, abstinentia à carnibus, ouis, lacticinijs &c. vel per modum spontaneæ consuetudinis laudabilis, V.g. vsus & mos formādæ crucis, aspersionis aquę benedictæ, cinerum &c. de quibus omnibus videri possunt fusius, Isidorus lib. de officijs, Micrologus, Rabbanus Maurus, Vualfridus, Berno, Rodulphus de Riuo, Amalarius Fortunatus, Alcuinus, Rupertus Abbas, Stephanus Heduensis, Guillelmus Durante in suo Rationali, Stephanus Durante de Ritibus Ecclesiasticis; & inter recentiores, Dominicus Grauina lib. 4. de sacris traditionibus. Interim colligo ex præfata diuisione, hæc duo non dici ad conuertentiam, nimirum Traditionem, & verbum Dei nō scriptum; & si enim omne verbum Dei non scriptum, quod extat in Ecclesia, debeat appellari traditio; attamen non omnis traditio est verbum Dei non scriptū, siquidem dantur Apostolicæ, & Ecclesiasticæ traditiones, quæ propriè non sunt verbum Dei, nec eiusdem authoritatis cum illo, vt dicetur infra.

Ratione etiam temporis, vel melius durationis, traditiones diuidi solent in perpetuas, & temporales; perpetuæ dicuntur, quæ in Ecclesia nulla authoritate creata mutari possunt: cuiusmodi sunt propriè loquendo solæ traditiones diuinæ; siue quas Apostolos edocuit Christus Dominus, tàm circa plura fidei mysteria, quàm circa Sacramentorum institutionem, vel tanquam de necessitate illorum essentiali, vt sunt materia, & forma, vel de necessitate solùm præcepti, vt mixtio aquæ cum vino in sacrificio missę: Cum enim hæc sint de iure diuino, respectu cuius se habet in Ecclesia quęcumque persona, in quauis etiam dignitate constituta, sicut persona priuata respectu publicę legis cui subijcitur; inde fit, quod sicut in lege humana nullus potest illam immutare, nisi qui legem condidit, eius namque est destituere, cuius est instituere, vel illius, cui commiserit;

ita in ijs quę diuina lege pręscripta sunt, cuiusmodi sunt Sacramentorum formę & materiæ, aliaque similia, nullus potest variare aliquid nisi Deus, vel is, cui ab eo specialiter committeretur talis facultas. Vndè si aliquando Apostoli baptismum in solius Christi nomine contulerunt, vt videtur insinuari Actor. cap. 8. mutata consequenter eius forma essentiali, qua in nomine Sanctissimę Trinitatis conferri debebat, id D. Thomas 3. p. quęst. 66. art. 6. ad 1. & alij Theologi docent fecisse, non propria authoritate, sed ex peculiari Christi Domini reuelatione & dispensatione, pro eo tempore, quo nomen ipsius celebrari quammaximè oportebat.

Temporales verò traditiones sunt, quæ siuè ad aliquod certum tempus, siuè absque vlla eius limitatione fuerint institutę, absolutè tamen mutari possunt. Huiusmodi sunt illæ, quæ ab Apostolis tantùm, pro vt erant Pręlati, & Pastores manarunt. Quemadmodum enim illi ad vtilitatem Ecclesiæ, circumstantijs temporum ac rerum omnibus consideratis multa instituere potuerunt, ita liberum esse debebat successoribus in pari authoritate illis æqualibus, in Concilio legitimo congregatis, vel soli summo Pontifici propter plenitudinē potestatis extra Concilium, eadem rationabili ex causa mutare, & alia quoque de nouo statuere: cum par in parem nōn habeat imperium, nec possit suis præceptis aut legibus ita eum astringere, vt aliquas nequeat abrogare. Atque ad hoc sanè genus multi ritus Ecclesiæ veteris pertinēt qui cùm maximo rigore prius obseruarentur, modo exoleuerunt, & non sunt amplius in vsu: vt communio Laicorum sub vtraque specie, & aliquando quidē omnium, quicumque sacrificio missæ interessent: vt etiam trina immersio in baptismo, quę multis in locis amplius non viget, licet antiquitus ad fidem Sanctissimæ Trinitatis firmius stabiliendam obseruaretur: vide D. Gregorium lib. 1. epist. 41. Vnde rectè Concilium Tridētinum dicit sess. 21. cap. 2. *Perpetuo fuisse in Ecclesia potestatem, vt in Sacramentorū dispensatione, salua illorum substantia posset ea statuere, vel mutare, quæ suscipientiū vtilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicaret.* Quæ tamen debent intelligi de pręfatis traditionibus, quantum ad earum praxim, nō autem quantum ad fidem attinent, rationemve credendorum; sic enim firmum, & in æternum stat Dei verbum, quod olim rectè fuerint institutæ, quodque fideles obligarint; vnde non veritatis, sed obseruationis ratio tantùm, cum tempore, & alijs circumstantijs est mutata.

Insuper ratione loci distinguuntur aliquando traditiones in Generales, siue vniuersales, & particulares: cum enim mortuis Apostolis, viri Apostolici, qui deinceps cathedris illorum successerunt, vel seorsim proprijs Ecclesijs, vel in Concilio congregati toti Ecclesiæ plures leges præscribere debuerint, pro conseruatione Ecclesiasticæ disciplinę, & solemni sacrorum administratione, quocirca in Psalmis dicitur, *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij*, Psal. 44. id est, vt ibi interpretatur D. Augustinus, *Patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis filij nati sunt, tibi constituti sunt Episcopi*; indè distinctio illa traditionum potissimum Apostolicarum, & Ecclesiasticarum in Generales, & particulares emersit. Generales sunt, quæ ad vniuersalem Ecclesiā referuntur, & quæ in vtraque Ecclesia, Orientali scilicet, & Occidentali obseruantur, vt aquæ benedictio, exorcismus, anniuersaria præcipuorum festorum obseruatio, &c. particulares verò, quæ in particulari quadam Ecclesia custodiuntur, vt ieiunium Sabbati, quod olim Romæ ex institutione D. Petri non alibi vigebat, vt Augustinus docet epist. 86. ad Casulanum; qui etiam hanc diuisionem insinuat epistola 118. ad Ianuarium, vbi insuper ait, ea quæ alicui loco propria sunt, esse liberæ obseruationis in alio loco; In vna enim fide, inquit S. Gregorius in epistola ad Leandrum nihil officit Ecclesiæ Sanctæ consuetudo diuersa:

sa: vt ostendetur infra lib.4. sect.2. c.29.

Vltimò ratione modi, earumdem traditionum, tùm Apostolicarum, tùm Ecclesiasticarum, aliæ sunt necessariæ, quæ in forma præcepti traduntur, vt celebratio Paschę Dominica, post decimāquartam lunam mensis Martij, licet enim ante definitionem Concilij Nicęni disceptatio de hac re esset licita, secus tamen post illam. Vnde Asiani, qui iuxta consuetudinem Hębreorum celebrandū Pascha voluerunt, nimirùm 14. luna primi mensis, quacumque die hebdomadę incideret, pertinaciter tali consuetudini adhęrentes hęretici Quartadecimani vocati sunt. Liberę autem sunt illæ, quæ in forma consilij tantùm pręscribuntur, vt aspersio aquę lustralis, seu benedictę, cum quis Ecclesiam ingreditur: hęc enim tantùm est de consilio, non de præcepto: dummodo ea animo hęretico, aut per contemptum non omittatur.

CAPVT VI.

Qua methodo, quibusve regulis, aut notis, praallata traditionum genera internosci possint.

SVpposita Sacrarum Traditionum existentia, quodque sub earū specie nonnulli hęretici olim falsas & occultas quasdam traditiones non scriptas adinuenerint; sicut etiā multi libros apocryphos pro canonicis venditare, nec non Canonicos ipsos corrumpere in suarum hęresum confirmationem non dubitarunt; omnes namque hęretici, inquit Cyrillus in quadam epistola, quę habetur in Concilio Chalcedonensi, de Scriptura diuinitus inspirata sui colligunt erroris occasiones; Nec periclitor dicere, ait ante ipsum Tertullianus de pręscript. cap.10. ipsas quoque Scripturas sic esse ex Dei voluntate dispositas, vt hęreticis materias subministrent, cum legā oportet hęreses esse, quę sine Scripturis (malè scilicet intellectis) esse non possunt. Pertinuit ad suauitatem diuinę prouidentię in sua gubernanda Ecclesia, quod vt in ea non defuerunt regulę vel notę, quibus libri Canonici, legitimique illorum sensus ab apocryphis, & falsis discernerentur; non deessent quoque suę, quibus verę ac legitimę traditiones ab illegitimis dignoscerentur, & insuper legitimæ inter se, vt sic vnicuique sua propria duntaxat tribueretur authoritas.

Pro cuius intelligentia notandum est primò, non eamdem ex Philosopho in omnibus certitudinem quęren iam esse, sed iuxta vniuscuiusque rei naturam, & conditionem, vt si res fuerint metaphysicæ, ad certam earum cognitionem requiratur, quod à prima potentia vsque ad vltimum actum, vel differentiam attingantur; si verò Physicę per suos naturales, ac necessarios effectus; si autem morales, per signa, & coniecturas, aliaue huiusmodi: in quarum numero, cum reponi debeant Sacrę Traditiones, manifestè sequitur circa eas, nec Metaphysicā, nec physicā certitudinē, vel methodū certam Metaphysicā, aut Physicam, assignari posse; sed quemadmodū in moralibus à signis, & coniecturis, certitudinē moralē, aut regulā moraliter duntaxat certā conficimus, ita in sacris traditionibus iuxta illarū exigentiā, non aliundè etiā, quam ex signis & coniecturis certas regulas elicere possumus, quibus traditiones legitimas ab illegitimis dignoscamus.

Secundò tamen obseruandum est, quod vt in naturalibus inferior mensura vel regula superiori subordinatur, & si deficiat ab illa dirigitur; ita quoque in pręsenti proposito licet aliquę traditionum regulę, ex signis & coniecturis à particularibus doctoribus confectę fuerint, & propterea non sint ex natura sua infallibiles, superaddita tamen superiori, & excedenti, eaque infallibili regulæ, Ecclesię videlicet doctrina, & praxi, quę talibus regulis vtitur, omnimodam indè certitudinem, & infallibilitatem habebunt; nunquam enim ijs regulis vtendo falsas traditiones, vel suppositias ad credendum proponet; sed quod ex sua natura fallibile erat relatum ad priuatas personas, in ordine ad vsum, & magiste-

gisterium Ecclesiæ, redditur infallibile quo ad nos.

Tertiò notandum est, ex alijs quoque capitibus præfatas regulas suam habere posse infallibilitatem; primò si cōtineantur in ipsis Scripturis; vt consensio, ad quam recurrit D. Paulus docens 1. Corinth. 11. mulierem velato debere orare capite dum ait; *Nos talem consuetudinem non habemus* (aliter scilicet faciendi) *neque Ecclesia Dei*: item Antiquitas 2. Timoth. 1. *Depositum custodi*; & cap. 3. *Prophanas vocum nouitates deuita*. Denique Vniuersitas Roman. c. 1. vbi agens de illorum fide ait, *quod annuntiaretur in vniuerso mundo*. Secundò ex Ecclesiæ authoritate, si enim ipsa semel aliquid, vt traditionem recipit, & eam, vt talem amplectendam fidelibus proponit, hac sola authoritate, stante eius infallibilitate, certa habebitur traditionis regula; & vt mox dicemus, nullum est inconueniens, vt quæ multas ex traditione controuersias dirimit, easdem esse veras traditiones definiat. Tertiò ex ipsamet traditione, quatenus illa cum istis regulis ad nos peruenit, primùmque Apostoli eas successores suos docuerūt, vt veras à falsis traditiones discernerēt; cuius argumentum euidens est, quod tunc in refellendis nouis hæreticorum figmentis, ijsdem vsi sunt regulis, quibus nunc etiam vtitur Ecclesia.

Quartò, cum propriè loquendo regulæ non sit regula, traditio autem sit regula fidei, aduertendum est, dùm inquiritur, an certæ dari possint regulæ illam agnoscendi, non procedere quæstionem de traditione secundùm se, sed tantùm quo ad nos; cum enim interdùm obscura nobis esse possit, vias, & methodos debemus habere, quibus inuestigetur, has autem methodos regulas appellamus, & ita regulæ, vt dixi, non datur regula, si quidem illis non metimur id quod est secundum se, sed cognitionem nostram solum dirigimus ad inueniendā regulam. Qua de causa etiam sufficit, quod huiusmodi regulę cognitionis nostræ directiuæ sint notiores quo ad nos; cuiusmodi sunt, tàm illę, quas ex signis & coniecturis à doctoribus particularibus efformatas fuisse diximus & statim referemus, quam quæ ex Scripturis, traditione, & Ecclesiæ authoritate habentur. Nec indè sequitur diuinum verbū traditum aliquam ab humanis sortiri authoritatem, vbi præsertim ad illud indagandum particularium doctorum regulis vteremur, sed solùm quod ab illis tāquam notioribus respectu nostri dependeat, in sui inuestigatione, & manifestatione, id, quod nescimus, vel dubitamus an fuerit, vel non diuinitus traditum, vbi de illo in Ecclesia oritur quęstio, vel controuersia. His prænotatis.

Primum dico, dari aliquem in Ecclesia modum, seu regulas quo ad nos, penes quas legitimæ traditiones certo dignosci possint ab illegitimis: adeò vt legitimæ sint illæ, quibus omnes, vel saltem aliquæ ex regulis mox adducendis competunt. Quod tamen vltimum disiunctiuum, non est ita intelligendum, quasi velimus aliquas esse traditiones, quibus vna vel altera tantùm eiusmodi regularū conueniat (singulis enim conueniunt ferè omnes) sed tantùm intendimus, quamlibet earum regularum esse per se sufficientem ad traditionem legitimam cognoscendam: Quo fit, vt eò certiores sint Ecclesiæ traditiones, quod ex illis regulis fere omnibus sint compertæ. Quod magis adhuc explicabitur in fine huius capitis.

Conclusio interim sic explicata probatur primò ex Actis Apostol. cap. 15. vbi Apostoli & seniores volentes ex traditione definire legalia non esse obseruanda, suo satis exemplo docuere eam esse indagandam ex maiorum consensu; atque adeo quamcumque aliam pariter traditionem, tanquam ex nota, vel regula sufficienti, orta semel in Ecclesia aliqua difficultate per traditionem componenda. Secundò quia pertinuit ad suauitatem diuinæ prouidentiæ, supposito quod Ecclesiam suam tam scriptis, quam non scriptis institutionibus regi voluerit, vt in ea essent aliquæ regulæ

vel

vel notæ, quibus veræ à falsis discernerentur. Tertio probatur veluti ex ipso facto. Constat enim infallibiliter Ecclesiæ Catholicæ de vna saltem traditione legitima, illa scilicet, quæ est de canone librorum sacrorum, vt dictum est supra cap.2. Ergo id similiter etiam constare poterit, de alijs. Consequentia probatur, tum quia eędem vię, & regulę suppetūt ad omnes ęquè cognoscendas; Vndè traditio semel nota, regulas etiam exhibet notas, quibus alię traditiones nondum notę cognosci possint: Tum quia si Ecclesia infallibilis est in vna traditione per tales regulas dignoscenda, erit etiam infallibilis in cęteris, vt satis ex se constat, cum eadem omnes fide, & authoritate ab illa proponantur.

Dico secundò, non deesse quoque certam rationem, qua particulatim ipsę etiam Traditiones diuinę, à purè Apostolicis & Ecclesiasticis discernātur. Prima est Ecclesiæ authoritas; quidquid enim illa tanquàm fidei dogma amplectitur, si in sacris litteris non extet, vel ex ijs euidenter deduci non possit, certum est esse ex traditione diuina, siuè à Christo emanata, ab Apostolis tamen tanquam eius pręconibus ad successores suos, & inde ad nos transmissa. Quæ ratio, vel regula duo supponit in subsequentibus sectionibus probanda: prius Ecclesiam non posse errare in fide, cum sit firmamentum, & columna veritatis 1. Timoth.3. & portæ inferi, quæ sunt portæ infidelitatis, aduersus eam nunquam possint pręualere: posterius, quod Ecclesia non ducatur, aut gubernetur nouis reuelationibus, sed solum veteribus à Christo emanatis, deinde per Apostolos illi propositis. Ex his enim duobus manifestè sequitur omnia illa, quæ extra Scripturam fide eredenda tenet, & docet, esse ex traditione diuina, nam si ab illa non essent, vel ipsa Ecclesia sine dubio erraret, proponendo vt quid de fide, quod ad illam non pertineret, vel nouos fidei articulos nequaquam à Christo Domino traditos, fidelibus obtruderet; quæ duo cum sint falsissima, sequitur vt dicebamus euidenter, esse ex traditione diuina, quidquid vniuersa Ecclesia tanquàm fidei dogma amplectitur extra sacram Scripturam: si quidem omnia ad fidē pertinentia verbo Dei, vel scripto, vel tradito, necessariò comprehenduntur. Huius generis sunt, numerus librorum Canonicorum, verus ac germanus illorum sensus, septenarius Sacramentorum numerus, perpetua matris Dei Virginitas, & alia similia.

Vndè quemadmodum Ecclesia iudicat de Scriptura, quatenus nempè decernit, quęnam sit sacra, & canonica, & tamen ipsa quando aliquid definit, aut iudicat, solet Scripturam, vnà cum alijs fidei regulis, ad rectè definiendum attendere & consulere: sic etiam, licet de multis ex traditione soleat ferre iudiciū, potest adhuc de eadem iudicare, an sit diuina. Similiter, quod Ecclesia iudicetur, atque demonstretur per traditionem, sicut & per Scripturam; non obstat, quin de ijs duobus possit, ac debeat iudicare: hoc enim est proprium eorum quæ à Deo sunt, vt de se mutuo ferre possint iudicium, vel testimonium, sicut D. Ioannes & Christus Dominus se inuicem commendarunt: quocirca, cum Ecclesia, Scriptura & traditio sint oracula quędam diuina, non est mirum, si se inuicē demonstrent, & afficiant. Quoniā in omnibus illis, Deus est, qui principaliter loquitur & iudicat.

Altera regula, est concors Patrum sententia docentium aliquid tanquam ex fide certum, quod alioquin in Scriptura particulatim non reperitur, neque ex illa euidenter infertur. Quæ regula non solùm debet intelligi de vnanimi Patrum consensu in Concilio Generali, quatenus vt dicemus infra Concilia Generalia nequeunt errare, ideoque si aliquid tanquam diuinitus traditum definiant, incunctanter ab omnibus vt tale credendum est; Verum etiam se extendit ad ipsos Patres seorsim scribentes; etsi enim, quandò ita scribunt, eam Spiritus Sancti assistentiam non habeant,

quã gaudent in Concilio vna cum Papa cōgregati; nihilominus vbi videmus eos diuersis locis, ac temporibus scribentes, in aliquid tanquàm diuinitus traditum conuenire, argumento est, Ecclesiā vniuersalem ita sentire; cū autem ipsa, quomodocumque considerata, siue in cōcilio, siuè extra illud tota errare nequeat, inde quoque fatendum est diuinitus traditū esse, quod ita se habere docet vnanimis Patrum sententia. Ad quod tamen non requiritur, vt omnes quotquot sunt Patres idē teneant: sed sufficit quod nulli eorum id negent, & quod alij graues, multęque in Ecclesia authoritatis asserant: tunc enim illa esse omnium sententia non temere dici potest, nam quādò in re graui aliquis veterum errauit, multi semper fuerunt, qui contradixerunt. Huius generis sunt, veneratio, siue cultus sacrarum imaginum, inuocatio Sanctorum, & alia similia: de primo videndum est Concilium Nicęnum II. generale, act. vltima.

Tertia regula dignoscendi traditionem diuinam, à pure Apostolica & Ecclesiastica, est vnanimis cōsensus & vsus fidelium; quando scilicet vbique locorum ab illis seruatur, quod nullus alius potuit constituere, quam Christus solus, si istud in Scriptura non extet, necesse est illud à Christo Domino fuisse constitutum, & ipsi Ecclesiæ traditum; huiusmodi sunt potissimum materia & forma plurium Sacramentorum; Baptisma paruulorum antè vsum rationis; vt docet Augustinus lib. 10. de Genesi cap. 23. *Consuetudo*, inquit, *Matris Ecclesiæ in baptizandis paruulis nequaquam spernenda est, neque vllo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset traditio*. Quo loco Apostolicam traditionem cum diuina confundit, vt sępius alias contingit, quatenus omnes traditiones diuinæ ita à Christo emanarunt, vt tamen ab Apostolis tanquam eius præconibus fuerint Ecclesiæ consignatæ. Quòd item baptismus hęreticorum, dummodo materiam, & formam à Christo institutam cum debita intentione seruent, validus sit, nec vllo modo iterandus, è traditione similiter diuina profectum est. Huius autem regulæ eadem est ratio cum præcedenti, nimirum infallibilitas Ecclesiæ, quæ sicut errare non potest in credendo, ita nec in operando; præcipuè quandò ex errore in operatione sequeretur error in fide: erraret autem turpissimè in operando, si quæ non potest ritè, & legitimè absque institutione diuina seruare, obseruaret: immo etiam in fide ipsa deficeret, quia paruulos baptizando v. g. absque institutione diuina, videretur sētire se posse authoritate propria aliquid in ijs exercere, quod ex opere operato remitteret peccatum originale, qui sine dubio esset error in fide grauissimus. Igitur constans est hęc tertia regula, nempè diuinitus traditum esse, si quid extra Scripturam, circa fidem aut religionē in Ecclesia credatur vel obseruetur, quod excellentius sit, quàm vt humana solùm authoritate cōstitui potuerit, siue, quod nullus alius potuit constituere, quam Deus solus. Vndè etiam ad hanc regulam refertur potestas dispensandi in votis, & iuramentis in Ecclesia vsitata, itemque diremptio matrimonij rati, non consummati per solemne religionis votum: quia cum hęc iure diuino obligēt, debuit Christus per Apostolos talem potestatem Ecclesiæ relinquere: ideòque cùm non contineatur in sacris Scripturis, debet esse ex traditione diuina.

Dico tertio, dari etiam in Ecclesia regulas, quibus traditiones purè Apostolicæ distinguantur ab Ecclesiasticis: dixi, purè Apostolicæ, quia non est hic sermo, de traditionibus Apostolicis secundum quod coincidunt cum diuinis, dicūturque Apostolicæ tantùm, iuxta modum loquendi interdùm, aliquorum Sanctorum Patrū, quia à Christo Domino per Apostolos ad Ecclesiā dimanarunt, sed loquimur de illis, quas ipsi Apostoli, tanquam Ecclesiæ Pastores propria authoritate constituerunt, Spiritu nihilominus Sancto suggerente. Ad has ergo dignoscendas primùm valent


sent regulæ superius adductæ desumptę ex infallibili Ecclesiæ authoritate, vnanimique & concordi Patrum consensu; si enim docent, vel proponunt aliquam traditionem esse purè Apostolicam, à diuina scilicet, atque Ecclesiastica distinctam, pro tali dumtaxat habenda est. Altera regula est illa, quā tradit D. Augustinus lib. 4. contra Donatistas cap. 24. Quicquid vniuersa tenet Ecclesia, & cuius initium, vel à Romano Pontifice, vel à Concilio quodam Vniuersali deduci non potest, si hoc non extet in Scriptura, tanquàm traditio Apostolica est recipiendum: etiam si tale sit, vt ab Ecclesia potuerit institui. Huiusmodi sunt, ieiunij quadragesimalis, & quatuor temporum obseruatio, nec non diei Dominicæ; consecratio Virginum Deo votarum, Monastica professio, Cereorum, & luminarum in diuini officij celebratione accensio; aliaque similia, inter quæ aliqui etiam annumerant quatuor minores ordines, quatenus putant illos non esse vera Sacramenta; verùm cum opinio contraria sit longè probabilior, dicendum est hanc traditionem esse diuinam iuxta regulam tertiam in secūda conclusione allatam, vocarique tantùm posse Apostolicam, pro vt modo sæpius dicto, Apostolica traditio, cum diuina interdùm confunditur.

Tertia regula est Sancti Irenęi lib. 3. cap. 3. quæ ferè coincidit cùm præcedenti; nempè illud etiam ab Apostolis deriuari, quod in Ecclesijs, vbi continuata successio ab Apostolis inuiolabiliter custoditur, semper fuit obseruatum, si hoc non extet in Scriptura, etiam si tale sit, quod ab eorum in dictis Ecclesijs successoribus institui potuerit: ita, vt, si videamus aliquid in aliqua Ecclesia ab Apostolis fundata obseruari, & non possit ostendi Episcopus in ea successor, qui illud instituerit, argumento sit, illud suam à traditione Apostolica originem sumpsisse. Et quidem, cum olim dicta successio non interrupta reperiretur non solum Romæ, sed etiam Antiochiæ, Hierosolymæ, Alexandriæ, Ephesi, Corinthi, & alibi, si tunc de re aliqua, an esset traditionis Apostolicæ, dubium ortum fuisset, consulendæ erant illarum Ecclesiarū obseruantiæ vel consuetudo; sicut legimus Theodosium L. cunctos populos c. de summa Trinitate & fide Catholica iussisse omnes seruare eam fidem, quam prædicabant eo tempore Damasus Romæ, & Petrus Alexandriæ duo Pontifices præcipuarum Apostolicarum Ecclesiarum: Verum quia iam in omnibus præfatis Ecclesijs Orientalibus perijt successio, propter Schisma, & hæresim, & conseruata est duntaxat in Ecclesia Romana: ideo tàm in dubijs circa traditiones Apostolicas, quam in alijs ad fidem & religionem pertinentibus ad eam, tanquam ad sacram anchoram nobis est confugiendū: de quo vide Tertullianum lib. de præscript. cap. 2. & D. August. lib. 1. contra Iulian.

Quartò, & vltimò dico, traditiones Ecclesiasticas in hoc dignosci, præsertim si sint vniuersales, quod vel ab aliquo Summo Pontifice, vel ab aliquo Concilio Generali primum sancitæ fuerint. Huiusmodi fuit institutio ieiunij à Telesphoro facta, non quadragesimalis, vt Sectarij mendaciter asserunt, illud enim Hieronymus in epistola ad Marcellam, alijque Patres ad Apostolos referunt, sed solùm quod Clerici, vt pote maiori perfectioni adstricti septem hebdomadum à carnibus ieiunium obseruarent, vt in hóc à Laicis differrent: ex quo satis colligitur eos prius vniformiter seruasse ieiuniū quadragesimale, tanquàm quid ab Apostolis ad exemplum Christi, primùm in Ecclesia institutum. Ita quoque Syluester dicitur sanxisse, quod Presbyter Chrismate linire deberet sūmum Baptizati verticem. Vnde patet hanc institutionem, multum distingui ab illa, cuius meminit Clemens epist. 3. ad omnes fideles & lib. recognit. vbi ex traditione Apostolica sacro Chrismate catechumeni siue baptizandi prius illiniri debebant, quocirca ex eadem etiam traditione oleū pro Catechumenis con-

secratur. Sic, cum summa & præcipua Canonis missæ pars, sit ex Apostolica traditione, vt docet Vigilius Papa epist. 2. cap. 5. sublatis tamen verbis consecrationis, quæ sunt à Christo Domino, eidem postea plures Summi Pôtifices aliquid addiderunt. Et ita de alijs, quæ in Summorum Pontificum, Conciliorumque Oecumenicorum decretis passim occurrunt, de quibus consuli etiam possunt authores superiori capite relati.

Superest iam vt breuiter explicemus an ad traditionem indagandam, vel probandam satis sit vna ex præallegatis regulis, an verò omnes simul desiderẽtur. Pro cuius intelligentia notandum est, multa quidem esse à parte rei essentialiter ad inuicem connexa, quæ tamen non semper positiuè simul cognoscuntur, vt patet in scientijs subalternis, vbi mediata earum principia sunt essentialiter cõnexa, cum immediatis, quæ tamen illis non sunt positiuè nota, sed superiori solùm scientiæ, vel scientifico. Eodem quoque modo dici potest, tres illas regulas ex antiquitate, Vniuersitate, & cõsensione desumptas, esse quidem inseparabiliter coniunctas ad inuestigandam traditionem; vniuersalitas enim ratione cuius fides nostra dicitur Catholica, & vniuersalis, non tantum respicit loca, sed tempus & personas, vt optimè docet Lirinensis. Attamen respectu nostræ cognitionis, non semper apparet euidẽter positiuè talis connexio, exempli gratia, antiquitatis & consensionis; plerumque enim primæ ætatis Patres, de aliquo dogmate mentionem non faciunt, vel quia, vt ait Augustinus lib. de prædest. SS. cap. 14. nulla de illo orta erat tunc quæstio, vel ob alias etiam causas, vnde positiuè non possumus ostendere euidẽter tale dogma ex traditione ratione antiquitatis descendere, sed tantùm negatiuè, hoc est, ex negatione initij illius dogmatis, sub aliquo posteriore Pontifice, vel Concilio; sic enim sufficienter arguitur, illud non aliundè, quam ex antiqua doctrina suam originem sumere; quodque præsens Ecclesiæ consensus, cuius initium non reperitur, necessariũ cum antiqua traditione nexum habeat, tanquam principiatum cum suo principio, & riuus cum fonte, vt vtar similitudine D. Cypriani in epist. ad Pompeiũ; quantumuis illius monumenta non appareant, propter primæ ætatis Patrum rationabile silentium. Quod adhuc magis verum esset, vbi apud posteriores patres, qui primùm de aliquo dogmate, vel doctrina in suis libris mentionem facere inciperent, fieret tanquam de re non tunc, aut nouiter instituta, sed omnium hominum memoria antiquiore. Quocirca, licet plura sint, quæ ostendi possunt, semper in Ecclesia viguisse, ac proinde ab Apostolica, vel diuina traditione deriuata fuisse secundum subiectam materiam, non tamen antiquitas, siue vniuersalitas temporis ponitur vt causalis traditionis, quasi nimirum aliqua sint tradita, quia videmus illa semper fuisse in Ecclesia obseruata; sed tantummodo se habet vt signum, aut quid concomitans rei traditæ; vnde Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 29. pro eius diuinitate; Augustinus verò lib. 1. contra Donatistas cap. 23. contra eorum Anabaptismum, nullo temporis habito respectu, ad solam consensionis, & vniuersitatis notam recursum habuerunt. *Consuetudo illa*, inquit Augustinus, nempe de hæreticis nõ rebaptizandis, *quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est. Sicut sunt multa, quæ vniuersa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta benè creduntur, quanquam scripta non reperiantur.* Vbi pro causali non ponitur antiquitas, sed sola præsentis Ecclesiæ obseruatio, vel vsus; cuius vbi initium non reperitur, rectè ab Apostolis descendisse posteà concluditur, vt diximus.



CA-

CAPVT VII.

Quanta sit sacrarum Traditionum authoritas.

RElictis tàm veteris, quàm mediæ, & præsentis ætatis hęreticis, qui, vt vidimus, cane peius & angue sacras traditiones oderunt,& consequenter earumdem authoritatem negarunt: in pręsenti capite nobis est potissimùm sermo & controuersia cum Sectarijs nostri tēporis, qui insuper multa in hac re falsa Catholicis affingere non erubescunt. Primò enim vt inuidiā eis concilient, aiunt illos docere, Scripturam, sine traditionibus humanis insufficientē esse ac imperfectam. Secundò aiunt nos docere, quod per traditiones humanas promereamur gratiam iustificationis & remissionem peccatorū: quodque huiusmodi traditiones agnoscamus pro nostro mediatore & iustificatore. Ita Philippus Melanchthon in apologia confessionis Augustanæ cap. 15. de tradit. Tertio asserunt, nos docere, quod omnes nostræ traditiones sint Apostolicæ. Ita Caluinus lib. 4. institut. cap. 18. §. 19. *Romanenses*, inquit, *magistri extorquere volūt, vt nulla sit apud eos ceremonia, quæ non pro Apostolica censeatur.* Quartò cōmune est ijsdem sic agere, quasi ipsi Scripturas tantùm, Catholici autem traditiones tantùm defendant, neque curent an traditiones sint secundū Scripturas, an contra; sed horum omnium, & aliorum similium, quæ me pudet referre, vanitas & falsitas sufficiēter demonstrabitur stabiliendo sequentes conclusiones, omissis conuitijs, nec enim nostrum est reddere mala pro malis, sed veritatem Catholicam pro viribus defendere. Vnde sit.

Assertio I. Traditiones diuinæ, quas videlicet Apostoli tanquàm à Christo acceptas Ecclesiæ consignarunt, sunt infallibilis authoritatis, ad Catholicam ac veram fidei, religionisque doctrinam comprobandam, & confirmandam. In hac assertione conueniunt omnes Catholici; suppositisque superius dictis, tàm circa existentiam, quàm circa naturam diuinarum traditionum, facile demonstratur. Primò, quia si agatur de dogmatibus fidei, non ideò aliquid est credendum, quia scriptum, sed quia diuinitus reuelatum, siue scriptum sit, siue non: si verò de his quæ ad mores, aut Sacramentorum ritus pertinent sermo sit, non ideo præcepta illa morum, & rituum in agendo obligant, quia sunt scripta, sed quia à legitima authoritate, nēpe Christi Domini profecta sunt: scriptum enim, vel non scriptum se habent quodammodo per accidens ad omnia supradicta, satisque est, ea esse à Deo reuelata, quocumque modo reuelatio illa nobis constet, vt certam, & indubitatam fidem faciant: sed, vt probauimus supra, Traditiones diuinæ, sunt verū Dei verbum, doctrinam proindè diuinitus reuelatam continentes; Igitur sunt infallibilis authoritatis, ad Catholicā ac veram fidei, religionisque disciplinam, tàm in credendis, quàm in agendis comprobandam, & confirmandā. Secundò probatur, quia vt vidimus etiam supra, veteres hæreticorum errores, non secus ex traditione diuina, quam ex Scriptura refutati sunt à Sanctis Patribus; imo deficiente interdum in aliquibus Scripturarū patrocinio, sola traditione vsi sunt: non alia profecto ratione, nisi quia Traditio diuina non minus est verbum Dei, quam sacra Scriptura; quemadmodum ergo istius, ita & illius authoritas subministrat nobis certissima, & infallibilia argumenta, ad fidei Catholicæ dogmata sacrosancta, mores & ritus, vbi opus est, firmanda ac roboranda.

Assertio II. Traditiones diuinę, seu verbum Dei non scriptum, sunt eiusdem authoritatis cum verbo Dei scripto. In hac pariter conclusione tanquam de fide concordant omnes Catholici, nullamque patitur difficultatem, semel admissa diuinarum Traditionū existentia, neque hoc propriè vlli hæretici negauerunt. Intelligunt enim doctrinam sacram, vel

diui-

diuinitus reuelatam infallibilem esse, nō quia litteris, & atramento expressa est, sed hoc ipso, quod est diuina, siue litteris, siue viua voce declaretur. Sed controuersia omnis est, vt notauimus supra, vtrum aliqua eiusmodi dogmata viua voce tradita fuerint sine scripto; cuius partem affirmatiuam cum demonstrauerimus, consequenter ad hoc statim dicimus illa in Ecclesia suppeditare ad fidei controuersias finiendas argumentum infallibile, nunc autem asserimus eiusdem penitus cum Sacra Scriptura authoritatis esse. Quia tam illa, quàm ista sunt æqualiter verum Dei verbū; distinguuntur que solùm accidentaliter, quod vnum non sit scriptum, sed viua duntaxat voce traditum, alterum verò sit scriptum, litterisve consignatum; igitur si inter se comparentur in ratione credibilis, sunt etiam eiusdem omninò authoritatis; verbum enim Dei suam non à charta, vel à viua voce authoritatem accipit, sed ex eo quod à Deo profectum sit. Quamobrem Basilius lib. de spiritu Sancto c. 27. docet, *vtraque dogmata scripta, & non scripta, eamdem ad pietatem vim habere, nec his quemquam contradicere, quisquis vel tenuitèr expertus est, quæ sint iura Ecclesiastica*: & Chrisostomus homil. 4. in 2. ad Thessalonicenses, cum dixisset Apostolos multa sine litteris tradidisse subiungit: *Eadem verò fide digna sunt, tam illa, quam ista: traditio est, nihil quæras amplius.*

Dixi statim, si diuinæ traditiones & Scripturæ considerentur in esse credibilis, esse quidem inter se eiusdem authoritatis; nam si considerentur veluti in esse entis, eadem ratione, qua licet singula obiecta materialia fidei supernaturalis, quæcumque illa sint, & cuiuscumque conditionis, siue necessaria, siue contingentia æquè pertinent ad fidem in esse credibilis, æqualique certitudine & firmitate credenda sunt, quia æquè participant rationem eius formalem, seu motiuum credendi; vt dicemus 22. in tractatu de fide; attamen si considerentur in esse entis, non eamdem omnia perfectionem habent; ita quoque discurrendum puto de sacris traditionibus, & Scripturis inter se collatis; si enim sumeretur leuissima aliqua traditio diuina, vt ex hypothesi signum crucis dextra manu esse faciendum, certè ea in esse entis cum toto Scripturæ corpore, vel grauissima aliqua eius veritate in authoritate vel necessitate comparari non posset, vt satis ex se constat; ideoque vt legitima sit comparatio totum corpus traditionum, cum toto Scripturæ corpore, aut graues & notabiles Traditionum diuinarum species, cum specialibus quibusdam Scripturæ partibus, tam in esse credibilis, quam in esse entis conferri debent: & leues cū his quæ sunt tantùm leuia in Scriptura: vt quod Tobias canē habuerit in sua peregrinatione comitem & alia similia.

Rursus quemadmodum attento fine fidei, qui nihil est aliud, quam cognitio & amor Dei, vt est finis supernaturalis, non omnia etiam in Scripturæ corpore contēta sunt eiusdem necessitatis & perfectionis; imò plurima sunt, quæ ex se non pertinent ad fidem, id est, quæ non ideo scripta sunt, quia necessariò credenda erant, sed necessariò creduntur, quia scripta sunt, vt patet de multis historijs, de salutationibus Pauli in epistolis, alijsque id genus rebus; in hoc etiam rectissimè traditiones diuinę ęquari possunt, ac debent Scripturis. Vndè sicut in Scripturis quædam sunt magna præcepta; vt diligere Deum & proximum; quædam minora, vt non dicere verbum otiosū, quæ attento fine fidei non æquè obligant ad obseruationem; & tamen æquè obligant ad fidem, & venerationē; non enim minus est hæreticus, qui non credit, aut veneratur Scripturam illam, quæ docet, *De omni verbo otioso reddendam esse rationem in die iudicij*; quàm qui non credit, aut veneratur illam dicentem: *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. ita etiam in Traditionibus, quædam sunt maiora, & quædam minora quo ad obligationem agendi, & tamen omnia ęquè obligant ad fidem & venerationē.

Et

Et eodem modo, quædam sunt traditiones maiores, quo ad obligationem, quã quædam Scripturę, quædam minores, quædam æquales: cum tamen omnes traditiones & omnes Scripturæ in esse credibilis, siue quantum ad fidem, & venerationem illis debitam sint æqualis authoritatis, cum, vt supponimus proficiscantur ab eodem auctore Deo, & veniant ad nos per manus eiusdem Ecclesiæ Catholicæ, quæ est Christi sponsa, mater nostra.

Assertio III. Traditiones diuinæ sunt aliqualiter quo ad nos maioris authoritatis, quam Sacræ Scripturæ. I. Quia licet diuinę Scripturæ, diuinarum quoque traditionum veritati testimonium perhibeant, ob multa loca in illis contenta, quibus passim commendantur, nihilominus tamen, cum traditiones diuinæ sint aliquo modo causa cur Scripturę recipiantur, fundenturque in illis iudiciũ, & magisterium Ecclesię nobis eas proponentis, ad quod ait D. Augustinus 2. contra epistolam fundamenti, *Euangelio non crederem, nisi Ecclesiæ Catholicæ me commoueret authoritas*: indè manifestè sequitur Traditiones diuinas non sua quidem natura; sed tantùm quo ad nos maioris esse authoritatis, quàm Sacras Scripturas. Id enim quod est causa cur aliquid recipiatur, & authoritatem apud homines habeat, debet esse modo dicto maioris authoritatis iuxta illud, *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*.

Secundò diuinarum Scripturarum authoritas non tàm ex cortice, seu ex verbis & characteribus, quam ex legitimo illarum sensu, qui est intentus à Spiritu Sancto dependet: at sine traditionibus non potest nobis de tali sensu constare: in illo quippè eruendo tota similiter Ecclesia illis nititur: semper enim Patres & Concilia pro dogmatibus confirmandis, aut sensu Scripturarum adducendo, fatentur se ita à maioribus accepisse, vel suos maiores ita sensisse: igitur quo ad nos traditio maioris esse videtur authoritatis, quam Scriptura: licet ambæ sint in ea, suaptè natura pares & ęquales, vt diximus superiori conclusione; quia vtraque à Deo prouenit, & nihil interest ad rationem authoritatis, quo pacto aliquid à Deo reueletur, siue scripto, siue viuæ vocis oraculo.

Assertio IV. Traditiones diuinæ nõ tantæ sunt authoritatis, vt possint esse supremus Iudex controuersiarum fidei. Pro explicatione recolo dicta lib. 2. huius operis sectione sexta, videlicet distinguendum esse inter Iudicem, & normam siue regulam ex qua finiri ac decidi debent controuersiæ fidei. Iudicem enim vocamus, qui fert sententiam inter partes litigantes, ideoque habet cõditiones ibi explicatas; normam verò siue regulam appellamus id omne, secundum quod fertur sententia à Iudice. Posita hac distinctione, dicimus in præsenti assertione, diuinas traditiones non esse supremum Iudicem controuersiarum fidei; quasi illas sua authoritate componere ac terminare possint; quod probãt omnia argumenta loco statim adducto facta, præsertim capite 8. vbi ostendimus in eodem quoque sensu Scripturam sacram non esse supremum Iudicem cõtrouersiarum, quæ oriuntur inter Christianos circa fidem & religionem, sed solam Ecclesiam.

Assertio V. Tam Scriptura, quàm traditiones diuinæ simul sumptę sunt adæquata fidei regula & norma. In hac veritate tanquã de fide conueniunt omnes Catholici; pro cuius intelligentia notandum est, adęquatam fidei regulam duobus modis sumi posse, primò in suo genere, secundò absolutè, ita vt quæcũque fidelibus credenda, & agenda veniunt, in ea euidenter & expressè contineantur. Assertio non solùm procedit in primo sensu, quo etiam Scripturis & traditionibus seorsim sumptis conuenire potest ratio regulæ adæquatæ, in suo nimirum genere, sed in secundo potissimũ intelligenda est. Ratio est, quia solum Dei verbum, doctrinave diuinitus reuelata, sine dubio est adæquata regula vel norma fidei, secundùm quam in rebus ad illam spectantibus, supremus contro-

uer-

uersiarum Iudex tàm circa credenda, quam circa agenda definitiuam pronuntiare debet sententiam; sed verbum Dei, siue doctrina diuinitus reuelata adęquatè comprehenditur in diuinis traditionibus ac Scripturis, ita vt extra illas nihil nobis de nouo credendum proponi possit; igitur dicendum est eas adæquatam esse fidei regulam ac normam, si simul, vt supponimus, sumantur, iuxta quam Ecclesia, quæ sola est supremus controuersiarum iudex, debet vltimam in illis sententiam ferre, nobisque credenda proponere; vel per suam fidei professionem, si spectetur, vt est toto orbe diffusa; vel definitiuè per Summum Pontificem Romanum, qui est supremum Ecclesiæ caput, & pastor: vel denique per Concilia à Pontifice approbata, quæ repræsentant Ecclesiam; vt in sequentibus sectionibus fusiùs explicabimus.

Assertio VI. tàm traditiones Apostolicæ, quas videlicet Apostoli, vt Pastores & Prælati sanciuerunt, quàm Ecclesiasticæ longè post eorum tempora, à Summis Pontificibus Romanis, vel à Concilijs Generalibus conditæ, habent quidem in rebus tam ad fidem, quam ad cæremonias pertinentibus firmissimam, & inconcussam authoritatē, non tamen fidei, quasi nimirum res ab illis sancitæ sint de fide. Ex hac assertione, in qua conueniunt omnes Theologi, facilè refelluntur sectariorum mendacia in principio huius capitis adducta; euidenterque apparet quomodo iuxta sacrarum traditionum varietatem, diuersam quoque illis authoritatē attribuunt Catholici. Probatur Assertio, quia licet ex dicendis infra sit certum, quod in condendis legibus ad religionem spectantibus, Ecclesia non possit errare saltem in eo, quod pertinet ad substantiam, & moralitatem legis, quam communiter proponit quasi regulam sequendam, in virtute illius propositionis fidei vniuersalis, quod quæcumque dicuntur ab Ecclesia ex cathedra sunt seruanda & facienda; & quia non potest deficere sanctitas Ecclesiæ, & consequenter neque rectitudo moralis, quæ ex lege pendent; quod tamen accideret, si Ecclesia errare posset, ita vt aliquid perniciosum, aut contra bonos mores, vel ius naturale, aut diuinum permitteret, aut præciperet. Attamen non potest definire, aut sancire aliquid de fide nisi contentum sit in Scriptura, aut Traditionibus, quia nec Ecclesia, nec Summus Pontifex supremum eius caput, nec etiam Concilia generalia possunt cōdere nouam fidem, nec nouæ reuelationes illis fiunt, sed solùm ea, quæ in fide contenta sunt explicare, & quæ secundum se sunt de fide, quo ad nos proponere; & ideò est regula certa, quod ea quæ non deducuntur ex Scriptura, aut traditione diuina non sunt definibilia de fide, & hoc est quasi certum signum aut argumentum ad dignoscendum an aliqua materia definiatur tanquam de fide, vel non, scilicet si definitur vt deducta ex Scriptura, aut traditione, vel non, vt fusius suo loco dicetur.

Igitur quamuis attenta Ecclesiæ infallibilitate ac potestate, leges traditionesve ab ea sancitæ quantùm ad veritatem robur habeant firmissimum, inconcussamque authoritatem, & tamdiu etiā à fidelibus inuiolabiliter obseruari debeant, quamdiu reuocatæ non fuerint sub pœna peccati mortalis attenta grauitate materię, & boni communis, quod lex respicit; nunquam tamen ad tantam authoritatem peruenire possunt, vt fidei firmitatem obtineant: sed indirectè solùm vel reductiuè ad illā pertinent, quatenus ob infallibilitatis priuilegium secundum fidem Ecclesiæ à Christo cęlesti eius sponso concessum, credimus in rebus ab ea statutis, siue ad tempus, siue in perpetuum, nihil esse contra fidem, imò omnia esse illi admodum consentanea; aliud autem est, aliquid esse de fide, & aliquid non esse contra fidem, seu verum, aut bonum.

Vnde notandum est primò, non esse eamdem rationem gubernationis Ecclesiasticæ, & veritatis alicuius per illam propositæ, gubernatio quippè variari solet,

let, atque adeò leges vel traditiones ad illam ordinatæ, pro ratione varia temporis & circumstantiarum mutari etiam possunt: at verò veritas earum, tametsi hoc modo temporales essent, & obseruari desinerent; tamen quia, quod per illas repræsentabatur, & in cuius finem referebatur, verum erat, & rectum, fit, vt hoc modo spectatæ traditiones Apostolicæ, & Ecclesiasticæ dici debeant immutabiles, & ad veritatem fidei immutabilem reductiuè pertinere, modo statim dicto.

Secundò obseruandum est, non ideò leges, vel traditiones ab Ecclesia sancitas, sub pœna hæresis vniuersos fideles interdum obligare, vel quia pertineat ad illam res de fide facere, & consequenter esset hæreticus, qui hoc negaret; vel quia dictis etiam legibus incunctanter non obediret, sed tantùm vbi hoc vltimum animo hæretico, aut per contemptum fieret; viderentur enim sentire cũ hæreticis, qui in rebus ad religionem pertinentibus negant Ecclesiæ indefectibilitatem, nec non potestatẽ condendi leges, & obligandi in conscientia fideles ad illarum obseruantiam. Tantùm sit modo de sacris Traditionibus pro earum defensione aduersus sectarios, ad maiorem Dei omnipotentis laudem & gloriam, Virginisque Matris Mariæ, & omnium Sanctorum, Amen.



INDEX ALPHABETICVS

Præcipuarum rerum in hoc secundo tomo Bibliothecæ Theologicæ contentarum.

Primus numerus paginam: secundus columnam indicat.


Pro-

Scri-

Non



FINIS.



RECE-

REGESTVM.

† †† ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sff Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.


Omnes ſunt Duerniones, præter Zzz, quæ eſt ternio.





ROMAE, Typis Philippi Mariæ Mancini. M. DC. LXVII.

SVPERIORVM PERMISSV.


LEGATORIA S. BENEDETTO
CITERNA